


COMMENTARII IN CANTICVM EZECHIÆ,

Isaiæ 38.

Auctore FR. BALTHASARO PAEZ, *Ministro Prouinciali Ordinis sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum in Prouincia Lusitaniæ, Conimbricensi Doctore:*



Cum triplici Indice, Auctoritatum sacræ Scripturæ, quæ sparsim explicantur, rerum notabiliorum, & materiarum quæ ad conciones spectant:

NVNC PRIMVM IN GALLIIS EXCVSI.



LVGDVNI,
Sumptibus LVDOVICI PROST Hæredis Rouille.

M. DC. XXIII,

2
2-10





NOBILISS. AC AMPLISS. D. D.

IACOBO OLLIER,

EQVITI, D. DE VERNEVIL, REGIS IN VTROQVE EXEDRIO

Consiliario, in Foro & Politia Lugdunensi summo Præfecto, necnon Prouinciarum Lugdunensis, Forisiensis, & Belliiocensis,

LVDOVICVS PROST, *Hæres Rouille*, S. P. D.

IN *vtraque laude* (Vir amplissime) *quam in maximis viris sapientes omnes requirunt, & vulgares quoque homines admirantur, vt cum singulari eruditione, summa etiam pietas annexa sit: adeo te insignem vbique consignatis vestigijs efflorere videmus, vt prærogatiuam cui adscribamus (cum in æquilibrio relinquas) prorsus ignoremus, oporteat vtraque & suspicere & admirari, sed non sola; si enim attendenda sit generis nobilitas, nobilissimo genere radias; si dignitas, duplici lumine rutilas magni in vtroque regis exedrio Consiliarij, summiq́ Præfecti in Foro & Politia Lugdunensi; si sapientia, quà Iurisconsultus*

micantibus nites radijs. Præterea ſemper in te viſa eſt ſumma in agendis rebus prudentia, in reddendo iure iuſtitia, in ſubleuandis hominum miſerijs miſericordia, in diuino cultu religio, in diligendo ſummo Numine charitas. Vnde par erat, vt Rex noſter Chriſtianiſſimus & inuictiſſimus tibi tanquam percelebri viro in potentiſſima, opulentiſſimaq́; Prouincia ſua Lugdunenſi negotia magni momenti gerenda committeret, cuius prudẽtia iamdudum rebus ſerijs ipſi explorata eſſet. Ob hæc ergo animi tui ornamenta quibus inter magni nominis clariſſimos viros ita mirificè præfulges, vt omnium Pariſienſium & Lugdunenſium animos in tui amorem rapias; inter cæteros encyclopædiæ virtutum tuarum ſpectatores ita ipſe te colui, vt nihil carius mihi ducerem, quàm vt aliquo argumenti genere ſtudium in te meum comprobarem, & qui tacita te veneratione proſequerer, expreſſa aliqua obſeruantia declararem. Dederunt hæc ad id apertiſſimum aditum doctiſſima Commentaria in Canticũ Ezechiæ, BALTHAZARIS PAEZ, *Theologi citra omnem controuerſiam in Canticis exponendis conſummatiſſimi, prælo commiſſa, in quibus ſiue raram viri ſapientiſſimi eruditionem, ac animum ſpiritus ardore flagrantem conſideres, ſiue ſenſuum candorem & acumen myſteriorum, item rerum abditiſſimarum luculentam explicationem ſpectes, ſiue denique appoſitas ſuis locis digreſſiones, cohortationes, obſeruationes eximijs etiam quibuſlibet Concionatoribus perutiles emiſſitijs oculis inſpicias: hæc inquam omnia & his longè commodiora, quæ re melius deprehendes,*

bendes, quàm vt ego præfari possim, nisi summa laude, atque adeò ingenti admiratione digna esse iudicaueris, omnem mihi fidem, qua apud omnes nihil est antiquius, abrogari volo. Quis enim fœliciùs Canticum hoc explanare posset, quàm is, qui ab ipso ferè lacte sacris literis eruditus peneq́; detritus fuerit, quique profundissima sensa non minus oratione quàm indefesso studio elicere studuerit? Accedit verò ad operis, tum venustatem, tum decorem, vt vir iste omni superior laude non aliter loquatur, ac viuit: eo quippe est ingenio, ijs moribus, vt nihil mitius, nihil rursus inculpatius fingi possit; cuius hoc Opus, cum inueterata iam consuetudine insignioris alicuius viri præferre debeat defensionem, confestim ad te, Vir amplissime, aduolauit, non me certè inuito: sed vi illa in te diuinitus insita ad alliciendos animos in tuam seruitutem pertracto: accipe illud in tuum sinum, consuetaq́; humanitate foue: tibi enim CELEBERRIMO VIRO *ab eo consecratur, quem iam in admirationem, & tui obsequium inuitasti. Præstantiora, quæ σὺν τῷ θεῷ prope diem ex albo Authoris cucullo exibunt, candidissima, despecta tetra anasaluitarum ἀχαρισία, ex albis Doctorum calculis præstolare. Interim non fructum despero huius in te meæ propensæ voluntatis; quin grato animo munus hoc excipias, & consecrantis studium solita hilaritate complectaris.*



AD LECTOREM.

LIBENTER tibi, candide Lector, nostras in Ezechiæ Canticum annotationes offerimus, indoctiorum, doctissimorúmve cēsuras haud veriti, cum tamen vtrosque recusauerit Caius Lucilius (teste Cicer. de Orat.) homo doctus, & perurbanus, quod scilicet, indocti nihil intelligerent, doctissimi plus fortasse, quàm ipsi de se. Enimuero ea, quæ scribimus, Sanctorum Patrum, Sacrorúmque Interpretum sententiis vndique sic munita tradimus, vt vix maledico, inuidóve denti locus adsit, dum sub limine tantorum Patronorum delitescimus. Quis enim temerario ausu sancta Sanctorum dicta carpere audeat, quibus adeo innixa adsunt quæ scribimus, vt difficile mens cuiuslibet passionis caligine obducta aditum inter vtraque valeat reperire? Non hoc ea mente, & ratione assertum volumus, vt ab omnibus, quæ scribimus, vsquequaque approbari velimus; cum etiam Doctori Maximo Hieronymo dixerit August. Epist. 19. Mi frater, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitari nefarium est: quinimo, & ipse de se August. lib. de bono perseuerantiæ cap. 23. ait: Neminem velim sic amplecti omnia mea, vt me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerim, nam propterea nunc facio lib. in quibus opuscula mea retractanda suscepi, vt ne me, meipsum in omnibus secutum fuisse demonstrem. Non igitur integram omnium approbationem aucupor, ne itidem doctissimorum notam, ac disciplinam effugio: sed pro acriori, ac nimis rigida censura Sanctorum Patrum patrocinium

nium

nium adeo, & oppono; pro ieiuniori vero, ne dicam rudiori nostro stylo, recolo, ac propono id, quod Hieronym. Epistol. ad Damasum, quæ incipit. Postquam epistolam tuæ sanctitatis, &c. ait: De sacris libris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano, eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ: pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Accedat in confirmationem Greg. in Epistol. præfationis ad Leandrum in lib. Iob cap. 5. cum ita habet. Quæso autem, vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosæ loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur; & cuncti proculdubio scimus, quia quoties in foliis malè latæ (aliàs legitur iactæ) segetis cultui proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, seruare despexi; nam sicut huius quoque epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs, motúsque præpositionum, casúsque seruare contemno: quia indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis Oraculi restringam sub regulis Donati. Sic Proceres Ecclesiæ Doctores tenuem nostram dicendi methodum, non tam excusant, quam defendunt, imo, & approbant: multa tamen in hoc volumine errata nostri muneris iuges occupationes, pastoralísque cura, typographorúmque inscitia, & incuria vtcumque leuant; omnibus itaque indulgendum enixè precamur. Vale.

APPRO

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in sacra Theologia Magister, in S. Pauli Lugdunensis Canonicus, & in hac Ciuitate à Domino Dionysio Simone de Marquemont Illustrissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo Lugdunensi in Librorum censuram incumbere iussi: fidem facimus, Nos hos *Commentarios in Canticum Ezechiæ, Isaiæ* 38. *Authore fratre Balthazaro Paez*, &c. vidisse; atque omnia in illis iuxta Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ sacra dogmata, Sanctorúmque Patrum sanam doctrinam eruditè exponi. Lugduni apud sanctum Paulum V Calend. Nouembr. 1622.

I. C. DE VILLE.

Consensus Procuratoris Regij.

LIbrum hunc, qui inscribitur: *Commentarij in Canticum Ezechiæ, Authore F. Balthasaro Paez, Lusitano, Ordinis sanctissimæ Trinitatis & Redemptionis captiuorum, Conimbricensi Doctore*, Ego Procurator Regius typis mandari, demùm in lucem exponi consentio. Lugduni 22. Iunij 1622.

DE POMEY.

Facultas imprimendi.

HÆc *Commentaria in Canticum Ezechiæ, Authore F. Balthazaro Paez, Lusitano, Ordinis sanctissimæ Trinitatis, & Redemptionis captiuorum, Conimbricensi Doctore*; ab Ludouico Prost hærede Rouille Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus; simul ne quis citra factam ei potestatem denuò excudat, interdicimus. Datum Lugduni 22. Iunij 1622.

DE CHAPONAY.

TEX



PROOEMIVM IN CANTICVM EZECHIÆ.



VM in ſacro contextu neque vel ſyllaba, vel apiculus ſit, in cuius profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus, ſicut dixit D.Chryſoſt.hom.21.in Geneſ. Magna quidem inquiſitione indigent illius tractatores, quod videtur dixiſſe Chriſtus Dominus Ioan.in cap.5.cùm ait: *Scrutamini Scripturas*: quod non dixiſſet, ait ibi D.Chryſoſt.homil.14. Si prima facie, & prima tantum lectione poſſent intelligi, quod enim in medio, & in promptu poſitum eſt, nemo ſanè perſcrutatur, ſed quod obſcurum, & latens eſt, id multa indiget diſcuſſione; inſuper & ſicut dixit Nyſſen. initio Exam. cùm verbum, ac minimus Scripturæ apex ſit veluti granum ſinapis, diſcuſſione opus habet, & comminutione; quod etiam videtur dixiſſe Sapiens Prouerb.23. cùm ait: *Cùm ſederis vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*: quo in loco Beda menſam iſtam intelligit ſacram ſcripturam, ad quam illius narratores quandiu ſteterunt, & in illius lucubrationibus inſudarunt, ſed ſedent tandem, vt panem famelicis frangant, ſed quanta opus ſit circunſpectione indicat, cùm ait: *Diligenter attende*, vbi codex Hebræus habet: *Bin tobin*, conſiderans conſiderabis, vt ſit ſenſus: attentiſſimè perſcrutaberis, & diligentiſſimè conſiderabis, quod LXX. Interpr. reddiderunt, & vertit Sedul. in Epiſtol. ad Rom. *Intellige intelligentem*, nec celeri tranſitu, & indiſcuſſa expoſitione velis proponere aliis, quæ tibi diu frangenda, & diſcutienda exhibentur; imò ſtatue cultrum in gutture, nimirum,

Ioan.5. nu.39.

Prouer. 23.n.1.

rum,vt non nisi sedulo meditata, ruminata, & discretionis acie consita proponas,alioquin tibi iam non cultrum,sed igneã romphęam minitatam certò scias;est quidem Scriptura sacra paradiso simillima,sicut ait Procop.Gazæ.in Leuit.f.362. & Chrysost. hom.1.ad pop.cuius flores,inquit hic,non fragãriam solam nudam habent, sed etiam fructum, qui animam nutrire possit,vt viuat in æternum, habet igitur custodem Cherubinum scientiã pręstantem,qui temerè adeuntes terret,& excludit;proinde postulanda est Dauidis clauis,vt aditum nobis præstet,ne aliunde ascendentes fures deprehendamur, de quibus Greg.in past.3.p. ait.Cùm se præ cæteris sapientes arbitrantur,sequi alios ad melius intellecta despiciunt,at vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueãt,student summopere,& ab aliis rectè intellecta destruere, & sua peruersè roborare, quare Isidor.Pelus. lib.2.epist.254.ait.Qui diuina oracula deprauant,atque ad arbitrium suum,veluti obtorto collo trahũt, grauius peccant,quàm vt ipsis ignosci debeat,neque enim erroris, ac deceptionis prætextu sese tueri poterunt, vt qui non simplicitate,sed malitia,& animi peruersitate lapsi sint; similia apud ipsum videri possunt, lib.3.ep.125. Notandum vtique quod puteus ex Orig.hom.12. in Num.est signum recõditæ sapientiæ,& doctrinæ,propter profunditatem,& laborẽ,quo aqua ex alto puteo hauritur;id igitur de diuina doctrina elegãter expendit Cyril.Alex.lib.11.in Gen. in eo quod Iacob Rachelẽ prope puteum grandi lapide obstrusum inuenerit,& lapidem amouens,gregem adaquauerit.Solẽt, inquit,Scripturę scientiam aquæ similem describere,sed magna ipsa profunditate, quasi in puteo iacet, ac sine magno labore hauriri non potest,cũ obscuritas veluti lapis grauissimus ostium putei cooperiat. Hunc tamen lapidem non pastores gentilium, hoc est sapientes eorũ,vnus tamen quilibet è Christi pastoribus velut alter Iacob generosè admouet,&c.quippe qui nouit vires à Deo postulare,& consequi, quibus abstrusas,& reconditas diuitias eruere,& proponere pro fidelium ouium vtilitate possit.


Denique cùm pernecessarium sit sacri verbi tractatoribus ea,quę docent Scripturæ testimoniis roborare,& ad eandem reducere ea,quæ adduxerint,iuxta doctrinam Greg.XVIII.moral.cap.14.vbi ait:De sacris libris,sermonis nostri originem trahere debemus, & qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causarum originem à sacris pag. sumat,vt omne, quod loquitur ad Diuinæ auctoritatis fundamentum reuocet, proinde sacrum sermonem, illiúsque proprietatem, & intelligentiam

gentiam colere debet, nec de iis cēseatur esse, de quibus D.Hieronym.aduersus Lucif.ait. Ex literatis, qui hodie ordinantur, id habent curæ, nō quomodo Scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis demulceant. Nouit quanta esset necessaria accurata diligentia ad euoluendas sacras literas, (quæ ideo dicuntur sacræ, teste Clem.Alex. Orat. ad gentes, quod sacros homines faciunt, & deificant) D.August.epist.2.ad Volus. cùm dixit; tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerent, qui eas solas ab ineunte ætate vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliori ingenio conarent addiscere; quid putandum est diceret August.iis, qui nullo præuio studio, præmissóve examine, sacrum contextum temerario ausu adeunt, & pro arbitratu interpretantur? Vbi non omittendum quod Bernard.dixit de vit.solit.In omni sacra Scriptura tantum distat studium à lectione, quantum amicitia ab hospitio, socialis affectio à fortuita salutatione, studio enim fit amicus, qui lectione tantum hospes reperitur, iam verò mysteria sua quæ in sacra pagina Deus condidit, solis amicis, non hospitibus tantum nota facere consueuit Deus.

Propius igitur ad rem accedentes illud in primis obseruabimus cum Hieronym.in proœm. lib.3. in Amos, quod in explanatione sacrarum literarum, non verba composita, & oratoriis floribus adornata, sed eruditionem, & simplicem veritatem quærere debent auditores. Secundò cum Gregor.præfat.in Iob, cap.2. Illud recolemus, quod his verbis docuit: Sacri tractator eloquij morem fluminis debet imitari, fluuius quippe dum per aluum defluit, si valles concauas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum diuertit, cúmque illas sufficienter impleuerit, repente se in alueum diffundit; sic nimirum diuini Verbi esse tractator debet, vt cùm de qualibet re dixerit, si fortasse iuxta positam occasionem congruæ ædificationis inuenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat, & cùm subiectæ institutionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis præpositi alueum recurrat. Sic Gregor.docet quomodo, de more nostro, post literæ expositionem, ad correctionis modum declinare debeamus, qua de re plura diximus ad Cant. Moysis, Exod.15.num.1.annotat.1.

ARGVMENTVM

Cantic. Ezechiæ.



QVo tempore sibi longiorem, & securiorem vitam pollicebatur Rex Iuda Ezechias, cum grauis, & lethalis morbus inuasit, iussusque est à Propheta Isaia domesticas res componere, quasi ineuitabilis esset mortis ex eo morbo necessitas, quo nuntio, adeò perculsus est Rex, vt ad parietem conuersus Deum supplex pro salute orauerit, profusisque lacrymis Deo proposuerit quæ in eius cultum, & obsequium fecerat. Salutem non tantum impertitus est Deus, sed quindecim annorum vsuram adiecit: quo magis vero ægrum animo roboraret in promissi beneficij signum, vmbram horologij Achaz per decem lineas retrocedere fecit. Gratus ergo tanto beneficio religiosus Princeps gratulatorium Canticum istud edidit, aut componi iussit, vt verisimile est apud Isai. prout stillus ipse indicat, & vt probabile est, aut incisum in ære, marmoréve, publico aliquo loco proposuit, quod enim ab impiis gentibus fieri solitum comperimus, à pio Rege, qui tam multis significauerat quàm sibi grauis futura esset repentina mors, nullatenus omissum fuisse credendum est. Videndus hac de re Mercurial. de re gymnastica, vbi adducit multa vota soluta incissa in ære opera eorum, qui diuinitus periculum aliquod euasisse credebant. Videndus item Strabo. lib. 8. vbi refert Epidauri templum esse Æsculapio sacrum ægrotantium multitudine vndequaque confectum, pendentibus passim tabellis, quibus sanati languores proponebantur. Videndus item Cicero. lib. 2. de Nat. Deorum, celebrisque est ille locus Tibulli eleg. 1. ad Trid.

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et Orat. lib. 1. Od. 5.

Me tabula sacer votiua paries indicat, &c.

Idque apud Hebræos vsitatum esse, & apud vicinas gentes colligimus ex
1. Reg. 6. num. 5. 1. Reg. 6. cum ab vlceribus illatis ab vltore Deo, & muribus eminentia viscera corrodentibus, aureos mures iuxta arcã in capsela posuerunt, & Num. 19.
Num. 19. num. 38. ex thuribulis, in quibus à ducentis quinquaginta viris, qui ab igne consumpti sunt, thus offerebatur, laminas fieri iussit Deus, & altari affigi, ne posteri quid auderent simile. Sic Dauid gigantis gladium in monumentum depulsi
Iudit. 16. num. 23. periculi. Sic Iudith Holofernis conopæum in anathema, & memoriam liberatæ patriæ. Ad hunc igitur morem Ezechias canticum edidit, & proposuit, quo & beneficium, & animi sui gratitudinem testatam relinqueret. In quo primo quid ipse de se, atque de rerum euentu cogitauerit, exponit; secundò quid de manu Dei acceperit, refert; tertiò tandem se tanto beneficio gratum fore pollicetur, curaturúmque ne è memoria vlla vnquam deleat obliuio.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ego dixi in dimidio dierum meorum. Num. 1.

EXPOSITIO LITERALIS.

INCIPIT iam Ezechias exponere quid morbo oppressus mente voluerit, & secum dixerit, variè tamen hic locus interpretatur ob variam intelligentiam Hebrææ vocis, nam aliqui præcisionem intelligunt legentes: *In præcisione dierum*; Ita legit Vatab. qui in explicatione subdit, cùm dies meos concisos esse audiui, videmur namque vitam quasi telam texere, & dies vt fila iungere, vt sit sensus: cùm adhuc telam vitæ longiorem texerem, spe delusa, vita succisa est in medio telæ cursu, quali methodo vsus est Iob. cap. 7. cùm dixit: *Dies mei velociùs transierunt, quàm à texente tela succiditur, & consumpti sunt absque vlla spe*, & huic expositioni fauet quod Ezechias mox subdit; *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirem, succidit me*, vbi intempestiuam succisionem telæ deplorat, etenim, vt constat ex 4. Reg. 18. *Vigintiquinq; annorum erat Ezechias cùm regnare cœpisset, & vigintinouem regnauit in Hierusalē*, idest, vsque ad quinquagesimumquartum ætatis suæ, Anno autem decimoquarto Regni sui venit Senacherib in Iudææ fines, quo eodem anno Ezechias è morbo correptus est, & ab eodem liberatus, vt benè ostendit Sanches initio huius capitis; vnde constat ægrotasse Ezechiam, cùm trigesimumnonum duceret annum.

Iob 7. nu. 6. — Num. 4. — 4. Reg. 18. nu. 2.

Alij Hebræi teste Agellio nō præcisionem volunt significare hoc in loco, nomen Hebræum, sed stupentis animi, & attoniti cogitationem, vt sit idem ac si diceret, ego dixi in stupore meo, dum re improuisa territus, ac stupore defixus moriendum mihi esse cogitarem.

Propè accedit Forer. dum silentiū interpretatur, plurimósque Hebræos cessationem exponere testatur, nam admiratio, & silentium, & actionum cessationem inducit, ipse tamen silentium deduxit ad defectum prolis, ait enim: cum silentio dierum meorum morior, idest, non relicta prole teste vitæ meæ; absque filio, qui me vixisse testetur.

Septuaginta pro dimidio dicunt *in excelso*, seu *in sublimitate*, quia modico flexu pro, *demi*, quod nunc est in Hebræo, quomodo legit vulgatus, ipsi legunt, *Remi*, possúntque ad eundem sensum facilè adduci, nam iuxta subiectam materiā excelsum, seu altitudo annorum, idem est ac dimidium: in ijs namque quæ periodum suum ita conficiunt, vt augeantur, minuantúrque cùm ad medium peruenerunt, statim sese inflectere, & declinare incipiunt, & ideo medium idē est atque excelsum, seu summum. Hæ igitur omnes expositiones cum nostra vulgata cohærēt, vt sit sensus: *in dimidio dierū meorum*, idest, quando alij vitæ cursum dimidiare solēt, & ego instar aliorum de mea vita ita existimabam. Vnde interlinealis hoc in loco ita explicat in hoc sensu dimidium: quia non complebo numerum annorum meorum sicut patres mei. Carthus. media parte temporis, quo viuere potui, circiter cōsumpta.

Video tamen Cyrill.& Theodor. de hoc dimidio in aliud extremum transijsse, ille enim pro amplitudine regni sumit,ac si diceret;quia exaltatus sum, tunc intereo ; Theod. verò quando exaltatus sum, & spectabilis factus,tũc finem vitæ accipio.Theodotus vérò Heracleot. Sublimitatem dierum pro animi elatione accipiendam putat,quòd ille Rex alioqui pius prospero Regni successu elatus humilitatem parum tenuerit, sic enim habet;sublimitatem dierum dicit elationem , quæ eius animum inuaserat : qua cùm teneret , inquit, cò deuenetam , vt mihi vita succidenda esset. Horum patrum Græcorum sententiæ suffragatur Latina glossa cùm ait. Cùm Deus Ezechiæ sine labore victoriam dedisset , nec ille ei condignas gratias reddidisset, infirmitate coactus laudes persoluit quas in prosperitate neglexit , & postquàm conualuit , quæ in angustia cogitauerat,dicit.

Posset hæc expositio iuuari ex eo, quòd dies alicuius in sacris literis dicuntur dies prosperitatis humanæ, sicut de primo Rege decẽ Tribuum electo dicitur Ose.7.
Osee 7. nu.5. *Dies Regis nostri cœperunt Principes furere à vino, &c.* idest ; Inebriati Principes in festo electionis Regis sui adorare cœperunt vitulos aureos, vt ibi exponit Hieron. Sic Iob de diebus prosperi-
Iob 9. nu.25. tatis suæ,ait.*Dies mei velociores fuerũt cursore,*& cap.21.
Iob 21. nu.13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descẽdunt*;
Luc.16. nu.22. sicut contigit illi, qui in magnis bonis vixerat, & epulabatur quotidie indutus purpura,& bysso, qui sepul-
Luc.16. nu.42. tus est in inferno;sic etiã Luc.16. *Si cognouisses & tu,& quidẽ in hac die tua quæ ad pacẽ tibi*;vbi Greg.hom.39.ait: Suam hìc diem habet anima peruersa , quæ transitorio habet in tempore , &c. & pacem habet in die sua, quæ graue damnationis scandalum patietur in die aliena. Eodem sensu Hierem.17. *Diem hominis non desideraui*, id est, prosperitatem sæculi, vt ibi exponit Hieron. Iuxta hanc igitur phrasim in altitudine dierum prosperitatem potest significare. Hiere.17. nu.16.

Hierony. hoc in loco in dimidio dierum inuenit quod cum morum sanctitate huius Regis non tam congruit, ait enim. Sancti implent dies suos, qualis fuit Abraham, qui mortuus est plenus dierum in senectute bona : peccatores verò , & impij in dimidio dierum suorum moriuntur, de quibus & Psalmista loquitur Ps. 54. *Viri sanguinum,& dolosi non dimidiabunt dies suos :* non enim implent opera virtutum , nec student pœnitentiá emendare delicta,vnde in medio vitæ cursu, & in errorũ tenebris ducentur ad Tartarum. Ex quibus Hieron.verbis videtur ipsum putasse Ezechiam veluti impium damnatorum locum , eorúmque pœnas sibi imminentes deplorasse,quẽ plerique sequentes existimant , ideo addidisse : *Vadam ad portas inferi* ; posséque hæc expositio confirmari ex Gregor. dum explicat illud Iob 42. *Mortuus est senex plenus dierum*:sic enim habet 33.Moral.cap.34. in sacra Scriptura non facilè plenus dierum proponitur,nisi is,cuius per eandem scripturam vita laudatur. Licèt autem hæc expositio referri queat, ad humilitatem Ezechiæ , qui tam submissè de suis meritis , imò demeritis , præsumebat , vt se peccatorem confiteretur , & cui supererat dàmnatorum locus, cùm aliàs de contextu sermonis, & omnium ferè consensu nobis de sensu constet , non est cur hac in re ampliùs immoremur. Gen.25. num.8. Psal. 54. nu.25. Iob 42. nu.16.

Illud interim annotandum ex opposito,quod notauit Bern.ser.de hoc Cant. quem sic incipit. Viri sanguinum,& dolosi non dimidiabunt dies suos perseuerantes in sua vetustate

vsque

vsque ad mortem, & hoc quia nō timent Dominum, verum qui timore Dei initietur ad sapientiam, is continuò dimidiat dies suos exclamans præ timore: *Vadam ad portas inferi.*

Vadam ad portas inferi. Vox Hebræa, *Seol,* significat sepulchrum, & subterraneum locum, vbi clauduntur mortuorum animę, siue sit infernus damnatorum, siue sinus Abrahæ. Quia verò ante mortem Christi omnes animæ ad subterranea claustra descendebant, idem erat mori, atque ad inferos descendere, seu ad sepulchrum: idem infernus ac mors. Nam vbi nos habemus, 1. Corint. 15. *Vbi est mors victoria tua.* Paulus in Græco habet: *Vbi est inferne victoria tua?* Et Act. 2. *Quem Deus suscitauit à mortuis solutis doloribus inferni*, in Græco ad verbū est: *Cùm soluisset dolores mortis.* Et ita legit Chrys. hom. 6. in Act. & Oecumen. *Suscitauit illum Deus soluens, & irritans dolores mortis*, hoc est quod per tot dolores mors effecerat, vt, sc. anima separaretur à corpore.

1. Corint. 15. nu. 55. Act. 2. nu. 24.

Scio quæ dixerit de hac voce Delrius. 1. par. adagiorum, adagio 197. in secunda digressione, testimonio 43. quod est petitum ex hoc loco.

Insuper scio Hiero. distinguere inter mortem, & infernū, mors, inquit est qua anima separatur à corpore; infernus locus, in quo animæ recluduntur, siue in refrigerio, siue in pœnis pro qualitate meritorum. Quod autem aliud sit mors, aliud infernus, & Psalmista demonstrat dicens Ps. 6. *Non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?* Et Psal. 54. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Nobis tamen Hieron. nequaquam aduersatur, nam ille vocabulorū proprietatē expressit, quam nos probè agnoscimus, sed insuper dicimus mortem pro inferno, & infernum pro morte plerumque vsurpari. Hinc est quod omnes interp. hoc loco mortem, sepulchrúmve intelligunt, vt Vatab. Palat. & Saa. Alij mortē, vt Carthus. Osor & Sāch. Si quis verò per infernum hoc in loco limbum intelligat, sicut Glossa, & Lyran. cùm eodem, aduertat hoc in loco limbum posse dici portas inferi, quia limbus ille dicitur à Sāctis Patribus esse in parte superiori inferni, hoc autem dictum teneret, nisi limbus nomine inferni simpliciter significaretur.

Psalm. 6. nu. 6. Psal. 14. nu. 16.

Deinde etiam, & vulgare est in sacro sermone, vt locus notior, aut aliquo titulo nobilior pro vicino sumatur, vt Ioan. 1. *Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanē, vbi erat Ioannes baptizans.* Cùm tamen Ioannes in ea vrbe minimè baptizaret, sed in deserto propè Bethaniā. Et Luc. 13. loquens Christus Saluator de morte sua ait: *Non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Cùm tamē Christus, sicut aduertit Paulus Hebr. 13. extra Hierusalem passus sit. Quia igitur apud Hebr. portæ notissimæ erant, tum ob iudicia ibi celebrata, tum ob custodiām ibi deputatam portæ inferi sumuntur pro sepulchro, siue pro quocumque alio loco subterraneo. Vel tandem: *Vadam ad portas inferi*, significat extremum periculum, in quo se Ezechias videt de morte iamiam imminente, quo sensu Ps. 9. 5. & 15. Portæ mortis sumuntur, vbi benè Theodorus Antiochenus, & Ps. 140. nu. 7. *Dissipata sunt ossa nostra secus in infernum.* Hebr. in ore inferni hoc est in pactā, seu vestibulo. Sic Plautus dixit ianuam Orci, Zenodotus ianuam Chāontis, Tertull. portam gehennæ.

Ioan. 1. nu. 28. Luc. 13. nu. 33. Hebr. 13. nu. 12.

Quæsiui residuum annorum meorum. Quæsiui hoc in loco idem est atque desideraui, siue abesse sensi, sicut benè aduertit Sanch. & Saa: ea enim, quæ desiderantur, nec inueniuntur metaphoricè dicuntur quæri: vt desiderati

ſiderati ſunt decem viri, ideſt, non ſunt inuenti, & deſiderare in viro modeſtiam, ſiue eam quærere, eſt illam non inuenire in eo. Hoc ſenſu 1. Reg. 20. dixit Ionathas ad Dauidē:
1. Reg. 20. *Cras Kalēdæ ſunt, & requireris, requiretur enim ſeſſio tua,* ideſt, abeſſe te cōperietur. Senſus igitur eſt. Ego Ezechias reperi deeſſe mihi, & ſubtractos eſſe reſiduos annos, quos maximè optabam, cùm me ad mortem rapi viderem, quod ex Hebr. ſic legit Vatab. viſitatus ſum cùm adhuc ſupereſſent anni, explicans verò ait. Priuatus ſum reſiduo annorū meorum. Alij ex Hebr. legunt recenſitum eſt in me reliquum annorum meorum, hoc eſt, reliqui mihi anni ex numero deſiderati ſunt, ac defuerunt. Carthuſ. tempore reſtāte viuere concupiui, & tempus vitæ meæ implere optaui, ſed fractus ſum deſperatione viuendi, cùm audiſſem ab Iſaia: *Diſpone domui tuæ, quia morieris.* Aliò rem diuertit Lyran. explicans, mecum conſiderabam, quot annis poſſem viuere per naturam; quæ expoſitio inſeruit communi, ſi ex eo quæſierit, vt aduerteret reliquos ſibi annos diuinitus ademptos. LXX. habent: *Relinquam annos reſiduos,* quos Agell. explicat, deponam, ſeu commendabo annos meos, & affert tanquam ſimilem locum illum Pſal. 30.
Pſal. 30. *In manus tuas cōmendo ſpiritum meum:* vt ſit ſenſus: reliquum annorū meorum, cùm ipſemet conferre non poſſim, iter ad inferos facturus Deo fideli depoſitario relinquam, ideſt, deponam, ſeu commendabo, vt in reſurrectione futura mihi illos cum fænore reſtituat, vbi idem Agellius reſurrectionem carnis futuram deduxit ex eo, quod apud LXX. idem ſit relinquere, atque deponere aliquando reaſſumpturum.

ANNOTATIO I.

De proſperitate Ezechiæ, & quæ illi, ac nobis mala importet.

PRæſenti annotationi anſam præbet Iſidor. Peluſ. lib. 2. epiſt. 74. vbi cenſet Ezechiam elatum proſpero euentu, & parta inſigni victoria de Senacherib, plus de ſe cogitaſſe, quàm deberet, nec ſe Deo gratum ſubdidiſſet; eſt enim in ea ſententia, quæ iuxta ſacrum contextum aſſerit prius factum fuiſſe, vt nocte quadam venerit Angelus Domini ad caſtra Aſſyriorum, & percuſſerit 185. millia, cùm vero diluculo ſurrexiſſet Rex, & vidiſſet omnia corpora mortuorum, recedens abijt, ſicut habetur 4. Reg. 19. ſic ergo ille habet. Cùm Re- 4. Reg. 19. n. 35.
giam dignitatem obtinente Ezechia, barbarus vniuerſam Perſiam ducēs Hieroſolymam aggreſſus fuiſſet, Rέxque admirandum, diuinum, atque omnium, quæ vnquam contigerant illuſtriſſimum trophæum erexiſſet: tunc verò ipſe ex hoc ſucceſſu, tumore affectus, ac præ lætitia ſublimiùs de ſe, quàm hominis conditio poſtularet ſentienti, aduerſæ valitudinis frænum iniectum eſt, vt alios ipſius ſpiritus reprimeret, humanæque naturæ fragilitatem coargueret, animique morbo ex lætitia contracto, mederetur: nam quod mortalium animi gaudio magis efferri ſoleant, oſtenderunt Iudæi, poſtquam enim Ægyptij defuncti ſunt, eóſque mare pro ſepulchro habere conſpexerunt. Exod. 14. Tunc ad idolorum cultum ſeſe conuerterunt, nam cùm mare tranſijſſent, nec periculi quicquam ſubijſſent, vbi terram attigerunt naufragium

gium pertulerunt. Sic ille nobis perniciem prosperitatis in Ezechia proponit, quem illa elatum morbo tandem depressit vsque adeò Deus, vt ad portas mortis mente deuenisse fateatur, & Epist.283. ait. Quo tempore Ezechias Hebræorum Rex trophæum aduersus Persas, tum omni admiratione maius, tum humano robore, atque humana spe sublimius excitatum vidit, tum nimirum morbo percussus est, quo animæ saltus fræno compressit non eum, vt extra decorum prosilire adigeret, victoriæque materiam arrogantiæ bellum exciperet, immoderata enim lætitia hac ipsa natura est, vt plus incommodi persæpe, quàm mæror afferat, quibus similia habet lib.3. epist.213. cùm ait. Videtur vt plurimum humana natura in aduersis quidem rebus modestiam colere, in secundis autem petulantem se præbere, atque hoc ex iis, quæ Hebræis acciderunt apertissimè liquet. Transierunt enim mare rubrum, nec periculi quicquam subierunt: cùm autem in terram venerunt, naufragiũ fecerunt. Tantum ille, ex cuius doctrina infelicitas maxima creaturæ colligitur, quæ in maxima felicitate non potest consistere, quin superbè elata miserè prolabatur, quod eleganter prosequitur Rupert. lib.2. de Vict. verbi Dei. cap. 12. vbi in primis duabus creaturis, homine, scilicet & Angelo id ita prosequitur. Vterque grandia Dei dona in materiam vertit superbiendi, quid enim nisi bonum Creatoris in superbiam extulit tam hominem, quàm Angelum? Illum in apice celsitudinis Angelicæ constituit, istum patrem multitudinis hominum, multitudinis Sanctorum, & Dei filiorum esse volens in paradiso collocauit, nimirum magna vtrique celsitudo, illius in principatu Angelico, istius in propagando genere humano, neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit, vtpote creatura leuis, vnde autem leuitas vtriusque creaturæ, nisi ex propria conditione. Quia ergo tam Angelus, quàm homo de nihilo creatur, creatura leuis est, & nullius ponderis nullum Dei donum, siue beneficium potest ferre humiliter, &c.

Indiget proinde leuis creatura pondere tribulationis, ne penitus euanescat, qua de re videndus Chrysost. hom. 38. in Genes. post medium, vbi prosequitur Agaris superbiam ob consequutum filium ex semine Abrahæ, de qua dicit Scriptura Genes. 16. *Illa concepisse se videns, despexit dominam suam:* vbi Chrysost. ait. Ille fermè seruorum mos est, vt cùm parum prosperitatis eis aspirauerit, nequeant inter suos limites manere, sed statim sui ordinis obliuiscantur, & in ingratitudinem propensi sint, id quod huic ancillæ accidit: nam vt vidit vteri sarcinam, neque Dominæ admirabilem honestatem, neque suæ conditionis vtilitatem cogitauit, sed inflata, & superbiens contempsit Dominam, quæ illam tam commendatam habebat, vt in viri thalamum admitteret. Sic ille eam elatam prosequitur, sed statim ostendit ab Angelo correptam, & propriæ conditionis admonitam resipuisse, & domum Dominæ illi obtemperaturam reperiisse: tunc subdit Chrysost. Hinc discamus quantum sit in afflictionibus lucrũ, quanta calamitatis vtilitas, postquam enim secessit, & dolor auctus est multisq; circundata est afflictionum molestiis in solitudine, in vastitate, in angustiis versans post tãtam prosperitatem, & in parem cum Domina sua dignitatem euecta, ideò acceleratum nacta est subsidium. Hæc enim tibi erunt, inquit, quæ promisi, paries filium, & semen tuum innume *Gen. 16. num 4.*

numerabile erit, quia probauit Dominus humilitatem tuam. Ne igitur grauatim feramus, si molestiis premétibus humiliemur; nihil enim ita nostræ naturæ conducit, vt mentem subducere, & humiliare superbum spiritum, & inflationem mentis deprimere; nec doleamus in afflictionibus, sed lucrum ex afflictionibus facientes, omnia, quæ nobis eueniunt, placido feramus animo, &c. & homil. 40. in Genes. ad medium ait. Humana natura quando multum prospere ei succedit, suæ obliuiscitur nobilitatis, neque intra suos limites subsistit, idcirco quasi clementissimus Pater aliquando nobis indulget, aliquando castigat, vt variis viis nostræ animæ saluté curet, quoniam, & medicus, quando infirmum curat, neque semper fame detinet, neque semper larga mensa frui sinit, vt non voracitas febrim pariens, augeat morbum, fames verò infirmiorem illum efficiat, sed coniectans apud se quantæ sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte, omnia sua in medium affert; similiter & misericors Deus sciens quod cuiuis expediat, aliquando concedit nobis prosperitate frui, aliquando autem exercitationis gratia, tentationibus nos circundat, &c. videndúsque erit idem Chrysost. hom. 1. ad populum, vbi prosequitur rationes, ob quas Deus labores, & ægritudines iustis immittat, quarum primam esse asserit, ne in superbiam efferantur.

In eum itaque incurrit errorem Ezechias, vt putauerit se bellum penitus euasisse, & in pace, ac quiete securum posse exultare, cùm tamen quandiu in hoc mundo versamur in castris simus, *Militia est*, enim, *vita hominis, super terram*, quod notauit Hieronym. ad illa verba Ecclesiast. 3. *Tempus belli, & tépus pacis*, vbi sic habet. Quandiu in præsenti seculo sumus, tempus est belli, cùm auté migrauerimus de hoc sæculo, pacis tempus adueniet, in pace est enim locus Dei. Nemo ergo se nunc putet esse securum in tempore belli, vbi certádum est, & Apostolica arma tractanda, vt victores quondam requiescamus in pace, imò quia *varius est euentus belli*. 2. Reg. 11. & modo qui victor euasit, victus deinde abscedit, nullus sibi securitatem pollíceri potest, nullus in luce fulgentis fortunæ gloriari, sed vicé aliam sibi promittere, & spectare, cùm in summo rerum vertice se collocatum aspexerit.

Iob 6. num. 1. Eccles. 3. num. 8.

2. Reg. 11. num. 25.

Hinc est quod Num. 10. dicitur, *Si exieritis ad bellū de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas, clangetis vlulantibus tubis*: vbi in Hebræo pro epulo habetur: *in die lætitiæ*, quo in loco Raban. citatus in glossa ait. Nota quòd in aduersis, & prosperis tubis clangere præcepit, nobis enim in hac militia versantibus non minori opus est vigilantia, & præparatione in prosperis, quàm in aduersis, sed iugiter in armis standum, & ad pugnam accincti debemus conflictum semper præstolari.

Num. 10. num. 9.

Hoc docuisse videtur Christus Dominus cùm veniens Hierusalem mortem subiturus, voluit priùs summa cum lætitia, ramis, acclamantibúsque vocibus excipi, & Ecclesia ab illo edocta processionem præmittit Passioni, vt fidelibus innotescat quem tandem finem sortiri soleat læta felicitas, & triumphum, quod eleganter prosequitur Bern. serm. 1. in ramis, vbi sic incipit. Non sine causa spiritum sponsi pariter & Dei sui habens Ecclesia processioné hodie noua quadam, & mira coniunctione addit Passioni, nam processio plausum habet, passio planctū; quoniam ergo *Sapientibus, & insipientibus debitores*

Rom. 1. num. 14.

debitores sumus. Rom. 1. Videamus quid vtrisque conferat hæc coniunctio, videat, & intelligat sæcularis anima, quoniam *Extrema gaudij lu-*
Prou. 14. num. 13. *ctus occupat.* Prouerb. 14. Quod ante prædixerat per Prophetam Isai. c. 40.
Isai. 40. num. 6. *Quoniam omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni.* Etiam apparens in carne manifestè studuit probare in seipso, vnde & processionis gloria voluit sublimari, qui paulò pòst sibi nouerat imminere diem ignominiosissimæ Passionis. Quis ergo sperare iam debeat in incerto gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & Conditore vniuersitatis post exaltationem tantam, tantam nihilominùs humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate, à plebe eâdem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria, & diuinis laudibus honoratus, postmodum verò interrogatus cōtumeliis, & tormento & cum sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis; propterea prudenter orat
Psal. 29. num. 13. Propheta, *Vt cantet tibi Domine gloria eius, & non compungatur*, idest, processionem habeat, quam passio non sequatur. Et serm. 2. statim post principium. Opportunè, inquit, processioni Passio coniuncta est, vt discamus in nulla lætitia huius sæculi habere fiduciam, propterea non simus stulti vt occidat nos prosperitas nostra, sed in die bonorum non immemores simus malorum, & è conuerso, istis enim mixtum est præsens sæculum, non semper lætitia; non semper læta succedunt, sed vespere,
Iob 7. num. 18. & mane dies vnus, & illud: *Visitas eum diluculo, & subito probas illū.* Iob 7. Verùm hoc interim, dum præsens sæculum manet, vel manat magis, & fluit; cæterum post hoc sæculum duo futura sunt sæcula valde diuisa, & diuersa, ita vt in altero non nisi fletus, & stridor dentium, in altero sola gratiarum actio, & vox laudis; meritò proinde ait Eccles. 7. *Bonum* Eccles. 7. num. 13.
est magis ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, licèt enim multos frangat aduersitas, multò plures extollit prosperitas. Deniq; quia vtrobique periculum est, orat Sapiens, & dicit: *Diuitias, & paupertatem ne dede-*
ris mihi. Prouerb. 30. Ne fortè, aut diuitiæ extollerent in superbiam, aut Prou. 30. num. 8.
paupertas deiiceret in impatientiam. Vnde & Dominus sicut in Passione patientiam, ita in processione humilitatem exhibere curauit. Sic ille docet quo animo quisque debeat, & prospera, & aduersa superare, ne aut illa eleuent in superbiam, aut ista in desperationem deprimant. In quam sententiam videndus est Greg. hom.
19. in Ezech. vbi expendit illud c. 40. Ezec. 40. num. 16.
Cùm Propheta ait; in templo vidisse vestibulum ante fores, & cęlatas palmas, quarum vna erat hinc, & altera inde in fronte eius: designabant autem eorum victorias qui in hoc diuturno bello vitæ nostræ, nec prosperæ fortunæ cedunt, vt animo efferantur, sed superiores illa, ab officio non recedunt, & eorum etiam, qui ærumnis minimè deprimuntur, vt animo, mentéve cadant; vtrinque enim iugiter decertandum est, & vtraque oportet superare, felicia, scilicet & aduersa prospera, & infelicia, sic enim præmium & palma promeretur; ait ergo Greg. Omnes, qui ad vitæ aditum tendimus, & ex dextro & sinistro latere habere palmam debemus, quod enim hinc, inde dicitur? latus vtrunque significetur; à dextro igitur palmā habet is, quem prospera non extollūt, à sinistro palmam habet is, quem aduersa non deiiciunt. Quasi ex vtraque parte portabat arma Paulus, cùm diceret, *Per* 2. Cor. 6.
arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per num. 8.

gloriam, & ignobilitatem. per infamiam, & bonam famam. vt seductores, & veraces. 2. Corinth. 6. Non hunc aduersa frangebant, non prospera in mentis tumorem sublcuabant; hinc, inde ergo gestabat palmam; quia & in aduersitate fortis, & in prosperitate humilis permanebat. Hinc est quod idem egregius Prædicator dicebat Philip. 4. *Scio, & humiliari, scio, & abundare; vbique, & in omnibus institutus sum, & satiari, & esurire, abundare, & penuriam pati, &c.* Quæ videnda ibi sunt post medium; plura hac de re habet 3. p. Pastoral. cap. 27. & lib. 33. moral. cap. 11. & Epist. 5.

Philip. 4. num. 12.

Iuuat autẽ ad reportãdam vtramque palmam si vtrinque stipatus, & munitus incedat sapiens vir, iuxta monitum Ephræm in Varia doctrina, c. 97. vbi ait. Sic in præsenti vita incedere oportet fideles: si gaudium nobis acciderit, siue ex felicitate aliqua, siue ex beneficiis acceptis, vereamur non longè abesse tristitiam, sin autem tristitia aduenerit, nobis speremus gaudium propinquum. Exemplum ab his, qui per mare nauigant capiamus, nam hi insurgente in eos vento, aut tempestate aliqua vehementiori, non illico desperant suam salutem, sed resistunt fluctibus tranquillitatem expectantes, qua obtenta, iterum procellas metuunt; vnde etiam assiduè euigilant ne repentina aliqua vis ventorum insurgat, quæ eos imparatos in mare deturbet: sic & nos vtrinq; circunspectos esse oportet; qui enim expectatur, si venerit, non vt nouus, atque hospes recipitur, neque enim illum imparatum offendit. Cùm igitur tribulatio aliqua, vel angustia nobis acciderit, liberationẽ ab iis, & auxilium à Domino expectemus, ne fortè dum longior est, ac diuturnior tribulatio, si nulla spes nobis salutis supersit, mortem afferat. Similiter dum gaudium obuenerit, angustias expectemus, ne ob nimium gaudium obliuiscamur luctus; similia habet de Perfect. Monach. post med.

Ne aut prosperitate irruente, aut aduersitate grassante, animus expugnetur, iuuat maximè quod dixit Sextius apud Senec. Epist. 60. lib. 8. de quo ait: Sextium maximè lego virum acrem, Græcis verbis, Romanis moribus philosophantem, mouit me imago ab illo posita, ire quadrato agmine exercitum, vbi hostis ab omni parte suspectus est, pugnæ paratum; idem, inquit, Sapiens facere debet, vt omnes virtutes suas vndiq; expandat, vt vbicunque infesti aliquid oritur, illic parata præsidia sint. A dextris igitur prosperitas adest, à sinistris sinistra aduersitas, ante ea sunt, quæ quærimus expectamus, aut expetimus; retro nos insequuntur quæ fugimus, aut aduersamur: quadrato proinde agmine indigemus; à dextris quidem adsit fortitudo, quæ vires contra fortissimam prosperitatem exerat; à sinistris iustitia sit, quæ lance expendat, vtrũ quæ mala parimur, commissa mala promeruerint; à tergo prudentia sit, quæ doceat cauere quæ oportet, & tolerare quę decet; præcedat insuper temperantia, quæ modum perscribat, & methodum in iis, quæ petere, appeteréve debemus, sic tandem fiet, vt nullis cedamus aduersis, nullis obruamur prospetis, & palmã de vtraque fortuna reportãtes inueniamur.

Proponitur nobis hac ratione triũphãs, dum hoc ordine processit, sanctus Iob, præterita siquidem respiciens dixit, *Dominus dedit, Dominus abstulit*; Futura prospiciens dicebat; *In carne mea videbo, &c.* In aduersitate, quando *nihil contra Deum locutus est*; In prosperitate sicut ipse testatur dicens, *Si vidi Solẽ cùm fulgeret, & Lunã incedentem clarè*, vbi LXX. eleganter

Iob 1. num. 21.
Iob 19. num. 26.
Iob 1. num. 22.
Iob 31. num. 26.

ter legunt, *An non videmus Solem, qui lucebat, deficientem; Lunam autem decrescentem, non enim est eis?* Vbi Iob videtur se purgare ab adoratione rerum mutabilium, quantumuis lucidæ, & fulgidæ apparuerint, sicut ibi prosequitur Chrysostom. dicens. Si ea, quæ in cœlo sunt astra vtique lucentia, vicissitudini tamen sunt obnoxia, Sol enim deficit, & Luna minuitur; an non extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena sunt, ea stabilia, ac firma putare?

Hæc proinde causa erat cur Iob cùm eum magna hæc dona neque oblectarent præsentia, neque vrgerent absentia, subiungit deinde, id quod vsque adeò vtile, ac necessarium est, quo sublato vita est erepta mortalibus, & tamen mutationem subit, vt inde colligamus multò magis eam admittere, quæ superuacanea sunt, &c. Et Olympiodorus, Vt Sol deficit, ac Luna diuino iussu consenescit, sic ego quoque de diuitijs tanquam de re, quæ nunquam consistit, cogitabam; illúdque didici nequaquam esse mentis aciem in incertas opes intendendam. Sic ille.

Iobum igitur nullatenùs deceptum prosperis minimè fregere aduersa, nam sicut dixit in August. in Psalm. 83. Nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit; & Chrysostom. in Psalm. 9. Semper egemus Dei prouidentia, maxime cùm liberamur à malis, alligatam bestiam non ita timemus, vt emissam: ita vitium non est ita timendum in afflictione, sed post remissionem; rerum successus maiora mala fecerunt, quàm res aduersæ: nam sicut dixit Ouid. 2. de Art.

Luxuriant animi rebus plerúmque secundis.

Multò meliùs Bern. 2. de consider. cap. 12. Magnum, inquit, qui incidens in aduersa non excidit, non minor cui præsens fortuna si arrisit, non irrisit, quamquam faciliùs inueneris qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quàm qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille, qui & magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, &c. Similia sunt quæ habet Sermon. de transf. Malach. & Basil. homil. 6. in ditescentes.

Sunt itaque ita prospera omnia, & præclara mundi bona aspectu quidem lucida, sicut cœlestia corpora; instar tamen eorum instabilia, & conuertibilia, vnde splendentis fortunæ felicitas ostensa est Iosepho, Genesis 37. Cùm vidit Solem, & Lunam, & Stellas ipsum adorantes, quo itidem admoneretur nullatenùs fidendum felicitati volubili, & quæ perpetua varietate rotatur; quod rectè aduertit Dauid Psalm. 36. cùm dixit: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani, transiui, & ecce non erat.* Vbi Lytan. rationem reddens, quare non inuenerit impium exaltatum, ait, quia talis potestas est ita breuis, quod non est nisi quidem transitus, quæ igitur permanentia, & stabilitas in transitu poterit inueniri?

Gen. 37. nu. 9.

Psal. 36. nu. 35.

Hoc etiam aduertit Hieronym. in cap. 3. Ezech. cum explicat illa verba. 1. Corinth. 7. *Præterit figura huius mundi*, sic enim habet. Notandum quod non in futurum detulerit, sed de præsenti dixerit præterit, & quotidie labitur figura mundi, nunquàm enim in eodem statu permanet, sed semper crescentium, & decrescentium figura prætervolat, & mutatur; vnde

1. Cor. 7. nu. 31.

Matth. 24. n. 35. Dominus: *Cælum, & terra transibunt.* Matth. 24. Sin autem hæc omnia, quæ in mundo continentur, prætereunt, atque pertranseunt, quid potest in humanis rebus esse perpetuum? Si omnia prætereunt, quid stantem sibi fingunt felicitatem homines in sui deceptionem? Quid de prosperis gloriantur, qui statim ad aduersa transitum sustinebunt, & in sola varietate, & mutatione stabilitatem experientur? Vnde diabolus omnia mundi regna Christo Domino ostensurus, id momento temporis fecisse scribit Luc. 4. num. 5. Luc. cap. 4. vbi Ambros. Bene in momento temporis, & sæcularia, & terrena demonstrantur, non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur, in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit antequam venerit, quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula?

Amos 6. num. 13. Hinc est quod postquam Propheta Amos cap. 6. Refert omnes hominum felicitates, tamen nu. 13. addit: *Qui lætamini in nihilo*, vbi Lyran. ait: *In vana gloria mundi.* Tygur. legit, *Gaudent in re nihili*, quod Vatab. explicat, non in re, idest, abs re; Symach. verò habet: *Qui lætamini sine vlla ratione:* etenim ij, qui in rebus prosperis, & humana felicitate lætantur, id faciunt ac si nulla ratione prorsus pollerent, vnde Hebr. habetur: *Qui lætamini in non verbo*, idest, in iis, quæ non sunt verbum, idest, res aliqua, sed mentes vestras ludum, immò inanes probant.

Dan. 3. num. 3. Dan. 2. num. 31. Zach. 6. num. 1. Danielis in cap. 3. In quatuor bestiis, & cap. 2. In statua ex variis metallis composita ostensa sunt potentissima quatuor orbis imperia; sic Zachar. 6. in quatuor quadrigis eorum ordinem, & prosperitatem ostendit Deus ex communi expositione, vno excepto Palat. qui in quadrigis Angelos agnoscit, & Theod. qui putat esse Dei ministros, qui quam ocissimè Dei exequuntur mandata; in quarta igitur quadriga, quæ Romanorum Monarchiam referebat, equi varij visuntur, fortes tamen, vt illius fortitudinis varietas sese nobis statim offerret contemplanda. Chald. pro fortibus legit cinerei coloris, siue cinericeos, vt scilicet, intelligeremus quod quantumcunque nobis videantur principes, eorúmque exercitus, & potentiæ fortes; tamen breuissimè sciremus in cineres redigendos esse, & qualibet aura dispergendos.

Hinc factum existimo quod olim non vna, sed multiplex fortuna colebatur, sicut latè prosequitur Alexand. ab Alex. lib. 1. Genial. cap. 13: à principio, vbi inter alios fortunæ titulos olim celebres, proponit & fortunam conuertentem, quod homines ludificatur, quodque per omnia humana agitat, ac paruis momentis magnas facit mutationes, in codémque vestigio nunquam diu stat. Nonnulli habitu fœmineo cæcam, & exoculatam, furentis similem, super volubile saxum effinxere, quod nullo delectu opes ad malos, & indignos conferat, quodque vaga, inconstans, & instabilis foret, quare Apelles fortunam sedentem effinxisse dicitur, eò quòd nunquam staret, sed quos fouisset indulgenter, mox de gradu deiiceret. Aliqui sine pedibus illam exculpsere, sed manus, & pennas tantùm adhibuere, vt si manus porrigeret pennas comprehendere non sineret; alij vitream, quod puncto temporis frangitur. Sic ille, cui accinit Seneca in Herculo furente, cùm ait,

Nunc.

Nemo confidat nimium secundis,
Nemo desperet meliora lapsus,
Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho
Stare fortunam, rota omne fatum,
Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Crastinum vt possit sibi polliceri.

Psal. 61. num. 11. Sed multò elegantiùs hoc habemus Psalm. 61. Vbi Dauid in hanc sententiam dixit: *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere*; etenim diuitiæ, gloria, & prosperitas cùm affluunt, itidem effluunt, & quò maiori abundant affluentia, eò celeriori discedunt velocitate; proinde colligendum cor, & detinenda mens, ne transeuntis fluminis celeritas illam secum deuoluat, & cor rapiat; sic enim explicat dicta verba Basil. ibi: *Diuitiæ si affluant*, &c. Cùm admiratione hanc suspicito vocem, fluxa est diuitiarum natura, suos possessores torrente prærapido ocius prætercurrit, alios alio modo apta mutare dominos. Quemadmodum fluuius ex alto ruens loco, ita subito extuberat, vt stantes in ripa quandoque attingat, simul verò, vbi attigit, mox succedit, sic & opum lubrica decliuitas perniciissimam exhibet, & prolapsiore leuissimam subit præsentiam, aliud ex alio natum permutare. Illud itaque, Diuitiæ si affluant nolite cor apponere, te admonet, vt ne animo erga illas afficiaris, sed vsum tantùm sume necessarium. Non denique tanquam bonorum vnum aliquod eas ardentiùs affectans, aut habens miraculi loco, sed ipsarum vsum administrationémve, quasi instrumentum ad virtutem amplectere, &c. Sic ille monet nullatenus adhærendum effluentibus bonis, quæ obruunt, & rapiunt eam animam, quæ sese illis libentibus apponit, & deuoluendam, & demergendam penitus secum deferunt.

Sed adhuc pro nostro argumento clarior sanè locus apud eundem Basil. sese offert in Psalm. 59. Cùm explicat illa verba; *Deus repulisti nos, & destruxisti nos; iratus es, & misertus es nobis.* Putat enim Basil. hunc Psalm. conditum eo tempore, quo Dauid illustres reportarat victorias, de quibus 2. Reg. 8. Inquirit ergo quænam cohærentia sit horum verborum cum triumpho, & lætitia, qua tum temporis gens Iudæorum potiebatur, & eam profectò reperit, quod humanæ felicitates in infelicitates ea celeritate transmutentur, vt etiam dum victoriam celebrabant, se iam victos deplorare possint, sic ergo habet Basil. Sane epinicia, odæ videlicet pro parta victoria concinnatæ argumentum sunt popularis, ac publicæ celebritatis. Quomodo igitur inquit, *Deus repulisti nos?* At qui susceperat illos data iam victoria. Quomodo autem: *Destruxit*, quos tanto successu rerum auxit tradens eis arma, & currus, & equos, & subditos, & regionem tributariam? Dignum profectò scire hoc, ne aliquam verba ingratitudinem habeant. Liceat autem de omni omnino humano genere hoc intelligere, eò quòd ad omnes perueniat huius Psalm. vtilitas, qui & mutati, & mutandi iure dici possunt, &c. Quibus in verbis Basil. Vult propterea media prosperitate destructionem, & euersionem eam gentem plorasse, quod mutationem à victoria in destructionem certam probè sciret, proinde in die bonorum, memor existens malorum, eadem super se iam sentiret. Psal. 59. num. 1.

Obseruandus venit hoc in loco ille Cant. 7. vbi sponsus ait: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum:* quo in loco Theodoretus, & tres Patres Græci, Ambrosius, & Gregorius per nasum discretionem Cant. 7. num. 4.

tionem intelligunt, alij prudentiam, quæ à præuidendo dicta est, sed quid præuidet? *Respicit*, dicitur, *contra Damascum*: quæ Hierem. 49. Dicitur Ciuitas laudabilis, & vrbs lætitiæ, & Amos 1. appellatur domus voluptatis, de ea enim dicitur: *Conteram domum Damasci, & tenentem sceptrum de domo voluptatis, & transferetur populus Syriæ Cyrenem.* Erat enim Damascus caput Syriæ, sicut habetur Isai. 7. Ex his igitur constat, cur nasus respiciens contra Damascum ab sponso extollatur, quod scilicet nouerit infelicitatem. In media felicitate, & lætitia subadorari, & post feliciratem, & voluptatem Damasci discernere, præuidere, ac prouidere, vt lacrymas venturas contemplaretur, nec deciperetur, aut euanesceret visa lætitia, & prosperitate Damasci.

Hierem. 49. n. 25. *Amos 1. num 5.* *Isai. 7. num. 8.*

Vel potius hæc metaphorica locutio explicari potest ex eo, quòd præuidendo sponsa, & subodorando ea omnia, quæ in mundo prospera, læta, & felicia existimantur, memor minimæ durationis, & nullius eorum stabilitatis ea videt, & irridet, iisque nullatenus decepta fidit; etenim sicut notauit Andr. Burgens. in Prouerbial. formos. Tertullian. num. 134. In naso irrisionis sedes collocatur, vnde nasuri, & nasum habere irrisores dicuntur, Plin. lib. 11. cap. 37. Nasum noui mores subdolæ irrisioni dicauere; & Orat. dixit, Naso adunco suspendere. Martial. *Et pueri nasum Rhinocerotis habent*; & Persius, *Fides*, ait, *& nimis vncis naribus indulges*; & Græci à naso deducunt irridere, vt ostendit prædictus auctor. Hac phrasi vsus est Tertullian. lib. 1. contra Marc. cap. 13. cùm dixit; Nasum contrahentes impudentissimi Marcionitæ conuertuntur ad destructionem operum Creatoris, vbi per contractionem narium intelligit hæreticorum irrisionem. His suppositis, prædictum locum; nec ineptè sic possumus exponere: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, idest, hoc sequitur ex eo, quòd præuideas mutationem rerum temporalium, earúmque instabilitatem, quod sicut Israelitæ è turri Libani præuidentes Syriorum munitiones, & cohortes dispositas, sic præcauentes se præparant, vt nullatenus timeant illorum incussiones, cùm nullam ab eis possint læsionem subire, vnde eorum conatus potiùs irrident; sic & prudens, ac sancta anima præuidens subitam conuersionem, & futuram transmutationem temporalium prosperitatum, tantum abest, vt iis efferatur, & glorietur, quòd potiùs veluti subducto naso ea omnia ridet, & contemnit.

Iuuat autem maximè ad deprimendam elationem in prosperis præ oculis habere propriam vtilitatem, vnde cùm Deus secreta sua, & abscondita mysteria Ezechieli vellet aperire ipsum appellat filium hominis, vt passim apud ipsum reperire licet, quo suæ conditionis memor, tanto Dei beneficio nullatenus superbiret: nam sicut dixit Curs. lib. 4. de rebus Alexand. Homines cùm se permiscuere fortunæ, etiam naturam dediscunt. Notauit hoc Hieronym. in cap. 47. Ezech. Cùm air, vocat filiũ hominis, ne obliuiscatur conditionis suę, dum ei magna monstrantur; quod etiã obseruauit idem Hieronym. in eo, quòd Ezech. videns visionem similitudinis gloriæ Dei cecidit in faciem suam; ait enim, non est elatus visionum magnitudine, sed conscientia fragilitatis humanæ procidit in faciem suam. Pondus huius terræ nostræ graue admodum est, & veluti saburra inseritur ne inanis *Ezech. 2. num. 1.*

inanis gloriæ, & prosperæ fortunæ flatu submergamur. Vbi notandum venit, imò discendum ab apibus, quæ, ne flante dissipentur vento, lapillos apprehendunt, quibus contineantur in via, sicut dixit Poëta. 4. Georgic. *& sæpe lapillos, Vt cymba instabiles fluctu iactante saburram, Tollũt: his sese per inania nubila librant*: quibus similia habet Ambros. libr. 2. de Virgin. Idque facere grues asserit Ælianus de varia historia, lib. 8. c. 15. Hac igitur ratione propriæ conditionis admonetur à Deo Propheta, & veluti infigitur stimulus ne multitudo reuelationis cum extollat, sicut notarunt etiam Hebræorum interpretes, teste Maldonato.

Ezechielem procidentem super faciem suam imitatus est Ioannes Baptista tot à Christo encomiis cõmendatus, tot laudibus celebratus, cùm se ad illius pedes deuoluit, dicens, Ioan. 1. *Cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti*, quod magis aperuit Marc. cap. 1. cùm habet: *Cuius non sum dignus procumbẽs soluere corrigiam calceamentorum eius.* Recepit enim sese Ioannes ad pedes Christi Domini, angulari lapidi adhærens, ne tandem leuis superbiæ aura ab altitudine commendationis deiiceret; continent enim prædicta verba summã humilitatem, iis enim profitetur Ioannes se nec inter infimos, & vltimos seruos Christi annumerari debere; est enim forma prouerbialis, qua persoluere calceamenta, infimum ministerium denotatur, sicut notauit Chrysost. homil. 15. in Ioan. Theophyl. Euthym. & Cyril. ibi, qua de re plura apud eundem Chrysost. homil. 18. de humilitate, tom. 5. & August. tractat. 13. in Ioan.

Ioann. 1. num. 27.

Marc. 1. num. 7.

Hinc est quod Bern. 2. de Consideraț. cap. 9. ad Eugenium summum orbis Monarcham, & Pontificem scripsit. Es adhuc quod eras, & non minus hoc est, quam quod factus es, postea fortè, & magis. Denique illud natus es, mutatus hoc, nõ in hoc mutatus; non reiectum illud, sed istud adiectum. Dele fucum fugacis honoris huius, & malè colorati nitorem gloriæ, vt nudè nudum consideres, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ, nunquid infulatus, nunquid micans gemmis; aut floribus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? Si cuncta hæc veluti nubes quasdam matutinales velociter transeuntes, & citò pertransituras dissipes, & exsuffles à facie considerationis tuæ, occurret tibi homo nudus, miser, miserabilis; salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse, vt altius sedens, non alta sapiens sis, sed humilia de te sentiens, humilibúsque consentiens, &c.

Præclara item ad rem præsentem expendit idem Bern. Epist. 42. humilis pariter, & prudentis à Christóque laudati Centurionis dictum, cùm domum eius vellet adire, vt puerum curaret. Matth. 8. *Domine non sum dignus, &c. Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus, & dico huic vade, & vadit, &c.* Ait ergo Bern. dicturus habere sub se milites, præfatus est, *Nam, & ego homo sum*, priùs se agnoscens hominem, quàm potentem; & homo gentilis in se impleri ostendit, quod dixit Dauid Psalm. 9. *Sciant gentes quoniam homines sunt.*

Matth. 8. num. 9.

Psalm. 9. num. 19.

Videnda sunt quæ habet pro hoc argumento August. in Psal. 72. cùm ait; noli attendere tumorem tuum, noli attendere typhum tuum, in quo eleuatus es, & si te circumstant familiæ, & si numerosum aurum, & argẽtum, diuersus es à paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis, te in illis vide, non illa in te, attende te ipsum,

non quod habes,&c. Quibus similia habet serm. 21. de verbis Domini secundùm Matth. post principium, quòd mortalis est homo, inquit ille, ad disciplinam illi debet valere, non ad iactantiam, vnde se iactat vermis crastino moriturus? fratres: de diabolo debent erubescere mortales superbi, ille, etsi superbus, tamen immortalis est, audiuit autem homo: *Morte morieris*. Genes. 2. *Quid superbit terra, & cinis*? Eccles. 10. Etiam si superbit, diabolus non est terra & cinis; non attenditis, quia mortales estis, & sicut diaboli superbi estis? Mutatur ergo homo pœna sua, & bene malo suo, vt proficiat bono suo. Quis nescit quia pœna est necesse esse vt moriamur, pœna certa est, hora incerta, & de ista pœna sola, certi sumus in rebus humanis, cætera nostra, & bona, & mala incerta sunt, sola mors certa est, &c. Huiusmodi ergo certitudine continenda est incertitudo temporalium, vt nullo tempore euanescamus incertis, quibus certa est depressio mortis, & vt certiores de ea redderemur, est hora illius incerta.

Genes. 2. num. 17. Eccles. 10. nu. 9.

Iuuat etiam maximè ad contrahenda inflata vela secundæ fortunæ vento, id meditari, quod monuit Diuinum Oraculum Deuter. 9. Vbi postquam ostendit Israëlitas ne prospero terræ promissæ ingressu, victoriis, & triumphis de illius terræ incolis reportatis superbirent, in medelam properantis superbiæ addit antidotum: *Memento, & ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum ex eo die, quo egressus es de Ægypto.* Vbi Oleast. ait: Considera quàm sapienter, & quàm vtiliter doceat te Dominus Deus tuus temperare gaudium boni successus, vt scilicet recolas peccata, quę feceris, cùm tibi videris cuncta prospera euenire; si quis enim prouidè cogitauerit peccata quæ fecit, quomodo poterit cogitare aliquod bonum sibi sui causâ concedi? Inculcanda docet sanctus vir peccata illi cui aliqua videris succedere ad vota, &c. Qui enim prospexerit demerita sua, apertè comperiet, bona quæ habet, Deo non sibi esse tribuenda, proinde potiùs gratus, quàm elatus reperietur.

Deut. 9. num. 7.

Hæc planè si Ezechias apud se expenderet in media sua felicitate, felicior euaderet, nec infelici morti proximus inueniretur; deinde etiam, si potiùs in Deo bonorum largitore, quàm in bonis gloriaretur: illa enim secura gloria est, & inamissibilis felicitas: vnde Bernard. 2. de consider. cap. 6. Sic alloquitur Eugenium Papā. Hoc glorieris opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegere sibi, reliquere tibi, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Galat. 6. Gloria est, sed nihil in ea inane, nihil molle, nihil resupinum, si labor terret, merces inuitat, &c. Cæteræ quidem inanes gloriæ, instabiles prosperitates, volatica gaudia, sicut loquitur Tertullian. lib. de pœnit. cap. 11. Sola Dei gloria stat, soliq̄ue stant, & permanent, qui cum illo, & in illo gloriantur. Vnde iam intelligetur, cur Diuinus sponsus sanctam animam ad foramina petræ inuitauerit, Cant. 2. *Surge amica mea, & veni columba mea in foraminibus petræ.* Habuit enim ad capiendum secura, & perpetua bona, quæ supra firmam petram, Christum, scilicet fundantur, vt nullatenus peritura; vbi Bernard. serm. 61. post princ. ait, Vox columbę *in petra exaltauit me.* Psalm. 26. *Et statuit super petram pedes meos.* Psalmo 39. Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quo ibi nec ventorum formidet iniurias, nec inundationum. Quid non boni in petra?

Galat. 6. num. 14.

Cant. 2. num. 14.

Psal. 26. num. 5. Psal. 39. num. 3.

In

In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra; anceps est enim, & caducum terrenum omne, *Conuersatio nostra in cœlis est*, & nec cadere, nec deiici formidamus. In cælis petra, in illa firmitas, atque securitas est, &c. Quibus in verbis Bernard. Securitatem omnimodam in solo Deo reperiendā docet ex duplici capite, quod ab illo neque cadat quis, nec deiiciatur, quæ sunt omnium ruinarū principia, adhærens verò Deo non cadit, quia supra firmam petram ædificatus est, nec deiicitur à quoquam, quia non est qui de manu eius possit eruere, & ideò addit Bernard. Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad saluandum, fremit mundus, premit portus, diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram.

Philip. 3. num. 20.

Videndus hac de re Aug. serm. 29. de verbis Domini ad med. vbi ait: Quanta tibi loquitur mundus, vt retrò aspicias, vt in rebus præsentibus, nec præsentibus; non enim dicenda sunt præsentia nunquam stantia, spem tuam ponas, & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit, sed quia fidelis est, dabit, auertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte; ideò enim Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, vt alia quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax. O munde immunde tenere vis periens, quid faceres si maneres? Quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? Quid expauescis quia pereunt terrena Regna, ideò tibi cæleste promissum est, ne cum terrenis perires: habent mutationes terrena Regna, veniet illud, de quo dictum est Luc. 1. *Regni eius non erit finis*. Qui hoc terrenis rebus promiserunt nō veritate ducti sunt, sed adulatione mentiti sunt. Poëta illorum quidam (5. Virgil. 1. Æneid.) inducit Iouem loquentem, & ait Romanis. *His ego nec metas rerum, nec tempora pono, imperium sine fine dedi.* Non planè ita respōdet veritas, regnum hoc, quod sine fine dedisti in terra est, an in cælo? Vtique in terra, & si esset in cælo, cælum & terra transient; transient, quæ fecit Deus ipse, quantò citiùs quod condidit Romulus? Alio loco dixit; *Non res Romanæ, perituraq; Regna.* Dixit peritura Regna, peritura veritate non tacuit, semper mansura adulatione promisit. Toleremus fratres potiùs præsentia, quàm diligamus, aduersorum manifesta est pernicies, prosperorum falsa blandities. Time mare quando tranquillum est. Et serm. 32. ad fin. Patria nostra sursum est, ibi hospites non erimus: nam vnusquisque hîc in domo sua hospes est, non se fallat, vel in omni hospes est, si non est hospes, non ibi transit; si transiturus est, hospes est; cessit tibi locum pater tuus, cessurus es locum filiis tuis, nec mansurus manes, nec mansuris relinquis. Si omnes transimus; aliquid quod trāsire non potest operemur, vt cùm transierimus, & illuc venerimus, vnde non transeamus, opera nostra bona ibi inueniamus.

Luc. 1. num. 33.

Ezechiel, 3. dixit Deus Prophetæ. *Surgens egredere in campum, & ibi loquar tecum, & surgens egressus sum in campum, & ecce ibi gloria Domini stabat quasi gloria, quam vidi iuxta fluuium Chobar.* Vides Dei gloriam, non trāseuntem, sed permanentem cùm cæteræ veluti agri flores pertranseant, & finiantur? Quòd si mihi obiicias, in cap. 1. eiusdem Prophetæ Dei gloriam gradientem fuisse ostensam, vnde & si modo stabilis proponatur, ibi tamen instabilis describitur. Audi huius veluti cōtrarietatis conciliationem ibi à Beato Hieronymo

Ezech. 3. num. 22.

traditam. Egressus, inquit, in campi latitudinem vidit stantem gloriam Domini, quam prius viderat ambulantem, & eleuantem se, & interdum stantem, quia iuxta fluuium sæculi huius Chobar, qui interpretari potest (Grauissimus) gloria cernebatur, quod significat omnem mundi huius gloriam præterfluere, & gradum stabilem non habere, gloria autem Domini stans, & perseuerans cum stante Propheta videtur in campo; quæ in medio captiuorum nec stare poterat, nec videri. Vbi vides gloriã Dei iuxta fluuium ambulantẽ, mundi gloriam, felicitatem, & prosperitatem designasse, quæ instar aquæ dilabitur, humana namque gloria, fluuio decurrente, intelligitur, sicut videre est apud Orig. hom. 2. in Exod. & hom. 1. & 13. in Genes. Gregor. in 1. Reg. 15. & 6. Moral. cap. 11. & 33. Moral. cap. 6. Registri, Epist. 5.

Quòd si opponas etiam Dei Ciuitatem fluuium gloriæ lætificare, Psal. 45. num. 5. sicut testatur Dauid Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.* Audi quomodo Bernard. exponat quid dicendum sit hac in re, sic enim habet Serm. de fallac. præsentis sæculi, vel vitæ, ante fin. In remuneratione torrens est voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis; flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat, flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in diuitiis, gaudẽt & in vitiis homines, sed luctus extrema occupat eiusmodi gaudiorum, quod gaudium in materia conuertibili mutari necesse sit, re mutata. Accenditur cereus, non purum lumen est, sed lucerna, siquidem ignis ipse propria fométa consumit, nec nisi ipsa consumptione fouetur: porrò deficiente materia, & ipse deficiet; sicut ergo flammę illius nouissima fumus occupat, & caligo, sic lætitia lætæ rei in tristitiam commutatur, nobis autem participatio Hierusalem in idipsum, &c.

Solus igitur stantem gloriam inuenies perpetuò duraturam in eo, qui solus habet, nobisque misericorditer, sed pariter iustè, tribuit; neque enim qui solus habet gloriam inamissibilem solus eam habere voluit, sed ita vt nos illam habentes, non in nobis, sed in illo gloriaremur; quod prosequitur idem Bernard. Epist. 23. in princip. vbi ait: *Neminem laudaueris in vita sua* (Ecclesiast. 11.) Sed Eccles. 11. ℣ 30. ei laus adscribenda, à quo accepistis, & velle, & perficere, quod meritò laudaretur. Deum ergo per nos, & in nobis operantem glorificamus, qui tamen ad hoc in vobis voluit glorificari, vt & vos redderet gloriosos, qui nimirum, cùm sit mirabilis in Maiestate sua, & in Sanctis suis, gloriosis apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe licèt sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam, & in Sanctis, non vt augeat sibi, sed vt suis communicet.

Magnam vtique gloriam Deus concesserat Ezechiæ, & in restitutione salutis, & in prorogatione vitæ, & in retrocessione vmbræ, & in occisione, ac fuga hostium, sed ille, qui in Domino gloriari debuerat, cuius sola, & vera est Gloria eam sibi asciuit, vt elatus euanesceret, & vt correptus descenderet, & qui mentis elatione, & egressione intumuerat, ad mentem redit æger; solent enim diuinæ correptiones insanos elatos ad mentem reducere, sicut in se reuersus est præ fame perditus filius Luc. 15. vbi acutè Chrysol. serm. 2. in Luc. 15. num. 17. princ. ait: *In se reuersus est*, in se ante redit, vt rediret ad Patrem, qui à se ante recesserat, cùm recedit à Patre,

tre, à se migrat, & ab homine totus transit in bestiam. Pro qua re videndus Clem. Alex. 1. pædag. cap. 10. vbi admonitionis, & correptionis etymologiam affert, quod sit mentis immissio, quos enim Deus corripit, flagellat, & punit, iisdem mentem immittit, à qua recesserant, & fortè ideò Ezechias ipse loquens iam in se morbo correptus proponitur, qui à se recedens huc vsque minimè loquebatur; est autem singulare Dei beneficium hîc corripi, & reduci, sæpe enim Diuina patientia tolerat quos iam ad supplicia præscita cõdemnat, sicut dixit Gregor. 15. Moral. cap. 35. Et ad occisionem deducit per pinguia prata pascenda, quos non reseruauit in vitam. Ideò gratulabundus August. 8. Confess. cap. 2. ait. Tu semper aderas misericorditer sæuiẽs, & amarissimis confusionibus aspergens illicitas iucunditates meas, vt quærerem sine offensione iucundari. En quid peperit Ezechiæ gloria, felicitas, & triumphus, vt scilicet excederet, & à se recederet, & opus tãdem fuerit Deo, adhibito læthali morbo, ipsum retrahere. Ex dictis itaque oportet colligere qua mente lætandum in prosperis, imò iuxta veram mentem in Domino tantùm gloriandum.

Tandémque notandum venit in morbo Ezechiæ, quòd si illi tam vtilis extitit ipsúmque docuit, & reduxit, quid non erit nobis vtile quando, & ea proficiunt, quæ nocere maximè videntur, quod rectè obseruauit August. Epist. 87. cùm ait. Quid non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est: nam res prospera donum est consolationis, res autem aduersa donum est permonentis Dei.

ANNOTATIO II.

De læthali morbo Ezechiæ, atque de mortis metu, & memoria.

QVoniam pulchrè nobis visus est locutus Isidorus Pelus. Epistol. 74. libr. 2. Cùm asserit ferocientem, & præ elatione efferænem Ezechiam aduersæ valitudinis fræno Deum ad se retraxisse, dum vsque ad portas inferi peruenire permisit, quòd ipse in verbis nostri context. probatum asserit, non abs re hoc in loco futurum duximus ostendere huiusmodi frænum & quam vim habeat ad compescendos lasciuientis, & superbientis equi impetus.

Illud igitur in primis constitutum sit, Principum superbiam, & elationem per equos in scriptura esse adumbratam; idque præterquam quod constat ex cap. 6. Zachar. probat Augustin. in Psalm. 146. ibi: *In fortitudine equi voluntatem habebit.* Sic enim ait: Potentatus equi est superbia, videtur enim equus veluti ad suggestum hominis accommodatus, vt altior incedat, & re vera est in eo ceruix indicans quandam superbiam; non se extollant homines in suis dignitatibus non se sublimes putent honoribus temporalibus, caueant ne in equo indomito præcipitentur. Similia habet idem Augustin. in Psalm. 32. & 75. Gregor. 31. Moral. cap. 18. & Rupert. in cap. 9. Zachar. Superbè igitur exultanti, & ferocienti Ezechiæ frænum appositè inijcitur; solet enim Deus supplicia, & remedia proportionata adhibere, sicut notauit D. Augustinus in Psalm. 13. in eo, quòd Paulus

Zach. 6. num. 1.
Psalm. 146. n. 1.

2.Corint. 12.n.7. lus dixit 2.Corinth.12.*Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus sathanæ, qui me colaphizet.* Ait ergo Aug. Quid est hoc fratres? ne extolleretur tanquam iuuenis, colaphizabatur tanquam puer. Ego noui quod apposuerim, ego noui vnde ægrotes, ego noui vnde saneris. Qui igitur cognouit morbum Ezechię, nouit etiam, & remedium apponendum.

Cæterùm ne insolens videatur locutio de fræno, eam ex sacris literis exuimus; etenim Isai. 17. ferociente Senacheribo, & multa præ superbia minitante contra Ezechiam, & se etiam supra Deum efferentem,
Isai.37. num.29. illi ait Deus: *Cum fureres aduersum me superbia tua ascendit in aures meas: ponã ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Ex quibus verbis constat, ad hoc fuisse impositum frenum, vt Senacheribus à furore repressus iterum retrocederet, & regrederetur qua venerat, si igitur sacrum inspiciamus contextum, inueniemus nihilo magis fractum, retardatum, & conuersum Senacheribum, quàm morte suorum proposita, & conspecta, eadem enim in capite sic habe-
Isai.37. num.36. tur. *Egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, & surrexerunt mane, & ecce omnes, cadauera mortuorũ, & egressus est, & abijt, & reuersus est Senacherib Rex Assyriorum.* Conspecta itaque morte suorum, & strage ab Angelo vna nocte edita, fræno cohibitus, & retardatus recalcatis gressibus viam repetiit, qua venerat. Hoc igitur frænum à Deo illi impositum fuit, nam sicut dixit Gregor. 3. Moral. c.17. Dum quisque considerat quam citiùs caro ad puluerem redeat, festine superet hoc quod se de carne intus turpe vituperat, &c. Proinde aptè adhabetur terra, ne superbiat cinis; nam sicut dixit Nyssen. Orat. de beatitudine. Nobilitas, & splendor superbiæ cognationem habet cum latere, & non erubescis terrea statua mox puluis futura, an non respicis ad vtrumque vitæ humanæ terminum vnde initium sumatur, & in quid desinat? Meminit Poëta 4. Georg. loquens de apibus hinc, inde in aciem dispositis ad pugnam, facilè in concordiam redigi iniecto puluere.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulueris exigui iactu compressa quiescunt.

Et Plin. lib. 7. apum dimicatio, vel pugna puluere discutitur; sic & hominis elatio, & appetituũ dissidium comprimitur, ac deprimitur puluere fragilitatis humanæ; & vltimæ resolutionis in puluerem, memoria apposita, ac proposita. Hinc est quod Plutarch. in Quæst. Romanis, q.23. Sueton. in Nerone, Rodigin. lib.29. Lectionum antiquarum, capit. 18. meminêre ea, quæ ad funera pertinebant in templo Veneris Libitinæ olim vendi, huius rei hanc existimarunt plurimi fuisse causam, quoniam eo facto monebantur veteres, caducum esse quidquid nascitur, eadem Dea, & ortibus, & interitibus prȩsidente. Hoc tamen existimo non absonum esse, si dicamus in templo voluptatis, sepulturæ homines admoneri; nihil enim tam retrahere eos potest, & refrænare, quàm si in mediis voluptatibus futuræ mortis reminiscantur.

Hoc quidem frænum imposuit Deus primo parenti, Genes.2. *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris* Hoc itidem abstulit diabolus, cóque ablato dum dixit Gen.3. *Nequaquam moriemini.* prohibitum pomum apprehendit Adamus, nósque secum præcipites egit. Hoc etiam reiecto fræno superbia corripit effrænes hominum Genes.2. num.17. Genes.3. num.4.

minum animos. Psalm.72. habetur, *Quia non est respectus morti eorum in labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia*, quo in loco Hierony. legit, *Quod non cogitauerint de morte sua, tenuit eos superbia*, tenebantur siquidem homines mortis cogitatione veluti fræno, ne eos superbia occuparet, & illa correpti extra limites propellerentur.

Psal. 72. nu.4.

Capta olim Arca Domini à Philisteis dissipauit illorum idolum, & in frusta cõfregit 1. Reg.5. Insuperq; percussit Azotios plaga maxima, & eodem cap. *Illis circunducentibus arcã fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectiones magna nimis, & percutiebat viros vniuscuiusq; vrbis à paruo vsque ad maiorem.* Immo adducta Arca in Accaron exclamauerunt Accaronicæ dicentes. *Adduxerũt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populũ nostrum.* Tulerunt itaque Arcã cap.6. Et tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos iunxerunt ad plaustrum: *Ibant autem in directo vaccæ per viã, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes, & non declinabãt neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Si verò inquiras quis duxerit plaustrum, quis docuerit iter ad terram Israëlitarum, cùm viã minimè agnouerint vaccæ? Respondet Origen. Aurigam illius currus, ductorem illius plaustri fuisse diabolum; nam sicut dicitur Abac. 3. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Ipse, scilicet, qui mortẽ abigit, ne hominibus cõspicienda proponatur, ad pedes Domini sedentis super Cherubin, & veluti ante ipsam arcam, vt auriga vaccas ducẽdo, sedebat, vnde LXX. eo in loco habent. *Ad pedes eius* (nẽpe Dei) *in arca.* Ipse igitur, qui omnem mortis memoriam abolere, & auferre desiderat, & sempiterna obliuione delere intendit, minatus est plaustrum, & vaccas veluti pungendo dirigebat, vt quantocyus discederet à Philistæis, vbi tot eorum occidebat, ne superstites, visis cadaueribus, & morte ob oculos sibi passim proposita, à suis sceleribus retraherentur, & mortis fræno in officio continerentur.

1. Reg.5. nu 4. Sup. n.9.

1. Reg.6. nu.18.

Abac. 3. nu.5.

Thren.1. Postquam refert Hiere. pleraque, & maxima peccata populi Hebræorum, addit: *Nec recordata est finis sui*, quod ad rem nostram ita exponit Nauarretus, innumera committunt homines crimina, quia mortis, iudiciíque diuini nõn recordantur, quo in loco non mihi displicet, quam affert expositionem, cur Iosephus curauerit educi ossa sua ex Ægypto, & ante agmina filiorum Israël veluti vexillum præferri, iuxta illud quod moribundus precatus est Genes. 50. *Cùm adiurasset suos, atque dixisset, Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto.* Necessum itaque fuit populo duræ ceruicis, quando omnia aberant, quæ mortis memoriam possent refricare, & metum incutere, siquidem, *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Psalm.140. Et vestimenta eorum non sunt attrita Deut. 29. Nec calceamenta pedum eorum, vt aliquid eis mortem proponeret proinde & cadauer, ossa ve Iosephi ante omnium conspectum deferebantur, vt propriam in illis intuentes mortem, veluti fræno compescerentur.

Thren. 1. nu.9.

Gen. 50. nu.24.

Ps. 140. nu.37.

Deut.29. nu.5.

Pessimus describitur Achab. 3. Reg. 21. Sed postquam illi mortis proposuit frænum Elias, eum pænitus retardatum, & refrænatum vidimus, ait enim sacer tex. *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimẽta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, &c.* Quod totum refert Lyran. ad mortem illi pronunciatam ab Elia. Ab Antiocho impio fætor

3. Reg. 21.n.27.

ſetor ipſi etiam intollerabilis ex proprio corpore mortis quidem prænuntius hanc ſententiam veriſſimam, & omnium animis ſculpendam elicuit
2.Mac.9. num.12. 2.Machab.9. *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Hinc eſt quod Sapiens conditionem ſuam in conceptione, & natiuitate deſcribens inter alia ſic
Sap.7. & ſeq. ſcribit. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus*, &c. Quid verò inde ſequatur, obiecta morte, ſubinfert, cùm ait. *Optaui, & datus eſt mihi*, &c. Vt ſcilicet ſpretis aliis omnibus, quæ ſua vanitate inflant, ſolidum, planúmque, ac plenum ſapientiæ ſpiritum flagitaret, & maximi duceret.

Profecturi de Ægypto Iſraëlitæ petierunt vaſa aurea, & argentea ab
Exod.12. num.36. Ægyptiis, qui libenter conceſſerunt, mirabile autem cēſet ſacer text. quod exierint Iſraëlitæ, videntibus Ægy-
Num.33. num.3. ptiis, vbi Caiet. ait. Non more fugitiuorum, vt nullus tenuerit, nullus pretioſa commodata petierit: reddēs autem veluti huius rei rationem ſacer text. ſubdit; *Sepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus*; conſpecta enim morte ſuorū nihil prorſus de vita cogitabant, quinimò veluti refrænati interitu filiorum, Hebræos attingere minime audebant, ſic enim hunc locum interpretatur Abul. ibi, quæſt. 2. cùm ait. Tanto illorum dolore, & ſui timore Ægyptij tenebantur, vt viderent Iudæos cùm vaſis auri, & argenti, & veſtibus recedentes, & tenere non curarent, ſed potius ipſi eos ad velociter fugiēdum incitarent dicentes: *Omnes morimur*; non enim erat aliqua plaga naturalis, quam paſſi ſunt Ægyptij, ſed Deus infixit eis mortem, quia Angelus percuſſor ambulabat per omnes domos Ægyptiorum, & occidebat primogenitos tam hominum, quàm pecorum, ita vt non eſſet aliqua domus in tota Ægypto, in qua non eſſet quiſpiā mortuus. Exod.12. Exod.12. num.30.
En igitur quid Ægyptios continuerit, quid ſuorum bonorum æſtimationem abſtulerit, propoſita ſcilicet ob oculos mors, nam ſicut dixit Gregor. lib.13. Moral. c.10. Qui conſiderat qualis erit in morte, ſemper fit timidus in operatione, nihil quod tráſcat, appetit, & cunctis præſentis vitæ deſideriis contradicit, & penè mortuum ſe conſiderat, quia moriturum minimè ignorat, perfecta enim vita, eſt mortis meditatio.

Hinc exiſtimo deducendam rationem, cur cùm Deus noluerit obſeruari in deſerto cæremonias, quas olim præcepit Moyſi, ſed in terra Promiſſionis, vt patet ex Deuter.12. Deut.12.
qua de re videndus Abulenſ. num.9. num.1.
quæſt.14. Potéſtque facile deduci ex circunciſione, quæ olim erat præcipuum præceptorum, nam Ioſue 5. Ioſue 5.
Omnes, qui in deſerto nati fuerant num.3.
tranſacto Iordane, circuncidit, inſuper & feſtiuitates clangoris, propitiationis, & tabernaculorum in deſerto minimè obſeruatas probat Abulenſ. queſt.9. in cap.9. Num. Vnum tantummodo Paſcha nullatenus intermiſſum cōſtat, vtpote quod mortem Ægyptiorum adumbrabat, & ſtragem illam communem coram omnium oculis proponebat, inſupérque & exitus ex Ægypto profectum ex hoc mundo in terram promiſſam referebat, proindéque neceſſaria admodum erat hæc ſolennitas, vt Hebræos à malis refrænaret, & in cultu, ac obſequio diuino continerct, nam ſicut dixit Gregor. 9. Moral. cap.36. Cautum ſe, ac ſollicitum oſtendit qui breuitatem præſentis vitæ conſiderans non eius vſum, ſed terminum conſpicit, vt ex fine colligat nihil eſſe, quod tranſiens delectat, &c. Vnde Zeno teſte Laërt. in vita ipſius, cùm aliquando diuinum

Ora

Oraculum consuluisset, vt modum, & viam inueniret ad rectè viuendū, tale responsum accepisse fertur; Eris optimus, si mortuis concolor sis, iuuat enim maximè meditatio mortis ad veram, & perfectam Philosophiam, idest, ad vitam honestè, & sanctè instituendam, quo in loco minimè omittendus Epictetus Platonis in Enchirid. siue in arte humanæ vitæ cap. 12. cùm ait: Quemadmodum in nauigatione, subducto nauigio, si aquatum exieris, animo in nauigium intento esse oportet, & continenter sollicito, ne gubernator vocet, & vinctus tanquam ouis in nauim coniiciariis; quòd si senex es, caue vnquam à naui recedas longiùs, ne quando vocatus es, deficias, &c. Qua metaphora, & similitudine voluit Philosophus admonitos esse debere, qui huius vitæ mare nauigant, ne obliuione corripiantur, aut animum à discessu, & interitu auertant, sed iugiter inuigilent, & parati sint ad receptus tubam audiendam, eique promptissimè obediendum, fieri siquidem non potest, vt qui ea mente vitam traduxerit, incuria laboret, aut vitiorum ebrietati deditus sese ingurgitet, & addicat.

Est optimus hac de re locus apud Chrysost. hom. 21 in Genes. vbi ponderat, Deum non concessisse Enoch immortalitatem, cùm ex misericordia vellet, ne peccandi metus, vita in aliquo immortalitate, marcesceret, sed transtulisse eum, sicut dixit scriptura Genes. 5. *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus*, vbi Chrysostom. legit, *Placuit Enoch Deo, & non inuentus est, quia transtulit illum Deus*, vt scilicet ostenderet se veluti nolentem mortis tulisse sententiam, quam reliquit in emendationem mortalium, sic ergo habet Chrysost. Vides sapientiam Domini: non immortalitatem largitus est ei, vt peccandi metum eneruaret, sed morti in humanum genus suum ius reliquit, propter hoc iterum obscurè, vt ita dicam, & latenter reuocare vult sententiam, quam contra Adam protulit, sed manifestum hoc non facit, vt timor illius emendationi seruiat, & idcirco Enoch, cùm sibi multum placeret, transtulit. Sic Chrysostom. ostendit quantum censuerit Deus conducere metum mortis ad continendum mortales in officio, siquidem noluit immortalem reddere eum, qui sibi maximè placuerat, ne reliqui displicerent homines, ablato fræno mortalitatis, sic enim facilius vitia amplecterentur.

Genes. 5. num. 24

Plerique quærunt, cur tam diuitem simul, & tam iustum voluerit Deus esse Abrahamum, cuius rei rationem aliàs reddidimus, illud præsenti instituto maximè inseruit, quòd omnes diuitiæ Abraham vnica mortis memoria condirentur. Hoc ego deducō ex Chrysostom. homil. 48. in Genes. vbi aduertit mortua Sara vxore Abrahæ, emptum ab ipso fuisse quadringentis siclis argenti agrum Ephrom, vt mortuam vxorem Saram sepeliret, sicut habetur Genes. 23. ait ergo Chrysostom. Hoc primum principium possessionis fecit Patriarcha per Saræ mortem. Vides igitur Abrahamum incepisse à fine, & primam possessionem in vltima habuisse, sepulturam, scilicet, vt cætera, quæ deinceps haberet hoc condimento sciret possidenda, & nullatenus illi obessent acquisita, eaque mente, vt nihil certiùs haberet, nihil primum, nihil magis præ oculis, quàm sepulchrum. Imò sicut notauit Ambrosius, lib. de Abraham. cap. 9. Voluit emere sepulturam, agrúmque, ne ab eo, cuiúsque domo posset alienari, difficile

Gen. 23. num. 16.

difficiléve esset mortuæ vxoris sepulchrum in alieno prædio adire, & contemplari, at verò diuitiæ, quæ tali insigni præscribebantur, nullatenus poterant euanescédi ansam præbere, quæ futuri pulueris, & cineris vestibulum habebant.

Illud hac in re iure notandum, quòd si tam commendatur in Abrahamo huius possessionis emptio, vituperāda itidem censetur in Ephron eiusdem venditio, etenim sicut aduertit, dicto loco, interlinealis is, qui vendidit primum dictus est Ephron, idest, confirmatus, & perfectus; post venditā verò sepulturā, iam Ephran, idest, infirmus, & imperfectus, cuius rei rationem si petas, petenda vtique erit ab Episcopo Sancio de Auila. lib. 1. de Reliq. c. 3. vbi ostendit in eo sepulchro fuisse ossa primorum parentum, quod etiam probat Thoringus in Replica dicti loci Genes. Cum autem primus parens causa fuerit mortis subeundæ, ideò illius ossa futuram mortem omnibus testabātur, qui verò celebre huiusmodi testimonium à se alienauit, & vendidit, non iam perfectus, sed imperfectus, non confirmatus, sed infirmus iure dicitur, & habetur. Vbi statim occurrit Hieron. de locis Hebraïcis ad Genes. tom. 3. à quo desumpta videtur citata glossa, qui ait. In Hebræo, sicut posuimus, hîc primum nomen scribitur Ephron, secundū Ephran, postquam enim pretio victus est, vt sepulchrum venderet, & acciperet argētum, licèt cogente Abraham, vau, litera, quæ apud illos per O, legitur ablata est de nomine eius, & pro Ephron dictus est Ephran, in quo significatur non fuisse perfectæ virtutis, qui potuit vendere memorias mortuorum.

Adeò verò necessariam indicauit Deus mortis memoriam mortalibus, vt eam quotidie nobis obseruari voluerit ob oculos, ne è mente vnquam excideret, sic enim interpretatur Hierony. illud Ecclesiast. 1. *Generatio præterit, & generatio vadit, terra autem in æternum stat. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur.* Ait ergo Hieronym. Oritur Sol, & occidit, vt quotidiano huiusmodi defectu, & suo ortu, & occasu, mundi, ne dum hominis interitum, & inconstantiam repræsentet. Quod quasi mutuatus Statius lib. 2. Syluarum in Epicenio Glauciæ melioris ait. *Ecclef. 1. num. 4.*

Aut moritura vides: obeunt noctesq;, diesq;,
Astraq; nec solidis prodest sua machina terris.

Prosequitur hoc argumentū D. Augustinus Serm. 39. de Verbis Domini post med. vbi ait. Nonne vita ipsa similis morti est, dies autem ipsi properantes transeunt, quia hodiernus dies hesternum exclusit, crastinus ideò nascitur, vt excludat hodiernum. Ipsi dies non stant, tu quare cum illis vis stare? Et Serm. 42. in fin. Quid dicendum est vbi finis est? Hesternum diem nemo reuocat, hodiernus crastino vrgetur vt transeat, & modò cùm loquimur, vtiq; transimus: verba currunt, & horæ volant; sic ætas nostra, sic actus nostri, sic honorés nostri, sic miseria nostra, sic felicitas nostra. Suffragatur Ambros. Orat. de Fide Resurrect. post princ. cùm ait: Cælum non semper stellarum micantium globis fulget, & quasi quibusdam insignitur coronis, non semper ortu lucis albescit, & radiis Solis irrutilat, sed assiduis vicibus ille quidem mundi vultus gratissimus humenti noctium caligat horrore. Quid gratiùs luce, quid Sole iucundiùs, qui quotidie occidit? Discessisse tamen hac non molestè ferimus, quia repræsumimus; doceris in his quam in tuis debeas

exerce

exercere patientiam. Si superiora tibi occidunt, nec dolori sunt, cur si occiderint humana doleantur?

Cæterùm illud obseruandum in quotidiano occasu Solis, quod itidē sequenti die oritur, & apparet eâdem semper claritate, nobis verò ita Solis occasus vitæ interitum debet proponere, vt meminerimus nullatenus oriendam nisi in vltimo die, iustis tamen pulchriori, & illustriori luce perfusam, quod ex parte dixit Horat. Ode 53. Soles occidere, & redire possunt: nobis cùm semel occidit breuis lux, nox est perpetuò vna dormiēda.

Psalm. 114. n. 8. Videndus hac de re Basil. in Psalm. 114. ad illa verba, *Qui eripuit animam meam à morte*, vbi ostendit omnia terrena perpetuam mortem subire, & eam nobis proponere. Idcircò, inquit, priusquam anima per mortem à corpore separetur, morimur semper homines: id dictum vt ne paradoxum tibi videatur, nimirum præter omnium opinionem, considera parūper rei veritatem; in tribus enim annorum hæbdomadis tres ætatis, ac vitæ alterationes, permutationesque nactus est sustinere homo, ex quo vita hominum per multas mortes consueuit expleri, &c. quæ prosequitur ostendens hominem quandiu viuit perpetuam subire mortem. Qua de re postea nobis iterum erit sermo.

Accedit pro hoc argumento pulcher locus apud Chrysost. tom. 3. homil. de Fide, & Spiritu sancto, vbi mortē ostendit mediis ipsis nuptiis, & lætitiis insertam; ibi enim de morte filiorum in contractibus, & dotalibus scripturis maximè agitur, & antequam filij nascantur, iam de eorum discessu, & morte sermo est, quando scilicet conditiones apponūtur, v. g. si ille, aut illa, quæ nubit, sine filiis discesserit, si filij priùs quàm parentes moriantur, si masculus obierit, &c. Non solùm, inquit, Chrysost. qui sunt, & viuunt mortis feriuntur sententia, sed & eorum, qui nōdum sunt nati, &c. tam certa enim in incertis mortalium rebus mors est, vt de illa potius & priùs quam de vita pacisci liceat, & in mediis omnium lætitiis, illa prima eluceat, quæ vltimam tandem manum omnibus imponit. Vt igitur emendationi adsit locus, & ne in vltimum tempus reseruetur correctio, quamprimum nobis proponendus est finis, qui initium solet esse pœnitētiæ, & virtutis. Dixit hoc August. Serm. 16. de verbis Domini secund. Matth. ante fin. his verbis. Scio ego, & mecum omnis, qui paulò attentiùs cōsiderauerit, neminē Deum timentem, sub verbis eius non se corrigere, nisi qui putat quia plus habet viuere. Ipsa res est, quæ multos occidit cùm dicunt, cras, cras, & subitò ostium clauditur: remansit foris cum voce coruina, quia non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corui vox, geme vt columbus, & tunde pectus, sed plangas tibi dādo in pectus. Fortè dicis tibi, promisit mihi Deus indulgentiam quia me correxero, securus sum, lego diuinā Scripturam; Iniquus in qua die conuersus fuerit ab iniquitatibus suis, & fecerit iustitiam, omnes iniquitates eius obliuiscar. Ezech. 18. En ego consentio, & concedo, & cognosco quia indulgentiam promisit tibi; crastinū enim diem quis tibi promisit? Vbi mihi legis indulgentiam te accepturum si te correxeris, lege ibi mihi quantum victurus sis. Non lego, inquis. Nescis ergo quantum victurus sis. Esto correctus, & semper paratus, quid differs in crastinum? longa vita erit, ipsa longa bona sit. Prandium bonum longum nemo differt, & vitam malam longam vis habere? vtique si longa erit, melius bona erit. Si breuis erit, bene factum est vt bona producetur. Sic autem homines Ezec. 18. num. 21.

negligunt vitam suam, vt nolint habere malam nisi ipsam. Villam emis, bonam quæris; vxorem vis ducere, bonam eligis; filios tibi vis nasci, bonos optas; caligas locas, & non vis malas,& vitam amas malã?Quid te offendit vita tua, quam solam vis malã, vt inter omnia bona tuã solus sis malus? Si malus es, & quod dico placet tibi,displice tibi,quia si malus displicueris tibi, correptus placebis tibi.Sic ille probat quomodo sibi distantem mortem imaginentur homines,nec impiam corrigant vitam: qui enim vicinam sibi, & instantem contemplantur,& correptionem, & pœnitentiam minimè protelant.

Sed quantum fallaciæ reperiatur in iis,qui vitam hanc colunt,& mortẽ minimè meditantur,docuit idem Aug.Serm.17.cit.lib. vbi ostendit,& præsentem hanc non esse vitam, sed futuram,&nihil insuper esse, quod mortem non proclamet.Sic ergo incipit:Dixit Dominus cuidam adolescenti.*Si vis venire ad vita,serua mandata*,Matth.19.Non dixit:si vis venire ad vitam ęternam,sed si vis venire ad vitam, eam definiens vitam, quæ fuerit æterna vita.Hinc videndũ est, hinc considerãdum quemadmodum amanda sit vita æterna, quando sic amatur misera ista,& quandoque finiẽda vita.Cõsiderate,fratres, quantum amanda sit vita, vbi nunquam finias vitam, amas ergo istam vitam, vbi tantùm laboras, curris, satagis, anhelas,&c. Ecce quæ pateris in misera ista,quam diligis vita,& putas te semper victurum,& nunquam moriturum.Templa,saxa,marmora;ferro, plumboque consolidata, tamen cadunt, & homo nunquam se putat moriturum! Et Serm. 15. Vniuscuiusque hominis dies vltimus longè esse non potest, quia breuis est vita, & quia ipsa breuitas semper incerta, corrige te hodie propter cras. Sic

Matt.19. num.17.

August. vitæ breuitatem proponit, indeque efficaciter probat morum emendationem maximè esse curandam,mortisq; meditationẽ in oculis mentis nostræ iugiter conseruandã.

Quia verò longum esset recẽsere, quæ à sanctis Patribus hac de re collecta habemus,videatur Chrysost.in Ps.110. item 114.ibi:*Cõuertere anima mea in requiẽ tibi*,& hom.11.in Epist. ad Rom.in morali,& hom.9.in 1.ad Thessal.& homil.69.& 70.ad pop.& Orat. de anima, & Orat. de aduersa valitudine, & tom.5. Epist.2.3.& 4. Ambros. lib. de Bono mortis, & de Fide Resurrect. & lib. de Parad. c.9. Aug.de Cura pro mortuis,& de Spiritu,& anima,c.31.& 39.& 3.de Ciuit.cap.5.6. & 10.& lib.2. de Doctr. Christ.& Serm.5.de verbis Apost.& de verbis Domini secundùm Matth. Ser.21.47.& 59.& tract.33.in Ioan. circa fin.& lib.quæst.ex Matth.q.11. & lib.50.homil.hom.11.& 13. & de Salutaribus documentis c.39. Greg. hom.13.in Euang. & 4.Dialog.c.58. & 16. Moral.c.31. Cypr.lib.4.Ep.2. & lib.de Mortalit.Bern.Serm.de primordiis,mediis,& nouissimis,& c.2. & 3.Medit.Hugo Vict.1. de Anima, c.2.& 3.Isidor.3.de Summo bono.

Sed illud necessariò hoc in loco aduertendum cẽsuimus cum Ruper. de Glorificatione Trinit. lib.2.c.16. tom.2. Quod timent,fugiunt,ac deplorant homines mortem, at mortis causam,nec timẽt,nec effugiunt. Sic verò ille habet. Multa corda sic obtusa sunt, vt non sentiant, imò amaritudinem dulcedinẽ putant,non peregrinationem,sed patriã existimant vitæ huius moram aliquantulam, & quidẽ amara illis est mors corporis, imò & ipsa memoria mortis, quomodo Sapiẽs dicit Eccles. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis,viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus,*

Eccles. 41.n.1.

&

& adhuc volêti accipere cibum, sed causam mortis, quæ vera amaritudo est, non cōsiderant, quod per peccatum mors introiesit in hunc mundū non recogitant. Sic ille arguit eos, qui puerili timore laruam timēt, ignem verò petunt, cùm potius solatium deberent habere in morte, vt pote quæ ad vitam ducat, & timere, ac fugere peccatum quod veram mortem inducit, doceat.

Docuit hoc Dauid, & pulchrè exposuit August. nam Psalm. 67. ait *Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*; ac si dicat, non est cur mortem timeas, cùm à benefico Deo in tui beatitudinem pro vitæ merito prodeat, nam idem qui creauit & occidit. Et Ecclef. 12. *Memento Creatoris tui.* hoc ipsum insinuat, vox enim Hebræa, & Creatorem, & præscisorem significat, & qui spirauit in faciem Adami spiraculum vitæ Genes. 2. *Ipse aufert spiritum principum*, Psalm. 75. Et verbo Domini, quo formati sunt Cæli, mortuus dicitur Moyses, Deut. 34. Pro eo enim, quod nos habemus, *Mortuus est Moyses iubente Domino*, LXX. habēt, *Defunctus est Moyses per verbum Domini.* Vnde & in ore Domini, à quo vita procedit, visus est gladius vtraque parte acutus, Apocal. 1. Cuius præscisionem sibi imminere sensit Ezechias, quando in nostro tex. dixit, *In præscisione dierum meorum.* Proinde igitur Deus qui occidit est Deus saluos faciendi, imo cuius filius nullum inuenit alium exitum vt egrederetur de mūdo, nisi mortem, in tuæ etiam solatium. Sic ergo habet August. *Deus noster, Deus saluos faciendi.* Multum gratia commendatur, quis enim saluus esset, nisi ipse sanaret? Sed ne occurreret cogitationi, cur ergo morimur, si per eius gratiam salui facti sumus: Continuo subiecit, *Et Domini Domini exitus mortis*: tanquam diceret. Quid indignaris humana conditio habere te exitum mortis, & Domini tui exitus, non alius quàm mortis fuit? Potius ergo consolare, quā indignare: nam & Domini exitus mortis; patienter ergo etiam ipsam mortem feramus illius exemplo, qui licèt nullo peccato esset debitor mortis, & Dominus esset, à quo nemo animam tolleret, sed ipse eam à semetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis, &c. Vbi Ambros. videndus est Orat. de obitu fratris Satyri cùm ait. Quod maius solatium nostri, quàm quod secundùm carnem & Christus est mortuus.

Proinde non mors timenda, sed causa mortis cauenda; illa quia minimè euitanda toleranda: ista quia intoleranda mala etiam post mortem infert in æternum, euitāda vtique est ne inficiat animam, vel pænitētia delēda, vt proficiat animę. Non est itaque hęc prima mors tam timēda, quàm quæ lædit, & de qua dicitur Apoc. 2. *Qui vicerit non lædetur à morte secunda.* Vbi plerique peccatum, alij infernum interpretantur. Hæc igitur quia vera mors, & quia grauissimè lædit timenda vtique, & fugienda est, vbi notandus venit locus ille, Psalm. 89. vbi loquens Dauid de vita, & morte addit, *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemus*, vbi Hebræi *Exscisionem* significare volunt, & Symach. etiam Græcus vertit *Exscisi subito auolabimus*, Arias Mont. *Resecator cito, & auolabitis.* Genebr. ad verbum ex Hebræo. *Quoniā tonsio velox, & auolabimus*, idest, quia nos celeriter tondes, & resecas, euolamus; quia transitus noster est celer, euolamus. *Quoniā superuenit mansuetudo* (tua ô Domine) *super nos*, tuave suauis prouidentia, quæ nos hinc corripit.

Locus igitur necessariò expenden-

Psal. 67. nu. 31.
Eccle. 12. nu. 1.
Genes. 2. nu. 7.
Psal. 75. nu. 11.
Deut. 34. nu. 5.
Apoc. 1. nu. 16.
Apoc. 2. nu. 11.
Psal. 89. nu. 10.

dus est; nam si hæc tonsio allusionē continet ad omnium tonsionem, vt vult Agel. coniungendus est ille
Psal. 43. nu.22. alius locus Psalm. 43. quem vsurpauit Paulus Rom.8. loquens de morte Sanctorum, *Æstimati sumus sicut oues occisionis*, vt sit sensus: illis quidē visa est occisio illa, quæ nostra erat detonsio, & cùm velut oues nos viderentur occidere, potius lanam desuper abstulerunt, sicut aurem cui lanæ detonsio contigit, nullus infertur dolor, damnumve, ita & iustò mors acerba minimè est; quo sensu August. Serm.6. de verbis Domini
Psal. 51. nu. 4. explicat illud Psalm. 51. *Sicut nouacula acutà fecisti dolum*, de ijs, qui iustos deprædantur, & persequuntur, ait enim. Insidiatur contra te potens, acuit nouaculum vnde capillos radat, non vnde caput incidat, quòd dixi modò audistis in Psal. 51. *Sicut nouacula acutà fecisti dolum*. Quare dolum potentis nouaculæ malæ comparauit? Quia non admittitur nisi ad superflua nostra, sicut capilli in corpore nostro tanquàm superflui videntur, & sine detrimento carnis raduntur; sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numera: tollit paupertatem tuam, nunquid tollit diuitias tuas? Paupertas tua diuitiæ tuæ in corde tuo: damno potuit afficere promissus, & vsque ad lædendum corpus; etiam vita ista, cogitantibus aliam vitam inter superflua deputanda est, nam, & martyres non vitam perdiderunt, sed vitam acquisierunt. Similia habet idem Aug. in Psalm. 94. vbi ad rem nostram exponit verba
Cant.4. nu.2. illa Cant.4. *Dentes tui sicut greges tonsarum ascendentium de lauacro*. Vbi notandum est verbum ascendendi, detonsa enim anima à corpore, quod eam grauat, & onerat, de deserto istius mundi ascendit ad palatium cæleste delitijs affluens enixa super dilectum suum, qua de re plura habet idem Augu.in Psal. 137. & Bern. Epist.24.

Instar igitur tonsionis, præscisionis, & ablationis superflui, æstimāda est mors: proindeque potius lætandum in ea, quàm lugendum, sicut olim lætari solitum erat, & conuiuia lautissima celebrare, in die detonsionis, vt patet. 1. Reg. 25. à num. 8. de conuiuio Nabal, & 2. Reg. 13. quando Absalon fecit quasi conuiuium Regis. 1.Reg.25. à nu. 8. 2.Reg.13. nu.27.

Quòd si mors detonsio appelletur per respectum ad detonsos hominis capillos, possumus id explicare ex illo loco Genes. 41. quando eductum Iosephum de carcere totóderunt, vt per mortē videatur quis educi de corporis carcere, imò de vitæ carcere in libertatem spiritus; Gene.41. nu.14.
sic enim Dauid Psalm. 141. dixit, *Educ de custodia animam meam*, quod D. Basil. hom. in Martyrem Iulittam ad medium legit. *Educ de carcere animam meam*, & pro re præsenti, ait. Quemadmodum eorum, qui in carcere conijciuntur; hi quidem in afflictione carceralium vinculorum detinentur introclusi diuturniori temporis mora; illi verò ab ea calamitate summouentur celeriùs, sic & animæ: etenim hæ detinentur in præsenti vita diutiùs, aliæ minùs, pro cuiusque merito, dignitateve, iuxta diuinæ sapientiæ profunditatem, non audis dicentem Dauid, *Educ de carcere animam meam*? Quid rursus Simeon Dominum nostrum pio vlnarum astringens complexu, huiusmodi vocem emisit? Non ne hanc? *Nunc dimittis seruum tuum Domine*? Is enim, qui ad supernum, & cæleste domicilium festinus contēdit, supplicio omni, omni carcere grauior est hæc inhabitatio corporis, &c. Quibus similia habet Ambros. de bono mortis cap. 2. Et vt Psal.141. nu.8. Luc 2. nu.29.

magis

magis perspiciatur videndus in cap. 2. Luc. ad dicta verba Simeonis, vbi ait: Vide iustum, velut corporeæ carcere molis inclusum velle dissolui, vt incipiat esse cum Christo, *Dissolui enim, & esse cum Christo multò melius est*, Philip. 1. Illud autem aduertendum in verbo illo (*dimittis*) quod verbum Græcum ibi positum valde emphaticum est, & significat vinculis soluere: in qua significatione vsus est eodem verbo Luc. cùm introducit Agrippam dicentem Act. 26. *Dimitti poterat homo hic*. Et Pilatus, Ioan. 19. dixit, *Nescis quia potestatem habeo crucifigere, & dimittere te*; quibus in locis idem est dimittere, atque vinculis soluere. Et sanè Græcis vox (desmas) dicitur ex Platone in Gorgia vinculum, vel custodia. Quando igitur iusti, & pij de custodia, & carcere educuntur, velox detonsio eis contingit, vt ad superiora euolent; nam sicut dixit Nazianz. Orat. 19. Mors, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, vt pote nomine magis, quàm re formidabilis.

Philip. 1. nu. 26.
Act. 26. nu. 32.
Ioan. 19. nu. 10.

Quòd si recurramus ad id, quod olim fieri solitum erat, vt is, qui aliquem morbum, periculum, naufragiúve euadebat, detonsos pilos Deo, siue Dijs cõsecrabat. Qua de re multa apud Diodorum Sicul. lib. 2. c. 4. Martial. lib. 1. Epig. 88. Stat. lib. 3. Sylua 4. Virgil. 4. Æneid. prope finem. vbi videndus est Pontanus. Videnda item Commentaria Brodæi, lib. 6. Epigr. Græcorum, tit. de Iuuenibus, Plutar. in vita Thesæi, Sensorinus de die Natali in procemio. Imò, & apud Hebræos hoc idem solitum asserit Ioseph. 2. de bello. cap. 15. post principium, vbi ait. Venerat autem Hierosolymam, vt vota Deo solueret, his enim, qui morbo, vel alijs necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies antequam immolent hostias: abstinere quoque à vino, & capillos radere; & Tertul. lib. de anima eiusdem detonsionis meminit. Quis nescit vitam hanc nostram læthalem, iugemque esse morbum, de quo eleganter loquitur August. lib. 13. de Ciuit. cap. 11. per totũ; & Serm. 21. de verbis Domini secundùm Matth. post medium ait. Quomodò Medici quando inspexerunt valetudinem, & mortiferam esse cognouerunt, hoc pronuntiant, moritur, inde non euadit. Ex quo nascitur homo, dicendum est, non euadit: qui natus est ægrotare cœpit, quando mortuus fuerit finit quidem ægritudinem, &c. Quis ignoret item procellosam tempestatem esse vitam nostram? Hanc igitur qui euasit iure detonsam capillaturam Deo offerre debet tam periculoso naufragio liberatus. Qua de re Cyprian. Serm. de mortalitate post principiũ expendens dicta verba Simeonis, *Nunc dimittis, &c.* ait. Hoc dicit probans, & cõtestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, & tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis, & securitatis æternæ portum petimus; illa enim est pax nostra, illa fida trãquillitas, illa stabilis, firma, & perpetua securitas. Tunc igitur liberatus homo, & detonsus euolat in cælum. In quam sententiam possumus deducere illud Iob. 15. *Homo natus ad laborem, sicut auis ad volatum*, cuius similitudinis vis in eo potest pensari, quòd sicut aues volando mortem effugiunt, & vitã, victumq; acquirunt, sic homines per extremum omnium laborum, nempe mortem (quam tandem subiturus nascitur homo) vitam acquiret, & auolat; accedit enim velox detonsio, & auolamus. In quam sententiam videndus est Caiet. 3. p. quæst. 46. art. 5. vbi asserit, mala pœ-

Iob 15. nu. 7.

næ, quæ instrumenta mortis, deificata fuisse à Christo Domino, vt iam nobis minimè odiosa sint, aut fugienda, sed potius amplectenda, cùm instrumenta vitæ sint; qua de re plura habet Chrysost. in Epist. ad Præsbyteros & Episcopos in carcere detentos, & hom 9. ad populum, latius verò hom. 18. in 1. ad Corint. Bernar. in vita Malac. Obiter tamen aduertendum, ne quis labatur in eo Comment. Caiet. mala culpæ, idest, peccata, nullatenus fuisse deificata à Christo Domino, id enim peccato repugnat.

Proinde vt ex tam multis constat minime timenda mors, si illam præcedat composita, & bene morata vita, tūc enim felicioris vitæ spes certa oboritur, quæ placidum velit trā-
Apoc. 6. nu. 8. situm. Apoc. 6. aperto quarto sigillo apparuit mors sedens super pallidum equum; quem locum Tertul. lib. de Pudicit. cap. 20. legit, super equum viridem; & sanè vtraque lectio probè cohæret, equi, scilicet, pallidi, & viridis, quod impijs mors quidem tristis, luctuosa, & infelix est, probis autem fausta, læta, & gratissimum virorem oculis referens, sicut prosequitur Hierony. Epist. 34. vbi ad securitatem, quia iusti diem suum
Psalm. 126. nu. 5. obeunt, refert illud Psalm. 126. *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta*; quod etiā prosequitur Bern. Serm. 41. ex paruulis; vbi ait. Bonorum mors optima, quādoquidem fit ibi quies à labore, fit iucunditas de nouitate, fit securitas de æternitate, &c. Elegantius id dixit Ser. 52. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed mutat in melius. Videndus Ludouic. Legion. in Psalm. 26. vbi ægrè fert iustorum transitum mortem appellari. Etenim, inquit ille, tunc maximè viuūnt, cùm primùm excesserunt ab his terrenis, & mortalibus locis, quod probat ex Paulo.

2. Corinth. 5. vbi ait: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, sed æternam in cælis.* *2. Cor. 5. nu. 5.*

Videndus pro hoc argumento Basil. in Psalm. 115. ad illa verba: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorū eius.* Non est, ait, quod cunctemini; ô homines, illustre hoc, & honestum adire certamen, neque mortem perhorrere; neque enim est corruptio, sed vitæ occasio; non omnimoda deletio, sed ad honorem pretij ingentis transcensio, &c. Notandusq; venit hic Hilar. Can. 1. in Matth. vbi explicat illum locum Hierem. 31. quem Matth. cap. 2. ad mortem innocentium mysticè refert. *Vox in Rhama audita est ploratus, & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*; ait igitur Hilar. noluisse Rachelem consolari, quia non erant mortui, qui mortui reputabantur: in æternitatis enim profectum per martyrij gloriam efferebantur; consolatio autem rei amissæ, & non auctæ erat præstanda, vbi similia dixit Euseb. Emiss. Serm. de Innocentibus. Mater Ecclesia, inquit, quanuis multum de filiorum suorum nece lugeat, consolationem non recipit, quia non sunt in tali euentu dandæ, vel suscipiendæ consolationes; vbi enim lætitia vicit lacrymas, gaudium mœrorem, gloria passionem, ibi consolatio necessaria non est, magis enim lætandum est de illa vita, quàm de ista sit dolendum. Similia dixit hom. de S. Bandina, vbi eundem explicat locum, videndusque Greg. Nyssenus in funere Pulcheriæ, vbi loquitur de lætitia & gaudio quo Abrahamus filiū Deo immolabat Genes. 22. Haud grauatim, inquit, dilectum filium pro victima Deo offerebat, quod sciret quia futurum esset, vt puer in
Psal. 115. nu. 3.
Hierem. 31. nu. 19.
Matth. 2. nu. 18.

me

meliorem, & auguſtiorem formam tranſmutaretur.

Eſt optimus hac de re locus apud Philonem lib. de Ioſeph, vbi refert quonam pacto ſe habuerit Ioſephus poſt mortem patris erga fratres ſuos qui ſummoperè timebant, ne ille recordatus patrati facinoris, dum illum olim vendiderunt, defuncto tandem parente vindictam ſumeret, quibus ille ſatisfaciens Geneſ. 50. ſic introducitur à Philone. Non distuli vindictam in tempus opportunius, ſed condonaui pœnam in ſolidum, partim in honorem patris, ne quid mentiar, partim propter fraternam neceſſitudinem. Quamuis etiam ſi patris ſolius reſpectus apud me valuiſſet, in hoc humanitatis officio par eſt vt etiam illo defuncto valeat: nam meâ ſententiâ, nemo bonus moritur, ſed viuet in ſempiternum, expers ſenij, propter immortalem naturam animæ ſolutæ corporis neceſſitatibus. Deponite metum, poſthac meliore conditione apud me futuri, quàm ante parentis obitum. Quibus in verbis profitetur Philo melius poſt mortem viuere patrem, quàm viueret antequam obiret. Similia habet lib. Quòd deterior potiori inſidietur, ante med. vbi explicat ſacrum text. Geneſ. 4. cùm dicitur: *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*, deinde & illum: *Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Sic ergo habet. Id, quod dicitur, *Inſurrexit Cain in Abel fratrem ſuum, & interfecit ipſum*, prima quidem ſpecie Abelem occiſum ſubaudicat: ſin autem diligentiùs rem expenderetis ipſum Cain, à ſeipſo; proinde ſic legendum: *Inſurrexit Cain, & occidit ſeipſum, non alterum*, & meritò quidem: anima enim, quæ tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti eſt mortua. Itaque Abel, quod vix credas, interemptus viuit, exemptus enim ex inſipienti mente viuit in Deo vitam feliciſſimam. Atteſtatur nobis Diuinum Oraculum, quòd vociferari eum ait diſertè, & clamore prodere quæ à malo ſocio paſſus eſt, alioquin ſi non amplius erat, quomodo loqui poterat? Ita profectò ſapiens; qui videtur mortali vita defunctus, immortalem viuit.

Gen. 50. num. 15.

Geneſ. 4. num. 8.

Sap. num. 10.

Ex iis igitur conſtat mortem nullatenus officere iuſtis, ſed in profectum eis accidere: quod adhuc explicandum cenſeo ex eo, quòd equitantem mortem lego in ſuperiùs citato loco Apoc. Enim verò in Scriptura equum, ſalutis, & protectionis ſymbolum eſſe apertiſſimum eſt. Vide Baſil. in Pſalm. 32. Negat Hebræos vſos equitatu militari, imò & Deut. 17. Cautum erat ne Rex ſibi equos multiplicaret: licèt ſciam oppoſitum docuiſſe Abul. 2. Paralip. 8. quæſt. 7. & cap. 9. quæſt. 16. 17. & 19. Et licèt multos equos habuerit Salomon, vt patet ex Eccleſ. cap. 2. vbi videndus eſt Lorin. Et ex 3. Reg. 4. Tamen, nec Reges ipſos, Principéſq; in bello equis vectos, nec Iudæos equeſtri pugna vſos reperimus. Ratio verò eſt, quia volebat Deus ſuum à ſe pendere populum, ſuaque protectione, & auxilio niti magis quàm externo præſidio; hinc eſt quod Pſalm. 32. dicitur. *Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem*. Et Prouerb. 21. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit*: Et auxilium Angelorum indicatur in equis. Zachar. 1. & 4. Reg. 6. imò, & Abac. 3. cùm habeatur, *Ante faciem eius ibit mors*, ne putaremus mortem ad deſolationem, & ruinam iuſtorũ aduenire, additur, *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio*. Hinc igitur elicio, ex eo nobis proponi mortem ſuper viridem

Deut. 17. num. 16.

Eccleſ. 2. num. 7. 3. Reg. 4. num. 16.

Pſal. 32. num. 16. & 17.

Prou. 21. num. 31.

Zach. 1. num. 8. 4. Reg. 6. num. 15. Abac. 3. num 5. Supr. n. 8.

equum, vt in subsidium, & liberationem iustorum aduenire credatur, etenim per illam liberantur à carcere, naufragium euadunt, impedimenta soluunt, ab ægritudine sanantur, & ad veram vitam deducuntur. Vnde Tertull. lib. de Spectac. cap. 28. ait. Non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? nam quod aliud votum nostrum, quàm quod & Apostoli Philipp. 1. *Exire de sæculo, & recipi ad Dominum.* Hæc voluptas illi votum. Et Cyprian. Serm. de Mortalit. ad fin. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire: non est exitus, sed transitus, & temporali itinere decursu ad æterna transgressus. Quis enim ad meliora festinet, quis non mutari, & reformari ad Christi spem? Ex quibus apertè patet, non tam lugendam, & timendam mortem, sicut pius Rex Ezechias hoc loco fecit, sed libenter, imò lætanter excipiendam esse, & ob oculos proponendas rationes, quas propterea hûc vsque prosecuti sumus.

Philip. 1. num. 23.

ANNOTATIO III.

Quomodo antequam sæculo moriatur homo debet sibi mori.

QVoniam D. Bernard. Serm. de hoc Cant. verba nostri text. ad allegoriam transtulit, dicens: Qui timore Dei initiatur ad sapientiam, is continuò dimidiat dies suos exclamans præ timore: *Vadam ad portas inferi*, cuius vtique inferi metu cùm cœperit quiescere à malis, incipit de bonis quærere consolationem. Per hos gradus Ezechias transit, & innotuit transituris. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*; ac si diceret: Cùm deposita imagine terrestris hominis imaginem cælestis vellem portare: cœpi a timore. Concipiens exclamaui: *Vadam ad portas inferi*. Quo tamen timore nequaquam desperans quæsiui residuũ annorum meorum, vt iam mihi viuere inciperem, qui contra me vixeram vsque adhuc. Ex hac igitur doctrina illud colligimus, & prosequimur, eum, qui vadit ad portas inferi in media, ac meliori vitæ portione, non subiturũ post mortem inferni pœnas quandoquidem eas in vita prænouit, quod possumus magis aperire ex eo, quòd idem Bernard. ait, Epist. ad Fratres de monte Dei, post principium, vbi ita habet. Cum in cella iugiter cælestia actitantur, cælum cellæ, & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu proximum efficitur; nec iam spiritui oranti, vel etiam à corpore exeunti à cella in cælum longa, vel difficilis via inuenitur; à cella enim in cęlum sæpe ascenditur, nisi sicut dixit Psalmista, *Descendant in infernum viuentes*, videlicet, ne descendant morientes; hoc enim modo sæpe cellarum incolę in infernum descendunt; sicut enim assiduè contemplantur, reuisere amant gaudia cælestia, & ardentiùs ea appetunt: sic & dolores inferni, vt horreant, & effugiant.

Notatu digna censuit Aug. Serm. 35. de verbis Apost. post initium verba illa Christi Seruatoris. Ioann. 11. *Ioan. 11. num. 25.*
Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, nõ morietur in æternum; quæ verba, quia oppositum aliquid inter se habere videntur, ita explicat Aug. Quid est, inquit, moritur, & viuit, & *Qui credit in me, non morietur in æternum?*

Certè

Certè licèt moriatur, non morietur in æternum. Sic ista soluitur quæstio vt non sint inter se contraria verba veritatis, & possint instruere affectum pietatis. Ergo licèt corpore morituri simus, viuimus si credimus, &c. Vbi August. videtur in eo collocare futuram vitam nostram, si credamus mortem nostram, etiam antequam adueniat, adeamúsque mente, & cogitatione quæ post mortem sustinenda restant mala, vt accingamur ad promerenda bona.

Fortassis & hoc fuit, quod in oculis sponsi placuit, cùm sponsæ dixit Cant.4. num.11. Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*; vbi duo expendenda sunt. Primum, vt sit allusio ad odorem, odoratúmve. Secundum, ad vestes; illa deducitur ex Cant.7. ex il- Cant.7. num.4. lis verbis quæ superiùs exposuimus: *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum*. vbi per nasum Theodoret. & tres Patres Græci intelligunt discretionem, qua sancta anima inter vitia & virtutes, vtilia & noxia discernit, & separat. Quam expositionem etiam habet Ambros. Serm.5. in Psalm.118. & lib. de Spiritu sancto cap.9. Greg. ad dicta verba Canticorum, & 1. par. Pastoral. c.11. Turris siquidem Libani Damascum prospectabat, quæ caput Syriæ erat, Syria verò populum Dei diuturno, & graui fatigauit bello, & ab illo capite, scilicet Damasco, bellorum cōsilia, acies ad bellandum instructæ prodibāt, inde exploratores egrediebantur, quæ omnia præuidebant, & discernebant, speculatores in turri Libani constituti; per vestimenta verò designantur opera, sicut ibi docet Gregor. D. Thom. & Bed. vt patet ex Apoc.19. num.8. Apoc.19. vbi dicitur: *Vxor eius præparauit se & datum est illi, vt cooperiat se byssino, & candido: byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum*, & Iob 29. Iob 29. num.14. *Iustitia indutus sum, & vestiuit me sicut vestimento*: & hoc sensu Apoc.16. iubemur custodire vestimenta nostra, Apoc.16. num.15. ideſt, ne per adueniens peccatum meritis mortificatis (vt Theologi loquuntur) nudi relinquamur. Vulgare tandem est odorem thuris mortuis inseruire, & in defunctorū pompis nullam aliam speciem aromaticam concremari: quid igitur odor vestimentorum, ac operum sponsæ commendatur à thure, nisi quia subodoratur finem, & mortem præuidet, ac discernit. Quæ discretio, & prudentia sponsæ summopere commendatur apud sponsum, cùm vergat, & respiciat aliam discretionem necessariò contemplandam, & præuidendam; sic enim mortem appellauit Tertull. lib. de Anima. cap.51. hoc est disiunctionem corporis, & animæ, quomodo eam definiuit August.13. de Ciuit. c.6. & Nyssen. lib. de Orat. Hominis, cap.30. vtrumque repetit Tertull. lib. cit. cap.52. Ambros. lib. de Fide Resurrect. ante med. vbi clariùs dixit. Quid est mortis meditatio, nisi quædam corporis, & animæ segregatio? quia mors ipsa non aliud quàm corporis, & animæ secessio definitur; quam etiam definitionem posuit Aristot. lib. de Morte, & Vita. Odor itaque mortis in vita perplacet Diuino sponso, cùm maximè proficiat ad salutem, & ne æterna mors incurratur, quod maximè fit, cùm in vita præuidetur.

Miseriam stultæ Ciuitatis Hierusalem deplorat Hierem. Tren.1. quæ non cognouit interitum in die sua, & ideò in nocte plorauit, vnde & illi lacrymæ minimè profuere, profuturæ vtique si in die, noctem præueniens fuisset lacrymata: designat autem hic locus eam animam, quæ in die vitæ noctem mortis minimè meditatur, vt lacrymis futura præueniat mala, ad hoc vt illa euitet, & effugiat, sic ergo habet; *Plorans plo-*

Tren. 1. num. 2. *rauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius*: vbi Hieronym. in præsens institutum ait. Decepta anima diabolica suggestione in noctem veniet futuræ perditionis, vbi gemitum dabit perpetuum sine vlla consolatione; ipsi enim spiritus maligni, qui eam ante per illecebras voluptatum in diuersa detrahebant, tandem in tenebris exterioribus constitutam perpetuis cruciatibus punire non cessant. Vt ergo hunc dolorem maximum euitet, necesse est quòd in præsenti salubriter doleat: quatenus immensa Bonitas Dei pro fletu præsentis temporis, consolationem illi præbeat sempiternam. Sic Hierony. ex Propheta ostendit eos quidem futura declinare, & effugere tormenta, qui in præsenti eadem cōsiderant, & in vita expendunt quæ futura sunt post mortem, atque ne infernum patiantur mortui, viui illum adeunt, & tormenta inuisunt, & in die plorant, ne in perpetua nocte deplorare cogantur.

Miniméque piget hoc in loco referre quid tantæ rei ignarus scribat Seneca Epist. 71. Quid est, inquit, quod nos facit pigros, inertósque? Nemo nostrum cogitat quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum. Sic veteres Inquilinos indulgentia loci, & consuetudo, etiam inter iniurias detinet vis aduersus hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus habita. Et Epist. 72. Ante senectutem curaui, vt bene viuerem, in senectute, vt bene moriar. Ante ad mortem quàm ad vitam præparandi sumus, vt satis vixerimus, nec anni, nec dies faciunt, sed animus, &c.

Perelegans pro hoc argumento est locus apud Hieronym. lib. 1. contra Iouin. vbi expendit id, quod nar-
Iosuë 10. num. 16. rat sacra Scriptura Iosuë 10. *Fugerunt quinque Reges, & se absconderunt in spelunca vrbis Maceda; præcepitq́, Iosuë dicens, aperite os speluncæ, & producite ad me quinque Reges, qui in ea latitant; cumq́, adducti essent ad eum, vocauit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus: ponite pedes vestros super colla regum istorum. qui cum perrexissent, & subiectorum colla pedibus calcarent, rursum ait ad eos; nolite timere, ne paueatis, confortamini, & estote robusti, sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, aduersus quos dimicatis percussitq́, Iosuë, & interfecit eos.* Hos igitur quinque Reges interpretatur Hieron. quinq; sensus corporis, qui ad speluncam huiusmodi corporis, veluti ad arcem confugientes dominātur nostri, animamque semper impugnant, sæpeq; expugnant, quos tamen de cælo aduenìens verus Iesus Seruator interfecit, & suspendit, vt promissam terram, & accipere, & possidere possemus; morte enim proposita, & perpessa, de ipsis triumphauit, idque nos agere docuit in vita, ne tandem nos in morte superent, & ad æternam pertrahant. Sic verò habet Hieron. Quinque Reges, qui in terra repromissionis ante regnabant, resistebantque Euangelico exercitui, Iesu pugnante, superantur: hoc puto intelligendum esse perspicuum, quod antequam Dominus populum suum educeret de Ægypto, & circuncideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus, tactúsque regnauerint, & his quasi principibus fuerint vniuersa subiecta: quos Iesus ad speluncam corporis confugientes, & ad tenebrosum locum, idest, ipsum ingredientes corpus, interfecit: vt per id occiderentur, per quod ante regnabant. Sic ille docet, quonam pacto in vita interficiendi sint, quos ad vitam sustinemus inimicos, ne post mortem cogamur tormentis veluti captiuos perpetuò subiici.

Sed hunc locū possumus vtcumq; illustrare ex alio apud Abac. in cap. 1. vbi-

vbi sermo est de Nabuchodonosor super Iudæos veniéte armata manu: *Ipse de rebus triũphabit, & tyrãni ridiculi eius erũt, & ipse super omnem munitionẽ ridebit, & cõportabit aggerẽ, & capiet eã*; vbi pro *triumphare* verbum Hebræũ *illudere, & irridere significat*; est enim idẽ quod 4. Reg. 2. vbi vulgatus habet, *illudebant* ei, scilicet, Elisæo, *dicentes: ascende calue, ascende calue*; vnde & Chald. & hanc sequuti Pagnin. & Vatabl. legunt, *illudet, atque ridebit*, imò & apud exteros Autores triumphum dicunt pro ridere, & lætari, vt Cic. in Verrem: Lætaris in omnium gemitu, & triumphas; & Cæsar Ciceroni sic scribit; meum factum probari abs te, triumpho, & gaudeo *Tyranni* vero hoc in loco principes significat, vt constat etiam ex Psalm. 22. *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt*; vbi eadem vox est. Quid igitur est quòd Nabuchodonosor tam ridet, irridet, & illudit, ac veluti ante bellũ triumphat, & super omnem munitionem ridet? maiusque negotium facesset, si particula, *&*, vt solet causatiua est; *& comportabit aggerem*, idest, quia comportabit aggerem. Vbi Theophyla, sic habet: quamuis Ciuitates munitæ fuerint, & propugnacula, quæ non facilè capi, expugnaríque possint, hæc tamen obtinebit ludẽs magis quàm serio agens, nam aggerem tantùm vocat, quem cõtra mœnia excitet: quod ad opus, ne bellicòsis quidem viris eget, sed enim armigeris, & pro mercede operã suam alijs seruilem elocare consuetis. Sic iam Tyrum Babylonius ille cœpit. Scio & Hieron. hunc locum ad Tyrum referre. Verumtamẽ negari non posse videtur quod de populo Iudæorum intelligatur, vt apertè constat ex Deut. 4. vbi sic habetur. *Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus in similitudinẽ aquilæ volãtis cùm impetu, cuius linguam intelligere non possis, gentẽ procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorũ, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, &c. donec te disperdat, & cõterat in cũctis vrbibus tuis, & destruantur muri tui firmi, atq; sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.*

Abac. 1. nu. 10.

4. Reg. 2. nu. 23.

Deut. 4. nu. 49.

His positis, vt rem conficiamus, illud aduertendum vocem Hebræam, pro qua nos *aggerem* legimus propriè significare puluerẽ, quæ ipsa habetur. Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, & licèt planus sensus videatur quòd terram, puluerémque cumulabit, vt superior mutis euadens exercitus vrbem inde petere, & expugnare possit. Annon Gueuara ibi ait, horum verborum hanc esse sententiam existimo: Rex Babylonis munitissimã quamque irridebit, & subsannabit vrbẽ, &, vel iniecto puluere expugnabit eam. Tãta ingruet Chaldæorũ copia, vt pulueris quoque inspersione obruere possit obsessos. Et vt magis rem aperiat, addit. Narrat Plutarchus Sertoriũ ad hũc modum Characitanos hostes ad deditionem coëgisse; in speluncas præcelsi cuiusdam montis barbari illi quoties belli terror immineret, fugere, suáq; asportãtes securè degere consueuerãt quasi nulla vis nocere eis posset, euenit igitur, Sertoriũ per id tẽpus à Metello pulsum haud procul ab eo morte castra habere, quẽ cũ barbari velut victũ contemnerẽt; siue ob irã, siue ne fugere videretur prima luce obequitãs situ naturámq; loci cõtẽplabatur, qui cũ nullũ penitus aditũ haberet, vaniq; omnes conatus essent, cernit ex solo, magnam vim pulueris in eos deferri. Etenim speluncæ ad Romam erant conuersæ, & Cæcias ab arcto veniens maximè contra eos perflabat; hac igitur re animaduersa, Sertorius iubet milites puluerulen-

Genes. 3. nu. 19.

tam, ac cinerosam terram confodere, & contra ipsum montem cumulum agere; quam barbari putantes ad expugnationem aggerem strui, ab initio deriserunt. Sertorius cùm vsque ad noctem milites in opere habuisset, eos in castra reduxit. Postridie prima luce, aura lenis perflare cœpit, & subtilissimum puluerem deferre: deinde valido flante vento, milites aggerem quatere, ac nonnulli cum equis ingressi perequitare, vt puluis altius insurgeret, cœperunt. Quidquid insurgebat pulueris, ventus arripiés in barbarorum habitacula deferebat: quæ cùm ad eam partem duntaxat, qua ventus flabat, aperta essent, subitò fauces repletæ, spiritúsque præclusi sunt. Itaque vix duos dies tolerantes, tertio sese Sertorio dederunt, non tantùm inde commoditatis, quantùm gloriæ consecuto: quod ea, quæ armis superari non possent, ingenio confecisset. Non absimile quidpiam Deus minari videtur per Abacuc assidua plerúmque, & munitissima loca montosis Palæstina incolentibus. Consonántque etiam, & hunc sensum, vel inuitis obtrudunt quæ Propheta è vestigio subiungit: *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, & corruet: hæc est fortitudo eius Dei sui.* Vbi vox Hebræa, pro qua habemus, *spiritum*, ventum significat, vt in Exod. 10. & 14. & sæpè alibi. Dixerat porrò Deus Regem Babylonium irrisurum munitissimam quamque ciuitatem, nam & si inaccessibilis esset, nec armis, aut vi capi posset, pulueris tamen iniectu illam expugnaturum, & ad deditionem coacturum. Et sensus est. Congeret Nabuchodonosor pulueris aggeres, ego verò ventum excitabo, qui illos oculis; ac naribus obsessorũ Iudæorũ affundat, neque prius ventus cessabit, quam puluere repleti Iudæi sese dedant, captiua

Exod. 10. *nu.* 13. & 14. *num.* 21.

verò ciuitate, tunc ventus aut cœli, qua aspirabat mutabit plagam, aut concidet omninò, & quiescet: nam transire in sacris literis finiri est, vt Iob 17. *Dies mei transierunt, & corruet*, siue delinquet, vt alij vertunt, desinere significat, & pro verbo Hebræo hoc in loco vulgatus aliquando reddit interire, siue perire, vt Ezech. 6. *Dissipabuntur, & interibunt aræ vestræ.*

Iob 17. *nu.* 11.

Ezech. 6. *nu.* 6.

Neque nouum in Scriptura est vrbes puluere expugnare, imò huius rei videtur meminisse Moyses Deuter. 28. cùm ait. *Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo descendat super te cinis, donec conteraris: tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos.* Benadab Rex Syriæ hoc etiam significare videtur, cum dicit. 3. Reg. 20. *Hæc faciant mihi Dij, & hæc addant si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.* Et hoc videtur Deus comminari apud Isai. 29. Hierusalẽ sub nomine Arielis, quòd fortis esset sicut Leo; munitissima insuper, & inexpugnabilis, cùm ait. *Circumdabo quasi Sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem* (scilicet puluerem) *humiliaberis, de terra loqueris* (id est de sub terra, & pulueri immersa) *& de humo audietur eloquiũ tuum, & de humo eloquium tuum mussitabit, & erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te* (nempè puluerem ventilantium in te.) Et Ezech. 26. *Ecce ego adducam Tyrum Nabuchodonosor Regem Babylonis, & circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro inundatione equorum operiet te puluis eorum*; quod explicari potest ex eo quòd de Sertorio dictum est. Denique Mich. 7. habetur. *Lingent puluerem sicut serpens; velut reptilia terræ perturbabuntur de ædibus suis*; terra verò ac puluere serpentes proturbari, & fugari historici naturales tradunt.

Deut. 28. *nu.* 24.

3. *Reg.* 20. *n.* 10.

Isai. 29. *nu.* 3.

Ezec. 26. *nu.* 7. & 10.

Mich. 7. *nu.* 17.

Ex his igitur tam multis dictis constare poterit, quomodo superandæ essent munitæ ciuitates, & licèt de hoc victoriæ genere adhuc dubitatio esse possit, quod ad rem nostram facit, nullam admittit, scilicet, si quinque Reges nostri ad speluncam confugiant, sicut olim apud Iosuë, ibi facilè percludentur, si futuræ resolutionis puluis illis injciatur, & illud Horatij sæpè nobis inculcemus lib 4. Ode 7. *Puluis, & vmbra sumus.* Et si ad arcem confugiant, & munitionem præparent, comportandus agger, & puluis, proponendaque ob oculos diuina illa sententia; *Puluis es, & in puluerem reuerteris*; cuius appositione, & iugi meditatione corruent carnis munitiones, humiliabuntur superbiæ, concident elatæ cogitationes, & in morte vitam subibit ea anima, quæ in vita mortem meditari nouit.

Genes. 3. nu. 19.

Dignum scitu censeo præceptum illud Exod. 12. quòd sic habet. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, &c. & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël.* Quatuor igitur antè dies assumi iubetur, & domi recludi Agnus Paschalis, quòd vtrum posteà esset obligandum, alterius est quæstionis, cuius negatiua pars nobis placet, de quo videndus Abul. ibidem. quæst. 5. & Perer. disp. 1. num. 7. Qua igitur ratione hoc tum temporis à Deo iussum fuerit, disputant prædicti Auctores; modò pro nostro instituto arridet maximè Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 5. vbi ait. Videlicet, vt dum agnus præsto est, causa quoque eius corda vestra sollicitet, ne sitis immemores, vel imparati, quia trãseundum est, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet, quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tubæ sonitus exituras castrorum acies excitet, &c. Quis ignoret exitum Israël de Ægypto exitum nostrum de mundi Ægypto designare, & mortem primogenitis illatam nostri etiam interitus figuram gerere: illum igitur exitum, mortémque nostram præueniat necesse est verus Hebræus, id est, transitor, & multo antequàm moriatur mortem præuideat, gemitúsque mortis audiat apud se, imò & edat, ne posteà emittat nihil sibi profuturos, qui nullatenùs sibi tubam intonantem vltimam, & vocantem ad exitum antè audiuit, vt disponeret sermones suos in iudicio, misertendo pauperibus, & accommodando diuitibus.

Exod. 12. num. 3.

Videndus in hãc sententiam Ber. Ser. 5. in vigilia Natiuitatis post medium, vbi aduertit, eã ob rem Christum Dominum crucifixum, ac mortuum fuisse in die Parasceue, hoc est præparationis, tũc enim ad diem magnum Sabbathi, omnia necessaria præueniebantur, vt scilicet, sanctificaret præparationes nostras, & inculcaret præuisionem eorum, quæ ad diem vltimum, & initium futuri Sabbathi, & perpetuæ requiei, & vacationis in cœlis perpetuò degendæ, seu fruendæ, necessaria sunt in terra. In Parasceue (ait Ber.) passus est, id est, in die præparationis, meritò omnibus dicitur: *Sanctificamini hodie, & estote parati*, iisdem siquidem maximè prodest Christi Domini mors, & Passio, qui mortem propriam præuenientes, & præuidentes ad illam præparantur, ne imparatos intercipiat mors minimè finienda eos, qui de fine suo nunquàm cogitauerint; nam sicut dixit Cypr. Epist. 52. Non est dignus in morte accipere solatium, qui se non cogitat esse moriturum, quibus similia habet Greg. IX. Mor. c. 36. Et sanè licèt Spiritus sancti gra-

tia

tia nesciat tarda molimina, & Deus vbi vult spiret,& citò possit conuertere pauperes, & meritis ditare, hoc tamen nunquam debemus vltimo illi tempori reseruare, & committere, qua de re optimè dixit Bernard. Serm.38.ex paruulis. Quid dissimulant homines in vita sua agere pœnitentiam, & extremo de confessione præsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocare posse æstimant omnia animæ membra, cuius concupiscentia, & desideria per totum mundum sparsa sunt,& vbique terrarum velut quodam visco tenentur? Si benè memini in toto Canone Scripturarum vnum latronem inuenies sic saluatum; noli verò huic tam periculosæ expectationi credere te ipsum. Et quidem Spiritus non modò vbi vult, sed quia vult spirat, nec ei difficile est de subito perfectam dare cōtritionem cordis,quam vix multo tempore alij consequuntur: sed vnde scis quòd tunc tibi subuenire venit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labijs suis. Audi quis ille sit: *Maledictus qui peccat in spe.* Sic Bernard. ostendit non esse sperandum hominibus remedium vltimo tempore affuturum ex præsumptione, & inani confidentia, proposito sibi Sancto Latrone,qui in morte consequutus est vitam; hoc enim perdifficile censuit, vel & ipse Christus Dominus, dum illi tantummodo,& veluti cum iuramento (vt melius crederet) sub illo articulo Regnum promisit. Hoc enim videntur significare ea verba; *Amen dico tibi,hodie mecum eris in Paradiso.* Multus est Augustin. hac in re Serm. vltimo de Verbis Domini secundum Matth.qui in ordine est 23.Expendénsque quomodo pulsantibus fatuis virginibus, quæ de præparatione minimè cogitarant, dictum illis est; *Nescio vos.* Obijcit deinde August. locum illum Matth.7. *Pulsate,& aperietur vobis*; & respondens ait, non fallaciter dictum est: *Pulsate,& aperietur vobis*, sed modò quādo tēpus est misericordiæ,non quando tempus erit iudicij; non enim possunt confundi ista tempora, cùm misericordiam, & iudicium Domino suo cantet Ecclesia; tempus est misericordiæ,age pœnitētiam, tempore iudicij illam habes agere? Et quid illis dictum est; *Non noui vos?* Non illas nouit, qui omnia nouit? Hoc est magnum, & nescit vitia, & iudicat vitia; nescit faciendo, iudicat arguendo. *Vigilate, quia nescitis diem*; si ergo dormituri sumus,quomodo vigilamus? Corde vigila, fide vigila, operibus vigila, & quando corpore dormieris, veniet tempus vt surgas. Et Serm. 34. qui est primus de Verbis Domini secundùm Luc.in principio ait. Viuite benè,ne moriamini malè,&c. *Matt.25. nu.11. Matth.7. nu.7.*

Videndus Cic. in Tuscul. vbi inter alia pro re nostra ait. Tota Philosophorum vita est commemoratio mortis,nam quid aliud agimus cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm à re familiari, quæ est ministra, & famula corporis, cùm à Republica, cùm à negotio omni animum reuocamus, quid, inquam, tunc agimus nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximéque à corpore adduximus, secernere autem à corpore animū nequidquam est aliud, nisi emori discere? Quare hoc commēdemur, disiungamúsque nos à corporibus, id est, consuescamus mori, &c. Et Senec. Epist. 17. Siquid vetat benè viuere, benè mori non vetat, quod intelligetur ex illo Senecæ Trag. in Agamen. O quàm miserum est nescire mori! acutéque Martial.lib.1.Epigram.

Non

Non est. crede mihi, sapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Hac de re videatur Greg.lib.13.Moral.cap.10. & lib.3. cap.17. & lib.8. cap.8. vbi conferens peccatores, & iustos, de illis ait iam ad iudicium trahuntur homines per sententiam, & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam, dum etenim mente abesse mors longè creditur etiam cùm sentitur: at contra electorum mens quasi præsentem mortem quotidie conspicit. Videndus item Hilar. ad illa verba Psalm.118. *Et custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi,* vbi ponderat absolutam Prophetæ promissionem nulla interposita interruptione, quasi semper esset victurus, & nullatenus morte intercipiendus, quia iusti corporalem prævenientes mortem ad futuram anhelant, & præparantur vitam, ait ergo Hilar. Nullum Propheta vitæ suæ finem pertimescit, sed se in infinitatem temporum officio custodiente legis extendit; festinat enim in leges illas æternorum sæculorum. Optimè in hāc sententiam Chrysol. Serm.110. voleti mors ipsa subiecta est, quia semper dominata est nolenti, &c. is enim, qui ad illā se præparat, velle eam videtur; ille enim qui omnino obliuiscitur recusare, quibus illa vim infert, ac dominatur, ita vt nullus supersit locus de alia re cogitandi, aut ad Deum, qui vita est, accedendi, proinde mortis imperio omnino addicitur peccator, quod dixit Dauid Psalm.31. *Veruntamen in diluuio aquarū multarum ad eum non approximabunt*; vbi de tempore mortis sermo est, sicut bene aduertit Lorin. quo tempore morbi dolor, metus mortis, amissio rerum carissimarum, peccatorum memoria, de quibus antea miser homo non curauit, aut pœnituit, conscientiam rodens vermis, pauor iudicij, inferni trepidatio, impugnatio dæmonum, inueterata in vitiis consuetudo, & id generis alia pleraque perdifficilē reddunt pœnitētiam, & ad Deum accessum. Sed cur tempus mortis diluuio comparetur inquires? Existimo quia imparatos adoritur, inuenit, & conculcat mors, & nihil minus quàm de illa cogitantes, sicut contigit iis, qui diluuium minimè præuidentes, illo irruente periere, vnde Christus Dominus Matth. 24. dixit: *Sicut enim in diebus Noë erant comedentes, & bibentes, & venit super eos diluuium, ita erit aduentus filij hominis*, instar, scilicet, diluuij minimè præuisi, proinde *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt:* illi vtique approximant, qui multò ante venturam contemplantur mortem, imò qui moriuntur in Domino, multò ante quàm corpore moriantur, qui iure ab Euang. Ioan. beati dicuntur Apoc.14. Sic enim nunc interpretandum duco dictum locum de iis, qui in Domino multò antea moriuntur, quàm corpore occumbant, nam vsitatissimus modus loquendi est, quo mori Christo accipitur pro spirituali morte, vt Rom.6. *An ignoratis fratres quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Vbi Basil. in Regulis Breuioribus, respons. 234. explicat idem esse baptizari in morte Christi, atque mori vitæ affectionibus, & desideriis, & in confirmationem affert locum illum ad Colos.3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Et Ambros.2. de Sacramentis c.7. Quid est baptizari in morte Christi, vt quomodo Christus mortuus est, sic tu quoque mortem degustes, &c. & licèt hæc mors in Christo multis modis fiat, facilior sanè, & vsitatior est quando fit per

Marginalia: Ps.118. num.44. — Psal.31. num.6. — Matt.24. num.38. — Apoc.14. num.13. — Colos.3. num.3.

hoc, quod homo instantem præstolatur mortem, & eam veluti subit antequam adueniat, vnde mortuus omnino peccato, ne illi subiiciatur subditus, Deo moritur, ne alteri viuat, aut obsequatur; sed ab illo vitam accipiat, & hic profectò beatus est, qui in Domino moritur, sicut velle videtur Ambros. ad dictum locum Apoc. & hac fortasse ratione Christianus (apud Tertull. lib. de Spectaculis, cap. 1.) appellatur expeditum mortis genus, eò quòd non possit non expeditus, & præparatus morti censeri, & esse, qui mortem multò antea subierit mente, & voluntate, quàm in re abscesserit.

Facit & pro hac re Ambros. lib. de Bono mortis cap. 4. vbi vitam bonam mortis speculum appellauit; enim verò sicut mors nihil aliud est, quàm à terreno corpore separatio, sic & rectè composita vita ab illis omnibus, quæ terram sapiunt auellitur, & abstrahitur, & semper moritur temporalibus, ac potius mors censenda est, quàm vita, cùm in ea veluti in speculo nihil aliud reluceat quàm mors, imò quia ad speculum sese componere solent ij, qui speculis vtuntur, sanè vt mors pulchra adueniat, & pretiosa sit, qualis Sanctorum solet esse, ad speculum vitæ sese ornare debet iugiter in ea relucendo: sic enim expeditur, & præpararur in vita homo, vt in morte viuus appareat; sicut autem qui se ornant ad speculi inspectionem, id non in platea, aut foro; sed domi, & in cubiculo suo faciunt: sic & speculo mortis in cubiculis vtendum esse monuit Dauid, cùm dixit Psal. 4. *In cubilibus vestris compungimini*, vbi Paraphras. Chald. habet, *Mementote dies mortis*: sicut etiam Christus Dominus Matth. 6. præcipit oraturum intrare in cubiculum. Incompositus vagabatur Augustinus, & cùm Dominus vellet illum componere, ac disponere ad futuram conuersionem, ob oculos mentis proponebat mortis speculum; ipse enim de se fatetur 6. Confess. cap. 16. qualis ante conuersionem esset, & ad illam fuerit dispositus, dicens. Tibi laus, tibi gloria, fons misericordiarum, ego fiebam miserior, & tu propinquior, aderat iam, iámque dextera tua erepturа me de cæno, & ablatura, & ego ignorabam, nec me reuocabat à profundiori voluptatum carnaliū gurgite, nisi metus mortis, & futuri iudicij, qui per varias quidem opiniones nunquam tamen recessit de pectore meo, & disputabam cum amicis meis de finibus bonorum & malorum, Epicurum accepturum fuisse palmam in animo meo, nisi ego credidissem post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum, &c.

Psalm. 4. num. 5.

Matth. 6. num. 6.

Hoc etiam sibi à Deo postulabat speculum Dauid, quando dicebat Psalm. 89. *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapiētiam*, idest, ostende nobis præcisionem dierum, sicut meo nepoti Ezechiæ ostendes, vt ego vadam eruditus, & tuum aduentum prestoler in sapientia, & qua mente decet. Quem locum Hieronym. Epist. ad Cyprian. in rem præsentem optimè versat. Aquila, Symmach. & quinta editio sic vertunt: *Dies nostros sic ostende, vt preparemus nos aduentui tuo, & contempto errore mortalium, ad te pergere festinemus, cupiamusq́; presentiam tuam, & ad te festinemus corde sapienti*: nihil enim ita decipit humanum genus, quàm dum ignorant homines spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi huius possessionem promittere; vnde & illud egregiè dictum est, nullum tam esse senem, & sic decrepitæ ætatis, vt non se adhuc vno plus anno viuere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet illud;

Psal. 89. num. 12.

illud, *Memento mortis tuæ, & non peccabis*; qui enim se recordatur quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Hoc est, quod Dauid in alio precatur loco, *Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquam abeam, & non subsistam.* Quod ita exponitur; ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, vt possim peccata corrigere pœnitentia, &c. Sic Hieronym. ostendit quomodò Dauid Psalm. 101. à Deo petierit sibi mortis speculum proponi, vt ad illud se componeret disponens se ad futuram animæ discretionem, & discessionem à corpore.

Cæterùm illud à principio nobis obiectum prosequitur Basil. in terra, in qua viuimus, pro qua litigamus, & morimur, & in quam mortui desinemus, sufficientemque asserit huius speculi inspectionem ad deprimenda elata, compescenda effrænata, tarda perurgenda, & superba humilianda: nam sicut dixit Cyprian. Serm. de Mortalit. pauore, seu cogitatione mortis accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignaui, desertores compelluntur, vt redeant, gentiles coguntur vt credant, verus fideliũ populus ad quietem vocatur, ad aciem recens, & copiosus exercitus robore fortiori colligitur, &c. Sic ergo habet Basil. homil. 11. Examer. post med. Quo tempore tui obliuisci poteris, tui tum obliuiscere, cum te è terra summoueris, quòd si à terra ne momento quidem te subducis (coaluisti enim terræ, & concreuisti, super terram ingrederis, acquiescis terræ, teque in ea oblectas, delitigas pro terra, quidquid denique facias sit id magnum, aut certè perexiguum, id omne in terra facis) nimirùm è vicino habes quod te tuæ commonefaciat humilitatis: dimitte oculos, & conquieuit indignatio, inspecta humo, fac tecum repures me, qui è terra factus sum dixit ignobilem, &c.

Nec solũ inuenimus in terra mortem, & fragilitatem nostram, & in nobis illam circumferimus, iuxta illud Senecæ Epistol. 24. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoq; cùm crescimus vita decrescit, tunc ipsum quem agimus diem cum morte diuidimus, quemadmodum clepsidra non extremum stillicidium exhaurit, sed quidquid ante defluxit: sic vltima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consumat, tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Melius Hieronym. Epist. ad Heliod. quotidie morimur, quotidie commutamur, &c. Prosequitur hoc ipsum Philo. lib. de Ioseph vbi ait. Magnum somnum commune, publicúmque vigilantium, non dormientium est vita hominum. Eodem modo vigilantium imaginationes somniis sunt simillimæ, & fortasse singulæ ætates decedendo præmoriuntur, natura nos paulatim docente, non timere mortem extremam omnium, quando priores facilè tulimus, infantiæ, pueritiæ, pubertatis, adolescentiæ, iuuentutis, virilitatis, quæ omnes ætates ante senectutem euanuerunt. Primò adolescens, posteà iuuenis, posteà vir, postremò senex, sed non simul omnia; nónne infans puero cedit, puer pubenti, pubens adolescenti, adolescens iuueni, iuuenis viro, vir seni, senectus morti? Sanitas incerta, infirmitatibus obnoxia, robur mortis expugnabile per occasiones plurimas sensuũ integritas humoribus vitiosis facilè corrumpitur. Iam quanta sit in rebus externis obscuritas quis nescit? Ingentes opes sæpe vna dies abstulit; multi honoratissimi antea, versis rerum vicibus in contemptum

venerunt, cum ignominia imperia Regum maxima breui temporis momento submersa sunt. Fidem meis verbis astruit Dionysius in Corintho quódam Tyrannus Ciciliæ, mox pulsus, & Corinthum profugus literatot factus è tanto principe, &c. quę prosequitur, quibus mortem rerum felicissimarum demonstrat. Qua de re Quintil. Declam. 3. Omnis nos hora per tacitos, fallentes cursus applicat fato, &c. & Pers. Satyr. 5. *Viue memor lethi, fugit hora, hoc quod loquor inde est*, &c.

Exod. 38. num. 8. Exod. 38. fecit Moyses, *Labrum æneum cum basi sua de speculis mulierũ, quæ excubabant in ostio tabernaculi*, vbi Hebraicè habetur: *Fecit conchã æream, & basim eius æream in speculis conuenientium*: & quia hac in re tam multis tam ex Iudæis, quàm ex nostris erratum est, labrum illud, siue concha, erat vas quoddam magnum, in quo ablueretur Sacerdotes antequam ad sacra accederent, quod æneum erat, factúmque est de speculis mulierum, non de tegumentis speculorum, vt multi putant, inter quos est Abul. ibi quæst. 4. Qui putat specula, de quibus ibi est sermo fuisse vitrea, fallitur tamen: nam olim non erant vitrea specula, sed ænea, aut stannea, argenteáve, metallo diligentissimè terso, & perpolito, vt optimè imagines reddere posset, & Plin. lib. 33. cap. 9. & lib. 34. cap. 18. Autor est, optima apud maiores fuisse brundusina specula ex stanno, & ære facta, postea prælata fuisse argentea. Vsum igitur dicti labri

Exod. 30. num. 19. apponit sacer text. Exod. 30. *Missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas, ac pedes.* vbi notandum, quòd non in labro lauabant pedes, sed ex eo, vt est in Hebræo, per fistulam aliquam extrahebant aquam, vt annotauit Caiet. & videre est in figuratis Bibliis, quando igitur accedebant Sacerdotes immolaturi se priùs lauabant, & purificabant, & veluti in speculo præspiciebant se ipsos in terso, ac perpolito ære labri reddente imagines, vel etiam poterit esse sensus magis ad præsens argumentum, quem cit. Abul. probare videtur, quod factum fuit labrum æneum de speculis mulierum, idest, quod in circuitu labri affixa erant specula, in quibus Sacerdotes contemplari possent maculas vultus, ac habitus ad tergendas, & abluendas, & dicebatur labrum æneum factum de speculis mulierum, non quod specula essent materia illius, sed quia erat labrum circundatum his speculis, & hæc erant specula mulierum, quia illæ ad hunc vsum ea contulerant. Loquens autem Philo lib. de Migratione Abrahæ de his speculis ait, vt sacrifici, dum manus, pedésque abluunt, idest, opera quibus insistit animus, se ipsos speculentur admoniti ab speculis, ex quibus labrum factum est, atque ita nullam turpitudinem relinquant in anima. Instar igitur huius labri veteris tabernaculi in nostris etiam templis sepulchra sunt mortuorum iuxta illud Ecclesiast. 36. *Memor esto indicij mei, sic enim erit & tuum, mihi heri, tibi hodie.* Vbi Lyran. Vitâ functum hominem loquentem asserit, & veluti speculum nostram nobis imaginem reddere, vt commonefacti de puritate acquirenda curemus, quo melius Sancta sanctorum ingredi promereamur. Eccles. 36. n. 23.

TEXTVS

TEXTVS II.

Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium: non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. Num. 2. & 3.



Refert adhuc Ezechias quid morbo pressus, & morti vicinus dixerit. Sed quomodo hæc verba sint intelligenda non conueniunt sacri Interpretes; primò enim Iacob de Valentia, & interrogatione, & indignatione putat esse intelligenda. Sunt qui existiment his verbis indicari timoré, quo angebatur Ezechias ne propter sua peccata visurus minimè esset Deum in terra viuentium, id est, cœlesti patria, ita Haym. indicat Hierony. Theod. & Hugo, tenet Dionys. Ianson. & Greg. de Valentia, probarique potest cum Carthus. ex illo Ps. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*, seu, *vitarum*, vt habet veritas Hebræa, quod explicat Aug. Serm. 25. de Verbis Apost. in principio, vbi similiter de beatitudine intelligit illud Psalm. 141. *Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium*, sic verò habet. Ipse, qui spes nostra est in terra viuentium, iubet vt vos alloquamur in hac terra morientium; vbi vides Augustin. appellare terram viuentium beatitudinem cœlestem, quod etiam habet Hieronym. Epist. ad Dardanum; & Ludouic. Legion. de Beatitudine explicat dictum locum Psalm. 26. Ratióque videtur suadere, vt per terram viuentium Patriam superiorem intelligamus; nam sicut dixit Bernard. Serm. 17. in Psalm. *Qui habitat*. Ibi verè viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis: ibi dies boni, vbi interminabilis longitudo

Psal. 26. nu. 13.

Ps. 141. nu. 6.

dierum. Faciunt & pro hac sententia verba, quæ sequuntur, *Et habitatorem quietis*, quæ sic eleganter explicat Iansonius. Non videbo societatem Sanctorum, vt vnus homo in æternæ vitæ quiete cum summa pace degentium; de qua quiete Isaias. cap. 32. num. 18. *Sedebit Dominus in pulchritudine pacis, & requie opulenta*; sed *in infernum*, vt ait Iob, *Descendet anima mea, putas ne ibi erit requies mihi?* quasi dicat, nequaquam.

Sed illud imprimis huic expositioni obstat, quòd cum téporis post mortem, Deum vidare minimè licebat; accedit quod ibidem subditur; *Non aspiciam hominem vltrà, &c.* quod ad homines in terra degentes referendum videtur. Facit etiam quòd terra viuentium, non pro illa sumitur, sed pro regione hac inferiori viuorum, vt patet ex Psalm. 51. *Propterea Deus destruet te in finem, & euellet, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuã de terra viuentium.* Psal. 51. nu. 7. Insuper & hoc contra dictam interpretationem facit, quod certò futurum proponitur id, quod Ezechias hîc asserit, idque indicat verbum, *dixi*, id est, pro certò habui, & mecũ decreui, ac statui futurum: at verò non sic Ezechias vitam instituerat; vt pro certo apud se statueret cariturum in perpetuum diuina visione, imò cum ab Isaia mortis nũcium accepit, vt Dominum ad miserendum adduceret, recta opera, neque vulgaria merita Deo proposuit dicens: *Memento quomodo ambulauerim* Isai. 38. nu. 3.

rim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis feceris, Isai. 38. vbi Forer. ait: hoc verè dicere paucorum est, quid optabilius hac conscientia in homine iam iam morituro? quòd eo magis mirandum est, quòd Rex est. O felicem virum, quem tunc nulla perpetratorum scelerum memoria diuexabat! Sic ille. Quî igitur fieri poterat, vt tam benemeritus vir affirmaret sibi in æternùm carendum esse diuina visione? Vnde Dionys. præsentiens hanc obiectionem dixit, Ezechiam hoc in loco non asserendo, sed metuendo, & formidando fuisse locutum; contrarium tamen probat affirmatiuum verbum, *dixi*, quòd constans, & determinatum dicit propositum, sicut plerique legunt illud Cant. 3. *Dixi, surgam, & circuibo ciuitatem*; vt videre est apud Sanch. ibi, qui ait: porrò illud, *dixi*, eam significat in suscepta cognitione constantiam, vt obuia quæque impedimenta, & aggrediatur alacriter, & strenuè superet. *Cant. 3. nu. 2.*

Alij vt Hugo, Vatabl. Palat. & quidam Hebræorum Magistri intelligunt opera Dei illustria, quæ quotidie operatur, & in posterum sperabatur facturus populo suo, vt promiserat cap. 37. Sic verò habet Vatabl. *Non videbo Dominum*, id est opera Domini cum ijs, qui viuunt in hac terra, quasi dicat. Vbi ex hac vita discessero, non potero videre opera illustria, quæ Deus facere solet in hoc mundo, vt illum laudem. Hæc quidem sententia improbabilis minimè videtur ex eo, quòd cohæreat cum temporum serie, quando Deus promiserat multa mirabilia de cæde, fugáque Assyriorum, vel si facta iam erant de similibus, & de libertate populi Iudaici, ac de quiete illius; vnde Theodoret. habet: non adhuc videbo in hac vita mirabilia Dei opera ad hominum salutem facta. Sed ad probabiliores expositiones accedamus. *Num. 6.*

Ea igitur censenda est de salute per Christum tribuenda, & de Aduentu Messiæ, & de rebus magnificè ab eo gerendis, vt hoc Ezechias votis omnibus expetijsse intelligatur, Dei filium hominem factum; nam Ezechias sicut aduertit Valent. Sciebat ex Scriptura, & ex promissione facta Dauid 2. Reg. 7. ex interpretatione Psalmorum, quos illi exponebat Isaias, & alij Magistri, qualiter Messias in lege promissus erat nasciturus de genere Dauid secundùm carnem, per Salomonem, & successores eius, & sic expectabat, & exoptabat ipsum de sua progenie, quod Ezechiæ Regis desiderium, & aliorum quoque Prophetarum Christus Seruator in Euangelio indicare videtur, cùm ait: *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quod vos videtis, & non viderunt*, Lucæ 10. Qui locus rectè intelligitur à Cardinal. Toleto: ibi, Annot. 24. §. In hac parte: de visu corporeo, & de auribus similiter corporis, quoad eos, qui in eum credebant, vel etiam quantùm ex parte beneficij, vt dicta beatitudo ad eos spectauerit, qui non crediderunt; neque enim ex eo desijt esse maxima beatitudo, & beneficium, nam de visu, & auditu spirituali intelligitur etiam circa multos antiquos Patres; vnde Ioan. 8. dicitur: *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*, & Augustin. in Psalm. 96. ait. Magnam iucunditatem capiebant Sancti Prophetæ, cùm videbant in spiritu mysteria Christi, etiam nondum impleta, at volebant hoc tempore nobiscum viuere, si posset fieri; nam sicut dixit Chrysost. *2. Reg. 7. nu. 14.* *Luc. 10. nu. 24.* *Ioan. 8. nu. 56.*

Chrysostom. homil. 7. in Ioan. vbi dicta verba Christi exponit, pars felicitatis est cognoscere suam felicitatem. Vnde ne discipuli abuterentur eà, conuersus ad eos dixit: *Vobis datum est audire à me, & familiariter quod multis Prophetis denegatum est.*

Hinc est quod Genes. 49. Christus dicitur, *Desiderium collium aeternorum*, quia à maioribus, & illustrioribus viris illius temporis desideratus est. Pleni que sunt libri Psalmorum, & Prophetarum hoc desiderio, ex quo rectè Irenæus lib. 4. cap. 24. Deducit fidem Christi in antiquis Patribus, dicens: Si desiderarunt videre Dominum, igitur credebant in eum, fidémque Aduentus ipsius habebant.

Gen. 49. nu. 26.

Facit & pro hac expositione versio LXX. quæ habet, *Nequaquam vltra videbo salutare Dei in terra viuentium*; quod possumus explicare ex Isai. cap. 52. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*, qui locus de Messia Seruatore ab omnibus intelligitur, qui salutare Dei est, & creditur; & cùm de Christo videatur intelligendum desiderium Ezechiæ; non est cur ad alias expositiones deducendus sit hic locus.

Isai. 52. nu. 10.

Hæc igitur expositio est Diui Bernard. Hug. Theodoret. probatur à Sanctio, hic & Agell. & alijs, nec ab hac exponendi ratione discedit Eusebius cùm ait: illud præterea, quæ dicta sunt, mœrore afficiebat Ezechiam, quòd nullus ex suo semine superstes erat, cùm adhuc nullus ei natus esset filius, quo tempore hæc dicebat; ergo quia sine liberis discessurus erat, & nullum successorem relinquebat, ex quo salutare Dei ortum iri inter homines expectaret, iure lugebat, à serie Natiuitatis Christi ex semine Dauid futuræ suam posteritatem exclusam dolens. Sic ille, cui accedit Leocastro.

Assertorem huius expositionis video Pint. etiamsi non tam sibi stare videatur, cùm ait: Cùm Rex Ezechias intelligeret filium Dei ex semine suo esse carnem sumpturum, & videret se absque filijs è vita migrare, ait, si filium non relinqueret non visurum Christum in æterna beatitudine, quoniam illuc ascendere non poterat, nisi Christus eius Ianuam sanguine suo aperiret, est enim Christi sanguis, vt verbis D. Hieron. vtar Epistol. ad Dardan. Clauis Paradisi. Et volens Ezechias significare se loqui de Christo subiungit: *Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis*; ac si diceret, si ita discessero è vita, non videbo Deum factum hominem, qui est habitator quietis, & æternæ beatitudinis, & iuxta LXX. *Salutare Dei*, vnde & quem Deum vocauerat, nunc hominem appellat, quoniam Christus est verus Deus, & verus homo, & ipse est gloriæ, & quietis veræ habitator: nam in hoc mundo nulla est vera gloria, nulla vera requies. Sic ille, qui modo loquitur de beatitudine, deinde de visione Christi in terra, proindéque & hanc, & sequentem expositionem ex parte videtur amplecti. Hæc expositio satis probabilis est, & cùm Christi tempora respiciat, nullatenùs improbanda.

Communis tamen, eáque planè expositio literalis est, vt Ezechias desperet videre Deum in Templo, ageréque cum illo, qui ex propitiatorio loqui credebatur, & responsa reddere; est enim vsitatissimum vt ex re contenta continens denominetur, id est, ex Deo Templum eius, sicut apud profanos Dys, aut

aut Pluto pro inferno, & Hucalego pro eius domicilio sæpè ponitur, & in re sacra nos dicimus ire ad Diuum Franciscum, id est, eius Templum, & Ianus, Minerua, & Apollo pro corum phanis sumuntur, ita igitur hoc in loco videre Deum sumitur pro Templo, ita Iansen. Ferer. Lyran. Adam. Agel. Sà, Sanch. Palat. & Lorin. in Ps. 36. Vt alios omittamus, planéque ponitur à Ionatha Paraphr. Chaldæo, & vt solent Septuaginta facere cuiusdam Religionis causa, sicut benè aduertit Agell. mutauit illc dicendi formam, ac pro eo, quod est, *Non videbo Dominum Deum*, dixit, *non videbor*, seu non apparebo ampliùs coram Arca Domini in terra Tabernaculi eius, in quo est vitæ longitudo. In eadem sententia sunt, qui legunt; *Non adhuc sacra faciam ad nomen Domini in terra viuentium, vt viuentes solent*, nam de mortuis dictum est Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine*, eo scilicet modo, quo te laudant per corpus, peracta laude, qui viuunt in corpore; ideóque Forer. hoc loco ait, Ezechias malè habebat quòd visione Tabernaculi priuaretur per mortem; sciebat enim eo tempore mortuos diuina visione non frui, sed expectandum esse Redemptoris Aduentum in regione mortis, & terra obliuionis, cui præferebant sancti viri hìc viuere, & laudare Deum, at nunc longè diuersa est ratio; cupiunt enim dissolui, & esse cum Christo, & hoc meliùs iudicant esse.

Ps. 113. nu. 17.

Quia verò plerique vim faciunt in verbis illis, *In terra viuentium*, præter id, quod diximus in refutanda prima expositione, aduertendum est, hoc nomine appellari terram promissionis, & maximè Hierusalem, vt videre est apud Ezech. cap. 26. & 32. Hæc quidem terra cæteris præstabat regionibus copia, bonitatéque necessariorum ad vitam, salubritate etiam Cœli, ac Soli, vt ostendimus ad Cantic. magnum Moysis. Proindéque terra viuentium satis accommodatè dici poterat, id est, ad viuendum accómodatissima, ibi etiam habitabant cultores Dei viuentis; hoc enim proprium Dei epitheton est, vt patet ex Epistol. ad Hebræos, cap. 10. & 12. Viuus item dicitur Ps. 41. Et immortalis. 1. Timothe. 1. Proindéque viuentium dici poterat ea terra, vbi cultores Dei viuentis habitabant; *Qui enim adhæret Deo vnus spiritus fit cum eo*, sicut dixit Paulus 1. Corinthior. 6. Extra verò hanc terram homines degebant, qui quòd mortuos colerent, mortui iure dici debent, potiùsquàm viui, viuentésve; similes enim fiunt qui faciunt idola, & omnes, qui confidunt in eis Psalm. 113. Denique illius terræ homines instituti erant Religione Dei viuentis habere spem vitæ æternæ, & resurrectionis, propter quam causam Deus appellabatur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, non mortuorum, & viuentium, sicut argumentatur Christus Dominus. Matth. 22.

Ezec. 26. nu. 20. & c. 32. nu. 23. 24. 27. & 32.

Hebr. 10. n. 31. & c. 12. nu. 22.

Psal. 41. nu. 3.

1. Tim. 1. nu. 17.

1. Cor. 6. nu. 17.

Ps. 113. nu. 8.

Mat. 22. nu 32.

Non aspiciam hominem vltrà. Qui de Christo intelligunt hæc verba, referri habent ad illum hominem, qui Deus etiam erat, & caput constitutus est viuorum & mortuorum, factus homo propter nos homines, qui cùm fuerit homo, peccatum hominis non admisit, neque in eo inuentum est, qui solus habitator est quietis, & beatitudinis immobilis, & inuariabilis, quia ab instanti suæ incarnationis beatus redditus inamissibilem possedit felicitatem, & quietem in eo, qui solus potest

nostrum satiare,& quietum reddere appetitum,& voluntatem.

Sed in communi sententia, quam approbauimus,sensus horum verborum est,*Non aspiciam hominem vltra*, idest, moriar, & non ero deinceps consors conuictus, & societatis humanæ,quod elegãter exposuit Theodoret. Alienus factus sum à viuentibus, & peregrinus à cognatis meis: nam aspicere homines periphrasis est valetudinis confirmatæ, atque publici,& ciuilis conuictus,sicut bene aduertit Pined. in cap.33.Iob.ibi *Respiciet homines*, idest, lætus,& adepta valetudine, conuersabitur, cõuiuet,& colloquetur cum eis, vnde & Rabbi Dauid acutè vertit, *ibit ad homines*, & Chald. *diriget se ad filios hominum*, quod egregiè conuenit homini liberato à morbo, qui recuperata salute regreditur ad conspectum populi sui, & communem amicorũ, & hominum conuictum, vnde noster Ezechias hoc eodem cap. post hoc Cant.ait. *Quod erit signum, quia ascẽdam in domum Domini?* Et dictum est illi ab Isaia 4.Reg.20. *Ecce sanaui te, & die tertio ascendes in templum Domini*. Tunc igitur aspexit homines,& allocutus est eos, quod ipso hoc in loco desperans lacrymatur cùm ait, *Non aspiciam hominem vltra*, vbi singulare est pro plurali; sicut plerumque fit, qua de re nos plura diximus ad Cant.Exod.15.ibi:*Equum,& ascẽsorem eius proiecit in mare*.

Iob 33. num.27.

Num.22.

4. Reg. 20.n.5.

Habitatorem quietis.In Hebręo est: *Cum habitatoribus saeculi*,& LXX. hoc ipsum nomen Hebræum, quod hoc loco est, *Hadel*,paululũ immutatum per metathesim, & transpositionem in *Haled*,verterunt: Orbem Psal.48. *Auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem*; quo in loco putant Hebræi significare caliginem, idque potest confirmari à L X X. qui hoc in loco verterunt, *defecit*, & ita etiam legit Hieron.significat autem verbũ Græcum,non cuiuscunque rei defectum, sed propriè luminis, idque significare voluerunt dicti interpretes. Luminis porrò defectus obscuritatem gignit, & caliginem, vnde hic sicut obseruat Agell.posset dici,*Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem caliginis*; nam qui in hac vita sumus, tanquam in densissimis tenebris versamur,& in profundo degentes, nocte cæca,& tenebris mergimur. Hoc tamen verbum,*defecit*, Chaldæus Paraphrastes,& L X X. sequenti versui addiderunt, dicentes, *defecit à cognatione mea*,hoc est, nullus redditus est meæ cognationis,lucerna,scilicet,ex mea cognatione extincta est,ac defecit, lucernæ siquidem nomine consueuit Scriptura filium, & successorem intelligere,vt patet 2.Reg.21. & 3.Reg.11.& 15.Vel potest referri hic defectus ad illam lucem, *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.Ioan.1.Vt sit sensus, defecit ex cognatione mea illa lux, vt nulla mihi spes reliqua sit fore vt ex ea tanquam sydus fulgentissimum eluceat, & prodeat vera Messiæ lux: itaque nomine quietis, vel intelligitur terræ Orbis, vt diximus, aut sæculum, mundúsque inferior,& ita quidam è Recentioribus vertunt,*Non aspiciam hominem vltra cum habitatoribus orbis*, idest, quia desinam esse cum habitatoribus Orbis, hominem non videbo, & ita habitator Orbis idem est atque homo,& quietem appellat futuram profligato Senacheribo, & reddita pace, quam pollicitus fuerat Dominus.

Psal.48. num.1.

2. Reg. 21.n.17. 3. Reg. 11.n.36. & c.15. num.4. Ioann.1. num.9.

ANNOTATIO I.

Quanti æstimanda sit Dei visio, & quàm graue damnum sit illius carentia.

VNicus, & vltimus finis noster supernaturalis à Thomistis cõstituitur Deus beatificè possessus, vt videre est apud D. Thom. 1.2. quæst. 1. artic. 1. & apud Magistr. in 2. distinct. 38. est siquidem bonum perfectissimum complectens totam bonitatis latitudinem, in quo appetitus noster planè satiatur, sicut prosequitur Augustinus 15. de Ciuitat. cap. 1. Quia verò probabilior ea videtur sententia, quæ beatitudinem formalem in vna tantùm operatione collocat, pro intellectu modo iudicamus, ita vt Deus clarè visus beatitudo nostra sit, quæ est sententia August. 1. de Trinit. cap. 8. 9. & 13. & libr. 13. de Trinitat. cap. 5. vbi ait, beatus qui habet quidquid vult, & nihil mali vult. Itaque vita non est amare quod habes, sed habere quod amas; idem habet Epistol. ad Paulinum de videndo Deo, & libr. de spiritu, & anima, cap. 57. multa item habet libr. de spiritu, & lite, cap. 22. Idem scribunt Gregor. homil. 14. in Ezech. & Bernard. serm. 5. de Assumptione, Philosophosque omnes pro hac sententia congerit, August. Eugub. libr. 10. de perenni Philosophia, videturque apertè con-
Ioan. 17. num. 3. stare ex illo Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum*; quem locum plures ex Patribus explicant de beatitudine pa-
Ioan. 14. nu. 31. & n. 8. & 9. triæ ex illo Ioan. 14. *Manifestabo ei meipsum*, & ibidem, *Ostende nobis patrem*, & 1. Corinth. 13. *videbimus eum sicuti est.* 1. Corint. 13. n. 12.

Ex quibus iam constat quo fundamento verba nostri text. ad beatitudinem referamus, quæ in visione Dei essentialiter consistit, vt Ezechias id maximè videatur dolere, quod, scilicet, in terra viuentium Deum minimè visurus sit. Sed cur doleat beatitudinis carentiam, ex bonis, quæ in illa beatis contingunt innotescet, quæ vtcunque hoc in loco explicanda duximus, illud præ oculis habentes, quod cùm eius generis sint, quæ auris non audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, qua de re August. de Symbolo ad Catechum. lib. 3. cap. 11. faciliùs possumus dicere in illa vita quod non sit, quã quod sit. Similiáque habet Bernard. serm. 4. de omnibus Sanctis ad med. optiméque Cęsarius Arelatens. hom. 30. post principium; pro vita ista, inquit, dabit Deus illam vitam, quam consequi vtique est faciliùs, quàm enarrare: cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, refectio sine cibo, adiutorium sine defectu, requies sine nocte, otiositas sine senio, indeficiẽs sub vultu Dei claritas, & sub antiquis, perpetuísque gaudiis semper noua iucunditas, & sine vllo amittendi periculo felicitas. Sic ille, cuius singula si prosequamur extra chorum minimè vagabimur.

Cursus igitur beatitudinis sine termino est ad differentiam mortalis vitæ, & huiusmodi cursus, qui metam præfixam habet, imò & perfectio humani huius cursus consistit in agnoscendo, & obseruando terminum, quem transgredi non liceat: quod eleganter prosequitur August. 2. de Ciuitat. cap. 6. vbi ex Persio Satyr. 3. ait.

Discite ô miseri, & causas cognoscite rerum.

Quid

Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ, quàm mollis flexus, & vnde?
Quis modus argenti, quid fas optare, quid asper
Vtile numus habet patriæ, carisq; propinquis;
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Iussit, & humana qua parte locatus es in re.

Vbi metam, limitem, & terminum in omnibus monet, sumpta metaphora à metis, quæ in circo ludis Domitianus imposuit ne amplius currerent cursores, sicut Sueton. in eius vita scribit, summáque ars habebatur in equis, rotísque flectendis, vbi ad terminum peruentum erat, quo spectat illud Horat. in principio odarum.

Sunt qui curriculo puluerem Olympicum collegisse iuuat,
Metaq; feruidis euitata rotis, palmaq; nobilis euehit ad Deos.

Nam in Græcia certaminibus cursores quidam erant, quibus non sat erat ex lege certaminis peruenisse ad metam, nisi recurrerent illò vnde venerant circumactu celerrimo vbi metam pertingerent; & in Naumachia etiam metæ constituebantur, ad quas subitò nauis esset conuertenda, vnde Virgilius 5. Æneid. dixit.

Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit signum nautis pater: vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere cursus.

Plura hac de re habet Iacob. Pamel. in libr. Tertull. de spectaculis, num. 202. Has igitur metas, terminósque ad mores deducunt prædicti Auctores, metásque præfixas docent in omnibus vitæ cursibus, quod etiam fecit Seneca libr. 1. de Tranquillitate vitæ, vbi ait; non in cursu tantùm, circíque certamine, sed in spatiis vitæ interiùs flectendum est: nam cùm omnia in vita terminum habeant, in vitæ cursu seruandus est, & minimè transiliendus; quod etiam dixit Cicer. 1. de Orat. si infinitus forensium rerum labor, & ambitionis occupatio decursu honorum, etiam ætatis flexu constitisset, &c. Aptius hoc dixit pro Marco Cælio, & per eandem metaphoram; in hoc flexu quasi ætatis; nihil enim occultabo fretus humanitate, ac sapientia vestra, fama adolescentis paulùm hæsit ad metas notitia mulicbri, & infelici iuuentute; metamque argenti assecutus Socrates apud Platonem in Phædone ait. O amice Pan, & cæteri Dij! date obsecro vt interius pulcher efficiar, quæque mihi exterius addita sunt internorum sint amica, solum sapientem diuitem existimem: vsus verò auri tantùm elargimini, quantum nec sustinere, nec gestare alius, quàm vir temperans queat.

Terminum igitur in possidendis, & dirigendis bonis debemus proponere, quia secum & constitutum, & à Deo habent, quem si transgredi contingat, potiùs mala, quàm bona esse experiemur, quod optimè ostendit Bernard. serm. de Primordiis, &c. vbi ait: comedere appetis quia fames te cruciat, vtrumque labor est, sed quia fames grauior magis, comedere nescis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit vide si non grauius ducis comedere, quàm esurire. Sic se habent vniuersa sub Sole, vt nihil sit in eis verè iucundum, sed ab vno velit semper transire homo ad aliud, soláque vicissitudine reue-

letur vtrumq; ac si prosiliat ab aqua in ignem, & inde rursus in aquam resiliat, vtpote qui neuttam ferre possit, omnis siquidem laboris remedium alterius laboris initium est. Sic ille ostendit præfixum terminum in omnibus vitæ bonis, ac vna re, termino, & fine prorsus carentibus, quod perpetuam varietatem, & mutationem subeat.

Describit Ezechiel pulchritudinem, & decorem Tyri, metaphora sumpta à naui, cuius ligna, hastilia, veláque electissima proponuntur Ezech. 27. Illud tamen inquirendum est, cur omnia paramenta adfuerint nauiganti naui, sola defuerit anchora, cùm prima foret apponenda, qua, scilicet, iacta vbi opus esset, sisteretur? Credo equidem quod cùm volatica sint gaudia sæculi, & nullibi penitus consistant, aut permaneant, ideò non adhibetur anchora naui, quæ nullum petit portum, & in nullo statu permanet. At verò vnicum illud bonum, quod in Patria videtur, tantæ perfectionis est, vt ea, quæ in eo, siue formaliter, siue eminenter sunt, etsi ex natura rei sint vnum, & idem essentialiter, & realiter, virtute tamen plura sunt, quod prouenit ex infinita perfectione, & actualitate Diuinæ Essentiæ, quæ licèt actu vna sit, & omnia in quadam eminentiali vnitate contineat, virtualiter distinctionem admittit inter quę actu, siue realiter, & essentialiter vnit: quæ distinctio iam solet appellari formalis virtualis, ratione cuius, & intellectus diuinus, & noster plures in Deo cognoscunt perfectiones, inter quas constituunt rationes formales distinctas, distinctásque intelligibilitates, ita vt quod vni perfectioni conceditur, negetur alteri: nam Filius non gignitur voluntate, sed intellectu, Deus non punit misericordia, sed iustitia, nec hominem creat per ideam equi, sed hominis. Quare, etsi diuina Essentia sumpta in actuali vnitate suæ entitatis est vnum formale ens, & vna formalis, & actualis intelligendi ratio, virtute tamen continet plures entitates, & plures formales rationes. Hinc est quod Essentia diuina in sua eminentiali vnitate, actualique perfectione ab intellectu creato concipi non potest adæquatè, quia in ea continentur infinitę perfectiones diuersarum rationum: bene tamen inadæquatè secundùm plures, aut pauciores perfectiones. Imò singulæ perfectiones, quæ in Deo sunt, latitudinem etiam habent intensionis, quia per se, & sigillatim sumptæ, habent infinitam perfectionem, veluti intensionis: vnde magis beatus distinguitur à minus beato penes maiorem penetrationem perfectionis eminentialis, secundùm plures rationes intelligibiles, quas tamen nullus omnino intellectus peruestigabit, aut totaliter assequetur; & ratio est, quia in vtrisque datur infinita latitudo quoad extensionem, & intentionem; & iuxta hæc intelligẽdum est axioma Theologorum, beatos, scilicet, Deum videre totum, non totaliter.

Ezech. 27. n. 4.

Neque est quod hîc aliquis dicat beatos dici comprehensores, iam verò illum dici rem comprehendere, qui eam cognoscit quantum cognoscibilis est: nam sicut aduertit D. Thom. 1. part. quæst. 12. artic. 7. comprehensio in beatis sumitur vt opponitur insecutioni; est enim apprehensio, tensio, & consecutio eius, quod insequimur, comprehensio dicitur, & hoc modo beati dicuntur comprehensores, iuxta illud Pauli ad Philip. 3. *Sequor autem si comprehendam*, & 1. Corint. 9. *Sic currite vt comprehendatis*: alia enim comprehensione de fide est Deum non esse comprehensibilem, & licèt seipsum comprehen

Philip. 3. num. 12. 1. Cor. 9. num. 24.

prehendat, sui tamen terminum, metam, aut limitem non attingit, cùm nullis limitibus definita, & inclusa sit diuina perfectio, sed ita se comprehendit, vt actus, perfectióque Diuinæ essentiæ, cognitionis Diuinæ actum non excedat, sed vtraque alteri ex æquo respondeat, qua de re benè locutus est Durand. in 1. d.35.q.1.

Et vt iam secundùm nostrum institutum rem præsentem vtcúmque aperiamus, notandus venit ille locus Prouerb. 8. vbi loquens Diuina Sapientia de prima mundi conditione ait se omnibus affuisse. *Quando præparabat cœlos, quando certa lege, & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, &c.* Mirum sanè cur rebus omnibus inferioribus terminum, mensuram, & pondus præscribens Diuina Sapientia, cœlos nullatenus asserat, aut dimensos, aut pondere libratos, aut termino præfinitos: fortassis id ita factum est, vt veluti ex materiali conditione Cœlorum, & ex contento, mente ascendamus ad ea, quæ in Cœlorum habitaculo contingunt, contemplemúrque bonum, quod ibi conspiciendum se præbet, nullam mensuram sortiri, nullo termino concludi.

Prou. 8. nu.27.

Quòd si quis obiiciat illud Luc. 6. vbi nobis ad mensuram solutio promittitur, primò videndum est qualis ea mensura fuerit, quæ potius sine mensura est; sic enim habet sacer Text. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Deinde etiam & illud addidimus, quod rectè aduertit Gilbertus ser.7. in Cant. quòd mensura est ex parte nostri; cùm bonum sine mensura sit ex parte Dei, vt iam ex principiis Theologiæ ostendimus, sic verò ille habet. Vobis immensitas dispensatur in mensura, nam in se immensa est, non ait replens, sed supereffluens. Si ergo mensura capi non potest, immensitas ipsa quando capietur? Explicátque in hanc sententiam illud Cantic.3. *Paululum cùm pertransissem eos, inueni, quē diligit anima mea.* Vbi duo notanda sunt, & quod post paululum transiit, cætera namque à Deo, quia angusta sunt, & breui termino conclusa, facilè pertransiri possunt, at Deum nullatenus possumus pertransire, cùm nec ad finem peruenire possimus. Sic verò ille habet; eam pertransisse illos, quod nisi pertranseat illos, quorum, & scientiæ est vnus, & naturæ modus: ille verò, qui quæritur magnus, & immensus, & non æstimabitur alius ad illum. Reliqui omnes pertransibiles sunt, solus ipse pertransiri non potest. Denique dicit Eccles. 34. *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini.* Transite, inquit, ad me, non pertransire, quonam enim modo pertransiri potest, quod immensum est, quo pacto pertransiri poterit, quod nec capi plenè potest? Denique nec sponsa pertransire vult, sed dicit, *Tenui eum, nec dimittam illum, &c.* & D. Bern. tract. de Diligendo Deo in med. hac eadem mente velle videtur cum Paulo, vt homines omnia mundi bona sigillatim experiantur, ad percipiendum longissimum discrimen inter diuinum bonum illimitatum, & creatum quodlibet breui termino circumscriptum. Hinc arbitror, inquit, dictum (1.Thessal.5.) *Omnia probate, quod bonum est tenete*, vt videlicet ille tunc prouideat, nec is suum votum nisi ad illius iudicium consequatur. Quando etenim apprehendent

Luc.6. n. 38.

Cant. 3. nu.4.

Eccl. 34. nu.36.

1.Thes.5. nu.21.

dent, quem apprehendere nisi post omnia nolunt? Qui diligit pecuniam, non satiabitur pecuniâ, qui autem esuriunt, & sitiunt iustitiam, ipsi saturabuntur. Denique si famelicum hominem apertis faucibus vento inflatis haurire buccis aërem cernas, quo quasi consulat fami, nónne credas insanire? Sic non minoris insaniæ est si spiritum rationalem rebus putes quibuscumque corporalibus non magis inflari, quàm satiari; quid namque de corporibus
Ps. 107. *nu.*1. ad spiritus? *Benedic anima mea Dominum, qui replet in bonis desiderium tuum*, Ps.107. replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono: præuenit, sustinet, implet. Ipse facit vt desideres, ipse est, quod desideras, ipse creat affectionem, desiderium ipse consumat. Se dedit in meritum, se seruat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captiuarum. Ex quibus constat qua ratione Cæsar Arelat. dixerit in Cœlo esse cursum sine termino, quantumcumque enim quis ibi mente currat, aduolet, & penetret, terminum haud inueniet, cùm multò plus semper decurrendum, inuestigandum, & intelligendum restet.

Est ibi esus sine fastidio, nam qui edunt in mensa Cœlestis Regis, adhuc esuriunt, & qui bibunt, adhuc
Eccl. 14. *nu.*19. sitiunt Eccles. 24. quia recens est semper, ac noua, & sine fastidio, tædióve lætitia, tantóque velut impetu, & quasi nouo desiderio in illius obiecti perceptione versantur, & feruntur beati, ac si tunc primum inciperent. Qua de re optimè Greg. 18. Moral. cap. 28. post med. conciliat, & explicat duo loca, quæ videntur inter se opposita; nam Pe-
1. *Pet.* 1. *nu.*12. trus 1. Epist. cap. 1. ait, *In quem desiderant Angeli prospicere*, siue *in qua*, vt Syriac. & fermè omnes Græci Patres, & expositores legunt, vt Ephræm sermone de Armatura spirituali, & Irenæ. libr. 4. cap. 67. potéstque referri ad bona cœlestia. Alius locus est Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris*: oppositio videtur esse quod semper desiderent videre, cùm tamen semper videant. Versans igitur Gregor. priorem locum, *In quem desiderant Angeli prospicere*, ait. Sunt nonnulli, qui nequaquam Deum videre Angelos suspicantur, & tamen dictum per Veritatis sententiam scimus, *Angeli eorum semper vident, &c.* Nunquid ergo aliud veritas, aliud prædicator insonat veritatis? Sed si sententia vtraque confertur, quia sibi nequaquam discordet, agnoscitur. Deum quippe & Angeli vident, & videre desiderant, & sitiunt intueri, & intuentur. Si enim sic videre desiderant, vt effectu sui desiderij minimè perfruantur, desiderium sine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam: Beati verò Angeli ab omni pœna anxietatis longè sunt, quia nunquam simul pœna, & beatitudo conueniunt. Rursus cùm eos diximus Dei visione satiari, quia & Psalm. ait, *Satiabor dum manifestabitur gloria tua.* *Psal.* 16. *nu.*15. Considerandum nobis est quoniam satietatem solet fastidium subsequi, vt rectè vtraque sibi conueniant, dicat veritas, quia semper vident, dicat & Prædicator egregius, quia semper videre desiderant, ne verò sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur, ne autem sit in satietate fastidium, satiati desiderant: Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur, & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque, & nos erimus quando ad ipsum fontem vitæ venerimus, erit nobis de-

lectabi

lectabiliter impressa sitis simulátque satietas, sed longè ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium, quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus. Sic Gregor. ostendit quomodo in illa perpetua satietate nullum prorsus reperiatur fastidium, nullum timendum sit terminum, quod dixit Bernard. de Diligendo Deo inter alia, his verbis. Satietas sine fastidio, insatiabilis sine inquietudine curiositas,&c.

Est etiam ibi refectio sine cibo; nam cùm anima neque comedat, neque bibat, imò nulla re creata satiari possit, inde est quod nullo prorsus cibo alitur, ideóque stultitiæ subnotatur ille, qui animæ suæ dixit Luc. 11. *Anima mea, comede, bibe, epulare, &c.* Vbi Basil. hom. Contra ditescentes ait: O verba stultissima! ô dementiam singularem! nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipse enumetare potuisses? Ita-ne pecuinus es tu? ita bonorum animæ ignarus eam vt excipies carnalibus epulis, & quæ alui secessus recipit, animæ destines? Qua de re plura habentur in nostris annotationibus ad Cantic. Exod. 15. numer. 9. annotat. 6.

Luc. 11. nu. 19.

Hinc est quod beatus ille Angelus veritus ne homines, quibus conuersabatur; putarent illum materiali pasci cibo, dixit Tob. 12. *Videbar vobiscum manducare, & bibere: sed ego cibo inuisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Est igitur ibi refectio sine cibo, sed nõn sine voluptate, & gaudio, quod vt percipiatur à nobis ignorantibus sub nomine cibi, aut conuiuij proponitur: nam sæpenumero *Prandium* dicitur, vt Matth. 22. & Luc. 14. & Apocalyps. 3. *Et cœna nuptiarum*, vt Apocalyps. 19. Aliquando dicitur, *Manducare panem in domo Dei*, Luc. 14. *Edere, & bibere super mensam in Regno Christi*, Luc. 22. Quia verò facilior, & suauior in poculentis voluptas est, quàm in esculentis, sicut notauit Vitalis Cardinalis in speculo morali Scripturæ, verbo, pulchritudo, inde est quòd beatitudo supernaturalis nomine etiam potus significetur, vt Psalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vbi minimè hærendum est in verbo inebriandi, caret enim prorsus vitio crapulæ, & copiam tantum indicat, vt patet ex loco Cantic. 5. *Bibite, & inebriamini charissimi*, qua de re videndus Origen. homil. 1. in Cantic. & Philo Carpliat. in caput 1. Cantic. vbi affert in exemplum Hieremiam de seipso scribentem capite 23. *Factus sum quasi vir ebrius, & quasi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum sanctorum eius*; pluráque habet Augustin. quæstion. 144. in Genes. & Hieronym. in caput 31. Hieremiæ. Est igitur beatitudo refectio, imò & complementum, ac abundantia sine cibo, & potu, sed quæ superet delectationem cibi, & excedat voluptatem potus, horum tamen nomine denotetur.

Tob. 12. nu. 19. Mat. 22. nu. 4. Luc. 14. nu. 16. Apoc. 3. nu. 20. Apoc. 19. nu. 9. Luc. 14. nu. 15. Luc. 22. nu. 29. Psal. 35. nu. 9. Cant. 5. nu. 1. Hierem. 23. n. 9.

Est etiam adiutorium sine defectu, terrena enim bona sic adiuuant, vt vel tandem deficiant, vel aliis desint, dum nobis adsunt, neque enim illius conditionis sunt vt omnibus sufficiant: at cœleste illud, infinitúmque bonum sic adiuuat, reficitque quemlibet beatum, vt nulli omnino deficiat; vnde Paulus 1. Corinth. 9. monet, vt in stadio huius vitæ quantocyus curramus, & decertemus ad promerendum æternum brauium: *Sic currite vt comprehendatis omnes*; hanc enim particulam addit D. Paulinus Epistol. 2. ad

1. Cor. 9. nu. 24.

ad Seuerum, & se exponens subdit, quod in agone terreno contra est, vbi non potest lucta nisi dispari luctantium sorte finiri, vt in vnius gloria alterius ignominia sit; in Christo autem quia multi vnum sumus, omnes vt vnum currimus, & omnium cursorum ad vnum bonum cursus est, &c. Similia habet Bern. Epistol.103. vbi ait, Cœlorum beatitudinem non inuidemus tibi, nec enim communicatur tibi, nobis minuitur: nec nostri proinde termini restringuntur, si & tu regnaueris, quænam verò inuidiæ causa potest esse, vbi sortium magnitudini consortium multitudo nihil detrahit? Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ea sequi, quæ & assequi miserum est; quibus vltimis verbis Diu. Bernard. assignat defectum terrenorum indeficienti beatitudini oppositum; miserum namque est inferiora assequi bona, quæ, vt ipse addit, amata inquinant, amissa cruciant: inficiunt enim potius, quàm repleant, & quia defectibilia sunt, dum deficiunt, maximum inferunt cruciatum, imò, & qui defectum patiuntur, torquentur donec iterum quærant, vel ab aliis auferendo, vel ab aliis accipiendo, qua de re optimè Gregor. 15. Moral. cap.34. ait: Ecce vnde diues superbo corde, & inaniter gaudet, inde pauper alius superbo corde inanius affligitur. In rebus etenim terrenis pauper est diues reprobus, quamuis non pari prosperitate fulciantur; pari tamen anxietate turbantur, quia quod ille iam cum metu habet, iste cum anxietate appetit; & quia habere non valet, dolet. Beatus Iob qui nec habitis rebus elatus fuerat, nec amissas cum anxietate requirebat. Sic ille: Sola igitur cœlestia bona adiuuant, & recreant sine cessatione, imminutione, aut defectu, quia & qui possident, saturantur, & metu amittendi carent, & dum infinitatem contemplantur de defectu securi sunt; & qui inquirunt, in ipsa inquisitione lætantur, & adiuuantur, ideóque merito adiutorium sine defectu dicitur superna beatitudo.

Est etiam requies sine nocte. Hoc habet huius mundi requies, quod in tenebris versetur, vnde mixtam habet tristitiam, & timorem, quorum vtrumque secum afferre consueuit nox opposita æterno diei. Aduertit acutè Chrysolog. quod Euang. Marc. 16. de die resurrectionis ait, *Vna Sabbathorum, &c.* *Marc.16. nu.2.* quod sic ille explicat serm. 79. benè vna, quia resurrectionis dies alteram nescit: lucis æternæ mater, noctis tempus ignorat, perpetuus dies perpetuò illucescit, resurgentium lux mori non potest, lux, quæ noctem delet, nescit extingui. Sic ille describit æternitatis diem, qui lucem haurit ab inaccessibili luce, quam Deus inhabitat.

Nouerat huius Dei lucem qui mortem reputabat quemlibet diem, quo ab illa retardatus superuiuebat huic nostræ nocti, sic ergo de Paulo ait Chrysostom. libr. 3. de Sacerdotio: totidem, vt sic dixerim, mortes pertulit, quot ipse dies post fidem Christo datam vixit. Diem illum nocte carentem sic prosequitur Bernardus sermone 17. in Psalm. *Qui habitat*, his verbis: *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Psalm. 35. *Psal. 35. nu.13.* hæc enim vita, qua viuimus, magis mors est, sed & dies qualescumque huius vitæ pauci, & mali sunt, sicut Sanctus Patriarcha testatur, Genes. 47. Ibi verè viuitur; vbi *Gen. 47. nu.9.* viuida vita est, & vitalis; ibi dies boni

boni, vbi interminabilis longitudo dierum; gratias ei, qui tam, non modò fortiter, sed & suauiter disponit vniuersa, eorum nempe paucitas dierum finietur breui, quorum sufficit cuique malitia sua; vbi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit: *Longitudine dierum replebo eum*, quod priùs dixerat, *Glorificabo eum*, euidentiùs hoc versiculo declarauit: necesse est magna sit glorificatio, & magnifica glo-
1.Petr.2. num.17. ria, *voce delapsa à magnifica gloria*, ait, Petrus 1. Epist. cap.2. Bene magnifica gloria glorificans tam magnificè in longitudine, in multitudine, in plenitudine claritatis. Fallax gloria, & vana est claritas, dies hominum breuis. Sapiens eiusmodi non optabat: *Diem hominis non desideraui: tu scis.*
Hierem. 17.n.17. Hierem. 17. verus dies, qui non nouit occasum, æterna veritas, vera æternitas, ac proinde vera, æternáque satietas. Audi denique quanam gloria ipse glorificet,
Psal. 90. num. vlt. *Longitudine dierum replebo eum.* Psalmo 90. & primò quidem in eo, quòd dierum nomen pluraliter posuit, non vicissitudinem aliquam, sed multitudinem voluit commendare: alioquin si vicissitudinem suspicaris, *Melior est dies vnus in atrijs Do-*
Psal. 38. num. 11. *mini super millia.* Psalm. 38. Euidentiùs audi sine vlla vicissitudine dies
Isai. 30. num. 26. multos: *Erit lux Lunæ sicut lux Solis*, ait Propheta, *Et lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum.* Isai. 30. Et tanquam quæreres vnde erit dies in ciuitate, de qua legimus, subdit, *Quia non lucebit ibi Sol per diem, nox enim non erit in ea: ostendam illi*, ait, *Salutare meum*, vt quemadmodum & in illa Scriptura dicitur, *Lu-*
Apoc.21. num.23. *cerna eius sit agnus.* Apocalyp.21. Sic Bernard. ostendit quomodo in beatitudine sit vera requies sine nocte, vtpote vbi æternus sit dies, veráque & æterna gloria, cùm tamen mundi dies pauci, & mali sint, & perpetua illius nox tenebrarum ignorantiæ, & tristitiæ.

Videndus August. tom.1. libr.50. homil. hom.1. ad finem, cum ponderat illud Psalm. 33. quod est ar- Psal.33.
gumentum dictæ homiliæ, *Quis est* num. 13.
homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos, sic enim habet. Fratres concupiscite vitam, & diligite videre dies bonos, vbi nulla nox erit, vitam, in qua dies malus non timeatur, dies bonos, in quibus nunquam finiatur. Non sunt de hoc sæculo dies illi, non eos habet cœlum morientium, sed terra viuentium, &c.

Neque etiam ibi est timor noctis, quæ apud nos mater timoris solet esse, & totius deceptionis, & erroris causa. Etenim existentes in glorioso die nullam falsitatem admittunt, excludit siquidem beatitudo ab intellectu beati omnem falsitatem, illumque reddit inflexibilem ad omnem falsam existimationem, vt patet ex Diu. Thom. 1. 2. quæst. 5. artic.4. vbi Med. & cæteri scribentes; & 3. contra gentes cap. 68. rat.8. Clarius de beatis Angelis 1. part. quæst. 58. artic.5. ad finem corporis. Communiter ibi tenent cæteri Theologi, & in 2. distinct.7. Quod etiam intelligendum censeo in simplici cognitione, & apprehensione, est siquidem huiusmodi falsitas quoddam malum, & imperfectio intellectus, & occasio errandi; quæ omnia à beatis longè sunt releganda; vnde & ab eis excluditur inconsideratio, inaduertentia, & actus opinatiuus, ex eodem fundamento. Beati itaque in illo fulgentissimo die beatitudinis dicunt illud Isai.26. *Vetus error abijt*; Isai. 26.
vbi Symmach. & Aquil. teste Hie- num.3.
ronymo legunt, *Cogitatio nostra, siue figmentum nostrum firmatum est*,

H quod

quod, scilicet, in varia, & erronea minimè vagetur; etenim qui nocte per lubrica incedunt loca, passim, & vbique prolabuntur, & nos cum in via sumus, & in nocte huius sæculi versamur multiplici ruina cadimus; at vbi firmatum fuerit figmentum nostrum, & quando vetus error aufugerit, cogitatio nostra firmata erit, vt ibi exponit Hieronym. vt non circumferamur vento deceptionis, imò quia cogitatio nostra firmata erit, propterea seruabit nobis pacē Deus, sicut ibi addit Propheta, vbi pax illius diei videtur excludere vniuersum noctis timorem, vt expers prorsus timoris redderetur dies beatitudinis, de quo hic locus Isaiæ plerisque intelligitur.

Aduertit Diuus Hieronym. dupliciter pollicitam ibi pacem, cùm dicitur, *Seruabis pacem, pacem quia in te sperauimus.* Quod Hieronym. ideò factum esse asserit, vt securos redderet beatos duplicata promissione; non solùm, inquit, semel, sed secundo, vt secura sit retributio, quæ duplici sermone promittitur. Securi igitur, sunt beati in cœlo de erroribus, & deceptionibus, quia non in tenebris versantur, sed in luce meridiana sunt, quæ omnem in se colligit vmbram, cùm sua luce omnia perfundat, & illustret.

Est etiam ibi otium sine senio, pro cuius rei intelligentia aduertendum est sanctos resurrecturos in quantitate perfecta cuiusque complexione naturali, vt Theologi docent in 4. d. 44. & August. 22. de Ciuitat. cap. 14. 15. 16. & 20. & in Enchirid. cap. 90. & serm. 147. de tempore, Anselm. in sua Ellucidat. in 4. cap. ad Ephes. Hugo Victor. in eandem Epist. quæst. 25. Nam opus resurrectionis non erit minoris perfectionis, imò maioris, quàm fuerit creationis, vt docet Augustin. 1. retract. cap. 11. sed primi parentes fuere conditi in magnitudine perfecta, cuique naturali, vt docet Magist. in 2. distinct. 17. ex August. 6. de Gen. ad lit. cap. 13. & ibi Theologi scholastici, ergo & beati resurgent in eadem etiam quantitate; vnde sequitur resurrecturos in iuuenili ætate, nam tunc reperitur perfecta magnitudo cuique temperamento naturaliter debita, vt ostendunt Theologi dicta distinct. 44. Hanc iuuenilem ætatem concors Theologorum sententia explicat de anno trigesimo tertio, quia Christus in hac ætate resurrexit, sumitúrque communiter hoc ex Paulo ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*; quæ verba, & si non explicentur communiter de resurrectione, tamen ab August. Anselm. & Thimot. Aquinat. ac plerisque aliis de ea intelliguntur, & sanè accommodarissimè, vt ex serie facti Text. constabit intuenti. *Ephes. 4. num. 13.*

Hæc igitur iuuentus in otio, id est, sine labore, molestiáve aliqua conseruabitur sine senio, absit tamen inuidia à verbo, otiandi: dicitur itaque beatitudo otium, quia requiescunt sancti à laboribus; sicut enim olim non eodem loco Romani & certabant, & triumphabant, præliabantur enim in Hispania, Gallia, & Asia. Romæ verò triumphabant, sic etiam & sancti in terra belligerant, in cœlo triumphant, quod dixit Chrysost. hom. 12. ad Philip. Sursum palma est: non videtis hîc quomodo quos maximè honorant, siue athletas, siue aurigas non in stadio infra coronāt, sed ad superiora vocatos, Rex illic coronat; ita & hic in cœlo accipies palmā, &c. & in hoc sensu etiā Æschilus apud Clem. Alex. 4. Stromat. gloriam filiam laboris appellauit; laborem

qui

qui tulit, ait ille, debetur huic laboris natus gloria; ibi igitur est otium, quia requies, & gloria, ac triumphus, quæ labores, & merita consequuntur.

Vacationem, & veluti otiositatem vocauit Deus sanctorum felicitatem, prout explicat Augustinus 21. de Ciuitat. cap. 30. vbi ad hunc sensum adduxit illam requiem Dei post mundi creationem in die sabbathi, vt nos etiam intelligamus, post labores nostros ad æternam tandem requiem, & otium peruenturos, sic verò habet August. Ibi perficietur: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus:* Psalm. 45. quod erit ibi maximum sabbathum non habens vesperam, quod commendauit Dominus in primis operibus mundi, vbi legitur: *Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit:* Genes. 2. *& benedixit Deus diem septimum, & sanctificauit illum*, quia in eo requieuit ab omnibus operibus suis, quæ inchoauit Deus facere; dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione, & sanctificatione pleni, atque referti, ibi vacantes videbimus, quoniam ipse Deus: nam & ipse bona opera nostra, quando ipsius, potiùs intelliguntur esse, quàm nostra; tunc nobis ad hoc sabbathum adipiscendum imputantur; hoc perfectè tunc sciemus, quando perfectè vacabimus, & perfectè videbimus, &c. Namque si Adamus in Paradiso constitutus terrestri, *Vt operaretur, & custodiret illum.* Genes. 2. nullum laborem, defatigationémve sentiret in tali cultura, imò quælibet operatio tunc illi foret facilis, & iucunda: quod bene prosequitur August. 8. de Gen. ad lit. cap. 8. vbi cùm obiecisset Deum etiam ante peccatum damnasse hominem ad labores, & molestias, subdit, Ita sanè

Psal. 45. num. 11.

Genes. 2. num. 2.

Genes. 2. num. 15.

arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, vt eis magna pœna sit inde ad aliud vocari; quidquid ergò deliciarum habet agricultura, tunc vtique longè ampliùs erat, quoniam nil accidebat aduersi, vel terra, vel cœlo; non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, &c. Nihil itaque fatigationis sentient beati cum perpetua illa sua operatione laudandi Deum, qua iugiter erunt occupati, ita tamen delectati, ac si lætissimo otio fruerentur; vnde August. 21. de Ciuitat. cap. 3. sic incipit. Quanta erit illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, quid aliud ibi agetur, vbi neque vllâ desidiâ cessabitur, neque vllâ indigentiâ laborabitur. Admoneor etiam sancto Cantico vbi lego, vel audio: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te:* Psalm. 23. ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, &c.

Psal. 23. num. 5.

Deinde etiamsi in statu innocentiæ, qui præludium quoddam erat beatitudinis, homo nunquam mori poterat, & immortalis ad beatitudinem transferretur, quid mirum, si nullum omnino patiatur detrimentum, & senium, vbi similes sunt Deo, Deique filio? quod adhuc deduco ex Apocalyp. 12. cùm dicitur. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei, & scribam super eum nomen Dei*, &c. Vbi Bed. hunc columnarum decorem, & stabilitatem ad futurum beatitudinis statum defert; cùm sancti veluti illæ columnæ ante vestibulum Templi Salomonis, quæ nihil sustinebant, triumphantem Ecclesiam decorabunt; nam Hieronym. in cap. 40. Ezech.

Apoc. 12. num. 15.

in fin. loquens de his duabus columnis, ait: Istæ erant columnæ duæ, de quibus in Apoc. dicitur, *Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei mei.* Aduertit autem Eupolemus apud Euseb. Cæsar. 9. de præparat. cap. 7. fuisse exemplaria cæterarum columnarum, quæ in templo constructæ fuerant, quapropter ex his duabus columnis deducere debemus cæteras alias, beatos, scilicet, qui in templo, & habitaculo Dei resident. De earum artificio agitur 3. Reg. 7. & 2. Paralip. 3. dicitur, *Erant ex ære fusiles*, quod propter firmitatem, & durationem beatos figurabat accommodatè, vt cæteras conuenientias omittamus. Stantes igitur æteæ columnæ, otium sine senio beatorum designabant, qui perpetuò stabunt, nec tamen diuturnitate conterentur.

3. Reg. 7. num. 15. 2. Paral. 3. nu. 27.

Est ibi indeficiens sub vultu Dei claritas, quæ verba mihi videntur allusionem continere ad Christi Domini claritatem glorificati iam, & ad dexteram Dei Patris in cœlo sedentis, de qua Apoc. 1. habetur, *Facies eius sicut Sol lucet in virtute sua:* quo in loco Richard. de S. Vict. ait: quod potuit dixit, & si plus potuisset, plus dixisset; nam si in rebus visibilibus lucidiorem substantiam ad significandam vlterius eius gloriam inuenire potuisset, per eam vtique significasset. Clarissimam ergo creaturam ad exprimendam claritatem suæ gloriæ posuit, dum faciem suam sicut Solem lucere dixit, sed quoniam nequaquam hoc sufficere, sed adhuc se plus posse dicere agnouit, cùm dixisset: *Sicut Sol lucet:* protinus adiecit: *in virtute sua:* Sol autem in virtute sua lucet, quia circa meridiem nubibus ablatis, aëre purificato, per eiusdem aëris spatia clarissimo fulgore splendet. Perpendet ergo qui potest qualis sit immensa, & æterna claritas incomprehensibilis, atque ineffabilis Diuinitatis, si tam mirabilis fuit apparens similitudo susceptæ, & glorificatæ humanitatis. Sed quis valet in Christo Redemptore nostro, vel saltem beatę humanitatis gloriam Verbis exprimere, cùm S. Theologus visam illius similitudinem vix sufficiat, vel valeat declarare? Sic ille exponit lucem humanitatis Christi à Ioan. expressam, quasi voluerit Euangel. occurrere defectui, qui in ea claritate, quam habuit Christi facies in monte, *Quando resplenduit sicut Sol,* (Matth. 17.) posset subnotari. Etenim ea lux ad breue tempus resplenduit, statim verò cohibita est, & repressa, & solùm affuit per modum passionis transeuntis, vbi rectè aduertit D. Thom. 3. part. quæst. 45. artic. 2. in corp. lucem illam, fulgorémque in Christi Domini corpore miraculosum fuisse, quia breuis admodũ fuit: nam claritas in corpore glorioso ab anima proueniens, qualitas quædam permanens est, & corpus afficiens; vnde fulgere non est miraculosum corpori glorioso, quod autem ab anima gloriosa, & à diuinitate Christi claritas per modum permanentis non fuerit communicata, hoc miraculosum fuit; sunt enim claritates beatitudinis permanentes, & nullum habentes defectum; vnde D. Aug. 22. de Ciuit. c. 19. dixit in corpore Christi post resurrectionem, claritatem nunquam defuisse, sed oculis discipulorum fuisse absconditam.

Apoc. 1. num. 16.

Matt. 17. num. 2.

Indeficientem claritatem vultus Dei suspirabat Sponsa Cant. 1. cùm dicebat: *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie;* quãdo, scilicet, omnis contrahitur, & disparet vmbra, vt loquitur Plin. lib. 18. c. 33. vbi videndus Bern. ser. 31. cũ explicat locũ istum, in ordine ad manifestationem spõsi sicut est, explicat etiam in eodem sensu serm. 5. super

Cant. 1. num. 7.

vidi

vidi Dominum, post princip. Itaque si in vultu etiam Christi passibilis, imò postmodum passuri, vis quædam inerat; fulgor, & claritas, quæ hostes ipsos prostrauit in horto. Ioan. 18. (qua de re videndus Hieron. Epistol. ad Principiam Virg. & in c. 9. Matt.) quid mirum si sub Dei vultu talis conspiciatur claritas, & reluceat pulchritudo, quæ animos illuminet, recreet, & reficiat? Tanta itaque illius luminis vis, & claritas est, vt ne minimam quidem nebulam superesse permittat in anima beati, sed tota perfundatur, & illustretur.

Ioan. 18. nu. 6.

Est etiam sub antiquis, perpetuisque gaudiis semper noua iucunditas, quod videtur dixisse Dauid, Psalm. 33. cùm ait: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*: Vocat enim beatos ad percipienda in dies noua, & recentia gaudia; de beatitudine enim interpretatur hũc locum Bernard. Serm. 1. de Omnibus Sanctis, post princip. & Sermo. de Natiuita. Beatæ Mariæ, & Augustin. de Spiritu & anima, cap. 58. & lib. Soliloq. cap. 22. & Cyrill. Alexandrin. lib. 4. in Ioan. cap. 38. Cur autem duplici vocatione, & repetita voce conuocet, Propheta exposuit Gregor. Magn. homil. 36. in Euangel. dicens: quia spirituales deliciæ quantò magis percipiuntur, atque gustantur, tantò amplius amantur, & appetuntur. Et hunc etiam sensum amplectitur Bernard. Serm. 4. de Omnibus Sanctis, ad medium, cùm explicat illud Luc. 12. *Transiens ministrabit illis*; sic enim habet: Transiens quippe ministrabit nouas vtrique, & nobis penitus inexpertas delitias manifestæ suæ contemplationis. Vbi metaphoricus sermo est desumptus à conuiuiis, quorum instar nobis proponitur beatitudo, vt iam aduertimus. Sicut autem, & in illis ij, qui ministrant, nouas, nec adhuc gustatas afferunt dapes, & nouo veluti sapore, & suauitate conditos cibos proferunt; sic & in beatitudine noua semper gaudia, & non visæ adhuc lætitiæ percipiuntur, & cùm antiqua sit bonitas, qua fruuntur beati, veluti recens semper illis proponitur, quia plura eis in Verbo in dies ostenduntur videnda, & gustanda bona.

Psal. 33. nu. 9.

Luc. 12. nu. 37.

Hoc etiam pulchrè ostendit Gregor. homil. 3. in Ezechiel. in eo, quod de Sanctis animalibus ait Propheta, cap. 1. *Non reuertebantur cùm incederent*, vbi ostendit prædicta animalia semper, & vlteriùs progredi, deinde etiam nunquam reuerti, aut retrocedere. Hoc igitur refert Greg. ad naturam, & conditionem eorum bonorum, quæ ante se habebant proposita, quorum nempe ea est natura, vt semper possimus in eis progredi, nunquam verò retrocedere, qua in re maximè differunt beati à mortalibus, qui terrena diligunt; hi enim potius deficiunt, quàm proficiant; sic ergo habet Gregorius. Cur non reuertuntur indicat; cùm subiungit; *Vnumquodque ante faciem suam gradiebatur*: ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia, & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes quasi post dorsum relinquimus, &c. Quo sensu fortasse dixit Petrus, Matthæi 19. *Reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Et Paulus etiam dixit: *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad anteriora verò extendens me ipsum*; Et fortassis huc possumus in eodem sensu deducere id, quod de Beato Petro dixit Lucas, capite 9. Quod nesciens quid diceret transfigurato Christo Seruatore protulerit: *Bonum est nos hic esse*, minimè ad an-

Ezech. 1. nu. 9.

Mat. 19. nu. 27.

Luc. 9. nu. 33.

teriora anhelans, quæ in posterum fruenda remanebant, minimè expectans.

Videndus Bernar. Serm. 3. de verbis Isai. *Vidi Dominum* ad illa verba: *Seraphin stabant:* vult enim propterea Angelos stantes nobis proponi, vt adhuc magis de Deo acciperent, ac denique quid amplius gustarent. Stabant, inquit ille, extendentes se, & intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt, &c. Iam verò is, qui se extendit, & intentis oculis conspicit aliquid, denuò nititur apprehendere, & accipiendum quid amplius præstolatur; in quam sententiam facit idem Bernard. Serm. 4. de eodem argumento, vbi de Cherubinorum alis sic ait. Ad quid ergo tunc alæ? si quid alæ istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso; vbi intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitatur, volet securè, volet sine fine, quia volat in æternitatem, & Serm. 5. post medium, loquens de iisdem alis, videtur eas facere coniunctum quid, & compositum ex potentia, & gratia, seu lumine, quæ duo secúndùm sanam doctrinam concurrunt ad eliciendos actus supernaturales; ait enim, non incongruè forsitan duas alas istas naturæ, & gratiæ dicimus, viuaci siquidem per naturam intellectu, & feruenti nihilominus effectu per gratiam, in eum, qui supra ipsos est, extenti iugiter, & intenti stare quidem vt diximus per ministerium, sed & volare per studium perhibentur, licèt enim velent caput Domini, velent etiam pedes, sed sibi ista non velant, magis autem sedulò volant, & volitant inter ista, nec sanè scrutatores sunt maiestatis, vt proinde opprimantur à gloria, quod non minus diligant, quàm intelligant; vtpote quos ille regit, & agit spiritus, qui scrutatur etiam alta Dei, &c.

Isai. 6. nu. 2.

Est denique sine vllo amittendi periculo fœlicitas iuxta illud Bernard. Serm. 11. in Cantic. Succedet illa, quam speramus, mira serenitas, plena suauitas, æterna securitas: primum illud faciet veritas Deus; secundum charitas Deus; tertium summa potestas Deus, vt sit Deus omnia in omnibus ratione excipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem, consequente memoria fonti indeficienti æternaliter inhærenti, &c. Hinc est quod Sponsa ait. Cantic. 3. *Tenui eum, nec dimittam*, vbi LXX. legunt: *Fortiter tenui eum, seu apprehendi*; de qua locutione videndus Chrysost. homil. 7. in Epistol. ad Philippens. & homil. 5. ad Hebræos, videndus item Diu. Thom. 2.2. quæstione 28. artic. 1. & 2. vbi ostendit duplex gaudium in voluntate nostra, alterum ex amore amicitiæ; alterum ex amore concupiscentiæ, quorum vtrumque habet anima beata, quæ Deo per amorem adhæret, perfectissimúmque tale gaudium erit, quando illius amissionem nullatenus timet.

Cant. 3. nu. 4.

Ex quibus tam latè propositis apertè iam constat, quo fundamento, quanta vt cum ratione Ezechias acerbè deplorauerit, se nullatenus visurum Deum in terra viuentium, ad quam visionem, se à Deo conditum fatebatur, & qua solum eius appetitus compleri, & satiari posset. Vnde Bernard. Serm. 1. super, *Vidi Dominum sedentem super Solium*, ait. Magnum spectaculum fratres, & beati oculi, qui viderunt, hoc Sanctorum omnium vnicum semper desiderium fuit, &c. Et Serm. 2. ait: Infœlix de quo clamabitur

tollatur

tollatur impius ne videar gloriam Dei; vt quid enim lucem hanc temporalem miser ille videt, qui gloriam illam non merebit intueri? Vtinam nihil vidisset vnquam oculus meus, si illa (quod Deus auerrat) frustrandus est visione. Suffragatur Chrysostom. homil. 24. in Matth. post med. cùm ait: Intolerabilis quidem res est gehenna, quis nesciat, & supplicium horribile, tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beatæ illius gloriæ honore repelli. Similia habet tom. 6. nunc primo edito Serm. 1. de Verbis Apostol. *Habentes autem eundem spiritum, &c.* ad med. vbi grauem illam, & acerbam sententiam latam erga fatuas
Mat. 25. nu. 11. virgines. Matth. 25. Qua exclusæ sunt à diuina amicitia, & visione, dixit esse grauiorem ipsa gehenna, acerbiùs siquidem est carere visione, & amicitia Dei, quàm iuges perpeti pœnas, etsi grauissimæ sint. Hinc & Basil. in reg. fus. disp. in resp. ad 2. in med. ait: Alienatio, auersióque à Deo, cui ea contigerit, malum est omnibus, quæ in gehenna inspectantur, intolerabiliùs, velut oculo priuato luminis, etiamsi dolor non adsit, iremque animanti adeptio vitæ. Cùm igitur tale supplicium illud sit, támque graue malum, quid mirum si Ezechias id flebilibus vocibus deploret, & solùm lamentetur, cùm ait, se id tantùm sentire, eóque torqueri, quod minimè visurus sit Deum in terra viuentium, nempe in gloria vbi se ridendum præbet beatis.

***

ANNOTATIO II.

Qua ratione Patres antiqui Deum hominem expetierint, & à nobis suscipi, & venerari debeat.

VT ex literali expositione constat qui præsentem locum ad Deum hominem deducunt, in eo maximè fundantur, quod ipse fuerit exoptatus à Sanctis Patribus, & vt ibi diximus, *Desiderium collium æternorum*, vbi Rupert. desiderabilis expectatio omnium Sanctorum Messias; videndúsque erit Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. cap. 4. & Tertull. lib. de Carne Christi. Quo sensu Sponsa, Cant. 5. dixit: *Totus desiderabilis*. Theodor. & Cant. 5. nu. 16. tres Patres Græci: *Totus desiderium* Hieronym. lib. cont. Iulian. *Totus concupiscentia*, quæ lectio consentanea est Hebraïcæ veritati; sonat enim totus ipse desideria, quod etiam habet translatio Hispanica. Hinc etiam Aggæ. 2. *Veniet desideratus cunctis* Agg. 2. nu. 8. *gentibus, & replebo domum istam gloria*, vel *veniet qui desideratur ab omnibus gentibus*, vel *veniet desiderium omnium gentium*, sic enim potest verti ex Hebr. Imò non solùm à nostris vertitur, sed à quibusdam Hebræorum, licèt alij aliter vertant, vrget enim valdè eos hic locus, eum verò sic interpretatur Richar. Victor lib. de Incarnat. Verbi, part. 1. cap. 8. pag. 105. Non dixit Propheta, veniet desideratus, sed potius, desideratus cunctis gentibus, vt intelligas in omni gente aliquos aliquando in eius desiderio flagrasse; erat igitur eius aduentus ardēter desideratus; plura qui de

de hoc præclaro testimonio velit, legat Finum in suo flagello Iudæorum lib. 5. cap. 2. & Galatin. lib.4. cap.10. & Vidner. lib. de Locis Fidei.Tract.3. Genebrard. lib.1.p.108. Cùm igitur Filius Dei in carne desiderium hominum fuerit, id in præsenti Annot. prosequemur, vnde meliùs constet prædictum etiam desiderium in Ezechia, quo ille accursus deplorat maximè infœlicitatem suam dum prius moritur quàm vitam in terris intueatur.

In Patre itaque fidei nostræ Abrahamo id in primis cernere est, enimvero cùm ei diceret Deus, Genesis, 17. *Ponam fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis*; *cecidit Abraham pronus in faciem*, quod expendens Ambros. lib. 2. de Abraham.cap.vlt.ait. Fortasse in hoc mysterio prophetauit Abraham Dominum Iesum, quod per susceptionem Domini corporis tanti complenda Oraculi gratia foret: cecidit igitur in faciem suam pondus tanti beneficij promissi minimè sustinere valens, & deosculans iam eam terram, quam promissus Messias pedibus calcaturus erat. Aduertit autem ibi Lyran. quòd promissio eo in loco facta implicitè continebat ea, quæ postea Deus illi aperuit expressioribus, & clarioribus verbis de Messia venturo ex progenie Abrahæ, sed mentem Patriarchæ attigisse videtur interlinealis, dum explicat cur nam ille ceciderit pronus in faciem suam, ait enim: in anteriora se extendit; quæ verba desumpta sunt ex Paulo Philip. 3. vbi ait: *Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum*, vbi Paulus præteritorum oblitus, ea, quæ futura erant, suspirans, & anhelans, veluti extensis brachiis comprehendere nitebatur, præmi-

Gen. 17. nu.2.

Philip. 3. nu.13.

serat enim, *Sequor autem si comprehendam*. In hoc igitur sensu glossa ait Abrahamum ad Diuinam promissionem se extendisse, quia inde cœpit desideriis flagrare, & illius promissum aduentum anhelo corde suspirare: vnde de illo possemus dicere cum Ouid. 1. Fastor.

Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam.

Hoc item Abrahæ desiderium exposuit Christus Dominus Ioan. 8. cùm ait: *Abraham Pater vester exultanit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*; vbi Tolet. in Comment. ait, exultatio est summum gaudium, & desiderium, quod præ magnitudine intra animum contineri non potest, sed quibusdam motibus corporis, & gesticulationibus exprimitur; meritò autem Abraham gestiuit, & animo, ac corpore desiderio concepit, quia de corpore, & carne illius Filius Dei sumpturus erat carnem, dies autem, quem exultauit vt videret, fuit incarnationis tempus determinatum, quod illi reuelatum est, sicut ait Augustin. tract.43. in Ioan. Irenæ. lib. 4. cap.11. & 12. Origen. homil. 10. in Genes. Hilar. 5. de Trinit. Cyril. Alexand.cit. in Catena Græca, Bern. Serm. 6. in Vig. Natiuit. & est vera expositio dicti loci.

Ioan. 8. nu.56.

Hoc etiam desiderium in Isaac ex eo probatur, quòd præuidens futura, & optans filium Esaü meliorem reddere, fecit illum seruum Iacob dicens: *Dominum tuum illum constitui*. Genes.27. Existimauit enim meliorem se redditurum Esaü, si typum Christi veneraretur in fratre, quod notauit Ambros. lib.de Parad. cap.14. Ad Messiam item totis ferebatur votis corporisque, & animi oculis, licèt caligans, quando dixit ad Iacobum filium, qui typum Christi

Gen. 27. nu.37.

Gen. 27. num. 27. Christi gerebat. Genes. 27. *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*; quæ verba ad rem præsentem sic explicat Bernard. Sermone 47. in Cantic. ante medium. Nec dum speciem suam ille flos agri induerat,& iam dabat odorem suum, quando eum,vt hoc prægaudio exclamaret, præsentit spiritu, corpore marcens Sanctus, & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax, &c. Nam licèt vestis illa, qua indutus est Filius Dei, dum carnem induit, & habitu inuentus est vt homo, vestis quidem *Psal. 44. num. 9.* fuerit Esaü peccatoris: *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis illis egrediebatur à domibus eburneis.* Psalm. 44. vbi Hebræus codex habet; *Omnia vestimenta tua.* Chald. verò, *Myrrha, & ligno aloës, & casia lignea fumigabuntur omnia vestimenta tua*: argutiùs verò quod Vatabl. legit, & intelligit: *Flexura, aut plica omnium vestimentorum tuorum, subaudi; redolent*, &c. Sed illud aduertendum, quod singularis conditura, & compositio vnguenti præ vestimentis aliorum hominum hoc in loco designatur, sicut aduertit Chrysostomus, cùm ait, neque enim fiebat olim vnctio ex his vnguentis, sed ex aliis,vt scias hunc fuisse alium modum vnctionis per differentiam materiarum, &c. Erat enim vestis illa, humanitas scilicet Christi, delibuta oleo vnctionis pretiosissimo, gratia scilicet vnionis, suffumigata insuper odoramentis omnium virtutum, & donorum præ filiis hominum, & hoc à domibus eburneis, vbi Cyrill. existimat vocem Græcam significare Turres. Chald. habet: *A palatijs, quæ construuntur dentibus Elephantorum de Armenia.* Hieronymus ait melius in Hebraïco scribi, *de templo dentium*, quæ omnia maximè quadrant in Virginem Matrem, templum vtique Dei, quod portauit illum, quem cœli capere non possunt, extructum autem ebore dicitur: nam sicut ebur candidissimum, pulcherrimumque cùm sit, nascitur in fusco, horridóque animali, sic à parentibus infectis peccato nata est sine peccato Beatissima Virgo, & educta domus illa eburnea, à qua prodiit plenus omnibus suauitatibus flos ille, qui multò antequam nasceretur dabat iam odorem suum, & ideò meritò cæcus ille Isaac illum prædorabat, & suspirabat, dum in filio præsentit, & dicta verba protulit: *Ecce odor filij mei.*

Hoc item votum, & desiderium testabatur Iacob, quando Genes. 48. filio suo Ioseph moribundus dixit: *Mihi quando veniebam de Mesopotamia mortua est Rachel in terra Canaan in ipso itinere, eratq; vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethleem*: quo in loco video Caietan. & Lyran. Sic exponentes quasi Iacob postulans à filio cum iuramento quod sepeliret eum in sepulchro patrum suorum, vt patet ex superiori cap. 47. præsentiens responsum, & rationem Iosephi aduersus patrem hoc præcipientem, in promptu fore, quod scilicet tantis sumptibus & laboribus vellet asportari corpus suum ad speluncam duplicem in Hebron, cùm tamen minimè sollicitus fuerit de sepultura Rachelis, neque eam condiderit in sepulchro maiorum suorum, scilicet Abrahæ, & Isaac, Saræ, & Rebeccæ. Huic igitur tacitæ obiectioni veluti respondens Iacob, & se itidem purgans ait, quòd erat in itinere, ait Caietan. vel quòd ita fuerit voluntas Dei, vel quòd sepeliuerit eam iuxta viam, & ædificauerit sepulchrum, ita quod transeuntes possent videre

Gen. 48. num. 7.

Gen. 47. num. 30.

videre sepulchrum eius, & memoriam eius ad alios deferre ait Lyran. vnde Oleast. dicit ad hunc ferè sensum viri, & parentes non dedignentur apud filios excusare quæ mali spem habere videntur. Video item Brixian. exponentem quòd Iacob hæc dixerit, quia sollicitus erat de honore Ioseph, cuius mater cùm non esset sepulta cum maioribus, atque is fratribus exosus fuisset, filiosque in Ægypto genuisset, timuit minoris existimandam ipsius Ioseph posteritatem; quasi voluerit per hoc quòd impeditus via, non potuerit extruere sepulchrum illustre dilectæ vxori defunctæ, & proinde minimè quis posset obiicere, aut incuriam parentis, aut exprobrare ignominiam filij.

Cæterùm existimo meliùs huic obiectioni satisfieri posse cum glossa hoc in loco, quam ego inuenio apud Augustin. quæst. 56. in Genes. dum ita habet. Nisi fortè ad rem pertimuit commemorare sepulturam matrem Ioseph, vbi Christus fuerat nasciturus, quibus in verbis Augustin. reddit omnimodam rationem cur tandem Iacob non sepeliret dilectam suam Rachelem in Hebron, sed iuxta Bethleem; sic enim melius illius honori, & æstimationi consuluit, dum eam humare curauit, vbi Christus nasciturus erat. Quod ex ipsomet Iacob ostendo, nam Lyran. reddens rationem cur ipse Iacob voluerit corpus suum post mortem asportari in sepulchrum patrum suorum, ait: non propter illos desiderabat ibi sepeliri, sed principaliter propter redemptionem generis humani fiendam ibi per Christum, qui in illa terra natus conuersatus mortuus, & sepultus est, & ibidem resurrexit, & inde ad cœlum ascendit, & spetabat cum eo resurgere. Lyrano adde Rupert. libr. 9. in Genes. cap. 20. vbi ait, propterea voluisse Iacobum defunctum deferri in terram Canaan, vt scilicet terram illam præ oculis, & super oculos haberet, quam ei promiserat Deus, imò & quam Deus factus homo pedibus suis calcaturus erat.

Meminit itaque Iacob sepulturæ Rachelis in Ephrata iuxta Bethleem, vbi moriendum nouerat Messiam Seruatorem, qui ortu suo mortuam nobilitaret, & primis nascentis Solis radiis defunctam dilectam suam illustraret, imò is, qui mortuus præ desiderio venturi Christi, petiit vt asportaretur in terram Canaan potiori loco mortuæ vxori, profectò testatur tribuisse, dum sepulturam asserit iuxta Bethleem, quod in maiorem cederet honorem, & illustriorem dignitatem Ioseph, cui hoc censuit inculcãdum, dum prædicta retulit verba is, qui nihil aliud magis aut cogitabat, aut exoptabat, quàm futurum aduentum Messiæ, quod testatus est cùm dixit Genes. 49. *Salutare tuum expectabo Domine.* *Gen. 49. num. 18.*

Ardebat insuper hoc desiderium in corde Moysis, quando Deum vrgebat, vt tandem mitteret perfectum liberatorem dicens Exod. 4. *Mitte quem missurus es.* Vbi Rupert. libr. 3. cap. 18. ait: non ex deffidentia salutari imperio, ministrare recusabat, sed sciens quòd ministerium suum nihil ad perfectum duceret, audebat vrgere Dominum vt mitteret eum, qui mittẽdus, & perfectam salutem operaturus erat. Sic ille probat in Moyse veluti impatiens desiderium futuri liberatoris, quem in se adumbratum videbat, & fugatis iam vmbris in tenebris miseriæ nostræ diem Dominici Solis præoptabat. *Exod. 4. num. 13.*

Hoc etiam probat in eodem Moyse Tertull. libr. 4. contr. Marc. cap. 22. ex illis verbis, quæ Deo dixit Exodi 33. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende* *Exod. 33. num. 13.*

ostende mihi faciem tuam; & dum eodem cap. dixit: *Ostende mihi gloriam tuam*, cui Dominus respondit: *Ego ostendam omne bonum tibi.* Sic ergo rem deducit Tertull. Cùm desiderasset conspectum Domini Moyses dicens, *Si inueni gratiam coram te, manifesta te mihi*, vt cognoscenter videam te, eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod Propheta sciebat. Cæterùm Dei faciem (iam audierat) *Nemo homo videbit me, & viuet*, &c. & quia Deus promiserat se ostensurum Moysi omne bonum concupitum, id adimpletum comprobat Tertullian. in monte Thabor, quando Moyses apparuit loquens cum transfigurato Domino; voluit enim se gloriosum illi manifestare Filius Dei in carne, vt desiderio, quo Moyses flagrabat, satisfaceret, quandoquidem ipse id præ omnibus in votis habuerat in vita.

Sup.n.18.

Aduentum Messiæ sitiens postulauit Dauid 2. Reg. 23. quando dixit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleē, quæ erat iuxta portam: attulerunt ad Dauid aquam, at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino*; aduertit autem D. Ambros. in Apolog. Dauid. cap. 7. cur concupitam aquam noluerit bibere, quam edito clamore petierat, & cuius desiderio satisfacere volentes tres fortes irruperunt castra Philistinorum, & hauserunt aquam, & attulerunt ad Dauid; ait ergo Ambros. Si altius velis spectare, & introspicere mysterium, sitiebat Dauid non aquam de lacu, quæ est in Bethleem, sed oriundum ex Virgine Christum spiritu præuidebat: non bibit oblatā aquam, sed Domino profudit, significans sitire se Christi sacrificium non naturæ fluentum, illum sitire se fontem æternum, non qui periculis quæreretur alienis, sed pericula aliena depelleret. Sic Ambros. exponit quale desiderium fuerit Dauidis, cuius ardentissima flamma non aliter extinguenda erat, quàm si illi infunderetur aqua, quæ omnem sitim explet, & totum complet appetitum, aqua scilicet de cisterna Bethleem, quæ orta est iuxta ciuitatem, tum vt omnibus pateret, tum etiam quia non inuenit locum in diuersorio, & intra mœnia ciuitatis.

2. Regum 23. n. 15.

Sup. n. 16.

Hanc etiam expositionem circa huiusmodi desiderium, & sitim amplectitur Sophron. Archiepisc. Constantinop. Orat. 1. in Christi Natiuit. vbi versans eundem locum ait. Dauid in Regem assumptus, à Deo spiritali siti arens, ardensque salutarem aquam ex cisterna, quæ erat in Bethleem bibere desiderabat, aqua autem, quam ille mysticè expetebat, & viua erat, & omnes, qui ex ea bibebant, diuina virtute viuos efficiebat. *Si scires donum Dei* (aiebat fons ille vitæ) *& quis est, qui dicit tibi: mulier da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & daret tibi aquam viuam.* Ioan. 4. Cisterna hęc sacrosanctissimam Virginem designabat, quæ & vtero gestatura, & Deum paritura erat: prophetia enim erat, & figura de Christo, qui est aqua viua, omnibus vitam infundens, déque mystica, & spirituali cisterna, quæ aquam illam, quæ nunquam deficit, vtero comprehensam lucem dedit, &c. Sed vt melius intelligatur metaphora sumpta de cisterna, aduertendum est, aquam è nubibus recenter delapsam potui ineptam esse, ac stomacho minimè accommodatam, vtpote quæ ciborum decoctioni minimè inseruiat, sicut Medicorum periti testantur; si tamen vt cisterna detineatur, acerbitatem deponit, & stomacho apta redditur, & corporis saluti accommoda. Si sacras adeamus litteras Deus noster pluuiæ comparatur, vt Psalm. 71.

Ioann. 4. num. 10.

Descendet sicut pluuia in vellus. Et Isaiæ 45. *Descendet sicut pluuia in vellus*: erat vtique pluuia ista olim aspera, & cùm descendit super homines exundatione eos suffocauit, & extinxit, minus grata erat bibentibus, at postquam Spiritus sancti ministerio in cisternam virgineã, & cùm in beata viscera descendit, adeò salutaris reddita est, vt multò ante tempore eam exoptarit Dauid, & suspirans exclamauerit dicens; *Quis mihi dabit potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethleem?* Hanc cisternam, & aquam bifariam Rex Dauid videre desiderabat, incenséq; gestiebat spiritualibus nimirum, & corporis oculis; illis quidem vt illustrissimus Propheta, his vt consumatissimus iustus; hoc ergo desiderio intus ardens aiebat: *O si quis mihi daret potum de cisterna, quæ est in Bethleem*, &c.

Et fortè est hæc ratio cur Dauid appellauerat lacrymas suas panes,
Psal. 41. num. 4. dum dixit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Quæ postrema verba lacrymas referunt ad aduentum Messiæ, de quo interrogatus Dauid tam largè lacrymabatur, vt hîc diu, noctúque petiisse dicat: id enim sentire testatur, quod scilicet interrogatus de Deo suo ipsum iam ad oculum ostendere nequaquam posset, sicut fecit Ioann. Baptist. dicens: *Ecce Agnus Dei*; aut sicut di-
Ioann. 1. num. 29. Ioann. 1. num. 1. xit Ioan. Euangel. in 1. sua Can. cap. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Is igitur, qui ardentissimè desiderabat Aduentum Dei in carne, cùm præ desiderio lacrymas largissimè effunderet quæ ipsum vtcumque lenire, & mitigare possent, dum lacrymatur maiori siti flagrabat, & oculorum aqua ignem desiderij accendebat, sitímque ardentiùs vrgebat, non aliter, ac eueni-re solet homini sitienti, si aridum panem, salitúmve cibum edat, & proinde magis appetebat fontem illum viuum, & aquam de cisterna Bethleem, de qua *qui bibit non sitis in æternum*, sicut testatus est ipsemet Fons Æternus. Ioan. 4. Ad hunc ferè modum interpretatur D. August. prædicta verba Psalm. 41. *Fuerunt mihi*, &c. Sic enim habet: non dixit factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus, ne ipsas desiderasse videretur, sicut fontes aquarum, sed seruata illa siti, qua rapior, seruata illa siti, qua inardesco ad fontes aquarum, panes mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor. Et vtique manducando lacrymas suas sine dubio plus sitit ad fontes Paganus Deum suum digito ostendit; intendit enim digitum ad aliquem lapidem, & dicit, *Ecce est Deus meus, vbi est Deus tuus?* Cùm lapidem irrisero, & erubuerit qui demonstrauit, tollit oculum à lapide, suspicit cœlum, & fortè in Solem digitum intendens iterum dicit, *Ecce Deus meus, vbi est Deus tuus?* Inuenit ille quod ostenderit oculis carnis, ego autem non, quasi non habeam quem ostendam, sed non habet ille oculos, quibus ostendam; potuit enim ille oculis corporis ostendere Deum suum, Solem, quibus ego oculis ostendam Solis Creatorem? Quæsiui ego ipse Deum meum, vt si possem non tantùm crederem, sed aliquid viderem: video enim quæ fecit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum, qui fecit hæc. Ostendo magnitudinem circunfusi maris, stupeo, miror, artificem quæro: cœlum suspicio & pulchritudiné syderum admiror, splendorem Solis. Lunam nocturnas tenebras consolantem: mira sunt hæc, laudanda sunt, vel etiam stupenda, nondum ibi stat sitis mea, hæc miror, hæc laudo, sed Deum, qui fecit hæc, sitio, &c.

[Right margin: Ioann. 4. num. 13. — Psal. 41. num. 4.]

quæ

quæ prosequitur August. Quibúsque ostendit inexplebilem Dauidis sitim, quæ nulla alia aqua compleri poterat, nisi illa, ad quam ipse suspirabat, dum dicebat: *O si quis mihi potum daret, &c.*

Faciunt etiam ad rem præsentem verba Dauidis, quando dicebat. Psalm. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, vbi August. & Gregor. cap. 28. Moral. cap. 29. legunt, *Dum manifestabitur gloria tua.* Theodotion, *dum apparuerit dextera tua*, quod etiam legit Arnob. Lorin. verò ibi ait: Satiandum se canit Dauid, & afficiendum maxima voluptate cùm apparuerit gloria Patris, quæ est imago ipsius Sap. 7. & gloria ad Colos. 1. Optans nempe incarnationem Verbi, quod confirmant dictæ versiones.

Psal. 16. nu. 16.

Sap. 7. nu. 26. Colos. 1. nu. 17.

Hoc item Sponsa ardenter concupiscens clamabat, Cant. 1. dicens: *Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur*; vbi Orig. existimat ænygmaticè indicari mysterium Incarnationis, cuius desiderio penitus accensa Sponsa pollicebatur Sponsum suum veluti fasciculum in præcordiis ac inter vbera, vbi sedes amoris est gestatura. Quod etiam dixit Ambros. Serm. 3. in Psalm. 118. his verbis: Corpus suscipiens Dominus Iesus charitatis se vinculis alligauit, & tanquam fasciculum se nobis dedit, quem inter vbera nostra contineamus, cuius lætemur aspectu, fruamur amplexu, roboremur contactu; quo in loco mihi videtur Ambros. alludere ad panniculos quibus Virgo Mater Filium suum inuoluit dum in præsepio reclinauit, Luc. 2. Quasi eum sic pannis inuolutum nobis proposuerit adeundum, & adorandum, qui se se nobis dedit amoris vinculis alligatũ. Nisi fortè & panni illi fuerint, vincula amoris, quibus ipse constrictus nos ad se trahere voluit, verè enim funiculi erant Adam, & vincula charitatis, quibus ipse promiserat ad se attrahendos homines, Ose. 11. Nisi fortè allusio sit ad vincula illa Samsonis, quibus ille ligari permisit amorem mentitus Dalilæ. Iudic. 16. quando dixit ei: *Si septem neruiceis funibus, necdũ siccis, & adhuc humẽtibus ligatus fuero, infirmus ero vt cæteri homines*: rupit vincula, & funes quomodo si rumpat quis filum de stupa tortũ sputamine, cùm odorem ignis acceperit; dixit secundò: *Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis*; rupit tamen vincula quasi fila telarũ. Vbi notanda sunt verba, quæ affert Arias Mõt. pag. 554. Subridentem, ab illa etiam ridente, & velut periculum ad amoris experimentum facienre, fuisse deuictum: dictantem etiam vinciendi, & nexus, atque nodos coniungendi formam. Rupta itaque sunt, & dissoluta vincula Samsonis, quia fallaciæ potius, & deceptionis erant, quàm amoris, & dum ligabatur subridebat, & dum soluebat ridebat irridentem se; at verò noster verus Samson amoris vinculis alligatus est, plorans, sed volens; securéque proinde ad illum accedere possumus, dum manus ligatas habet, & pedes, illas ne puniat, istos ne fugiat; imò ligatus est vinculis charitatis, vt nos soluat vinculis iniquitatis, & timorẽ omnino repellat ad illum accedendi, & amplexandi. Vnde Bern. Serm. 6. de Vigil. Natiuit. post med. Nos hortatur verbis illis pastorum. Luc. 2. *Transeamus vsque Bethleem*, dicunt pastores, non Bethleem pertranseamus; quid enim si pauper viculus est? ne id quidem incongruum ei, qui cùm diues esset propter nos factus est pauper, & cùm esset magnus Dominus, paruulus natus est nobis,

Luc. 2. nu. 7.

Ose. 11. nu. 4.

Luc. 2. nu. 15.

vtinã & inueniamur nos Bethleem Iudæ, vt in nobis quoque dignetur nasci. Clariùs hac de re locutus est Serm.1.de Natali Domini post principium, cùm ait. Quid tu times ô homo! quid trepidas à facie Domini, quia venit? venit non iudicare, sed saluare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam seruo vt furtim tolleres, & imponeres Regiũ diadema capiti tuo; deprehensus in furto quidni timeres? Quidni fugeres à facie eius, fortè enim iam gladium vibrabat ignitum; nunc in exilio positus, ecce vox audita est in terra, quia dominator aduenit; quo ibis à spiritu eius, & quo à facie eius fugies? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non puniendum, sed saluandum requirit. Et ne fortè

Genes. 3. nu. 10. dicas etiam nunc, *Vocem tuam audiui, & abscondi me*. Genes. 3. Ecce infans est, & sine voce, nam vagientis vox magis miseranda est, quàm timenda; aut si cui fortè terribilis, sed non tibi; paruulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? vel in hoc scies quia non venit perdere, sed saluare, eripere te, & non ligare, &c.

In mulieris genibus (Dalilæ scilicet) virtutis suæ degenerem appellauit Samsonem D. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto in Prologo, colligatum, & captum: minimè tamen degenerauit à virtute sua noster Samson, quamquam eam occuluit, degeneres nos potius probabimur, & inueniemur, si eum ligatum charitatis vinculis non adierimus, non adorauerimus, & pro nobis veluti degenerem reditum non susceperimus.

Obseruat Chrysol. Ser. 6. in med.

Psal. 99. nu. 2. verba illa Psalm. 99. *Introite in conspectu eius in exultatione*. quæ videntur potius terrorem incutere audientibus, quàm alacritatem, & animum præbere vocatis. Quis enim (inquit ille) in conspectu Dei liber? Diuinis oculis quis mentitur? Quis exultans ante terrorem maiestatis summæ? Archangeli tremunt, &c. Et homo terræ quam intrepidus intrabit? Et adhuc consistit exultans? Vnde est quod Propheta nos hoc debere facere sic præsumit? Ex eo, quod sequitur, *Scitote quod Dominus ipse est Deus*; quia Dominus ille Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus: hinc est quod ille Dominus Deus est, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus, & ideo *Intrate in cõspectu eius in exultatione*, quia totum pauorem diuinitatis, totum metum iudicij in habitum nostrum dedit, prouidenti locauit aspectu, vt ingressus non pœnas iudicij metuat, sed parentis præsumat amplexum, & quomodo exultat qui genitorem reperit, quem timuerat cognitorem, &c. Si ergo causa est exultandi, accedendi, & præsumendi meminisse Deum esse iam hominem, & genitorem potius nostrum, quàm iudicem; quid fiduciæ non præbebit? quid animi non ingeret, quid virium non ministrabit ad hoc, vt intremus in conspectu eius genitum ex Virgine cernere, recenter natum cognoscere, amoris vinculis alligatum inuenire.

Hoc ipsum ardẽter expetẽs Sponsa exclamans incipit. Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ. &c.* Quibus in verbis reperitur Hebraïsmus denotans vehemens desiderium, qualis ille est Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ! &c.* idest, vtinam haberem; & Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lachrymarum!* Hunc igitur locum Cant. ad Messiam referunt, vel ipsi etiam Hebræi, vt sit sensus, vtinã aliquando Cant. 8. nu. 1. Psal. 54. nu. 7. Hiere. 9. nu. 1.

do

do tandem mihi liceat id, quod præ omnibus opto, charissime Sponse, videre te, scilicet propriè, & familiariter in veritate carnis nostræ, similem prorsus mihi,& quasi vnum ex nobis; cui expositioni suffragatur Paraphrastes Chald. cùm ita habet; *Illo tempore apparebit Rex Messias Synagogæ Israël, & dicens ei filij Israël: ades nunc,esto nobiscum pro fratre,& ascendemus Hierosolymam,& sugemus tecum sententias legis, quemadmodum sugit infans vbera matris suæ.* Fauet & antiquissima Hebræorum glossa in Michæ. quæ refertur in lib. cui titulus Victoria Christianorum contra Hebræos p.2. cap.2. eámque affert Galarin. lib. 3. cap. 26. vnde Rabbi Salomon asserit, hæc verba esse propheriam de Messia, & maximè conduxit nomen fratris, cu-
Hebr. 2. nu.11. ius meminit Paulus. Hebr. 2. *Qui sanctificat & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur, fratres eos vocare dicens: nunciabo nomen tuum fratribus meis*, & deinde ait, *Vnde debuit per omnia fratribus assimilari*,scilicet,per ea,quæ Redemptorem, & Sanctificatorem decent,vt excipiantur peccata, vnde Theod.ibi, quæ sunt ista omnia, de quibus Paulus ita explicat, nam & nutrimenti, sicut nos fuit particeps, & laborem sustinuit, & anxio animo fuit, & mortem subiit. Addit deinde Apostolus, vt misericors fieret, & fidelis,vbi Ribera ait:quia labores, & dolores nostros expertus est, nostri miseretur, rectè enim dictum est 1.Æneid.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Fidelis autem dicitur, idest verus, vt ibi exponit Chrysosto. & Theophylact.

Notandum insuper id, quod sancta anima addit, *& iam nemo me despiciat.* Quod maximè probat supremam dignitatem, quam assecuta est natura humana ex eo, quòd filius Dei ratione carnis assumptæ inuentus est frater noster. Hoc enim facilè probat magnificiendam nostram naturam ab omnibus creaturis,vnde eleganter Aug.lib.de Agon. Christ. nos verè hortatur dicens: Nolite vos ipsos contemnere viri, filius Dei virum suscepit; nolite vos ipsas contemnere fœminæ,filius Dei natus ex fœmina est,&c Meritò proinde sacra Sponsa se nullatenus despiciendam pollicetur, si voti compos, reddita sponsum videat factum hominem, sugentem vbera matris suæ; complentem vbera fratribus suis, eósque habitu vocans, dum ligatus proponitur vinculis charitatis.

Cõstat insuper nihil magis optasse Euangelicum Prophetam, quàm aduentum Messiæ Seruatoris cùm intenta voce dixit cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ,&c.* Isa. 16. nu.1.
vbi Christus Dominus appellatur agnus sicut notauit Hieron. Isai. 53. quia fuit ille, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor, idest, sanguinis linitus in postibus exterminatorē fugabat Ægyptum Exod. 12.Qui non solùm sanguine suo nos Exod.12. nu.23.
redemit, sed etiam, lanis operuit, vt algentes infidelitate, sua veste calefaceret. Vnde Apost.ad Galat.3. ait: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*, & c.13. *Induimini Dominum Iesum Christum*:quo in lo- Galat. 3. nu.27.
co notandus etiam venit locus ille Iuda in sua Epist. vbi ait: *Commonere vos volo scientes semel omnia, quoniam Iesus populum de Ægypto saluans,&c.* Iuda n.5.
Vbi statim illud occurrit, quod Iesus populũ de Ægypto nequaquam eduxerit, quia neque tum temporis extabat verus Saluator Christus Dominus, neque Iesus Naue potest dici

dici Saluator, aut Eductor illius populi, quem Dominus eduxit in manu Moysi. Rem tamen exposuit Dydimus Alex. in Comment. eiusdem Epist. tom.9. Bibliot.cùm ait. Solus Dominator,& Dominus Iesus Christus, qui eduxit populum de Ægypto per Moysen, Agnus, scilicet, qui occisus est ab origine mundi, illos verè liberauit sanguine suo pretioso, sicut & nos redemit. Hunc igitur Agnum suspirabat Isai. cuius sanguine abluendus, & redimendus erat mundus.

Nec minus probat magnum desideriũ futuri Saluatoris id, quod habet Isai.cap.45. *Rorate Cœli desuper,& nubes pluant iustum, aperiatur terra,& germinet Saluatorem.* Qui locus adducitur in Concil. 2. Hispalen. sub Bonif. V. cap. 3. tom. 2. Concil. ad probandam vtramque naturam in Christo Domino, Diuinam, scilicet, & humanam, Diuinam secundùm illud, *Rorate Cœli,&c.* humanam secundùm hoc: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*; & tamen cùm vnica esset in Christo persona, non poterat simul è cœlo venire,& à terra, nisi secundùm vnam naturam, Diuinam, scilicet, de Cœlo veniret; & secundùm aliam de terra nasceretur. At sicut Spiritus sanctus ros, & pluuia dicitur,sic etiam vellus, vt patet ex cap. 61. *Descendet sicut pluuia in vellus*; vbi Tertul. lib. Contr. Marc. ait: *Placidum descensum Christi*, & insensibilem describit de Cœlo in carnem. Similia sunt prorsus quæ ibi habet Theodor. & Hesych. éstque allusio ad rorem decidentem super vellus Gedeonis, Iudic. 6. de quo videri potest Guilhel.toto lib.3. Aurei Velleris, ideóque Beata Virgo appellari solet. Vellus Gedeonis, non in Litaniis tantùm, sed à Sanct. Ephræm tom.1. Serm. de Beata Virgine, & apud Bernad. Serm.3. super *Salue Regina*. Vnde Hieronym. in Epitaphio Paulæ. Pulchrè,ait,pastores nocte vigilantes audire meruerunt: *Gloria in excelsis Deo*, dúmque seruant oues, inuenerunt Agnum Dei puro, & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cœlesti rore completum est,&c. Videnda sunt quæ hac de re habet Bernar. Serm. 2. super Missus est, & Serm. in Natiuit. Beatæ Mariæ. Rémque possumus deducere ad lachrymarum rorem,quibus perfusus est secundùm vellus humanitatis, & nobis propositus, ac expositus est Agnus Dei in præsepio.

Isai. 45. nu.8.

Supr. 61. nu.16.

Constat autem terram illam, quæ aperienda prædicitur, esse Beatam Virginem, in cuius vterum cœlestis illa pluuia illapsa est, quæ à Diuino Spiritu fœcundata germen effudit tandiu desideratum. Attamen quid sit hoc in loco terram aperiri ad augustissimum partum, cùm Virgo integra permanserit,nonnihil difficultatis videtur habere.Scio in Scriptura res sæpè nomẽ sortiri ab eo, quod plerúmque contigit, etiamsi id absit, cuius gratia impositum est; vnde, & cinis pro cadauere sumitur, & funus pro morte, cùm tamen neque semper cadauer cõbustum sit, neque morti successerit funeralis pompa. Hinc est quod Deo multa tribuit Scriptura,quia vulgari, & communi modo loquitur, cùm tamen illi nequaquam conueniant, vt deliberatio, consilium, noua item cognitio, qualis planè illa est Gen.18. *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, annon est ita, vt sciam*; & Genes. 22. *Nunc cognoui quòd timeas Dominum.* Gen. 18. nu.21. Supr. 22. nu.12.

Facit admodum ad rem præsentem id, quod idem Isai. cap. 64. ait: *Vtinam disrumperes cœlos, & descenderes, &c.* Et tamen spiritualis illa, & Diuina substantia minimè opus habet

ber difruptione cœlorum, attamen quia communiter qui per corpus solidum egreditur, illud difrumpit, iuxta hunc loquendi modum, aduenience Deo difrumpendos cœlos afferuit Propheta. Secundum hanc igitur phrafim hoc etiam in loco idem Propheta dicit aperiendam terram ad germinationem Saluatoris, eò quòd in germinatione plantarum apertio terræ contingere folet, & ita expofitus hic locus integritati Virginis Matris nihil officit.

Sed fi nobis quis obiiciat fanctos Patres, qui in ea fententia effe videntur vt claustra pudoris Virginis à Christo nafcente fuerint referata, etenim Tertull.lib.de Carne Christi cap.23.explicans illud Exod.13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam*, ait: quis verè fanctior quàm Dei Filius, quis proprius vuluam adaperuit, quàm qui claufam patefecit? Idem habet Hieronym.explicans eadem verba lib. 2. aduerfus Pelag. Eodem modo loquitur Orig. homil. 14. in Luc. Epiph. hæref.78. Nyffen.lib.cui tit.fecit ex Veteri Testamento testimonia delecta, cap.de Natiuit. Christi. Ambrof. libr. 2. in Luc.cap.de Circumcifione; pluráque huiufmodi loca affert.Suarez 2.tom. 3.par.difp.5.fect.2.

Exod.13. num.2.

Hæc fane loca, fi iuxta verborum tenorem interpretentur, aliquid videtur detrahere fummæ integr. perpetuæ Virginis Matris. Ea tamen attentiùs expendens Ildefonf. Serm.1. de Parturit. & Purific. & D. Thom. 3.part.quæft.28.art.2.ad 1.ab errore, & calumnia vendicant; nam fentiunt Christum ita potentia fua Virginis aperuiffe vuluam mirabiliter, vt fibi effet ad Natiuitatem peruia, maneret tamen claufa, ficut manferunt ianuæ cùm Christus ad difcipulos ingreffus eft, & fepulchrum in Refurrect. Sic enim rem explicant Ambrof.lib. de Inftit. Virginis, cap.5. Cyrill. homil. contra Neftor. dicta in Concil.Ephefin Gregor.homil.26. in Euangel. Auguft.Serm.8. 156.& 160. de Tempore, & Chryfoft.homil.2.de Symbolo, D.Thom. quodlib.6.artic.8.& in 4.diftinct.44. quæft.2. art.3. Denique Auguftinus Epift.3. dixit, & habetur in Concil. Tolet.11. in principio de hoc miraculo, fi haberet exemplum non effet fingulare; fateamur ergo Deum aliquid poffe, quod nos inueftigare fateamur non poffe. Idemque Auguft. lib.contr.Felician.Arian.cap.8.dixit, Fides credat, intelligentia non requirat, neque aut non inuentum putet incredibile, aut non repertum non credat fingulare. Creuit igitur Virginis in partu integritas corporis potiùs quàm decreuit, & virginitas ampliata eft potiùs quàm fugata, ficut dixit Auguft.Serm.15.de tempore. Imitatur Chryfoft. Serm. 142. aitque: qui ingreditur,& egreditur, & introitus fui & exitus nulla veftigia relinquit, Diuinus habitator eft, non humanus; & paulò inferiùs, in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta eft caftitas, integritas roboratur. Et Proclus cit. homil. de Chrifti Natiuitate ait: ita ex vtero egreffus eft, ficut per aurem ingreffus, ita natus, ficut conceptus, qui imparibiliter fuerat illapfus, impartibiliter eft elapfus. Et Aug. Ser.11.de Natiuit. Domini dixit: qui difrupta corporum membra in aliis poterat tangendo integrare,quantò magis in fua Matre, quod inuenit integrum non potuit violare nafcendo?

Sed adhuc reftat inculcanda huiufmodi apertio, quàm paucis deducimus ex modo loquendi communi, quo apertum dicimus id, quod nullum affert impedimentum ad ingreffum moralem, phyficúmve. Moraliter quidem dicitur apertus locus

Auctoris, ideſt, facilis, & intelligibilis; & ſeruo fideli nihil clauſum, quando nihil illi denegatum à Domino, aut cuſtoditum, & clauſa conſilia aperta dicuntur ſub ſimili intellectu; phyſicè verò dicuntur aperta multa, quæ antea clauſa erant, ſiue reali apertione, per alicuius rei ablationem, ſicut Orientalis India Luſitanis olim clauſa erat interfuſo tanto Oceano, nunc verò cùm nihil in eo, qui quaſi clauſtrum erat, & vectis, mutatum, ablatúmque ſit, aperta dicitur India. Clauſum item dicebatur cœlum ante Chriſti Paſſionem, quia nemo penetrare illud poterat, & cùm nihil prorſus cœlum paſſum fuerit ingreſſo Chriſto, & iis, qui eum comitabantur, apertum modò dicitur, quia nullum babet impedimentum illò aſpirantibus; quo ſenſu, Actor. 1. Dicuntur cœli aperti Stephano, qui per ipſos ſpectare potuit Ieſum ſtantem à dextris Dei; apertam item dicimus feneſtram etiamſi cryſtallus, materiáve alia perſpicua interpoſita ſit, quia à Sole illuſtratur domus, & nos intus exiſtentes, quæ extra ſunt intuemur, ac ſi nihil interiectum eſſet. Cùm ergo Chriſto naſcituro impedimento minimè eſſent virginei pudoris ſignata clauſtra, illi aperta dici potuerunt, quia non minus facilè, ac commodè ortus eſt, quàm ſi aperta exiſterent, ſicut aliarum matrum ſunt. Denique quando Sancti dicunt, Filium Dei aperuiſſe matris ſuæ vuluam, intelligendi ſunt dediſſe illi fœcunditatem, quam nullus alius filius conferre matri ſuæ poterat; vtuntur autem illa metaphora, vt declarent partum Virginis, & Chriſti Natiuitatem veram, & realem fuiſſe, non phantaſticam, & apparentem, vt plerique calumniabantur.

Actor. 1. nu. 56.

Dum verò Propheta ſubdit: *Germinet Saluatorem*, congruenter aſſerit Chriſtum Dominum eſſe arborem, virgultum, & radicem, illam vt que, quam idem Propheta cap. 11. appellarat radicem Ieſſe, & cap. 53 appellat virgultum, & radicem, cum ait: *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti*, vbi pro virgulto LXX. tranſtulere *infantem*; & vox Hebræa ſignificat *ſugentem*, ſeu *lactentem*, vnde plerique codices habent puerum, ſeu puerulum lactentem. Videndúſque erit Leo Caſtrenſ. fol. 815. & Euſeb. Cæſarienſ. lib. 3. Demonſtrat. Euangel. cap. 2. qui legit *puer lactens*. Cúmque vulgatus tranſtulerit *virgultum*, aut *radicem* inquirendum reſtat, quodnam virgultum, aut quæ radix ſimilis ſit paruulo lactenti, & enaſcatur in arenti, ſitientíque terra; ea profecto nulla alia eſſe nobis videtur, niſi mandragora, quæ puerum paruulum figurare videtur, inſtárque illius videtur à natura efformata, ſicut notauit Dauid Rabbi Kimhi, Auicenna, Dioſcorides, & alij Philoſophi; vnde Columella apud Stukium, fol. 332. eam appellauit ſemihominem, illius autem verſus ſunt;

Iſai. 11. nu. 10. Supr. 53. nu. 2.

Quamuis ſemihominis vaſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtamq́ circutam.

Videndus idem Columel. lib. 10. de Horto, in principio, & Dioſcorid. lib. 4. cap. 79. vbi ait, Pythagoram appellaſſe mandragoram anthropomorphon, ideſt, humana effigie præditam. Quòd ſi virtutem mandragoræ rimari velimus, ſoporifera quidem eſt, & mentis alienationem efficit, vſúmque rationis intercipit; qua de re videndus Dioſcor. lib. 4. cap. vltim. & lib. 6. cap. 16. Dioſcoridi atteſtatur Plin. lib. 25 cap. 13. & alibi ſæpè, Plato lib. 6. de Republ. vbi loquitur de quodam

dam Principe occuparo mandragora. Similia habet Philostrat. de Vita Apollinis lib.8.cap.3. & Macrob. libr. 7. Saturn. cap. 6. quinimò & Diuus Basilius in Examer. homil.3. ante medium. Clemens Alexandrin. Oratio. ad Gentes, Isidorus lib.17. Originum. Et ratione prædictæ alienationis Dioscor. citato loco asserit, succum mandragoræ dari secandis, & adurendis hominibus. Neque verò ad hoc tantùm inseruit huius radicis vis, sed etiam ad amorem reconciliandum, vnde ex ea dicunt fieri philtrum, seu amatorium poculum, quod mentem amatorio quodam fascino quodammodo incantet, & alterius affectum alienando deducat. Vnde Plin. citato loco, post principium, dicit, mandragoram à quibusdam appellari Circæum, vel Circæam à Circa venefica, quæ huiusmodi rebus maximè operam dedisse legitur. Hinc est quod Mart. Iurisconsult. in leg.3. §. Aliàs Senat. Consult. ff. ad legem Cornel. de Circæis, asserit, quòd si mandragoram, &c. lustramenti causa dederit, pœna teneatur illius legis. Vbi notanda est vis lustramenti, quæ veneficium, aut incantationem significat, iuxta illud Ouid.

Magico lustrauerat ritu.

Vnde etiam Marcel. ad Legem Corneliam de Veneficiis, & siccariis ait: si quis lustramenti causa dederit Cantharides. Et Martin. Delrio lib. 4.cap.2. quæstione 6. sectione 4. numero 4 ad finem. Meminit mandragorei vinculi inuenti in capsula cuiusdam venefici; vetus item Prouerbium fuit, *mandragoram bibere*, cuius meminit, imò illo vtitur Demosthen. Philippen. 4. & Philipp. lib. de Vita Contemplat. quanquam ego etiam sciam quid hac de re dixerit Augustin. libr.22. contr. Faust. cap.56.

His positis, nobis iam proponitur Christus Dominus apud Isaiam. Natus in terra veluti mandragoræ radix, & factus homo ad reconciliandum amorem nostrum, ad faciendam extasim amoris nostri, vt toti extra nos simus; & toti ad illam conuertamur; sic enim mandragora aliquando pro ipso amore sumitur, vt Cantic. 1. *Exultabimus, & letabimur in te, memores vberum tuorum*, Hebr. *Dodecha*, idest, amorum tuorum, seu vt alij legunt; *Mandragoræ tuæ* quæ alienationem, & amorem operatur; est enim Deus homo amor, & veluti amatorium poculum ad alliciendos, & attrahendos animos; idcóque Isai. cùm videret homines terrenis rebus omnino deditos, precatur, & implorat cœlum, & terram, vt Christum tandem adducant, & terra germinet virgultum, radicem, & mandragoram istam, quæ de terrenis ad cœlestia ascendere faciat homines, & extasim operetur. De qua loquens Dionysius Areopagit. lib. de Diuinis Nominib. cap.4. part.1. ait; est autem mentis secessum, extasimque facit Diuinus amor, amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amant penitus transferens. Idcircò Paul. ille cùm diuino amore flagraret excessiuæ illius virtutis particeps factus, sacro ore inquit. *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus*; tanquam nouus amator mentis excessum patiens &c. Senserat itidem, multò antequam Paulus, vim istius Diuinæ mandragoræ Dauid, quando veluti extra se positus dicebat: *Defecit in salutare tuum anima mea; & in Verbum tuum supersperaui* vbi Rex Propheta defectum, & deliquium animi fatetur ex eo, quòd diu sperauit Verbum diuinum factum hominem; est enim

Cant. 1. num. 4.

Ps. 118. num. 81.

enim particula illa, & , rationalis, & causatiua, sicut plerunq; esset solet in sacra Scriptura: dictum verò locum sic explicat Ambros. Serm. 11. in dictum Psalm. post princip. dicens: idem est deficere, & in id vnumquéque totis studiis migrare, quod diligat: illud cogitat, illi adhæret, illud personat, quod recepit diligendum, in id quadam animi affectione transfunditur, vt si mater filij expectet præsentiam quemadmodum expectabat Tobiæ vxor filium peregrinantem, deficiens à desiderio, & in angustiis constituta, & tanquam destituta viribus; quid enim mali nisi defectum quendam eius verba significant? Sed quò magis lassatur affectus, eò amplius amor crescit, & quò diutiùs abest quod desideratur, eò expectantium desideria maiori quadam vi amoris ignescunt. Caro deficit, sed cupiditas alitur, & augetur. Hinc ergo colligere possumus, quid sit: *Defecit in salutare tuum anima mea.* Itaque sanctus, & timens Deum nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus; illum concupiscit, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fouet, illi se aperit, & effundit. Itaque quantò maiori desiderio exercitata fuerit anima cupiens, tantò magis deficit; ergo ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur; aberat à salutari Dei, concupiscebat, desiderabat, & deficiebat, & eo dissoluebatur affectu, vt totus illius fieret, quod desiderabat. Sic Ambros. nobis describit effectum illius mandragoræ, quam Isaias prædixit in terra nascituram, vt homines à terrenis alienaret, & totos ad cælestia transfunderet. Ambros. suffragatur Basil. in Reg. Fus. disp. resp. ad 2. post princ.

Vnde iam intelligitur id, quod Isai. citato loco addit veluti futurum ex tanto beneficio, quale erat Filium Dei fieri hominem, sic enim habet: *Labor Ægypti, & negotiatio Æthyopiæ, & Sabbæin viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te ambulabunt, vinctis manicis pergent, & te adorabunt, teq́; deprecabuntur: tantum in te est Deus, non est absque te Deus, tu es Deus verè, tu es Deus absconditus, Deus Israël Saluator; confusi sunt & erubuerunt omnes, simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. Israël saluatus est in Domino, non confundemini, & non erubescetis, neque in sæculum sæculi*, &c. Qui locus intelligitur à Patribus de Christo Domino, & continet manifestè effectus Incarnationis Diuinæ, ita vt expositione minimè indigeat. Supr. nu. 14.

Quòd si mandragoram non in eo sensu de vi, & efficacia ad amorem conciliandum per gustum, sed per odorem sumamus, non minùs rem conficiet; pro quo aduertendum est, mandragoram suauem odorem ex se efflare, vt videre est apud Augustin. libr. 22. contra Faust. cap. 56. modo nobis satis sit Sacer. text. Cantic. 7. vbi diuina Sponsa fortè alludens ad mandragoram Sponsi sui in terra nascentis, ait: *Mandragoræ dederunt odorem suum*; quibus in verbis videtur Sponsa fateri, se statim atque sensit flagrantiam, & suauitatem iam diu concupitæ mandragoræ, scilicet Dei hominis, statim omnia reliquisse, & contempsisse, & quæ in terra à se maximè videbantur dilecta, longè aliter atque Rachel olim fecit; illa enim etiamsi dilectum suum Iacob pro mandragoris filij Liæ dimiserit, vna vtique nocte dimittit, in posterum possessura, sicut habetur Genes. 30. At Sponsa, & noua, & vetera dimisit propter mandragoras, non quidem filij Liæ, Cant. 7. num. 13. Gen. 30. num. 15.

sed

sed Rachelis pulcherrimæ, scilicet, propter Verbum in carne, & secundum eam natum ex Maria Virgine, vnde sese magis explicans, sicut solet Scriptura, addit: *In portis nostris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*, quo in loco LXX. habent: *In hostijs nostris omnes nuces nouas, & veteres*; vbi allusio videtur esse ad antiquum morem, secundùm quem nuces spargebantur ad ostium Sponsi, aut Sponsæ; ideóque Virgil. Eclog 8.

———Tibi ducunt uxor,
Sparge marite nuces.

Et Persius.

Et nucibus facimus quæcumq́; relictis, &c.

Vbi Iambin. ait: hinc nuptiarum mariti noui nuces spargebant, significantes se ineptiis renunciare. Vnde patet sensus prædicti loci, fatetur enim Sponsa, statim atque sensit flagrantiam mandragoræ, scilicet Filij Dei in carne, omnes nuces sparsisse, & renunciasse omnibus, quæ in terra habebat, vt Sponso, reddito iam fratre, potiretur; quæ fuit ratio cur Isai. prædixerit oriundum Messiam seruatorem sicut virgultum, aut mandragoram, cuius suauitate capti homines omnia temporalia dimittentes cum Petro possent dicere, *Ecce nos reliquimus omnia, &c.*

Sed quid mirum si tam ardenter homines Deum hominem videre exoptauerint, quando & Angeli eum conspicere maximè gestiebant; hoc enim videtur significatum in ea scala mystica, quam vidit Iacob profe-
Gen. 28. nu. 12. ctus in Mesopotamiâ Genes. 28. per quam ascendebant Angeli, & descendebant, quem locum de semetipso videtur explicare Christus Do-
Ioan. 1. nu. vlt. minus Ioan. 1. quando dixit Nathanaëli: *Amen dico vobis videbitis cælum apertum, & Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis*; vbi aperta allusio est ad illos Angelos ascendentes, & descendentes super Iacobum, Christum iam tum temporis adumbrantem, sicut notauit August. alioquin somnium hominis nequaquam sic diligenter scriberetur à sacro Auctore, nisi magnum aliquid in illo figuraretur; sic enim habet Augustin. Serm. 40. de verbis Domini post princ. somnium hominis non scriberetur, nisi magnum in illo aliquod figuraretur mysterium, & magnum aliquod prophetatum in illa visione intelligeretur. Denique ipse Iacob, quia intellexit quid viderit, posuit ibi lapidem, & perfudit oleo. Agnoscitis chrisma, agnoscite & Christum; ipse est enim lapis quem reprobauerunt ædificantes, &c.

Videndus de hoc mysterio idem Aug. tract. 7. in Ioan. & lib. 12. cont. Faust. cap. 27. & lib. 16. de Ciuit. cap. 38. & lib. Quæst. in Genes. quæst. 83. & 84. & in Psalm. 44. & alibi sæpe, quibus in locis asserit August. fuisse illam imaginem scalæ prophetiam de Christo, & proinde citatis verbis dictam prophetiam illustrasse, & aperuisse Christum Dominum Nathanaëli, tanquam legis perito, vt eam, quoniam ad tempus Christi maximè pertinebat, animo recoleret, & fateretur tempus iam adesse, quo complenda erat, quasi dixerit Christus Dominus Nathanaëli. Videbitis profectò quod olim vidit Iacob adimpletum iam esse; tunc enim Angeli maximè exoptantes aduentum Messiæ eum in remoto adhuc proauo inuisere properabant & contemplari nitebantur eam carnem, quam Filius Dei erat assumpturus ex progenie illius hominis, cui aperta de illo fuerat facta promissio ibidem num. 14. *Benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ tribus terræ*; vnde Ambros. lib. 2. Gen. 28. nu. 14.

de Iacob, & Vita beata cap.4. loquēs de Iacob prædictam scalam contemplantem, ait: Christum præuidit in terris, ad quem Angelorum caterua descendit, atque ascendit obsequium proprio Domino præbitura seruitio, & Chrysost.tom.6.Serm.9. de Ascensione, post medium, dictum ascensum, & descensum Angelorum ad desiderium, quo flagrabant Angeli videndi Christum sic acutè deducit: hoc proprium desiderantium est contemplari inopinatum spectaculum, talis concupiscentium, atque amantium mos est, neque tempus expectant, sed tempus præfinitum lætitia anticipant, idcircò descendunt noui, & inauditi illius spectaculi videndi desiderio impulsi, &c. Protendebat enim dicta visio id, quod postea, visum est in Aduentu Christi, scilicet, vt inclinarentur cœli, sicut dixit Dauid Psalm. 17. vbi Hesych. terram cœlo coniunctam, & communem inferioribus cum superioribus præstitam intelligit: nam sicut dixit Chrysost.hom.11.in Ioan. Tunc cœlum terra facta est, cùm cœli Dominum contineret, proindéque cùm Angeli multò ante Deum hominem factum contemplarentur, & terram veluti in cœlum conuersam viderent, ad eam visendam descenderunt. Idem videtur asseruisse, tomo 6.Serm.4. de Ascens. statim post princ. vbi ait. Radix festorum Christi est eius in carne post Conceptionem, admiranda ex Sancta Virgine Deipara Natiuitas, qua Christus Deus inclinans cœlum in terram ad nos venit. Similia habet Damasc. 3. de Fide cap.1. vbi sic ait: *Inclinauit cœlos, & descendit*, hoc est, inhumiliabilem eius altitudinem sine humilitate humiliauit, & descendit cum seruis suis descensu ineffabili, & incomprehensibili, & perfectus Deus existens, perfectus homo fit; quod omnium nouorum maximè nouum est, & quod solum nouum sub Sole. Aduertit autem Euseb. ad dictū locum Psalm. Non vnum, sed omnes cælos inclinatos ad humilitatem celsitudinis Dei, & Diuinitatis exinanitionem denotandam. Euthym. verò exponit de ministerio Angelorum, quod exhibuerunt Christo ij, qui postea, nato Domino, de cœlo descenderunt, vnde in Natiuitate dicit Ecclesia, mellifluos factos cœlos. Eius Aduentum admodum cupientes super Iacobum descēdebant Angeli veluti sese abinde ad id tempus fœlicissimum disponentes, & præparantes.

Psal. 17. num. 10.

Meminit Saluian.lib.1.de Prouid. post med.tom.5.Bibliot. olim gehēnam super Sodomam pluisse. Gen. 19. cùm scilicet Dominus pluit sulphur, & ignem de cœlo, vtpote quia tùm temporis terra, gehenna erat, & locus immundus: nam gehenna, Hebraïcè *Geon*, significabat vallem Hierosolymis vicinam ad plagam orientalē Cedronis aquis irriguam, cuius loci nomen translatum est ad significandum infernum, tum ob diram immanitatem, qua cultores Moloc adolere ibi soliti fuerant in holocausta liberos suos, vt constat ex Hierem.7. tum etiam ob fœditatem loci, qua de re plura diximus ad cap.3. Iacobi num.6. in litera. Spurcissimus itaque ille locus erat, & incendio præposteræ concupiscentiæ deflagrabat, proindéque super talem ignem aduenit alius ignis de cœlo, & infernus pluit super infernum, & qualis terra aderat, tale se illi præbuit cœlum; ait enim Saluian. Iam quidem ad instar futuri iudicij iudicabit Deus; cùm enim ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestū sit, Sodomam, & vicinas eius vrbes cœlestis flamma consumpsit, in præsenti autem illud

Gen. 19. num. 24.

Hierem. 7. nu. 31.

lud

lud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quia super impium populum gehennam misit è cœlo, tantum ille. Quia igitur terra imitabatur infernum, misit in eam cœlum infernum, quia verò terra aduentu Messiæ conuersa est in cœlum, ideo & cœlum decidit in terram, & ad huiusmodi descensum se præparantes Angeli super Iacobum descendunt veluti si cœlum Angelis plueret super terram, & quia illi summopere exoptabant descensum filij Dei è fastigio suæ Diuinitatis in humilitatem nostræ carnis, id multò ante præuenientes ad vmbram mysterij descendunt, ne illis tandem fieret noua, quando in plenitudine temporis omnium nouitatum nouitas adueniret.

Nisi fortè & Angeli exoptantes complemẽtum ruinæ malorum Angelorum, quod sciebant præstandum esse per aduentũ Messiæ, cuius incarnatio futura nobis erat scala, & assumptio, ac eleuatio in cœlum, propterea descendunt, & ascendunt, vt nostrum ascensum denotarent per descensum Verbi ad humilitatem carnis, in quam sententiam dixit Diuus Leo Pap. Serm. 5. de Natiuit. cap. 3. In assumptione naturæ nostræ nobis factus est gradus, quoad ipsum per ipsum possimus ascendere; & cap. 4. ait: Creatoris ad creaturam descensio, credentium est ad æterna subuectio. Et Ambros. Serm. 10. in Psalm. 118. Nobis carnem suscepit, imò potius nos in illa carne suscepit; quibus similia sunt quæ habet Bern. Ser. 1. de Natali Domini. Cùm igitur Angeli viderint sedes suas reparandas, & ruinas implendas per aduentum Messiæ, cuius Incarnatio nobis futura erat scala ad cœlos conscendendos, illi veluti gratulabundi, & iam tum temporis magna perfusi lætitia ad terram descendebant visuri, vel in typo filium Dei incarnatum, & veluti manum præbentes iacenti homini, vt eum erigerent, & dirigerent ad cœlestes sedes, quod ipsi præ omnibus in votis habebant.

Et quasi hoc vehemẽs desiderium cœlitum, ipsa cœli lumina agnoscerent, illi se vidẽtur conformasse, cum ad vocem, & iussum Christi desiderati steterunt. Locutus est olim Iosuë Soli, & Lunæ, quando dixit. c. 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Ælon: steteruntq́; Sol, & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis.* Rem deducit Ambros. ad Iesum filium Dei in carne, quem vt aspicerent prælиantem, & vincentem in vmbra saltem, & figura steterunt Sol, & Luna: cuius enim luce denuò illustrandi erant (vtpote qui verus Sol erat) hunc videre anhelabant, proindéque vt iam tum temporis contemplarentur, medium cursum intercipientes steterunt. Sic ergo habet Ambros. Apolog. 2. Dauid. Quia in Iesu (scilicet Naue filio) typum, & figuram agnoscebant, & nomen, neque enim in sua virtute Iesus Naue, sed in Christi mysterio cœlestibus numinibus imperabat: designabatur enim Dei filium in hoc sæculum esse venturum, qui mundani luminis cõcidentis, & iam vergentis in tenebras, virtute diuina differret occasum, lucem redderet, inueheret claritatẽ, &c. Quod etiam in eodem sensu prosequitur Anastas. Sinaïta lib. 4. Examer. in fine. Ex quibus facilè colligitur cœli lumina in sui decorem & illustrationem, lumen ad reuelationem gentium exoptasse, & Angelorum vestigiis veluti inhærendo multò antequam Christus Dominus appareret in terris, ipsi vel in figura obsequium præbuisse.

Iosu. 10. nu. 12.

Neque etiam mirum erit si cœlestia

lestia cœlorum Domini aduentum præoptauerint, quando ipsa irrationalia in terris nihil magis desiderasse testantur: hinc enim est quòd nato Domino blandiebantur, obsequium præstabant, & quo poterant modo gaudium, & lætitiam profitebantur, quod prosequitur Chrysolo. Serm. 141. dicens: Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus; linguis lambũt, &c. Ipsa denique insensibilis terra nihil magis videbatur optasse, quàm aduentum Filij Dei in carne, quod vel ex eo possumus deducere, quia sitiens, hiantique ore suscepit sanguinem primi iusti, qui iustissimi Seruatoris nostri figura fuit, vnde Caino dixit Deus: *Aperiens os suum*, scilicet, terra, *suscepit sanguinem fratris tui de manu tua*, Genes. 4. Metaphora quidem sumpta ab arida, sitientique terra, quæ veluti si multas fauces aperiat in scissuras disrumpitur, vt quasi multiplicato ore aquam, & remedium à cœlo postulet, & præstoletur: sic & terra veluti cupiens pretium, & merita illius sanguinis Dei hominis, qui super eam effundendus erat, & quo super omnia ditanda erat, & exornanda, ad effusionem sanguinis illius iusti aperto ore sitim suam, & desiderium alterius iustissimi, & diuinissimi hominis aduentum testabatur. Et huic terræ voto, & desiderio veluti cõdescendens summus Creator illam tertia die exornauit, vt patet, Genes. 1. cum illi dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen in semetipso super terram*: at verò cœlos astris illustrauit, disposuit, & perfecit quarta die, cuius rei rationem præbens Anastas. Sinaita lib. 1. Examer. post med. ait, propterea antè cœlum terra à Deo ornatur, quoniam antè Angelos terra, & terræ geniti homines Deum ad carnem videmus, & ante superna inferna exornans, ea lætificauit, & illuminauit. Ante Cherubim, & Seraphim magi, & publicani, & latrones & meretrices, & peccatores facie ad faciem Deum viderunt, eoque se oblectarunt, & fruiti sunt, deinde cum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus. Sic ille ostendit quomodo in aduentum Messiæ terra herbis, plantis, floribúsque ornata fuerit, quæ erat inuisibilis, & incomposita, vt iam tunc præparetur ad excipiendum verbum in carne, quod iam flagrante desiderio exoptabat, & huic expectationi satisfieret, Deique filium, & florem de radice Iesse iam tunc in floribus, quibus decorata erat, suo modo conspiceret.

Gen. 4. nu. 11.

Genes. 1. nu. 11.

Et forsan ad hoc allusit Isai. quando citato loco cap. 45. postulans, vt terra germinet Saluatorem simul cum cœlo præmittit verba illa, *Aperiatur terra*, quæ propter expositiones iam allatas, illam etiam admittit, vt scilicet recordata primæ illius pulchritudinis, qua tertia die decorata est à Deo, ad suscipiendum Filium Dei factum hominem denuò floribus exornetur, vt illum verum florem recenter natum veneretur. Etenim aperiri terram, significat mitius tempus postquam præcessit inclementius, & obscurius: nam apertum vocamus tempus vernale, quando in tepescente cœlo, quæ fuerunt contracta frigoribus, soluuntur, & laxantur floresque apparent, & viridátibus vestitur foliis vniuersa terra, qua de re Ouid. dixit. Isai. 45. nu. 6.

Aprilem memorat ab operto tempore dictum.

Virgilius quoque in vere tempus aperiri dicit, quod hyemis horrore clausum videbatur, sic enim habet 1. Georg.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.

Vbi videtur contineri allusio ad nomen Aprilis, quo tempus aperiri dicitur, & terra etiam: ea enim quæ hyemali glacie, & rigore clausa erat ne germinaret, aut quidquam ex se produceret, vernante Sole, & aperto tempore, etiam aperitur, & ex se profert vniuersam eam pulchritudinem, quam à principio habuit, & qua nostri exhilarentur oculi. Et sanè Virgil. etiam dixit apertam terram, & resolutam. 2. Georg. his verbis.

Verè nouo gelidus canis in montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.

Vtrumq; complexus Horat. terram, & tempus solui, & aperiri, cùm lib. 1. Ode 4. de illo dixit:

Soluitur acris hyems grata vice veris, & fauonij.

De terra verò ait:

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore terræ, quem ferunt solutæ.

Ex quibus iam innotescit quid voluerit, vel postulauerit Isai. à terra ipsa antequam germinaret Saluatorem, siue Misericordiam, vt habent L X X. vt, scilicet, aperiretur, quæ vsque ad plenitudinem illam temporis, in qua misit Deus Filium suum factum ex muliere, illam speciem habere videbatur, quam habet mundus hyemali glacie horridus, clausus, sterilis, & in nubem æternæ caliginis mersus, qui à cœlo nihil aliud videtur accipere, quàm sempiternam hyemem, quod de Ripheis dixit Solin. cap. 20. & ad veris iam speciem, & delicias restituta, vario florum, & virgultorum ornatu illustrata appareret, vt de ea iam iure posset dici, & inuitari sponsus illis Cant. verbis, cap. 2. *Iam hyems transiit, imber abijt, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum*; nihilque est cur moreris, cùm ad tui germinationem aperta quidem sit, & operta simul terra, aperta quidem à tristitia, & luctu hyemali, operta verò floribus ad tui susceptionem, & coronationem.

Cant. 2. num. 11. 12. & 13.

Denique ipsemet Deus Pater in Filij sui Incarnatione sibi maximè complacuit, proindéque antequam fieret, illud videtur optasse; cũ enim Deus maximè diligeret homines, & super sydera, & in æternitate sua, sicut dixit Bernard. Serm. 70. in Cant. Amabat, inquit, & super sydera, quia nusquam, & nunquam potuit non amare, quia amor est, &c. Etenim Deus in suamet Essentia veluti in principio, causa, & fonte relucentes homines dilexit ab æterno, & cùm proprium amoris sit seipsum manifestare, & prodere; dum amor iste intra Deum collectus minimè prodibat in externa opera, interiùs ardebat cupidus suæ manifestationis, donec tandem incepit Deus creare cælum, & terram: statim namque vbi in externa opera transiit, *Spiritus Domini*, siue amor Dei, in amore producto significatus, *Ferebatur super aquas.* Genes. 1. vbi pulchrè Rupert. ait. Ferebatur super aquas, quia inquietus erat, quousque vidit hominem creatum, super quem requiescere posset. Creato igitur homine, locutus est illi Deus multifariam, multisque modis, per creaturas, scilicet, etenim Deus inuisibilis cùm sit, indutus quasi vestimento suis operibus, visibilis nobis redditur, & cognoscibilis, & veluti nobiscum loquens, quod dixit Regius vates, Psalm. 103. *Amictus lumine sicut vestimento*; quibus verbis significauit singulis rebus productis se nobis cognoscibilem reddidisse, & nobiscum loquentem: agebat enim eo in loco de creatione

Genes. 1. num. 2.

Ps. 103. num. 2.

per quàm Deus cognitus est ab hominibus; ex eo enim quia ouem condiderat, illud sequebatur, quod Propheta dixit: *Benedic anima mea Domino*: cuius rei rationem reddens subdit, *Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento*: nam sicut dixit Hieron. in cap. 1. Ezech. Quamcunque creaturam aspicias, fulgurat Dei scientiam, & notitiam. Videndúsque erit Gregor. Nyss. ad illud Cant. 1. num. 3. *Oleum effusum nomen tuum*, vbi asserit, in singulis creaturis reliquias reperiri diuinæ bonitatis, ex quibus Deum cognoscere possimus, non aliter quàm ex reliquiis pretiosi odoris, qui in vase aliquo contentus fuerat, ipsum odorem flagrantissimum postea cognoscimus. Quod etiam dixerat Euseb. Cæsar. lib. 5. Demonstrat. Euangel. cap. 1. Et ante ipsum, Dionys. Areop. lib. de Diuinis Nomin. part. 1. cap. 4. Clarissimè Philo, libr. 2. Legis Allegor. vbi inter alia ait. Moyses ille sic loquitur, ostende mihi teipsum, manifestè te videam, nolo mihi te ostendas per cœlum, terram, aquam, aërem; neque in vlla re tanquam in speculo contempler ideam tuam: nam quæ in creaturis apparentiæ sunt, dissipantur, quæ autem in increatis stabiles, illæ sempiternæ, firmæque permanent.

Cant. 1. num. 3.

Manifestauit se deinde Deus hominibus loquens per Patriarchas, & Prophetas; sed quia neque adhuc sic loquens, & ostendens se manifestabat viscera misericordię suæ, quæsiuit modum, quo tandem patefaceret, est siquidem proprium amoris, cordis propagatio, iuxta illud Dalilæ ad Samson. Iudic. 16. *Quomodo dicis quod amas me, cùm animus tuus non sit mecum? Tunc aperiens veritatem rei, dixit*, &c. vbi Hebr. & Grecè habetur, *Omne cor suum aperiens*; sic enim vt amorem testaretur cor illi aperuit, quod proprium amantium est, vnde in Torculent. Astaph. dixit.

Iudic. 16. num. 15.

Apud hunc mea hera consilia summa loquitur liberè.

Imò ipsa hera Dinarco adolescenti.

Tibi mea consilia summa semper credidi.

Et ipse Dinarcus etiam ait:

Proh Dy immortales! non amantis mulieris;
Sed sociæ vnanimantis, fidentiùs fuit
Officium facere, quod suo hæc fecit mihi.
——— *Quod mihi credidit*
Germana quod sorori non credit soror;
Ostendit sese iam mihi medullitus
Se mihi infidelem nunquā, se viuam, fore
Ego ne illam vt non amem?
Ego ne illi vt non bene velim?
Mè potius non amabo, quàm desit huic amor.

Cùm verò sicut dixit Basil. homil. in princ. Euang. Ioan. & Damasc. lib. 1. de Fide, cap. 17. vocalia verba imagines, & signa sint internorum verborum, quia nequimus interna ipsa verba propalare, ea per externa verba, & per exteriora signa manifestamus; & quod corde habemus ore prodimus; meliùs, & clariùs locuturi, si interna verba possemus in medium adducere, tunc enim & de veritate constaret, & de voluntate, & amore nullatenus esset dubitandum. Sic ergo nobiscum loqui dignatus est Deus, dum nobis Verbum suum in carne reddidit, testatus & veritatem suæ dilectionis, & infinitum pretium Diuinæ charitatis, quod ex parte videtur dixisse Nazian. Orat. de Theolog. cùm ait: arcana Patris sui, & sublimia mysteria, ac mandata, nobis singulatiter enarrasse Filium Dei, quod est proprium officium Verbi; sic enim verbum nostrum cordis sententias declarat, quantò magis explicabit Diuinum Verbum,

quid

quid de nobis Deus sentiat, quid à nobis velit, quomodo nos velit, imò nullo meliori modo hoc totum nobis innotescere poterat; nam sicut notauit Tertull. libr. contr. Prax. & Minutius Felix in Dialogo, qui inscribitur Octauius, Deus nec videri poterat sensu: maior enim est; nec audiri, quia auditu superior est; similiáque dixit Dionysius Areop. libr. de Diuin. Nomin. & Nazianz. Oratio. 1. Apolog. cùm adducit eum locum Prouerb. 25. *Cœlum sursum, & terra deorsum*, siue vt ille legit, *Cœlum excelsum, terra autem profunda*, vt ostendatur quanta sit distantia inter Deû, & homines, quemadmodum eo in loco commentatur Elias Cretens. proinde igitur sicut notauit August. Serm. 38. de verbis Domini, non alio modo, quàm infantibus solet euenire, quibus impares sunt sibi maiores, eisdem lac præbere solent matres, accommodatum cibum eorum imbecillitati, cùm inter brachia materna non longè à mensa esuriant, nónne esca in mensa erat? sed inualidus est infans ad comedendam escam quæ in mensa est, quid facit mater? Incarnat escam, & conficit lac de ipsa, quod infantulus percipere potest, sic Verbum caro factum est, vt lacte paruuli nutrirentur, qui ad cibum quidem eramus infantes. Sic Diuinum Verbum, quod nobis inuisibile prorsus erat, atque etiam Angelis, tandem innotuit; sic ille, quem loquentem ad intra minimè percipere, aut audire valebamus, loquentem nobis in filio percepimus; quod iùre admiratur August. Tract. 1. in Epist. Ioan. Item non sine admiratione putat esse intelligendum eum locum Psalm. 77. *Panem Angelorum manducauit homo*, quasi dicat: visibilis facta est conuersatio, & collocutio mutua reddita inter Deum, & hominem, vt ille, qui velut infans lactis tantùm capax erat, factus iam homo, postquam Verbum caro factum est, panem Angelorum, Deum scilicet, perspiciat oculis suis, percipiat, & manibus contrectet, sicut dixit Ioan. initio suæ 1. Can.

Prou. 25. num. 3.

Psal. 77. num. 25.

Hoc etiam vehementer admiratur Isaïas, cap. 25. cùm de Deo in carne ita ait: *Ecce Deus noster, expectabimus eum, & saluabit nos*; quæ verba Diu. Athanas. lib. de Incarnat. intelligit de Verbo incarnato, omnino enim mirandum est, quod Deus Pater nobis loquatur in Filio, & Verbo suo ita clarè, & manifestè, vt Verbum possimus in carne cernere, & digito demonstrantes eum, qui natura sua inuisibilis est, dicere: *Ecce Deus noster iste*. Vnde & Sponsa maiestate rei admirata, summa tamen perfusa lætitia venientem Sponsum clamoribus excipit, dicens: *Ecce iste venit*. Cant. 2. Loquitur autem de Filio Dei veluti per demonstrationem: nam sicut dixit Nazianzen. Orat. de Christi Natiuit. Expers carnis Verbum Dei crassescit incarnatum, inuisibilis Dei Filius cernitur visibilis iam factus, intractabilis contrectatur, temporis nescius principium capit.

Isai. 25. num. 9.

Cant. 2. num. 8.

Semper tamen habendû præ oculis est id, quod dixit idem Nazianz. Orat. de Fide, quòd Sol cùm nube tegitur, claritas eius comprimitur, non siccatur, nec extinguitur, sic & in eo homine Christo habitans omnis Diuinitas corporaliter minimè extincta est, sed nobis attemperata, & Filius Dei minimè diminutus; vnde Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 18. aduertit Ioannem, postquam dixit: *Verbum caro factum est*, addidisse: *Et vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre*; ne quispiam putaret de antiqua maiestate aliquid perdidisse Filium Dei, cùm caro factus est; sicut etiam aduertit Aug. lib. 3. de Trinit.

cap.19. Neque enim generoſos offendit, aut illorum gloriã deiicit, & extinguit, ſi aliquid humile ſortiantur, aut operentur, ſicut notauit Theophyl. in c.13. Ioan. vnde Paulus dixit ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualẽ Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus,* &c. Quo in loco particula, *ſed,* non eſt aduerſatiua, vt plerunq; eſſe ſolet, ſed potiùs particula correctionis, ſicut peritiſſimi in lingua Græca dixerunt Chryſoſt. Theophil. & Oecumen. ibi; vt ſit ſenſus tantùm abeſt vt rapuerit æqualitatem Diuinam, vt potiùs admodum generoſi hominis ſe exinaniuerit habitum ſeruilem accipiens; ſolùm enim fures alienę gloriæ nihil audent facere, quod humile videatur, metuentes ne gloriã, quam rapuerant, qualibet deiectione perdant: generoſis autem nihil humile potuit eſſe indecorum, ſicut notauit Plutarc. in vita Pomp. Magni narrans infelicitatem Pompeij; poſtquã enim ſuperatus eſt à Cæſare à tanta gloria deiectus, in eas anguſtias adductus eſt, vt omni ſeruorum miniſterio deſtitutus non haberet qui ipſum ablueret, cæteraque miniſteria ſeruilia exhiberet, ſibique ipſemet ſeruire coactus eſt, & tamen inter hæc, & in tanta fortunę commutatione, dignitatem animi ſui retinuit; itaque, inquit Plutarch. exclamaſſe quendam: O quàm decora ſunt omnia generoſis! quò mihi videtur reſpexiſſe Chriſtum Dominum poſt exhibitum ſeruile miniſterium abluendi pedes di-
Ioan. 13. num. 3. ſcipulorum, cùm dixit: *Vos vocatis me magiſter, & Domine, & benedicitis, ſum etenim;* tunc enim quando à Maieſtate, & Gloria Domini defeciſſe videbatur, ſe Dominum eſſe teſtatur, & compellari vult, nequiſquam putaret gloriam, & excellentiam Domini ſeruili miniſterio fuiſſe imminutam: qui enim propriam, & naturalem habet gloriam, & honorem, generoſum ſibi putat & decorum quando opus eſt deiici, ſicut feciſſe legitur Dauid quando abſque deiectione Regiæ Maieſtatis ante arcam ſaltauit, quidquid illi exprobrauerit ſuperba vxor Michol, cui ipſe ſatisfecit dicendo ſe in poſterum coram Domino humiliandum abſque eo, quòd per talem humilitatem aliquid de gloria ſua amitteret.

Quid igitur indecorum Filio Dei potuit eſſe, ſi ſemetipſum exinaniuit, vt plenitudinem eius omnes acciperent, ſi factus eſt homo, vt homines faceret filios Dei, ſi noſtram ſuſcepit carnem, vt nos in illa ſuſciperet honorandos? Nam ſicut dixit Auguſt. lib. cont. Felician. cap. 12. neque conſumit Maieſtatem Filij Dei veritas carnis, aut veritatem carnis immenſitas Deitatis, dum vnum radiat virtutibus ſuis, aliud docetur infirmitatibus noſtris. Solùm autem perditum Iudam potuit offendere carnis humilitas, & Chriſti ſubiectio, qui de illius pretio paciſcẽs dixit Matth. Matth.
26. *Quid vultis mihi dare?* Quo in loco ponderat Hieron. quàm vilem de 26. n. 15.
Chriſto habuerit opinionem: Nec certam, inquit, poſtulabat ſummã, vt ſaltẽ lucroſa videretur proditio, ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuit quantum vellent dare, cùm dixit: *Quid vultis mihi dare?* &c. Vendebat autẽ eo tempore, quo Chriſtus Dominus pretioſo vnguẽto erat delibutus, nullo fortaſſis pretio eum traditurus, ſi tẽpus expectaſsẽt Iudæi quo ante pedes Iudę proſtratus ipſum abluturus iacuit, cùm tamen Chriſti gloriã humilitas carnis, & paſſionis, imò & ablutionis diſcipulorum haudquaquam minuerit, quin potiùs adeò illuſtrauerit, vt quaſi memor illius honorabilis deiectionis in ſublimitate Gloriæ ſuæ dicatur

dicatur præcingendus, quando Luc. 12. loqués de futura gloria ait: *Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere*; Is enim, qui linteo præcinctus per summam humilitatem lauit pedes Discipulorum, nequaquam se ingloriosum putauit, dũ in gloria præcinctus proponitur. Quod agnoscens Dauid Psal. 29. de Messia dixit: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinẽ, & præcinxit se*; quem locum interpretatus Aug. ait. Non indecorè incarnatus est Dominus, sed sicut pulchrè hunc mundum creauit, & potens, & formosus est Dominus creando, potens, & formosus incarnando: non enim lædit generositatem, & infinitatem Dei humilitas hominis, imò à nobis paruulis magni fieri, & magnificari debet magnus Dominus, sed paruulus infans, quando vt nos faceret magnos, paruulus dignatus est fieri, & nostri cognitioni accommodari factus homo, vt per Verbum humanatum intelligeremus Patrem nobiscum loquentem.

Luc. 12. nu. 37.

Psal. 29. nu. 1.

Sic igitur locutus est Pater in Filio, nobisque cor suum veluti dilectis aperuit, vnde interrogatus Christus Dominus vtrùm ipse esset Messias. Luc. 7. respondit: *Ite renunciate Ioanni quæ audistis, & vidistis*. Verbum enim in carne mirabilia edens vox apertissima erat Dei nobiscum loquentis, & vlterioris expositionis minimè indigens. Licèt verò illud Cant. 2. *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens, &c.* tres Patres Græci apud Theodor. ad voces Prophetarum referant, cui expositioni fauet Nyssen. hom. 5. in Cant. cùm dixit; per vocem sponsi significatam esse cõfusam, & imperfectam vocem, quam sponsa ex longinquo audiuit, & veluti per internuncios; tamen ipsummet Verbum in carne ait. Psal. 44. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiscere populum tuum*. Si enim attendat anima qualiter nobiscum locutus sit Deus in Filio, facilè omnia obliuiscetur, relinquet, & se totã ad Deum conuertet.

Luc. 7. nu. 22.

Cant. 2. nu. 8.

Psal. 44. nu. 11.

Huiusmodi igitur locutionem in Filio suo homine facto desiderasse videtur Deus Pater donec venit plenitudo temporis, in quo misit eum, quæ fuit ratio cur in illo maximè sibi complacere asseruerit Matt. 17. cùm dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*; super quæ verba Rupert. lib. 1. de Trinit. & operibus eius cap. 14. sic ait; cùm in isto bono Deus sibi complacere veraciter potuit, quando eum, qui Deus erat, propter charitatem suam hominem fieri, & pro hominibus pati voluit, nullum enim vnquam opus bonitatis laude dignius fecit.

Complacuit itaque Pater in Filio, per quem, & in quo locutus est nobis, & suam excellentissimam monstrauit charitatẽ, quòd iam ab æterno ipse Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis maximè concupierat. Ex quibus tam diffusè dictis patet totius nostri argumenti intentum, nihil scilicet mirũ, aut nouum si tam ardenter Rex Ezechias futuri Dei hominis aduentum exoptauerit, vt nulla alia ratione magis mortem suam deplorauerit, quàm quod illa interceptus ad tempora futuri Messiæ nequiuerit peruenire, cùm fuerit desideratus Messias gentibus omnibus, creaturis, imò & ipsi Creatori.

Fuit itaque Filius Dei in carne desiderium collium æternorum, quia omnia ipsum concupierant, & à tot sæculis prẹstolabantur, vnde post aduentum Christi nihil iam sperãdum, aut desiderandũ restat quod eleganter dixit Tertul. lib. de Resurrect. carnis c. 22. in princ. In Aduẽtu Christi. (Sic enim meliùs legendum est, sicut ibi notauit Pamel.) vota nostra suspirãt sæculi huius occasum, in transitum

ſitum mundi quoque ad diem Domini magnum, diem iræ, & retributionis; quaſi velit Tertull. quòd poſt aduentum Chriſti nihil hominibus iam reſtet ſperandum, aut optandum, niſi finis mundi, & ſecundus aduentus eiuſdem Domini ad iudiciũ, quo peracto ipſum tandem videbimus ſicuti eſt in Cœlo. Vbi notandus itẽ venit alius locus eiuſdem Tertull. lib. de Idololat. c. 9. vbi ponderat Aſtrologiam tandiu permiſſam, quandiu de Cœlo ſperabatur Meſſias, poſt illius verò aduentum non eſſe cur obſeruentur ſydera, & motus Cœlorum numerentur, ſic enim habet: vrbs hæc Italia interdicitur Mathematicis, ſicut Cœlum, & Angelis eorum primi Stellarum interpretes natum Chriſtum annunciauerunt, primi numerauerunt, hoc nomine Chriſtũ (opinor) ſibi obligarunt, atenim ſciam iſta vſque ad Euangelium fuit conceſſa, vt Chriſto edito nemo exinde natiuitatem alicuius de Cœlo interpretetur, &c. poſtquam enim Cœlum totum bonũ nobis infundit, quod habebat, iam nihil inde nobis ſperandum reſtare videtur, niſi in Cœlo, ſeu in terra viuentium ipſum conſpicere. Quo ſenſu etiam venit intelligendus Aug. ſerm. 16. de Natali Domini, vbi ſic incipit: Hodiernus dies ad habendam ſpem vitæ æternæ magnum contulit gaudium generi humano, nulla ſiquidem nobis iã reſtat ſpes alicuius boni potiũdi niſi futura vita, vbi illud in æternũ videbimus.

Quòd ſi velimus adhuc inquirere, cur tantopere olim aduentum Dei hominis ſancti Patres, & cùm eis Ezech. exoptauerint, omiſſis pleriſque rationibus, quæ hac in re afferri poſſunt, ea nobis placet, quia noua res erat, & nunquam viſa, aut audita: nam ſicut dixit Ouid. 3. de Ponto.

Eſt quoque cunctarum nouitas gratiſſima rerum.

Et Plato in amat.

Semper noua, & pulchra ſtupeſco.

Cùm igitur incarnatio Dei nouitas nouorum omnium eſſet, & per illam omnia innouanda; vnde nouum appellatur Hier. 31. *Creauit Deus nouum ſuper terram, fœmina circumdabit virum*; vbi *creauit* pro *creabit*, ſeu faciet ponitur de more prophetico: *Nouum*, rem nouam, admirabilem, & inauditam, *Fœmina circumdabit virum*, id eſt, Beata Virgo mater Chriſtum concipiet, & portabit, complectetúrque vtero ſuo Chriſtum, corpore quidem paruum, ſapientia verò virum perfectum. De quo teſtimonio videndus eſt Galat. lib. 7. de Arcanis Cathol. verit. cap. 14. modò ad noſtram ædificationem ſatis ſit Bern. hom. 2. ſuper miſſus eſt ad med. vbi ait. Quæ eſt hæc fœmina, quis verò iſte vir, aut ſi vir quomodo à fœmina circumdatus? Aut ſi à fœmina circũdari poteſt quomodo vir? Et vt apertius dicam, quomodo poteſt ſimul & vir eſſe, & in vtero matris? Hoc eſt enim virum à fœmina circumdari, ſin dixiſſet fœmina circumdabit infantem, vel paruulum, nec nouum videretur, nec mirum. Quid eſt hoc miraculi? Sed verto me ad conceptum, partúmque virginalem, ſi fortè inter plura noua, ac mira, quæ ibi profectò inſpicit qui diligenter inquirit, etiam hãc, quam de Propheta protuli, reperiam nouitatem. Porrò ibi agnoſcitur longitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana, ibi agnoſcitur lux non lucens, verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriens. Videas, ſi attendas, potentiam regi, ſapientiam inſtrui, virtutem ſuſtentari; Deum denique lactentem, ſed miſeros reficientem. Vnde Damaſc. lib. 3. de Fide c. 10. vocat hoc myſterium

Hier. 31. nu. 22.

rium nouum omnium nouorum, quod prius dixerat apud Dionyſ. Hieroth. c.2. de Diuinis nominibus p.2. verum quidem eſt (inquit) nouitatum omnium ſupereminens nouitas,&c.

Nouitas itaque fuit hæc, quam nec humanus, nec Angelicus intellectus potuit euidenter cognoſcere, etiam poſſibilem;vnde Sacramẽtum abſconditum dicitur à Paulo Epheſ. 3.& 1.Corint.2. & Ambr.lib.10. de Fide ad Gratian. cap.1.cùm prius de æterna generatione dixiſſet: mihi cui impoſſibile eſt ſcire generationis ſecretum,mens deficit,vox ſilet, non mea tantum, ſed etiam Angelorum. Subdidit inferiùs: non ſola admirabilis ex Patre generatio Chriſti, admirabilis etiã eius generatio de Virgine. Et Aug.ſer.8.de Natiuit. Chriſti de hac etiam Natiuitate intelligit illud Iſai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Et Cyrill. Alex.libr.de Incarn. Vnigen. cap.7. dixit adunationem Verbi cum carne omni humana cognitione eſſe ſuperiorem. Videndus Aug.Epiſt.3.ad Voluſian. & lib.7.Confeſſ.c.19.vbi fatetur ſe antequã Chriſtianæ Fidei lumine plenò illuſtratus eſſet;nec ſuſpicari quidem potuiſſe quid ſibi velint ea verba apud Ioan.1. *Et Verbũ caro factum eſt.* Et ſerm.5. de Natali Domini ad med. ait: O dies dierum omnium nouitas! & poſt medium in cõmendationem iſtius nouitatis ait. Præter hunc legitimum humanæ cõceptionis vſum,tres valde mirabiles naſcẽdi ſpecies operatam reperies Trinitatem, & prima eſt quòd Adam figuratus ex limo eſt; ſecunda quod mulier formata eſt de maſculo; tertia, quæ & cœleſtis eſt, quòd Chriſtus proceſſit ex Virgine: quid horum non nouum? Quid horum non mirabile? Noſtræ hoc ſalutis neceſſitas flagitabat, nimirum vt cœleſtis tãdem generatio repararet, quod natiuitas humana perdiderat. Et ſerm.9. poſt princip. O mira! & inexquiſita compago; ô noua, & inaudita commixtio!fit Creator creatura, qui immenſus eſt, capitur, diuites conſtituens, pauper efficitur, numeratur in ſæculo, qui eſt ante ſæcula.

Epheſ. 3. nu.9.
1. Cor.2. nu.7.
Ioan. 1. nu.14.

Sed age iam & nouitates in nouo myſterio vtcumque proſequamur. Nouus imprimis apparuit infans, quia magnus Dominus prodiit in paruulo infante, quod expendens Bernard. hom. 3. ſuper miſſus eſt ad fin. ait: magnificetur à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos factus eſt paruulus. *Paruulus* (ait Iſai. cap. 9.) *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*; nobis inquam, non ſibi, qui vtique ante tempora multo nobilius natus ex Patre, naſci temporaliter non indigebat ex matre; non Angelis quoque, qui cùm magnum haberent, paruulum non requirebant. Vtamur ergo noſtro in noſtram vtilitatem,de Saluatore ſalutem operemur. Ecce paruulus in medio ſtatuitur! O paruulus paruulis deſideratus? O verè paruulus, ſed malitia, non ſapientia. Studeamus effici ſicut paruulus iſte,diſcamus ab ipſo,quia mitis eſt, & humilis corde, ne magnus videlicet Deus ſine cauſa ſit homo paruus.Et Auguſt.ſerm.12.de Natali in fine. Qui minimus inclinatus eſt, & nos erexit,minimum elegit diem, ſed vnde lux creſcit, ipſo ſuo tali aduentu nos etiam tacitos, tanquam ſonitu magni clamoris exhortans, vt qui pauper propter nos factus eſt, in illo diuites eſſe diſcamus,qui propter nos formam ſerui accepit,in illo libertatem accipiamus. Et ſerm.13. ad med. Humiliata eſt virtus,vt pietas augeretur, & quod ad laudem eius nominis pertinet, viſa eſt poteſtas

Iſai. 9. nu.6.

testas, minus velit quàm posset; ergo sicut Deus noster suscepit in se, ita & Deum nos suscipiamus in nobis. Videndus item Ambros. pro nouo puero præfat. in Psal. 35. cùm ita habet. Magnus Dominus, & magnus puer, nec in carne Magnitudinis suæ nomen amittit, cuius Magnitudinis non est finis. Videndus etiam Tertul. lib. 4. cont. Marc. cap. 21. ad fin. vbi confert Christum infantem cum cæteris hominum filiis recenter natis, aitque. Nec per immunditias inter sinus voluptatis, molestus vberibus, diu infans, vix puer, tardè homo; sed de Cœlo expositus, semel grandis, semel totus, statim Christus, spiritus, & virtus: ita voluit, vt liuore eius sanaremur, & de dedecore eius salus nostra constaret. Et meritò se pro suo homine deposuit, pro imagine, & similitudine sua, non aliena; vt quoniam homo non erubuerat lapidem, & lignum adorans, eadem constantia non confusus de Christo, pro impudentia idololatriæ satis Deo faceret per impudentiã fidei, quibus in verbis Tertull. mens mihi videtur in eo esse, vt velit Deum nõ erubuisse ea, quæ humanitatis, & ignobilitatis nostræ sũt assumere, in confusionem eorum hominũ, qui relicto Deo viuo, & vero, ea, quæ Dei propria erant falsis attribuebant Diis, & qui præfricata fronte idola adorabant, vt relicta eorum vanitate, iam deinceps minimè erubescerent cõfiteri coram hominibus eum Deum, qui magnus cùm esset, nostra humilia, & cõtemptibilia amplexatus sibi vniuit, & deposuit se propter nos homines, & propter nostram salutem, vt & salutem nostram operemur, improperia Christi portando, & ignobilitatem carnis suæ; qua Diuinitatem texuit, & operuit, confitendo. Vnde Aug. in Ps. 95. ait: nolite contemnere paruum: intelligite magnum: paruus factus est, quia parui eratis, intelligatur magnus, & in illo magni eritis. Quid dictum est? Lingua parua ad laudandum magnum. Videndus item Bern. ser. 1. de Omnibus Sanctis post princ. vbi ponderat Deum magnum, & excelsum se humiliasse, vt ad excelsum illum gigantem possemus accedere, & reclinatum, tandem vt ad eum, quem nec ipsi quidem Angeli stantes attingere poterant, etiam publicani, & peccatores accedant. Accedat Maria Magdalena, accedat, & latro de Cruce, &c.

Nouus item infans, quia infirmus apparuit, & imbecillus cum Omnipotens esset, quod benè prosequitur Bernard. ser. de Diligendo Deo in med. vbi ait. In nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio Incarnationis eius, in nullo sic reuelatur eius pietas, in nullo sic apparet benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste ad Tit. 3. *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei*: nam potentia quidem occultata est, quoniam in infirmitate venit; vnde Abac. 3. *Abscondita est*, (inquit) *fortitudo eius*; Sapientia quoque abscondita est, & incarnata; placuit enim ei per stultitiam saluos facere credentes. Nónne quodammodo stultum se fecerat, qui tradidit in mortem animam suam, & quæ non rapuit tunc exoluebat? Nónne ebrius erat vino charitatis, & immemor sui, contra Petri consilium dicentis, *Propitius esto tibi?* Itaque abscondita est fortitudo, maximéque velata, & incarnata Sapientia, sed benignitas nõ potuit ampliùs declarari, nec abũdãtiùs exprimi, nõ euidentiùs cõmendari, &c. Suffragatur Aug. ser. 5. de Natali Domini ad fin. dicens: occultatur in moribus infantis potẽtia Maiestatis: Deus pẽdet ad vbera Genitricis, pannorũ vilium

Tit. 3. nu. 4.

scalore

ſcalore contegitur, &c. Nec omittendus Fulgent. ſerm. de S. Stephan. cùm ait: Rex noſter cùm ſit altiſſimus, pro nobis humilis venit, ſed inanis venire non potuit, &c.

Noua item Natiuitas: quia nulla alia ſimilis in terra viſa eſt, nec habere ſequentem, in qua, ſcilicet, nulla corruptio, labes, vel imminutio, ſola ſiquidem fuit ſimillima illi, qua Filius Dei de Patre ab æterno naſcitur, quod ponderat D. Ambroſ. ſerm. 16. qui eſt de Natali Domini ad fin. cùm ait; ideò ſecunda Natiuitas per immaculatam Mariam, quia prior per Diuinitatem conſtiterat illibata, vt cur prior Natiuitas glorioſa extitit, eius ſecunda contumelioſa non fieret, hoc eſt quemadmodum virgo illæſa Diuinitas ediderat, ita eum Virgo Maria generaret, &c. Videndus hac de re Tertul. lib. de Carne Chriſti cap. 17. vbi nouitatem huius Natiuitatis ſic proſequitur. Nouè naſci debebat nouæ Natiuitatis dedicator, hæc eſt Natiuitas noua; dum homo naſcitur in Deo, in quo homine Deus natus eſt, ſed tota Natiuitas iſta ſicut & in nouis, de veteri figurata eſt; Virgo erat adhuc terra, nondum opere compreſſa, nondum ſemini ſubacta; ex ea hominem factũ accipimus a Deo in animam viuam. Igitur ſi primus Adam de terra traditur, meritò ſequens & nouiſſimus Adã, vt Apoſt. dixit 1. Cor. 15. proinde de terra, id eſt, carne nondũ generationi reſignata in ſpiritum viuificantem à Deo eſt prolatus, & tamen ne mihi vacet incurſus in Chriſtum, (Adã ab Apoſtolo dictus eſt, ſi terreni non fuit cenſus homo eius; ſed & hic ratio defendit.) In Virginẽ adhuc Euam irrepſerat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, vt quod per huiuſmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redigeretur in ſalutem: crediderat Eua ſerpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit, ſed Eua nihil tunc concepit in vtero ex diaboli verbo, imò concepit, non ſam exinde vt abiecta pareret, & in doloribus pareret, verbum diaboli ſemen illi fuit; enixa eſt denique diabolum fratricidam, contra Maria eum edidit, qui carnalem fratrem Iſraël interemptorem ſuum ſaluum quandoque præſtaret. In vuluam ergo Deus Verbum ſuum detulit bonũ fratrem, vt memoriam mali fratris eraderet, inde prodeundum fuit Chriſto ad ſalutẽ hominis, quo homo iam damnatus intrauerat; ergo iam Dei Filius ex Patris Dei ſemine, in ſpiritu, vt eſſet hominis filius, caro ei ſola erat in hominis carne ſumenda ſine viri ſemine. Itaq; nondum natus ex Virgine Patrem Deum habere potuit ſine homine matre: æquè cùm de Virgine naſceretur potuit matrẽ habere hominẽ ſine homine, cùm non ex Virgine acceperit corpus, quod de Virgine protulit. Sic Tertul. oſtẽdit nouã Natiuitatẽ ex Virgine, nouũ Filiũ ſine Patre homine, ſine matre Deum.

In quam ſententiam videndus eſt Aug. ſer. 1. de Natali Domini, qui eſt 8. de tẽpore, vbi ſic incipit. Saluator noſter de Patre ſine die, per quem factus eſt omnis dies, voluit in terra habere natalem diẽ. Quiſquis in die miraris æternũ, mirare potiùs in die naſcentẽ. Adhuc mirare, quę peperit, & Mater, & Virgo eſt, quẽ peperit, & infans, & Verbũ eſt; meritò cœli locuti ſunt, Angeli gratulati, paſtores læti, Magi imitati, Reges turbati, paruuli coronati: lacta mater cibum noſtrum, lacta eum, qui talem fecit te, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcunditatis attulit, & decus virginitatis non abſtulit; & tandem concludens ſerm. Auguſt. ait Diabolus

bolus ad nos decipiendos, corrupta fœmina, subrepsit, Christus ad nos liberandos, incorrupta fœmina, carne processit; & ser.5. de eodem festo sic etiam incipit. Legimus, & fideliter retinemus, quòd sub ipso principio nascentis mundi in primo homine fecerit nos Deus ad imaginem, & similitudinem suam, ecce in hac die, mutata vice, factus est Deus ad imaginem, & similitudinem nostram, in primis de suis meliora contulit, in secundis de nostris inferiora suscepit, innouatur in nobis quodámodo per Diuinitatem Christi spes illius antiqui, & insipientis sæculi, quando primus Adam de limi materia figuratur, ecce nüc secüdus Adam quasi de intacta, ac rudi terra virginis formatur. Similia habet serm.7. post pr. & post med. & ser.6. ad med. ait: Expauet in partu suo Mater, audiat omnis ætas, quod nüquã audiuit, Virgo partu suo nupsit, Virginitatẽ, dum pareret, duplicauit, filium quẽ genuit adorauit, &c. Videndus itẽ Cypr. Orat. de Na-

Isai.28. num.21. tali Domini cũ explicat illud Isai.28. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo;* Opus fecit, quod creauerat, saluãs quod perierat, ad vitã reuocans quod mortuum erat, sed peregrinum opus fuit in Deo, quòd *Verbum caro factum est.* quòd visibilis sit Deus, comprehensibilis, & mortalis, peregrinum opus à Maiestate Dei; puer sugens vbera, panniculis inuolutus, &c.

Faciunt etiã pro hac nouitate quę habet Greg.28. Moral.c.2. & hom.2. in Ezech. vbi Verbum incarnatum electro comparat; est autẽ electrũ ex auro, & argẽto aliquid commixtũ, in qua commixtione argentum quidem clariùs redditur, & fulgor auri quodammodo temperatur. Deniq; Greg. Naz. Orat. in Christi Natiuitate tantæ rei nouitate admiratus exclamat. O nouam, & inauditam mixturam! O admirandam temperationem! Qui est, fit; qui creationis expers est, creatur; qui nullo loco contineri potest, continetur; qui locupletes alios fecit, eget; carnis enim meæ paupertatem subit, vt ipse illius Diuinitate ditescam; qui plenus est, vacuatur, & exhauritur; quænam hæc bonitatis diuitiæ, &c. Quo in loco videndus est Nazianz. Orat. in Euang. Matth.19. *Cum consummasset Iesus hos sermones, &c.* Vbi ait: mihi velim ignoscatis affectũ quendam humanum sentiendi, ira, & mærore impleor cũ cerno eũ (scilicet Christum) hac de causa contemni, ob quã maximè eũ honorare æquũ erat, an idcirco dic mihi humilis, & abiectus est, quia propter te humilis, &c.

Nouæ item lacrymæ hîc cernuntur, nouus vagitus auditur, quibus canticũ nouũ debetur, & noua gratulatio iure reddẽda est: etenim sicut dixit Bernard. hom.2. in missus est ad med. Videas, si attendas, Dcũ vagientem, sed miseros cõsolantem; videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, mors viuificans, infirmitas roborans, &c. Itaque & si videantur lacrymę huius infantis cùm cæteris communes: nouæ tamen profectò sunt, quibus abluimur, & sanctificamur, & de quibus possumus dicere id, quod Nazianz. Orat.1. cont. Iulian. dixit de lacrymis: Peccati diluuium, & mundi piamentum, de cœlo enim cadentes lacrymæ diluuium misericordiæ fecerũt, quo suffocata sunt, & extincta peccata omnia, quo abluti, & grati redditi sumus Deo. Vnde Aug. ser.5. de Natali Domini ad fi. ait: O gratissimi, delectabilésq; vagitus, per quos stridores gentium, æternósque ploratus euasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus? O præsepe splendidum, in quo non

solùm

solùm in esu sœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum.

Aquæ maris, quæ amaræ, & salsæ sunt, ait August. lib. 1. de Moral. Sacr. Script. c. 22. in dulcem saporem verti possunt, vt probant nautæ, qui illas per humorem optimæ terræ infusas, aut per arenam dulcorant, vt alij dicunt, & sic sitim temperant, nubes quoque de mari vapores leuant salsi liquoris, sed eosdem dulces, quando pluunt, terrenis vsibus ministrant. Si igitur amaræ aquæ dulcorãtur à terra, qua colantur, & exprimuntur, cur non dulces, & salutiferæ nobis reddentur amaræ lacrymæ peccatorum, cùm per defæcatam, & puram naturæ nostræ terram in Christo Domino effluxerint? Nouæ vtique in eo lacrymę, nihil salsuginis habentes peccati, nihil sterile, & salsum, sed totum dulce, & proficuum.

Hallucinatus profectò Plin. in procem. lib. 7. de Naturali historia dixit recenter natum infantem, & à suppliciis vitam auspicari, vnam tantùm ob causam, quia natus est: etenim supplicium, & effectus peccati sunt lacrymæ, & vagitus, & in cæteris infantibus, antiquæ iùre optimo dici possunt, quia ob antiquas transgressiones, & egressiones, lacrymatur infans, quia peccauit in primo homine: nouæ tamen lacrymæ in Christo reperiuntur, vnam tantùm ob causam, quia natus est, non quia peccauit, qui nec peccàre potuit.

Solem nouum, inquit Ambros. serm. 16. ad med. diem antiquitatis vulgus appellat, veterem autem dixerim Solem huius mundi, qui defectionem patitur, qui parietibus excluditur, qui nubibus obscuratur, veterem dixerim Solem, qui vanitati subiacet, qui corruptionem metuit, qui iudicium pertimescit! Scriptum est Ioel. 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Veterem dixe-

Ioel. 2. num. 31.

rim Solem, qui sceleribus interest hominum, & ad vlteriora nõ refugit, homicidium non reclinat; ergo quia hunc veterem esse manifestũ est, nouum quem, nisi Christũ Dominum, reperimus? Hic Sol, cùm diaboli tenebris vniuersus mundus esset oppressus, & caligo referta criminibus sæculorum possideret, dignatus est vltimo tempore, hoc est, incubante iam nocte ortum suæ Natiuitatis infundere, hîc Sol nouus, qui claustra penetrat, inferna reserat, corda rimatur, hîc nouus est Sol, qui spiritu suo viuificat mortua, corrupta reparat, suscitat iam defuncta, vel qui calore suo purgat sordida, exurit fluida, qui in cunctis actibus nostris perspicit omnino opera nostra, & non tam condemnat crimina, quàm emendat. Et loquens de nocte Natiuitatis huius Solis ait. Ipsam noctem fuisse, nõ dico, nec aliquid obscuritatis habuisse, in qua pastores peruigilant, exultant Angeli, astra deseruiunt. Cùm vtique nouus fuerit Sol, quid mirum, si nouæ etiam affuerunt lacrymæ, eleuat siquidem Sol vapores, qui concrescunt in nubes, quibus obnubilatur Sol, & operitur cœlum, & tunc parat terræ pluuiam, qua irrigantur sata, lætificãntur arida, vberiores prouenjunt fructus, & cœli mæstitia, imò veluti ignominia, nempe nubes, terræ solẽt esse lætitia. Nubem nostræ carnis ad altitudinẽ suæ Diuinitatis in vnitate suppositi attraxit, & assumpsit Sol iustitiæ, cuius in pennis sanitas nostra refulget, & quidquid de nostro assumpsit, totum nobis contulit ad salutem, sicut dixit D. Thom. Opusc. 51. proinde & totus in lacrymas effusus, nouis fletibus veterem nostram duritiem flectit, noua pluuia antiquam nostram ariditatem impluit, noua aqua pulueremm nostræ conditionis irrigat, & fœcundat; nam sicut dixit Am-

M 2 brosius

brof.lib.3. de Virgin.loquens de Sole iustitiæ. Sicut ros cœli nocturnas amouet siccitates, ita ros Domini nostri Iesu Christi nocturnis, & sæcularibus tenebris æternæ vitæ stillabit humorem,&c.

Cant.5. num.2. Cant.5. Sponsus se madidum, & rore plenum proponebat Sponsæ,vt fores tandem ipsi aperiret, cùm diceba*t*: *Aperi mihi soror mea, amica mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni guttis noctium*; vbi statim sese nobis proponit Nazaræus noster cum Chrysost.homil.4. ex variis in Matth. cùm ait. Nazarænus erat Sponsus, & comam alebat guttis noctium,vel potiùs noctis,vt LXX. habent. Plerique sunt cincinni nostri Nazaræni, vt Hieron. Epist.28. ait: ne cincinnos Saluatoris nostri rore madefactos aliquando dimittas. Quod possumus adhuc explicare ex eo,quod obseruat Sanctius. Cant.5. n.18.Cincinnos Nazaræi apud LXX. Catenas posse appellari; sunt enim nostri Nazaræi cincinni rore madefacti, catenæ, quibus ligare potest animas nostras, & ad se trahere,proinde nullatenus dimittendi sunt, sed fores animæ illi aperiendæ, & reserandæ, quando ei non est locus, vel etiam in diuersoiio:de hoc enim statu intelligit etiam hunc locum Cant. Sot.Mai. etenim sicut dixit Ambros. ser.12.in Psal.118.Considero quãdo maximè ianuam pulsat Deus Verbũ, cùm repletũ est caput eius rore nocturno, tunc vigilandum maximè est,ne cùm Sponsus venerit, recedat exclusus;si enim dormias, & cor tuũ nõ vigilet,discedit antequam pulset; si verò cor tuum vigilat, pulsat, & aperiri sibi ianuam vult, &c. Debemus proinde Christo Domino lacrymis perfuso, & pulsanti aperire, imò illis ditari,quæ non tam sunt lacrymæ,quàm gemmæ, & vniones.

Eleganter notauit Tertull.libr.de Habitu mulieb.c.4. aurum,& argentum terram esse, vsque dum in conflatorio igni in aurum liquatur,opere quidem, & labore seruorum, & damnatorum hominum, qui pro supplicio ad mineraria addicuntur. Aurum,& argentũ,inquit ille, principes materiæ cultus sæcularis adsint necesse est, vnde sunt terra; scilicet planè gloriosior, quàm in metallorum maledictorum officinis pœnali opera deplorata,nomen terræ in igni reliquit, atque ex inde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de ignominiis in honores metalli refuga mutatur,&c. Quid aliud lacrymę sunt,quàm amaritudines,& primi delicti pœnalitates,ac fructus nostræ miseriæ,imò nihil aliud sunt, quàm nostræ damnationis pœnæ, & dolores, veluti liquefacti, nam sicut dixit Ouid.4.de Tristib.

Expletur lacrymis, egeritúrque dolor.

Et Euripides in Troade dixit: afflictis hominibus suaues sunt lacrymæ,quia scilicet tristitia,& dolor per oculos resolutus exit,quod iam alibi cum D.Th. prosecuti sumus. Cæterùm postquam huiusmodi amaritudines, & pœnalitates terrenæ,& humanæ ad ignem diuini amoris accesserunt, *Deus*, siquidem, *noster ignis consumens est*, iam veluti in aurum transierunt, & guttæ illæ de cœlo cadunt, si aperto, hi antéque ore suscipiantur, & intus in anima concrescant, & conseruentur, in gemmas conuertuntur; sic enim solent generari in conchis, sicut ostendit Plin.lib.9.cap.35.quo fortassis sensu iam cit. Tertull. Christum infantem expositum de cœlo dixit, in eo siquidem exposuit nobis Deus diuitias cœli: etenim is, cui omnia dedit Pater in manus, in oculis hodie præclaras habet margaritas, & cùm ipse sit via, deprædari desiderat

Deut.4. num.24.

derat qui thesaurum publicè portat in via.

Sed adhuc occurrit ratio, vt lacrymas Christi infantis colligere velimus, & debeamus, quod scilicet nostræ potius sunt, quàm illius, qui nihil mali fecit, nec facere potuit. Plutarch. lib. de Audiendo in hanc sententiam pulchrè dixit: elucentia in oculis proximorum nostra cernimus: sunt enim aliorum oculi, veluti nostra specula, in quibus nos ipsos possumus contemplari, & nostra perspicere. Adsunt nobis oculi Christi infantis veluti speculum, in quo nostras lacrymas, & pœnalitates cernere possumus veluti fructus peccati primi Parentis, quod etiam nostrûm omnium extitit, sed quia à Christo effusæ, in gemmas infiniti valoris transierunt: licet proinde eas colligere, vt ditemur, & vt Æterno Patri soluamus omnia peccatorum debita.

In morte Christi vitã inuenit, imò furatus est latro, ex eo, quòd ipsum diligere cœpit quando illi finiebatur vita, quia in corpore Christi seipsum contemplatus, sua vidit, inuenit, & recognouit vulnera, quod dixit Ambros. ser. 44. Sciuit quod illa in corpore Christi vulnera, nõ essent Christi vulnera, sed latronis, atque ideo plus amare cœpit, postquam in corpore eius sua vulnera recognouit. Debemus vtique nõ solùm obsequi Christi nato, sed & adulari, sicut dixit Tertul. lacrymantíque blãda, imò tenerrima verba loqui, totísque visceribus, mẽte, & corde erga eũ affici, quando & nostras lacrymas in eo recognoscimus, qui præ amore, suas ipse fecit, & portauit in corpore suo.

Hier. 9. nu. 21. Ascendit olim mors per fenestras, sicut habetur Hier. 9. nempe per oculos, sic enim eos appellauit Aug. in Psal. 41. vbi ait: oculi membrana sunt carnis, sed fenestræ sunt mentis, idémque habet Gregor. hom. 6. in Euang. dicens. His quidem fenestris peccatum, quod mors est animæ, plerumque ascendit; & in hanc etiam sententiam dixit Quintil. declamat. 1. Vitiis nostris in animum per oculos via est; hanc inuenit primum peccatum, & per has fenestras ascendit mors; vidit enim mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrũ oculis, aspectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo Genes. 3. hincque factum videtur, vt quod primò in morituro homine mortem annunciat, sint oculi, dum enim debilitati, & veluti lassi franguntur, & abscõduntur, sepulchrum videntur quærere, & iam in vita sepeliri; insuper & post mortem, priusquam cætera omnia membra, oculi corrumpuntur, quod dixit Clem. Alex. 3. pædag. c. 11. ante totum corpus corrumpuntur oculi; nam ingressa mors per fenestras, idest, oculos, illos prius occidit; at inuerso ordine, nobis per Christi oculos egreditur vita, vt etiã nobis per nostros, eum conspicientes, ingrediatur vita, & thesaurus inæstimabilis, quo ipsã cõparare possimus. Quid enim sunt lacrymæ plorantis Christi, nisi vitæ thesaurus, quibus vitam mortalem exorditur, vt mortem nostrã dissoluat, & pro ea de rigore iustitiæ pretiũ soluat, vitámque nobis conciliet, & lucretur. Quid tam cordium vita, (ait Bern. ser. 75. in Cant post princ.) quã Dominus meus Iesus Christus, de quo aiebat, qui eo viuebat: *Cùm apparuerit Christus vita vestra*, ad Colos. 3. Apparuit igitur hodie vita nostra, ingreditur, si volumus, non iam mors, sed vita per fenestras, non vt animas deprædetur, sed vt illuminet potius, ducat, & ditet. Quærite igitur Dominum, ait Bernard. dum propè est, & inueniri potest, nam absque

Genes. 3. nu. 6.

Colos. 3. nu. 4.

absque dubio erit, dum inueniri non poterit, & ideo addit; *Dum propè est*, quia iam nondum propè futurum, nunc tempus quærendi, & inuocandi, &c.

Luc. 18. nu. 13. Publicanus olim in Templo, nec oculos ad Cœlum leuare audebat Luc. 18. vnde Bernard. de Gradibus humilitatis ait; vt quid audes oculos ad Cœlum leuare qui peccasti in Cœlum? Terram intuere, vt cognoscas teipsum. Minimè iam opus est nobis ad Cœlos leuare oculos, cùm in terra habeamus Cœlum, & positum, ac reclinatum in ea Deum hominem, in quē oculos coniiciamus, qui pro nobis propitiatio factus est, vt per ipsum reconciliati Deo, ad Cœlū oculos leuare possimus, vnde Bern. ser. 75. in Cant. in med. hortatur nos vt Deum hon[illegible] [illegible]mus magna perfusi [illegible], & in illo nos ipsos agnos[illegible] *[illegible]ulta* inquit, *& lauda habita[illegible] Sion quia magnus in medio tu[illegible] Israël*; vt idem Do[illegible]us [illegible] Siō magnus, apud nos paru[illegible], & [illegible] repertus sit: mea est [illegible]as nati: mea est infir[illegible], &c. Frigidum quidem v[illegible]um, dixit Chrysost. meum, ac [illegible], minimè tamē apud nos frigid[illegible] erit, si nostrum recolamus in[illegible]n, si nobis natum, & datum [illegible]ndamus, si non audentes ad Cœlum oculos leuare, in eum ipsos coniiciamus, de quo longè aliter dici potest, quod Poët. 3. Georg. *Vritq; videndo*; multo enim magis plorando vrit; & quod Theocritus Idyll. 18. de epitaph. Helenæ.

—Cuius de lumine vtroque
Spirant omnigeni desideria inter amores

Et Tibull. lib. 4.

Illius ex oculis, cùm vult exurere, diuos
Accendit, geminas lampades acer amor.

Is igitur Deus, qui vita nostrorum cordium est, iacula vitæ lacrymatus emittit; is, qui totus noster factus est, nos totos accendit, & quibus visus minister mortis fuit, principium tandem vitæ efficitur, sicut clamāt Ambros. lib. de Fuga sæculi, c. 4. si vitam aspiciamus, imò & nos in vita perspiciamus.

Merentur denique lacrymæ Christi Domini, vt eas tenerrimo affectu aspergentes colligamus, qui nostras pr[illegible]t abstergere in tabernaculis æternis. Apoc. 7. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum*, vbi P[illegible]nonius agnoscit similitudinem [illegible]mptam à matribus, quæ paruulos suos plorātes amplecti solent, blanditiis delinire, lacrymas abstergere, & vbera porrigere; ita & sanctos, qui ex lacrymarum valle præ laboribus, & pressuris lacrymantes ascendēt, Deus veluti materno affectu amplectens consolatur, & lacrymas abstergit: est enim in Scriptura frequēs, vt [illegible]ùm molle aliquid, aut tenerum significare vult, metaphoram sumat à matribus, quarum in recentem prolem impensior est affectus, & mollior indulgentia, vt videre est Isai. 46. & 66. & Deut. 32. *Auferet igitur Deus*, (inquit Isai. c. 25. vnde prædictus locus Apoc. videtur desumptus) *Lacrymas ab omni facie*. quod etsi Euseb. Cæsar. lib. demonst. Euang. c. 12. de Redemptione per Christum facta intelligat, de beatis intelligit Sanct[illegible]abi, & V[illegible]g. c[illegible] locis Apoc. Apoc. 7. nu. 17. Isa. 46. nu. 2. Isai. 66. nu. 13. Deut. 32. nu. 11. Isai. 25. nu. 8.

Neque vero in patria solum nobis lacrymas abstergit, sed adhuc in terris abstergendas curauit; adhoc enim nobis reliquit post mortē Sudarium, quo eas siccare possemus; qua de re optimè Ioan. Gerson. ser. de festo Paschæ ponderat, Petrum, & Ioannē non inuēto Christo in Sepulchro, à quo iā surrexerat gloriosus, inuenisse Sudarium, quod fuerat super

super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatum, inuolutum in vnum locum Ioan. 20. quasi cum ibi reliquerit præparatum, sepositum, & veluti complicatum, ad nostras abstergendas lacrymas, & siccandos sudores laborum nostrorum, & ærumnarum, sic verò habet Gerson. Sudarium inuenerunt, in quo magnã habemus doctrinam, dimittit nobis memoriam passionis suæ, quæ per sudarium significatur, vt nos, qui in tribulationibus sumus, cùm habemus sudorem, & pœnas ferendi mundi huius, & carnis molestias, atque aduersitates memoriam habere debemus grauis passionis Iesu Christi, si benè meditemur pœnam, quam pro omnibus nostris tribulationibus sustinuit; omnes aduersitates, & mundi tribulationes erunt nobis, quo portentur, faciliores. Cùm accidit tibi quæcumque fortuna, aut tribulatio, quam ferendo sudabis, & quam difficulter portare valueris, cape sudariũ Iesu Christi, quod tibi misit, cape etiam patientiæ sudarium; quod Iesus Christus tibi reliquit, &c. Meretur igitur hic magnus puer, vt quonam lacrymas nostras, & in via abstergit, & in patria in sempiternam lætitiam conuertit; vt ante illum prouoluti, vel vagitum summis laudibus comitemur, vel illius lacrymas quam multis nostris prosequamur; has enim effundit, quas non meruit, sed quibus vitam nostram promeruit, vt ab oculis, vnde mors nobis initium sumpsit, inde noua vita inciperet, inde enim iure nouæ dicuntur lacrymæ.

Nouus item fuit Pastor, qui hodie pastoribus annunciatur, qui proprio corpore, & sanguine suas pascitur oues, cùm cæteri pastores, & lucrum, & alimentum sibi ab ouibus sumant, quod nos alibi latissimè sumus prosecuti. Nouus Pastor qui suis factus est agnus, vt pro illis immolaretur, vnde primò pastoribus eius Natiuitas nunciatur, quia ad illos agnus spectare videbatur, quod acutè attigit Hieronym. tom. 1. Epist. ad Eustoch. de Obitu Paul. cùm loquens de pastoribus ait; dúmque seruant oues, inuenerunt agnum, &c.

Nouus item medicus, qui morbum in se curauit, & de suo nobis medelam acquisiuit, qui gratis sanauit, & sanatis mercedem soluit. Quod prosequitur August. serm. 18. de verbis Domini secundùm Matth. vbi sic incipit. Benè nobiscum nouit sanctitas vestra, Dominum nostrum, & Saluatoré Iesum Christum medicum nostræ salutis esse, & salutis æternæ. Adhoc cum assumpsisse infirmitatem nostræ naturæ, ne sempiterna esset infirmitas nostra: assumpsit enim corpus mortale, in quo occideret morté, &c. & ser. 15. de verbis Apostoli ante med. ait. Misit Deus, & Medicũ, & Saluatoré, misit eum, qui gratis sanaret, parum est qui gratis sanaret, qui sanatis mercedem daret; nihil addi ad istam beneuolentiam potest, quis est qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem? Optimè fecit, sciebat enim se diuitem venisse ad pauperem; & sanat ægrotus, & sanatis donat, & nõ aliud quã seipsum donat. Saluator est adiutorium languidi, ipse Saluator est præmiũ sanati, quod probat illud Christi Domini Ioan. 5. *Vis sanus fieri?* Videdus idem Aug. in Ps. 70. Concion. 2. post med. cũ põderat hunc medicũ à nobis suscepisse carné, & suæ vniuisse personę, vt pro nobis moreretur, nobis inde medicinã cõstrueret, nobis vitã acquireret. Suscepit a te, inquit, in quo moreretur pro te, suscepit à te, quod offerret pro te, quo exemplo doceret té, exemplo docuit quid non timeros

re,quid spectares; timebas mortem, mortuus est, desperabas de resurrectione, surrexit, natura tua in illo præcessit te,& quod sumptum est ex te, ascendit ante te, ascendit ille prior,& in illo nos. Similia sunt quæ habet in Ps.148.ibi, *Præceptum posuit, & non preteribit*, sic enim ait. Venit suscipere mortem nostram promittere vitã suam,venit ad regionem peregrinationis nostra accipere, quòd hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, &c. Hæc abundant in regione nostra, ad talia contumeliosa venit: quid hic dedit? quid hic accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum, accepit contumelias,mortem, Crucem:attulit nobis de illa regione bona,& in regione nostra ipse pertulit mala,promisit tum nobis, quòd ibi futuri simus;
Ioan. 17. nu.24. vnde ait: *Pater volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* Ioan.17.

Nouus etiam diues, & nouus ditandi modus nobis accessit: nouus diues,quia pauper diues,& quia paupertate sua nos ditauit, quod argumentum prosequitur Aug. in Psalm. 68.Enarrat.1.in princip. ibi: *Infixus sum in limo profundi,& non est substantia*; vbi ita habet: Apostolus dixit, *Propter nos pauper factus est, cùm esset*
2. Cor.8. nu.9. *diues,vt illius inopia ditaremur.* 2.Cor. 8. ad summã paupertatem peruenit, quando formã serui se induit. Diuitiæ eius quæ sunt? *Qui cum in forma Dei esset,non rapinam arbitratus est esse*
Philip. 2. nu.6. *se æqualem Deo*, ad Philip.2. Hæ magnæ, incompatabilésque diuinæ, vnde ergo ista paupertas? *Qui se metipsum exinaniuit,&c. factus obediens vsque ad mortem*: adde,super mortẽ. Quid ampliùs addi[illegible]urus es? Ignominiam Cru[illegible] Ma[illegible]na paupertas, sed hinc erunt [illegible]gnæ di[illegible]itiæ, quia sicut imp[illegible]ta est paupertas eius, ita & implebuntur diuitiæ nostræ de paupertate ipsius. Quantas diuitias habet,vt de sua paupertate nos diuites faceret? Quales nos facturus est de diuitiis suis, quos diuites fecit de paupertate sua? Et Bern.serm.ad milites Templi, c.11. ait. Qui nostram induit carnem,& subiit mortem,putas suam nobis negabit iustitiam?Et post multa ait:totum nobis de Christo valuit,totúmque salutiferum,totum necessariũ fuit, nec minùs profuit infirmitas, quàm maiestas, quia & si ex Deitatis potentia peccati iugum iubendo submouit, ex carnis tamen infirmitate mortis iura moriendo concussit,&c. Videndus Nazianz. Orat.4. de Paschate, cùm ait: ditans depauperatur ob meam enim pauper est carnem, vt ego sua locupleter Diuinitate, plenus exinanitur, siquidem pauper ille sua exinanitur gloria, vt ego suam consequar plenitudinem, &c. Sic enim nouus diues factus pauper,nouo modo nos ditauit paupertate sua.

Nouus itẽ Rex, *Cuius*,scilicet,*Regni non erit finis*, Luc.1. cùm cætera *Luc. 1.*
Regna in medio dierum, sicut patet *nu.33.*
in nostro Ezechia,finiantur. Nouus etiam pugnator, *Qui noua bella elegit*, sicut habetur Iudic.5.quãdo,scilicet, *Iudic. 5.*
humilitate superauit, & sui exinanitione. Nouus dux,qui in misericor- *nu.8.*
dia fuit dux populo, quem redemit, sicut habetur Exod.15 [illegible]bi videnda *Exod.15.*
sunt quæ ibi diximus. [illegible] victoria,quia fuit [illegible] rta- *nu.13.*
ta est de M[illegible]e & dicitur; *Sicut in di[illegible] M[illegible]*, Isai 9. Noua pax *Isai. 9.*
perfecta, & plena, quam Dei, cuius *nu.4.*
Deum, & quam Deum esse audiuimus, sicut dixit Nazianz. Orat.14. vbi acutè videtur alludere ad modũ loquendi Apostoli,qui modò appellat pacẽ Dei, modò appellat Deum pacis, deinde ipsam pacẽ dicit Deũ, etenim Philip. 4. ait. *Pax Dei, quæ* *Philip. 4. nu.7.*
exuperat omnẽ sensum,& ibidem: *Deus* *Ibid. n.9.*
pacis

pacis, & dilectionis erit vobiscum; & Ephes.2. *Ipse est pax nostra*. Hanc igitur pacem solus ille afferre potuit, qui eam sibi tot vinculis astrinxit.

Ephes.2. num.14.

Olim ad portas ciuitatum lites, & iurgia tractabātur, vnde in Scriptura per portas intelliguntur iudicia, & tribunalia, vt tritum satis est, cuius rationem reddens Gregor.19.moral. c.11.ait: Mos veterū fuit, vt seniores in porta consisterent, & causas introeuntium iudicarent, quatenus tanto esset pacificus verbis populus, quāto ad hanc discordes ingredi non licebat, &c. At modò ad portas Bethleem ponitur ipsa pax Dei, imò ad fores vniuscuiusque nostri, vt pacificus sit ingressus quando per pacem trāsiit quidquid intrauerit, & exierit. Et ad nouam pacē nullatenus bello pateat ingressus, neque etiam exitus verbis, quæ pacifica non fuerint.

Sollicitę admodū adolescētulę de fide, & constātia Sponsæ, & quasi verita ne satis quod ius sponsi postulabat, præstare posset, deliberant quomodo armare possint teneram, & infirmā puellā contra procorū vim, & insidias, quibus euerti solet firmioris etiā ætatis vis, constantia, & animus; dicunt proinde. Cant.8. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*; solent enim vbera ætatē nubilem indicare, sicut notauit Hieron. ad illa verba Ezech.16. *Vbera tua intumuerūt. Quid ergo faciemus sorori nostræ in die quādo alloquenda est*. LXX. iuxta Hebr. *Quādo sermo instituetur in ea*, vel *in eam*, vt potest etiam verti, quo sensu videtur accepisse Rabbi Salomon, cùm ait: *In die in quo gentes consilia agitabunt de ea delēda*, & Rabbi Anonymus; *Timeo ne homines eam despiciant, vt cū creuerit loquātur ad ipsius cor, & affectū, decipiāt q́; eam*. His respondet Sponsus, id, quod iam superius insinuarat, quia scilicet duobus solēt fœminæ à fidei officio, & amore cōiugali abduci, minis scilicet & muneribus; proinde debere eisdem in fide, atque officio cōtineri, muneribus, scilicet & minis, ait ergo: *Si murus est ædificemus super eū propugnacula argētea; si ostiū est compingamus illud tabulis cedrinis*, idest, si Spōsa instar muri fuerit, qui pulsatus non respōdeat, nec quicquam admittat, nisi deiectus: ornabitur à me pretiosis donis, quemadmodū si murus argenteis pinnis & propugnaculis decoretur: vbi propugnacula debemus intelligere, iuxta illud quod dictum fuerat. Cant.4. *Sicut Turris Dauid collū tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis*: vbi Ambr.in Psal.118.octon.4.vers.1.ait. Condidit turrim illā Dauid, & super murorū ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, & decori sit; subsidio, quia hostē præuidet, & expellit: decori, quia non solū inter humilia, sed etiā inter excelsa supereminet. Deinde subdit sponsus, si porta est omnibus peruia, & quæ pulsata respōdeat, & aperiatur; claudatur vtiq; tabulis cedrinis, ita vt neq; ipsa foras prodire, neque apertū cœlū intueri possit, neq; ad illā vlli prorsus aditus pateat.

Cant.8. num.8.

Cant.4. num.4.

Quæ verba illustrari possunt ex illo Ose.2. vbi adultera Synagoga dicebat: *Vadam post amatores meos*, &c. Diuinus Sponsus huic impudentiæ occurrens ait: *Propter hoc ego sepiam viā tuā spinis, & sepiā eam maceria, & semitas suas non inueniet*. Ad hunc igitur modum Sponsus ait: *Si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis*. His igitur sponsa satisfaciens ait: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*, idest, Dilectus meus à me murorum firmitatem postulat; & amicæ, ac sorores vberum in me maturitatem desiderant, & de virtute ad resistendum procorū machinis dubitare videntur, sed ego vt Sponso fidem inuiolatam præstem, cōtra minas, & contra munera, murus sum, qui hostes repellā,

non admittam;& vbera,quæ infantilia,tenera,mollia,& infirma videtur, mihi sunt instar turrium muris affixarum, vt vim muneribus armatam minimè vereantur; quare amatores cæteros, si qui insidiari pudori meo volẽt,valere hinc procul, & omnino iubeo, quia murus sum,non porta,id quod totum in me prouenit ex eo, quod Sponsum meum pacificũ,imò ipsam pacem inueni:qui enim se tali paci addixit, & consecrauit, nullius bellum timet, imò impiis bellum infert;sicut dixit Tertul.lib. de Martyr.c.1. Pax vestra bellum est diabolo. Ad portas igitur Ciuitatis Bethlehemiticæ nascitur vera pax, vt omnem rectum ingressum ad nostram animam sanctificet, iniquum verò reprobet, & reiiciat, & doceat nos pacificum Regem, imò ipsam pacem nobis assumere, vt muri fortissimi tandem reddamur, & nullius impugnationi cedamus.

Nouus denique homo apparet, quia sine Patre homine, qui speciosus præ filiis hominum. Olim Adam perfectissimus,& pulcher admodum è manibus Dei prodiit, eam autem perfectionem, & pulchritudinẽ sortitus est, quia in eo Christus figurabatur, sicut prosequitur Tertull.libr. de Resurrectione Carnis,cùm de primo homine ita habet. Prosequar propositum, si tantùm possim carni vendicare,quantum contulit ille,qui eam fecit iam tunc gloriantem,quod illa pusillitas, limus in manu Dei, quæcunque sit peruenit satis beatus, & si solummodo contactus. Itaque toties honoratur,quoties manus Dei patitur,dum tangitur, dum decerpitur,dum deducitur, dum effingitur, recogita totum illi Deum occupatũ, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta dictabat; quodcumque enim limus exprimebatur, Christus excogitabatur homo futurus.Sic Tertull. ostendit vnde tota perfectio, sanctitas, & pulchritudo aduenerit primo homini,ex eo, scilicet, quod manus Dei ipsum attrectauerint, & ad ideã futuri Christi fuerit efformatus, vt inde colligamus quanto excellentia productus fuerit nouus homo Christus, quem non manus Dei tantùm tetigit,sed ad se traxit,& hypostaticè vniuit;quẽ constituit exẽplar,& prototypon omnium prædestinatorum.

Hinc est quod Euseb.Emis.hom.6. de Pascha ait.Maximum quidẽ circa hominem Diuini amoris insigne est, quod inter ipsa mũdi principia,imaginem,ac similitudinem Dei sui seruus accepit, sed penè ampliùs est, quod nunc personam,& formã serui Deus Auctor assumpsit. Grandi quidem dignitate primo homini spiraculum vitæ de suo pius formator infudit,sed nunc penè maiori charitate pro eodem homine, non iam sua dedit,sed seipsum impendit,ac tradidit.Magnũ quidem mihi est de Deo, quod esse me sentio opus suum, sed multò plus est, quod transisse ipsum video in pretiũ meum; quandoquidẽ tam copioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur;inter hæc multum quidem est, quod abstulit diaboli nequitia, sed multò plus est, quod Dei reddidit misericordia. Postremò magna quidem fuit indulgentia Cõditoris, assumptum de limo hominem inter paradisi amœna componere, sed penè maior est gratia, de profundo inferi ad cœlorum regna sustollere:suscepit Virtus excelsa humanitatem nostram, vt tribueret Diuinitatem suam, ac si immensa illa Maiestas de nostro obtulit sacrificium, de suo contulit præmium; similia sunt quæ habet Bernar.Serm.3.de Vigil.Natiuit, vbi inter multa ait. Contraxit se

Maiestas,

Maiestas, vt quod meliùs habebat, videlicet semetipsum, limo nostro coniungeret, tantaque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quidquid in eo limus fecit, Deus fecisse credatur, &c. quibus ostendit nouum hominem Christum veteris hominis dãna reparasse, & pulchritudine suæ Diuinitatis veterem peccati fœditatem relegasse. Hinc est quod nouum hominem, nouámque illius pulchritudinem videre desiderans Baptista nihil aliud videre dignabatur, reseruans scilicet, & custodiẽs oculorum aspectum, vt in illam omnium pulcherrimam speciem coniiceret; ideò enim infans desertum petiit, hominũ consortium fugiens, vt hunc tandem hominem tantùm videret; sic enim dixit Hieron. tom. 1. Epist. ad Rustic. de Forma bene viuendi ante med. Viuebat Baptista in eremo, & oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignabatur aspicere. Quid mirũ proinde si Ezechias, cæteriq; hominum, imò, & ipsæ creaturæ tam ardenter exoptauerint Aduentum Christi, in quo tot nouitates aspiciendæ erant, tam nouaque pulchritudo, cùm maximè vrgere soleant noua homines nouitatum sectatores.

Denique cùm homines honoris cupidissimi sint, sicut ostendit ille locus 2. Reg. 1. quando *facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & cõsuluit Dauid Oraculũ Domini, dixitq́, Dominus; propter Saül, & domum eius sanguinũ, quia occidit Gabaonitas, vocatis ergo Gabaonitis dixit ad eos, quid faciam vobis, & quod erit vestri piaculum, vt benedicatis hæreditati Domini? Dixeruntq́, ei Gabaonitæ; non est nobis quæstio super auro, & argẽto, sed contra Saül, & contra domum eius*, &c. Agebatur enim de decore, & honore, quandoquidẽ illos ignominiâ affecerat Saül; at verò pluris faciunt homines honorem, quàm aurum, & argentum; 2. Reg. 1. num. 1.

quia ille pretiosior cẽsetur omnibus diuitiis, & non solùm diuitiis superior habetur honor, sed etiam veritate ipsa, quæ potentissima est, superior inuenitur honor. Quod obseruat Tertull. lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos c. 41. In eo, quod hæretici, vt homines retraherent à diuitiis, quibus retinebantur inter Catholicos eos Sacerdotali, & Episcopali honore afficiebant, hísque etiam, & aliis dignitatibus præficiebant veræ fidei apostatas, existimantes non posse iterum conuerti ad veritatem amplexandam eos, qui honore, & gloria obstricti erant, sic verò ille habet. Ordinationes eorũ temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligẽt, quia veritate non possunt. Sensus autem Tertul. est: ij, qui adhuc cupiditate pecuniæ obstricti permanent contra interdictũ Apostoli 2. ad Tim. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus*; 2 Tim. 2. nu. 4. quod cùm omnibus dictũ sit, inquit Cyprian. Epistol. 65. ad Fornitanos, quantò magis molestiis, & laqueis sæcularibus obligari non debent, qui diuinis rebus occupati ab Ecclesia recedere, & ad sçculares actus vacare non possunt? Vide igitur quomodo sæculo, & diuitiis obstrictos ad se attrahunt hæretici, honoribus Ecclesiasticis oblatis, & quomodo eos, qui à nostra veritate defecerunt, honorificis ministeriis præficiãt, ne propter honores deserendos, ad veritatem iterum amplectendam reuertantur; potentiorem siquidem existimarunt, & diuitiis, & veritate, esse honorem. Nec mirum cùm ipsa vita omnium cariori pretiosior sit honor, sicut videre est in Saule. 1. Reg. 31. quando dixit ad Armigerum suum; *Euagina gladium tuũ, & percute me, ne forte veniant incircuncisi isti, & interficiant me illu*

illa lentes mihi: vbi vitam honori postposuit, ficut ibi aduertunt facri Interpretes. Cùm igitur tanti ducant homines honorem, inde eft quod antiqui Patres tanto defiderio ferebantur in aduentum Meffiæ, quia probè nouerant inde naturæ humanæ fummum honorem affuturum.

Mirabitur iure quis, fi aduertat Deum ab Adamo offenfum non in illum maledictionem conuertiffe, fed in terram, cùm dixit: *Maledicta terra in opere tuo.* Genef. 3. Quid enim deliquit terra, vt eam maledictione, quam homo merebatur feriret? Homini iam futuro delatum eft, nempe Chrifto Domino, ne ignominia maledictionis illum afficeret Deus, maledicendo hominem; fic enim rem expofuit ibi Caiet. dicés: Nouit Omnipotens Deus, quod aliquando effet naturam humanã affumpturus, ideò noluit eam maledicere.

Genef. 3. num. 13.

Et in hanc fententiam etiam notauit Orig. homil. 2. in Cant. Tunc Diuinum Sponfum Sponfam fuam, fcilicet noftram naturam, maximè commendaffe, cùm illam fibi vnitam contemplatus eft, & in hypoftafi Diuina approximatam, fic enim interpretatur illa verba. Cantic. 2. *Surge, propera amica mea, fpeciofa mea, & veni:* vbi ipfe legit: *Ecce fpeciofa proxima mea:* quafi illi indicans, & veluti digito demonftrans, vnde honor, & fpeciofitas tota ei prouenerit, ex eo fcilicet, quòd illi proxima reddita fuerit per Vnionem ineffabilem. Spõfa, inquit ille, fi longè fuerit ab Sponfo, non eft fpeciofa, tunc pulchra fit, quando Dei verbo coniungitur.

Cant. 2. num. 13.

Figuratum olim, & fignatũ fuiffe videtur dictum honorem naturæ humanæ, ad quem tandem fublimanda erat, in ferro fecuris, quod leue lignũ fubleuauit, ficut habetur 4. Reg. 6. *Accidit,* inquit facer text. *Vt cùm vnus (ex filÿs Prophetarum) materiam fuccidiffet, caderet ferrum fecuris in aquam, exclamauitq́, ille, & ait: Heu, Heu Domine mi, & hoc ipfum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: vbi cecidit? At ille monftrauit ei locum, præfcidit ergo lignum, & mifit illuc, natauitq́, ferrum.* Cecidit quidem è fummo honoris faftigio in immenfum miferiarum pelagus miferrimus homo, fed longè nobiliorẽ, & illuftriorem honorem eft confecutus, defcendente de cœlo Filio Dei, & extrahente terream, imò ferream naturam humanã ab infimo illo ftatu. Sic verò notauit Theod. q. 19. in 4. Reg. dicẽs. Quomodo lignũ quidẽ, quod eft leuiffimum, fuit demerfum, quod eft autẽ grauiffimum, nempe ferrum, fupernatauit, ita Diuinæ naturæ defcenfus effecit, vt humana natura afcenderet. Hoc etiam videtur attigiffe Aug. 1. Confef. c. 3. cùm ait: Cùm effunderis fuper nos, non tu iaces, fed erigis nos, &c.

4. Reg. 6. num. 5.

Videndus Chryfoft. homil. 13. in Epift. ad Rom. vbi appofita fimilitudine rem explicat dicens. Quemadmodum fi quis vilem, ac circumforaneam mulierem in rerum venalium foro vapulantem intuitus, fe illius effe filium profiteretur, re vera Regis filius cùm effet, atque hac ratione illam è manibus eorum, à quibus malè haberetur, eriperet, ita & ipfe (fcilicet Filius Dei) fecit, factus eft fe hominis filium, patrocinium, auxiliumq́ue illi afferens, ac peccatum damnans: nemo ergo aufus eft poftea illã verberare, &c. Sic ille oftendit quo pacto fe deiecerit fummi Regis filius, vt infamem redditam naturam honoraret, iure damnatam, & vapulantem liberaret, quò iam deinceps ignominiis minimè pateat, & fubiiciatur, vtpote quæ nobilis reddita fit. Et in hoc fenfu exiftimo rectè poffe intelligi locum illum Ioann. 1. vbi cùm dixiffet: *Dedit eis (* fcilicet hominibus credentibus *) poteftatem filios*

filios Dei fieri, mox subdit quasi subinferens causam tanti honoris, & gratiæ: *& Verbum caro factum est*; etenim ista coniunctio, *&*, potest hîc accipi causaliter, sicut apud Hebræos sæpe sumitur, vt sit sensus: neque despetãdum est, neque etiam mirandum de participatione, & gratia Dei, & de filiatione adoptiua, quam tandem homines per summũ honorem sunt adepti, quandoquidem Filius Dei naturalis pro nobis factus est homo, sic enim ferè exponit D. Aug. ibidem Tract. 2. & lib. 13. de Trinit. cap. 9. & lib. 2. de Consensu Euang. c. 3. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 24. & Epist. 120. ad Honorar. cap. 4. & ita etiam ferè exponit Origen. hom. 2. in diuersis Chrysost. hom. 10. in Ioan. quem sequũtur Euthym. & Theophylact. Nec aliud voluit Rupert. quãuis interiectam parenthesim fateatur. Videndúsque de hac re Irenæ. lib. 4. cap. 59. vbi eleganter ait. Deus transiuit in hominem, vt homo transiret in Deum, & Cyprian. de Idolorum vanitate ait: homo esse Filius Dei voluit, vt homo esset quod Filius Dei est, & D. Maxim. tom. 5. Bibliot. centur. 1. Economic. cap. 62. Firmam fiduciam sperandi Deïficationem dat humanæ naturæ ipsa per Deum humanitatis Assumptio, quæ tanta virtute hominem facit esse Deum, quanta Deus factus est homo: nam qui sine peccato factus est homo citra mutationem in diuinam naturam deïficabit; tantúmque per seipsum illam extollet, quantum ipse, hominis causa, seipsum demisit, quod mysticè docens magnus Apostolus ait, *In sæculis superuenientibus in nos supereminentes diuitias bonitatis Dei esse demonstrãdas*, Ephes. 2. quo in loco notanda sunt verba, quæ antecedũt apud Apostolũ ista, à D. Maximo citata, sic enim habet Paulus: *Cõuiuificauit nos Christo, & cõsedere fecit in cœlestibus in Christo*; ex quibus Ambr. deducit hominem super Angelos exaltatum in cœlis, & lõgè illustriori gloria, & honore coronatũ, etenim Ser. 10. in Psalm. 118. post principiũ conferẽs creationem hominis cum reparatione ait: *Manus tua Domine fecerũt me, & plasmauerunt me*. Iob 10. at verò alibi ait, *Ego manu mea solidaui cœlum, & manus meæ fecit hæc*. In hominis cõstitutione videtur nõ abundare quod totum mundum, vt fieret, abundauit: cœlum vna firmauit manus, vt scriptũ est, & vtraque Dei manus hominẽ figurauit, vt legimus: cœlũ nõ ad similitudinem, homo ad similitudinẽ, Angeli enim ad ministeriũ, homo ad imaginem; habemus enim aliquid, quod Angeli non habeant, vbi enim abũdauit delictum, superabũdauit & gratia. Non lego Angelos in Dei sede, nisi stãtes, nisi ministerium deferentes, non lego Angelos, sed homines cõsepultos Christo, & in Christo resuscitatos. Denique ait Apostolus, quia *cõuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluificati, & simul suscitauit simulq; sedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu*, filius ergo hominis ad dexteram Dei, non Angelus, non Archangelus, illi laudant, filius hominis sedet, &c.

Ephes. 2. nu. 7.

Iob 10. nu. 8.

Inuehitur Philo lib. de legatione ad Caium in Romanos colentes homines Diuinis honoribus; citiùs enim, inquit ille, Deus mutaretur in hominẽ, quàm homo in Deũ, minimè tamẽ mutatũ agnoscimus Deum, cùm factũ hominem cõfiteamur, verúmque credimus, quòd Deus factus sit homo, & homo Deus, absque vlla mutatione ex parte Diuinæ naturæ, aut personæ; tunc enim acquirit aliquod esse de nouo vel aliter se habẽs, ac priùs mutatur; quãdo est in potentia passiua ad illud esse, & per illud informatur, quod minimè reperitur in persona Verbi, proindéque licet

incarnata dicatur, non tamen mutata dicetur, vt probant Theologi cum Magistro in 3.dist.1. & cum D. Th.3.p.q.2. art.8. vnde nos agnoscimus, credimus, & fatemur, quod ignorasse confitetur idem Philo. lib. Quod detetior potiori,&c.ad fin.vbi ait.Moyses quādo in Deū Pharaonis constituitur, non re vera factus est Deus, sed tantùm existimatione creditus: Deum enim dantem quidem scio,& largientem,dari verò non intelligo;dicitur autem in sacris libris; *Do te Deum Pharaonis*, patiente qui dabatur, non agente: is autem, qui verè actiuus est necessario, necessario non passurus intelligitur. *Puer tamen datus est nobis, & Filius natus est nobis, cuius imperium super humerum eius.* Isai. 9. Totus nobis natus, & in nostros vsus expensus.

Licèt etiam Plato in Dialogo de amore dixerit:Deus homini non miscetur,nos tamen Deum vnitum homini fatemur,& humanam naturam Deum sibi vniuisse credimus. Licèt etiam Plutarch. in vita Numæ Pompilij dixerit, nullam esse corporis cum Deo commixtionem:Deum tamen, ac Verbum fatemur, & gratulamur factum, non hominem tantum, aut animam, sed carnem; id enim dictum est ab Euang. Ioanne, quò magis nobis inculcaret immensam Dei misericordiam, & amorem, quoniam non solùm animam hominis, quæ præstantior pars est, verùm etiam carnem,quæ vilior est, & quæ magis videbatur abhorrere à præstātia Verbi,accepit, & assumpsit causa hominum, sicut ibi dixit Theophyl. cui suffragatur Cyrill. & glossula quædam impressa, & apposita ad Commentar.Euthym.quæ planè desumpta est ex Epist. Gregor. Nazian. ad Cledon: vbi ait. Non aliter Dei erga nos amor magis declarari poterat, quàm ex carnis commemoratione, & quod nostra causa etiam vsque ad deteriorem partem sese deiecerit;carnem enim hominis anima hominis viliorem esse, nemo sanus inficiabitur,&c.

Cùm itaque ad homines descenderit Filius Dei, vt eos ad supremam dignitatem eueheret, & ad consortium Diuinitatis assumeret, quod benè prosequitur Chrysosto.tom.6. Serm.9. de Ascensione Domini in med. vbi pluribus expendit exaltationem naturæ humanæ super cœlos & super omnes Angelos, tandémque ait. Cerne quàm humili antea loco erat (scilicet natura nostra) & quàm altè ascenderit,neque enim descendere licuisset inferiùs, quàm quod descenderat homo: neque ascendere sublimiùs,quàm quò eum sursus euexerat Christus, atque ista perspicuè Paulus dicebat Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est, qui & ascendit;* *Ephes. 4. nu.9.*
& quo descendit? In inferiores partes terræ; ascendit autem super omnes cœlos,&c.

In tantum igitur honorem ascensuri homines,aduentū sic sublimantis, & extollentis tantopere exoptabant, imò cæteræ creaturæ in Christo honorandæ,ipsum admodum, vt vidimus, desiderabant, Filius enim Dei,qui hominem tanto honore affecit, cæteras creaturas in homine veluti contentas honorauit, sicut notauit Caiet.3.par.qu.1.art.1. & in hoc sensu plerique intelligūt locum illū. Ephes.1. *Proposuit instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in* *Ephes. 1. nu.10.*
terra sunt: nam verbum Græcum significat recapitulare, vt ibi obseruat Hieronym. Dicuntur autem omnia esse recapitulata in Christo, vt sentit Irenæ.lib.3.cap.18.quia cum omnia in natura humana, quasi in summa contineantur, assumpta à Verbo eadem natura, cæteræ veluti in summam redactæ honorantur, & sublimantur

mantur, etenim nomine vniuersitatis homo intelligitur, sicut aduertit Gregor.6. moral.cap.7. & 8. & Damasc.lib.2.cap.12. vnde Diu.Thom. opuscul. 60. ait; Benignitas magna fuit in coniunctione sui cum omnibus rebus per præscientiam, maior bonis per gratiam, maxima in Christo, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ.

Hinc est quod à Græcis Patribus Nazianz. Orat. 42. & Iustin. in Expositione Fidei Incarnationis mysterium appellatur œconomia, idest, vniuersalis dispensatio; etenim per incarnationem Verbi, toti vniuerso prouisum est, cum in totius cedat honorem, & decorem, vnde Ambro. de Institutione Virg.cap.15. Vniuersas creaturas veluti coronatas, & decoratas describit per Aduentum Filij Dei in carne, sic enim habet: Ex illo vtero Mariæ diffusus in hunc mundum aceruus tritici minuti inter lilia, quando natus est Christus,

Psal. 64. nu.11. cui dicit Propheta Dauid, Ps.64. *Benedices coronam anni benignitatis tuæ, & campi tui implebuntur vbertate, pinguescent fines deserti, exultatione colles accingentur, induti sunt arietes ouiū, &c.* Nam vniuersæ creaturæ honoratæ censentur, & nouo decore illustratæ per Incarnationem Verbi.

Huc vsque prosecuti sumus, & desideria veterum Patrum cum Ezechia deflente mortem suam, quod illa impeditus minimè visurus esset vitam, & rationes tanti desiderij ostendimus; sed minimè silendum arbitramur, quod desideria Sanctorum ipse desideratus superauit; plura enim contulit, quàm illi necessaria erant, maiora, quàm arbitrabantur; præclariora, quàm precabantur. Vnde cùm appellatur Christus Dominus *Desiderium colliū aeternorum.* Genes.49. Ambr.legit, *Præualuit supra desiderium collium æternorum*; excelluit enim, & superauit omne prorsus desiderium veteris testamenti, & antiquorum Patrum, quoniam longè maiora, & illustriora operatus est, quàm illi optabant.

Gen. 49. nu.26.

Vehementer accensus Isai. desiderio videndi Messiam in terra ait. cap.64. *Vtinam disrumperes cœlos, & descēderes, à facie tua montes defluerent*; Isai. 64. nu.1. & quasi ipsi statim ostenderentur ea omnia, quæ Christi aduentum comitata sunt, admiratus tantam benignitatem, & misericordiam, veluti seipsum corrigens, subdit: *Cùm feceris mirabilia non sustinebimus; descendisti, & à facie tua montes defluxerunt,* Sup. n.3. quasi dicat talia, tantáque erunt, quæ tu pro nobis facies vt illorum magnitudini prorsus succūbat animus, ménsque nostra: LXX. habent: *Cum feceris gloriosa tremor apprehendet ex te montes*; pro eo autem, quod nos habemus: *Non sustinebimus*: Brixian. legit: *Non expectabamus*: quod sic explicat cùm mirabilia multa faceres, fecisti ea præter omnem expectationem nostram, non enim vnquam expectauissemus quod tu descenderes, &c. intellige in tanto frigore, nuditate, paupertate, & lacrymis. Et in hoc sensu intelligo id, quod Augustin. dixit Serm.12. de Natali Domini statim post principium; spes longè clarior refulsit in senes, &c. Plura enim in hoc mysterio exhibito enituerunt, quàm in spe ipsa antea relucerent; superauit enim beneficij exhibitio omne prorsus desiderium; quod dixit etiam August. in Psalm. 148. his verbis; plus est quod fecit quàm quod promisit, &c. etenim promisit venire ad homines, posset tamen venire ea Maiestate, & Gloria, quæ talem, ac tantum decebant Dominum: promisit nos redimere, posset qualibet operatione sua, non morte, & passione, vnde plura

plura fecit quàm fides optabat;sicut alibi dixit August. & Basil.in Regul. fusior. Respons. ad 1. post med. loquens de Aduentu Filij Dei in carne ait: auget miraculi magnitudinem beneficij modus, siquidem *Cùm in forma Dei esset,&c.semetipsum exinaniuit,&c.* Infirmitates nostras tulit;languores portauit, à maledicto nos redemit factus ipse pro nobis maledictum, & ignominiosam mortem sustinuit,vt nos ad gloriosam denuò vitam reuocaret.

Neque verò hoc satis illi fuit quòd ademptam nobis vitam reddidisset, qui & diuinæ naturæ consortium, dignitatémque est largitus. Porrò ipse adeò bonus,vt neque gratiam sibi pro his vllam referri postulet, ac satis habeat si pro iis à nobis modò diligatur.

Hinc igitur est quod Guarric. Abb.Ser.1.de Annunciat.post princ. Felices nos pariter, & infelices asserit; felices vtique si tanto respondeamus beneficio, quòd omne desiderium superauit; infelices verò si neque gratias exhibeamus, neque vt par est erga illum afficiamur. O felicitas! inquit ille, temporũ illorum. O infelicitas temporum istorũ!nónne felicitas tẽporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ, & omnium bonorum: an non infelicitas temporum,in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis,in quo mittit Deus Filium suum, vt fiat filius hominis, hominúmque Saluator, & ecce magnitudo tẽporis, vt Saluatorẽ suum fastidiat homo peccator; annũciatur salus perditis, & contemnunt; promittitur vita desperatis, & negligũt; venit Deus ad homines, & non assurgunt; surgit qui aliqua deuotione se erigit, vt det gloriam gratiæ Dei, assurgit qui saltem cum gaudio suscipit Verbum propriæ salutis,&c.

Videndus D. Max. Serm.1. de Natiuit. vbi confert diem illum, mirabiliáque eius cum olim patratis à Deo, vt ostendat hæc longè præcedere illa, vtpote veritatem vmbram, & figuratum figuram. Viderunt,inquit ille, mirabilia innumera Patres nostri opera Dei, cœlum illis rorauit escas. Exod. 16. Dulcia pocula lapis durissimus ministrauit. Exod. 17. Tubarum strepitu validissimus hostium murus corruit. Iosf.6. Iordanis suum perpetem meatum in fontem retorsit. Iosf.4. Sol quoque commoratus in cœlo victoriam populo præstanti cõcessit.Iosf.10. Hoc verò nullis videre datum est, vt Vnigenitus Altissimi, quem trementes Archangelorum potestates suscipiunt, hominem se hominibus exhibet.Sic ille cui addendus D. Antonin. 1.par. tit.1.c.1. vbi prædicta mirabilia Natiuitati Christi accõmodat,ait enim; prædicta figurabant mirabilia facta per Christi Natiuitatem: nam dedit Deus de cœlo humano generi rorem Diuinitatis,& abundãtiam omnium perfectionum de pinguedine terræ, idest, naturæ humanæ in Christo. Petra, quæ est Christus, firmissima præbuit suauia pocula doctrinarum, & sacramentorum populis;tuba prędicationis Apostolorum, muri vitiorum corruerunt; Iordanis sensitiuè, qui fluit ad inferiora concupiscenda, & ad mortem, se retorsit ad superiora,& vitam quærendam; Sol iustitiæ commoratus in cœlo aëreo in Cruce contra aëreas potestates triumphauit. *Hæc est dies, quam fecit Dominus exultemus, & lætemur in ea.* Psalm.117. quod exponit Ambros. de Christi Natiuitate, nam natura humana assumpta à Verbo vtique tota dies,quæ nescit occasum peccati,nec tenebrarum ignorantiæ,quam fecit Dominus, tota Trinitas illam carnem, & animã, & vnionem cum Verbo

Exod.16. 13. *Exod.17. 6.* *Iosf.6. 21.* *Iosf.4. 18.* *Iosf. 10. 13.* *Ps. 117. nu.24.*

Verbo, & ideò exultemus laudes cãtando; vnde D. Leo Serm. ait. Saluator noster hodie natus est, gaudeamus; nemo ab huius diei alacritate secernitur, &c. & Faustus in Serm. de Natali ait: ducite fideles festissima gaudia, res enim nobis hodie perfectè est noua, quæ olim fuerat repromissa, &c.

Si igitur ad nos peruenit beneficium illis promissum, imò longè nobiliori modo, & præclarioribus circunstantiis operatum, & exhibitum; illud considerandum restat, quòd si olim eos sic incitabat, & accendebat promissum, quid tandem in nobis efficere debeat collatum, & peractũ, statimque sese offert illud, quod dixit Greg. 9. moral. cap. 16. post princ. cùm explicat verba illa. Iob 9. *Pertransierunt quasi naues poma portantes:* sic enim habet. Hi, qui poma deferentes maria transmeant, ipsi quidem fructuum odore perfruuntur, sed eorundem fructuum aliis cibos ferunt; quid igitur antiqui Patres nisi naues poma portantes extiterunt? Qui Diuinæ Incarnationis mysterium prophetantes, ipsi quidem odore spei potiti sunt, sed nobis fructũ de eiusdẽ spei perfectione detulerunt, quod enim expectando illi odorati sunt, hoc nos cernendo, & percipiendo satiamur, vnde & Redemptor discipulis dixit Ioan. 4. *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis*, &c. Illis igitur tantùm concessa est spes, & desiderium, nobis exhibita substantia, concessa præsentia, & exhibita misericordia; quantò igitur hoc maius illo est beneficium, tantò magis vrget pro gratitudine, tanto vberiorem exigit laudem. Vnde Bernar. Serm. 2. in Cant. ita incipit. Ardorem desiderij Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissimè cogitans confundor, & compungor in memetipso, & nunc vix contineo lacrymas, ita pudet temporis, torporisque miserabilium temporum horum, cui namque nostrûm tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus Sanctis accenderat desiderium promissio? Ecce enim quam multi in hac eius, quæ proximè celebranda est Natiuitate, gaudebunt; sed vtinam de Natiuitate, non de vanitate, &c.

Iob 9. num. 26.

Ioann. 4. num. 38.

Obseruandum autem hoc in loco existimo quòd licèt iam præcesserint tot anni ex quo mysterium hoc peractum est, & collatum beneficiũ, non tam ab illo distamus, quàm distabant qui totidem annis hoc idem beneficium præcesserunt; proindeque & illo non minùs deuincti sumus, quàm si modò apud nos Filius Dei nasceretur. Aduertit hoc ante nos, sed post nostram animaduersionem inuenimus D. Bernard. Serm. 6. in vigil. Natiuit. post princip. vbi ait. Exultemus ruminantes intra nosmetipsos suaue verbum, & eloquium dulce. Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ; nec mihi quis ad ista respondeat indeuotus, ingratus, irreligiosus, non est hoc nouum, olim auditum est, olim factum est, olim natus est Christus. Natus est Christus non solùm nunc modò ante hæc nostra tempora, sed ante tempora vniuersa; quid tamen mirum, si vsque hodie dicitur in Ecclesia, Christus Filius Dei nascitur; quando tam longè audiebatur; *Puer natus est nobis:* semper nouum, quod semper innouat mentes, nec vnquã vetus quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcescit, inde est quod etiam in præsenti tam iucundissima annuntiatione congruè satis dicitur non tam natus esse, quàm nasci. Iesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Iudæ, sicut enim quodammodo immolatur

adhuc quotidie, donec mortem eius annunciamus; sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus eius Natiuitatem. Die ergo crastina videbitis Maiestatem Dei, sed sanè in vobis, non in se ipso, vtique Maiestatem in humilitate, Virtutem in infirmitate, in homine Deum.

Sicut autem multò antequam fieret, illectus suauitate huius floris de radice Iesse exclamauit Iacob: *Ecce odor filij mei*, &c. Genes. 27. sicut bene expendit Bernar. Serm. 45. in Cantic. Sic, imò maiori cum ratione huius iam producti floris odore flagrans Sponsa dicebat Cant. 1. *Curremus in odorem vnguentorum tuorum*; vbi Bernard. Serm. 22. ait; tanta Ecclesiæ nares odoris suauitas repleuit, vt à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine, supernum properaret ad Sponsum, tanquam verè illa Regina Austri festinans à finibus terræ audire sapientiam Salomonis; priùs non se mouebant dum Verbum erat tantùm apud Deum; at vbi Verbum, quod erat, factum est, vbi hoc Dominus fecit, & ostendit, tunc venerunt festinantes, tunc occurrerunt: quis enim non post illum libenter, atque alacriter currat, qui, & ab errore liberat, & errata dissimulat, qui merita viuendo trahit, prælia moriendo conquirit? Quod si curret, mirum si non volaret, &c.

Gen. 27. num. 27.

Cant. 1. num 4.

Similia sunt quæ habet Origin. lib. Duarum Homiliarum, homil. 2. & lib. Quatuor Homil. homil. 1. vbi illud tandem addit; ego puto quòd si ad hoc aliquando peruenerint, iam non ambulent, neque currant, sed vinculis quibusdam charitatis eius adstrictæ adhæreant ei, ne vltra mobilitatis alicuius vllus in eis residcat locus; sed sint cum eo vnus spiritus. Hoc autem maximè fiet, si aduertamus Filium Dei ad nos de cælo venisse veluti Sponsum, vt singulari amore deuinceretur cùm Spósa sua, natura scilicet nostra; pro qua re videndus Chrysost. tom. 6. hom. quales ducendæ sint vxores ante med. vbi eleganter, & luculenter prosequitur amorem coniugatorum, quatenus indissolubilis est, vt patet ex Paulo Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, & subdit, *Sacramentum hoc magnum est*. &c. Quomodo magnum est (inquit Chrysost.) dic mihi? Quod virgo asseruata omni tempore, spósum nunquam ante visum mox à prima die desiderat, & amat táquam corpus proprium, rursum vir quam nunquam vidit, nunquam allocutus est, mox à prima die præfert cæteris omnibus, &c. Hoc igitur Paulus considerans, quod parentibus relictis, ambo sibi mutuis coniungantur nexibus, nouumque consortium, maiorem antiqua consuetudine vim accepit, animaduertensque non esse hoc humanum negotium, sed diuinitus amores tales inseri, & quemadmodum recens natus infantulus aspectu statim parentes noscitat, priusquam sciat voces edere, ita sanè & sponsus ac sponsa, nemine sequestro, nemine hortatore, primo statim aspectu conciliantur inuicem, id cùm in Christo etiam animaduertisset, & Ecclesia, non sine stupore quodam admiratus est. Quomodo igitur in Christo, & in Ecclesia id contigit? Sicut sponsus relicto patre ad sponsam properat, ita & Christus relicto paterno solio venit ad Sponsam, nos non euocauit ad supera, sed ipse vltro ad nos aduenit, cùm autem aduentum audis, non migrationem, sed condescensionem intellige, &c. Meretur igitur qui nos quæsiuit, & ad nos venit, & antequam veniret, odore, & spe ad se iam alliciebat homines, vt postquam venit, ipsum conueniamus, ad ipsum prope

Ephes. 5. num. 31.

properemus currentes in odorem illius, volantes præ amore illius, vt tandem mereamur ab ipso in cœlum extolli, qui propter nos de cœlis descendere dignatus est.

ANNOTATIO III.

Proponitur Religiosus animus Ezechiæ erga Dei Templum; & cultus Dei commendatur.

TErtia eáque literalis expositio commendat admodum Religiosum animum Regis Ezech. dum ille maximè dolet, quod prætmatura morte præuentus iam ei non liceat deinceps sacra limina toties adire, Dei templum inuisere, laudibus, & sacrificiis diuinis interesse, quod ipsi in vita gratissimum erat, adeóque religioso affectu Dei domum conueniebat, vt non domum, sed Dominum ipsum adire sibi videretur, eumque præsentem cernere, & alloqui, hoc enim videntur inculcare ea verba: *Non videbo Dominum in terra viuentium:* neque enim dicit se deinceps nullatenus visurum Dei domum, sed ipsummet Dominum, qui autem se non visurum ibi Dominum deplorat, fatetur vtique se veluti seruum huc vsque affuisse, & debitum obsequium præbuisse, imò debitum officium exercuisse; pertinet enim maximè ad Principes viros, & Reges Dei cultus, quo suorum amorem facilè concilient: nam sicut dixit Valer. Max. lib. 5. cap. 4. Cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas verò etiam amoris meretur multum. Deinde vt subditos in Religione, & cultu Dei contineant, nam sicut dixit Cicer. 1. Offic. Quales in Repub. fuerint Principes, tales erunt & ciues. Et Plin. in Panegyr. Traiani. Vita Principis censura est, eáque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam imperio nobis est, quàm exemplo, quod cùm in cæteris verum habeat, maximè habet in Religione: Saulem enim parcentem Regi Agag contra Dei præceptum, populus itidem secutus est. 1. Reg. 15. Impium Manassem maxima pars populi Iudaïci, & ciuium Ierusalem imitatur 2. Reg. 21. & 2. Paralip. 33. Rex Ioas, ait Ioseph lib. 9. Antiquit. cap. 8. A pristina Religionis cura facilè desciuit, moxque & Principes populi consimilem in modum deprauati sunt, adeò vt nihil antiquiùs haberent, quàm iuris, & iustitiæ contemptum, &c.

Hinc est quod de suo æuo conquestus Lactant. lib. 4. Diuinar. instit. ait. Quoniam mores, ac vitia Regis imitari genus obsequij iudicatur, abiecerunt omnes pietatem, ne exprobrare scelus Regi viderentur, si piè viuerent. Hi assidua imitatione corrupti Diuinum fas reliquerant, & paulatim malè viuendi consuetudo, mos factus est. Proinde debent Reges summopere studere Pietati & Religioni, quò subditos in eadem contineant, quod fecisse testatur hoc in loco Ezechias. Hoc autem videtur hæreditaria Religione accepisse à proauo suo Dauide, qui se in domo Domini futurum pollicebatur abiectum seruum, non Regem, habitatorémve, sic enim ait. Psalm. 83. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impiorum:* quæ verba ponderans Aug. tom. 4. libr. 1. ad Simplician. quæst. 1. post princip. Aduertit latissimum discrimen inter habitatorē domus, & eum, qui in ea abiectus est, vt scilicet habitator dicat dominium, & principatum: at Psal. 83. num. 11.

verò qui abiectus est, humilis seruus habetur, & vile ministerium exercet; illud quidem deducit ex eo, quod
Rom. 7. n. 17. 18. & 20. Paulus Rom. 7. vt dominium peccati in nobis inferat, ait, peccatum, & malum habitare in nobis; ait ergo August. Dicit habitare in carne sua, idest, dominatum quendam, & quasi regnum obtinere, vnde est illud in Psalm. *Elegi abijci in domo Domini magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, quasi non habitet quamuis ibi sit, qui abiectus ibi est, vbicunque sit; vnde insinuat habitationem cum quodam principatu intelligendam, &c. Qui ergo dicebat se non habitaturum in domo Domini, sed veluti abiectum futurum, probè fatebatur debitum obsequium, & rationabilem submissionem pollicebatur, quàm, vel etiam sancti Angeli obseruant, sicut licet colligere ex eo, quod Luc. in cap. 1. offerenti Zachariæ incensum in Templo Domi-
Luc. 1. num. 11. ni *Apparuit illi Angelus stans à dextris Altaris incensi*, at in sepulchro Domini duo Angeli videntur à Magdal. *In albis sedentes, vnus ad caput, & vnus ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.*
Ioan. 20. num. 12. Ioan. 20. Quid igitur est quod in sepulchro sedent Angeli, eo scilicet in loco vbi conditũ fuerat corpus Deitati vnitum, & quod futurum gloriosum prædictũ fuerat ab Isai. c. 11.
Isai. 11. num. 10. Etenim sedere Dominum denotat Maiestatem, vnde & Scriptura semper Domino Deo sessionem tribuit,
Isai. 6. num. 1. vt Isai. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium*, & Christus Dominus ad probandam Diuinitatem suam vtitur
Ps. 109. num. 1. illo Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*. Apud Matt.
Matt. 22. num. 44. Hebr. 1. num. 13. c. 2. & Paul. etiam Hebr. 1. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando* (scilicet Deus) *sede à dextris meis*, &c. Et
3. Reg. 2. num. 58. 3. Reg. 2. Ingredienti Betsabe matri: *Surrexit Rex Salomon in occursum, adorauitq́; eam, & sedit super thronũ suum, positusq́; est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram eius.* Cur igitur sedent Angeli in sepulchro Domini, qui astantes describuntur circa thronum illius, & in Templo stans Angelus apparet Zachariæ? Illud profectò non aliunde factum esse credo, quàm quia aberat à sepulchro iam Dominus, neque domus Christi erat sepulchrum, cùm enim ipse fuerit Auctor vitæ, & caput resurgentium, quid fieri poterat, vt domum mortis, & domicilium mortuorum haberet? At Templum domus Dei erat, & Diuinam Maiestatem, ac præsentiam referebat, serui autem in domo Domini debitã debent seruare modestiam, ideò Angelus in Templo stans conspicitur, in sepulchro verò sedentes visuntur Angeli, instruentes nos inferioris conditionis seruos, quodnam obsequium, qualémve reuerentiam exhibere debeamus templo, & domo veri Domini.

Huius igitur obseruantissimus proponitur Ezechias admonens, & prouocãs Reges, & Principes viros, vt Dei cultum, & Religionem præ omnibus rebus, imò præ omnibus hominibus curent, quod nos latissimè sumus prosecuti ad Cant. Moysis. Exod. 15. text. 3. 4. & 5. Annot. 12. modò satis sit id, quod habet Chrysol. Serm. 161. post med. vbi alloqués terrenos Dominos, & eos ad Dei cultum excitans ait. Homo quod à seruo exigis, impende ei, qui te Dominum fecit; tu qui semper dormis, & à seruo exigis vigilias indefessas, aliquando vigila tuo Domino pro te sine cessatione vigilanti; assiste tuo Domino, vel momento vno ieiunanti, cui manducanti tuus seruus semper assistit. Certè si quicquam boni feceris, crede te dominanti soluisse debitum, non beneficium præstitisse, &c. Et sanè peculiari ratione, & obligatione tenentur ad colendum Deum

Deum ij, qui maiori loco positi aliis dominantur, in talique dominio, & potestate, quæ non est nisi à Deo, docentur qua ratione debeant obsequi, & ministrare dum Diuina ordinatione ab hominibus eiusdem naturæ, & spiritu venerantur, & coluntur; qui igitur à seruis suis sibi per omnia similibus in terra iuge, & indefessum accipiunt obsequium, inde discere debent qua cura, & diligentia Diuino Cultui debeant incumbere, in eóque præstando promptam insumere vigiliam.

Id insuper cordi esse debet Regibus, quod Religio, & pietas in Deũ basis, columna, & fundamentum est, omnium virtutum moralium, sicut videtur deduci ex c.1. Prouerb nu.7. vbi dicitur: *Timor Domini, principium sapientiæ:* vbi timor Domini Religio & Cultus Dei est, ex more Scripturę, sicut diximus apud Iacobum; cap.2. tex.20.n.21. & probamus insuper ex Genes. 20.n.11. cùm Abraham dixit: *Forsitan non est timor Dei in loco isto,* idest, nulla Religio, vel Cultus Dei. Patet etiam Iob 1.n.1. & 8.nu.19. & Psal.21.nu.24.25.26. & 24.nu.14. & 32.nu.18. & passim alibi. Timor igitur Dei principiũ est, idest, principatũ obtinet. Sicut ibi aliqui exponũt. Sapiētiæ 1. Cæterarũ Virtutũ moraliũ. Vnde Ambr. in Leuiticũ ostendit præferendã esse Religionem cæteris rebus. Et Cyrill. Alex. lib.2. de recta in Deum fide omnibus Virtutibus moralibus corpus mysticum pangit, & ex membris huius corporis caput Religioni attribuit, quod benè cógruit cũ ea lectione, quæ ad dictũ locum Prouerbi. habet, *Caput sapiētiæ timor Domini.* Sicut autẽ Religio est caput, & fundamẽtũ Virtutũ, sic etiá est colũna & fundamẽtũ, cui Regna omnino innitũtur, ne miserè ruant, & intereant. Quod notauit Isid. Pelusiot. lib.2. epist.249. & deducit ex eo, quod Deus cóminatus ruinã totius Reip. Iudaicæ post necẽ Christi Domini, dixit apud Daniel. c.9. *Post hebdomadas 62. occidetur Christus, & nõ erit eius populus qui eũ negaturus est.* vbi LXX. habẽt, & cũ eis legit Pelus. *Post hebdomadas 62. exterminabitur vnctio, & iudiciũ nõ est in ea;* ex eo enim, quod Deus Altare, sacrificia, & Cultum suũ ab ea gente auferebat, cósequens proculdubio erat, vt penitus illa deficeret, & corrueret, sic verò ille habet: vt Daniel ostenderet fore vt res Iudæorũ post Christũ in cruce sublatũ funditus delerẽtur, ne vllum lætioris spei vestigiũ illis restaret, his verbis vsus est; *Exterminabitur vnctio, & iudiciũ nõ erit in ea;* per vnctionem videlicet, Sacerdotiũ indicãs; per iudiciũ autem regnũ, ac ciuile statum, ac maximè quidẽ per Sacerdotij extinctionẽ, regni quoque, & aliarũ terũ omniũ euersionẽ simul demõstrabat, sublato enim, ac prorsus deleto eo, quod caput erat, maiorísque momenti, ne aliud quidẽ quicquã consistere poterat; nã Regni quoque basis, pietas erga Deum erat, quæ in Dei Cultu posita cẽsebatur. Sic ille ostẽdit ex Diuino Oraculo quomodo Regnũ, Respub. & totius gẽtis status à Diuino Cultu, & Religione pendent, veluti à fundamẽto stabilitatis suæ, & à basi, cui omnino innititur.

Danie. 9. nu. 26.

Quod ipsum adhuc possumus cófirmare ex illo nec facili nec vulgari loco Isai. 29. vbi ita habetur. *Væ Ariel Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid,* vbi quid significetur per *Ariel,* non tã facilè pãtet; nam Rabbi Dauid in c.43. Ezech. *Ariel,* montem Dei interpretatur secundùm etymologiam ab *ar,* quod est mons, &, *El,* Deus, & putat esse descriptionem Ciuitatis Hierosolymitanæ, quæ mons quidam erat Deo sacer; alij etiam Hebræi, & cum eis Diu. Hieronym. arbitrantur, *Ariel,* esse idem,

Isai. 29. nu. 1.

quod, Leo Dei, qua voce significatur id, quod est fortissimum, nam Leo fortitudinis Symbolum est, qui
Prou. 30. nu. 1. *Fortissimus est bellnarum, & ad nullius pauebit occursum* Prouerb. 30. Et quia belluarum quoque Princeps est, pro Ciuitatum, imò Prouinciarum Principe sumitur; & sanè hæc eadem vox ad eundem sensum indicandum
2. Reg. 13. nu. 20. posita est. 2. Reg. 13 *Ipse percussit duos Leones Moab*, idest, duos fortissimos Moabitas, Heb. *duos Ariel*. Alij tamen per *Ariel*, intelligũt Altare, quo profectò nomine sumitur
Ezechiel. 43. n. 15. & 16. Ezech. 43. vbi de mensura Altaris sermo est. Alij verò intelligunt ipsum Templum, etenim sicut Leo capit, lacerat, & deuorat prædam, sic & Templum, & Altare, quod iugiter calebat, & natabat victimarum sanguine, & huc facit quod iuxta multorum sententiam Templum in sorte Benjamin
Gen. 49. nu. 27. ædificatus, *Lupus rapax dicitur*. Gen. 49. qua de re videndus Pererius ibi & Sanctius in cap. 2. Zachar. nu. 18. Sed hoc in loco pro Ciuitate Hierusalem sumitur, vt cum Hieron. sentiunt communiter Interpretes.

Cur igitur ea Ciuitas fortissimus Leo nuncupetur inquires? Scio Ciuitatem illam, etiam antequam expugnaretur, & muniretur à Dauide, sic fuisse ab arte simul, & natura munitam, vt Iebusæi, qui in ea primum habitabant, sic riderent omnes machinas, & vires militares, ac Regias, vt à cæcis, vel claudis de-
2. Reg. 5. nu. 6. fendi posse iactarẽt. 2. Reg 5. quæ est germana illius loci expositio, quam sequitur Iosephus lib. 9. antiquitat. Abenezra apud Pagnin. Tertull. 4. contra Marc. cap. 36. Cyrillus Alexan. lib. 3. in Isai. cap. 29. Procop. Ansel. Vatabl. ibi & Ioan. Zonar. lib. 1. Annalium. Cæterùm hoc in loco facit expositio, quam adhibet Aluarez ibi, dicens, per *Ariel*, significari Altare, & Templum, quandiu verò ille populus à vero Dei cultu nõ recessit, velut Leonem fortissimũ aliis metũ, & pauorẽ incussisse, nõ solùm enim Pietas, & Religio in Deum Ciuitates & Regna muniunt, & defendunt, sed etiã exteras gentes consternãt, & intra limites adigũt, quo sensu facilia sunt intellectu quæ sequũtur apud eũdem Prophetam: *Additus est annus ad annũ solemnitates conuoluta sunt*, qui loquendi modus breuissimum tempus restare indicat, proinde ac si post biennium futura esset Templi, & Ciuitatis desolatio: hoc enim spatium significat annus anno additus, duo enim pro paucis sumi, satis vsitatum est; qua ratione etiam vulgari loquendi modo dicimus, duo proferam verba; sensus ergo est. Væ Ciuitati olim fortissimæ, ob seruatam, & conseruatam Religionem; quæ propterea diu duratura, imò æterna videbatur; deficiente enim Cultu Dei, breui, faciléque concidet, & corruet. *Et circumuallabo Ariel, & erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel*; vbi Ariel secundo loco positum aliquid profectò indicat diuersum à priori; videtúrque nobis explicandum cum Chaldæo, Vatabl. Adam. Lyran. & Forer. vt *Ariel*, sumatur pro Altari, & sic sensus est; ea Ciuitas, quæ ratione Templi, & Altaris, idest, Religiosæ obseruantiæ, & sacrificiorum fortissima plus erat, quàm artificiosa, naturalique munitione; mihi instar Altaris erit, vt quemadmodum ad *Ariel*, idest, ad Altare victimæ quotidie mactantur, strataque, & concisæ, ac in frusta sectæ iacent circum Altare, quod madet, aut magis natat illarum sanguine, sic Hierusalem quasi Altare tota complebitur ciuium cadaueribus, redundabitque interfectorum sanguine, & tabo; qua metaphora in re simili vsus est Isai. in cap. 34. cùm dixit

Isai. 34. nu.6. xit: Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe. *De sanguine agnorum, & hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom*; & Hier. 12. *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*; videturque mihi voluisse Deum opponere supplicium beneficio, quo ipsi abusi fuerant, sicut plerumque solet diuina iustitia, vt scilicet qui abusi fuerant Dei Cultu, Lege, & Religione singulariter illi populo à Deo concessa, qua tam fortis, & munitus reddebatur, vt non aliter inimicos suos disperderet, & discerperet, atque victimæ offerendæ dissecabantur: post contemptam Religionem, & relictum Dei Cultum, à Deo dilaceraretur instar victimæ offerendæ; id enim consequens est contingat, & fiat à Deo genti illi, quæ Deum deserit, & Religionem infringit, Cultumque Dei conculcat, quo veluti basi, & muro inexpugnabili Regna, & Resp. nituntur, cinguntur, & consistunt.

Hiere. 12. nu. 3.

Quod adhuc possumus confirmare ex Hierem. 25. vbi ait Deus; se tandem veluti Leonem deseruisse Hierusalem, quam velut fortissimus Leo, quandiu ibi habitauit, reddidit fortissimam, & inexpugnabilem, deseruit autem eò quòd ibi Religionem, & Cultus obseruantiam minimè inuenerit, sic verò habet sacer tex. *Dereliquit quasi Leo vmbraculum suum*; vbi Brixian. sic interpretatur: dicitur Deus derelinquere tabernaculum suum, hoc est templum suum, quasi Leo, eò quòd non inuenerit sibi fructum aliquem, & impletionem voluntatis suæ, siquidem Leo relinquit latibulum suum, si sibi in eo loco non occurrat vnde viuere possit, &c. Diuinus igitur Leo, qui Leonem Dei Hierusalem reddiderat, & Cultu, Religione, ac sacrificiis veluti cibis alitus ibi detinebatur, cessante tandem Religione vmbraculum, & Templum suum deseruit, & se tunc Leonem ostendit, dum dereliquit occidendo, & dilaniando partes vmbraculi, & cubilis, scilicet ciues, & habitatores vrbis, qui tali præsente Leone, & protectore securi degebant.

Hierem. 25. n. vlt.

Vnde intelligetur id, quod Diuinum Oraculum, Ose. 9. ait: *Noli lætari Israël sicut populi*, quasi dicat; desiisti esse populus, & Resp. & formam Regni penitus amisisti, ex eo, scilicet quod à meo recessisti cultu, & ad idola colenda diuertisti, sic enim habet ibi Montan. postquam idolis tuis te cōsecrasti, amisisti formā populi, & dispersus es in gentibus, idest, in populis, in quorum medio tu versaberis, iisdē modò iam materia risus, & lætitiæ obliuiscens, cùm à Deo recesseris, cui adhærens fortissimus eras, & aliis pauorem, veluti Ariel, ac Leo fortissimus incutiebas. Ose. 9. nu. 1.

Facit in hanc sententiam Basil. ad illa verba Psal. 59. *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* vbi per munitam ciuitatem, Ecclesiam, & congregationem fidelium, in qua Deus colitur, & adoratur, intelligit; quæ non potest non esse munitissima, & robustissima, cùm Deū habeat protectorem & defensoré, qui suis cultoribus præsto esse solet, sic enim habet Basil. Ecclesiā fortè significat, Ciuitatem, sanè quis det vt hoc eximium, & singulare contempler spectaculū, Deum nempè inter homines populariter congredienté, &c. Etenim Deus cum iis, & pro iis pugnat, qui pro illius cultu, & religione etiā pugnāt, idque maximè curāt, & præ oculis habent, id igitur maximè precabatur, & optabat Dauid videre in populo suo, & diu, multúmque deduci dies suos, vt munitam Ciuitatem Ecclesiæ Psal. 59. nu. 11.

suis

suis oculis cerneret; nihil enim optabilius probo, & præclaro Rege, quàm si Cultores Dei inueniat ciues suos: sic enim in longinquum satis protrahetur Imperium, ac Regnum.

Hoc igitur desiderium in corde optimi Ezechiæ flagrabat, dum morte præuentus nihil magis dolebat, & lacrymabatur, quàm quod deinceps non posset adire Ciuitatem munitam, seu munitionis, vt Basil. & alij legunt, Templum scilicet, vbi Deus pro suorum munimine, & defensione, veluti dux, & præliator adest; imò vnde tota munitio, & fortitudo prouenit; nouerit siquidem Religiosus Rex tandiu duraturam eam Remp. quandiu Dei cultui adhæreret; quod ipse maximè intendebat; & ne posset deinceps curare maximè etiam verebatur.

Inquirit Theodoret. Orat. 10. in Daniel. Quænam fuerit causa cur Propheta tribus integris diebus plorauerit, panémque desiderabilẽ non comederit, & caro, & vinum non introierint in os eius, neque vnguento vnctus fuerit; sicut ipse refert, cap. 10. Idque factum putat, quia nullum apud suos ciues Babylone detentos zelum Diuinæ Religionis conspexerat, nullum desiderium Hierosolymitani Templi adeundi, & instaurandi; hoc autem tot lacrymis lugendum censet, quia nouerat nihil boni posse accidere genti, quæ Diuinæ Pietatis oblita terrenis tãtummodo adhærebat. Sic verò habet Theodor. Necesse est luctus causam, quã Propheta obscurè docet, inquirere. Si quis velit ad Beati Hieremiæ prophetiã, & ad Paralip. historiam, & ad Esdræ scripturã animũ attendere, inueniet Cyrum primo anno Regni Iudæis omnibus quicumque vellent præcepisse, vt in patriam reuersi sanctũ Dei Templũ rursus ædificarent, ita vt Propheta vndique animi lætitiæ causas habuerit. Verùm enimverò si quis hæc singula diligẽti animo examinarit, has tandẽ comperiet Danielis doloris causas fuisse, cũ enim Rex omnibus quicumque cuperẽt libertatem, ac reditũ in patriam concessisset, complures, qui sibi in Babylone domos construxerant, earum quasi vinculo deuincti, neglecto in patriam reditu, externam patriæ regionem postularent, soli veræ pietatis amatores, patriarúmque legum custodes, postpositis quas Babylone possidebãt facultatibus, patriam solitudinem, vel ipsi Regno anteponendam duxere. Hoc itaque Beato Danieli maximũ attulit luctum, &c.

Daniel. 10. nu. 2. & 3.

Cùm ergo Daniel tam flebiliter doluerit pro Dei Cultu imminuto apud suos ciues, quid mirum si Rex Ezechias id maximè lacrymetur, quod morte præpeditus deinceps sacra limina adire nequeat, vbi præsens ad Diuina perfectè peragenda suos incitaret, prouocaret, & alliceret; maximè cùm certo sciret procliuem eam gentem ad idololatriam, & defectionem à Deo, ratione cuius tota etiam à Deo deserenda, & profliganda erat; pro qua re facit ille locus Hierem. 7. *Nolite confidere in verbis mendacij: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, &c.* Quæ verba, sicut ibi aduertit Maldonat. sunt Iudæorum ostendentium cuius causa putassent vrbem expugnari non posse, per Templum autem omnis externus Dei cultus intelligitur, sicut apud Isai. 66. Vt autem illi ostendat Diuinum Oraculum inanem hanc fiduciam, & vanam esse confidentiam addit. *Ite ad locũm meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio, & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israël, & nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus & locutus sum ad vos mane consurgens, & loquens,* &

Hiere. 7. nu. 4.

Isai. 66. n. 1. & 2.

Sup. n. 12.

& non audistis, & vocaui vos, & non respondistis, faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam, & loco quem dedi vobis, & patribus vestris, sicut feci in Silo. Pro cuius loci intelligentia aduertendum est, arcam testamenti antequam templum construeretur, fuisse collocatam in Silo in tribu Ephraim, quem locum Deus vastauit propter peccata Ephraim, & arcam in montem Sion in sorte Iudæ transferri iussit. Psalm. 77. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum,* &c. Et paulò infrà: *Repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda,* &c. ait enim Hieron. ad prædicta loca Hierem. quomodo ille locus in ruinas, cineresque collapsus est, ita & templũ corruat, &c. ob peccata, scilicet profanæ gentis sanctum templum incolentis, Deum verò minimè colentis; vana enim eorum confidentia est, qui solo templi ædificio nituntur, non verò Dei cultu, & Religione.

Iosu. 18. n. 1. & 9 & c. 21 num. 2. Iudic. 18 nu. 31. & c. 20. nu. 18. & c. 21. n. 2. Psal. 77. num. 63. & 70.

Quia igitur certò nouerat Rex Ezechias post discessum suum gentem illam ad idola esse reuertendam, dolet mortem suam, quandoquidem viuus illam in officio continebat, & vocando Dominum Deum ipsum templum Dei, docet potiùs respicere ad Dei Religionem, & Cultũ, quàm ad solam structuram templi, quod postea facturi erant Iudæi, de quibus dici potest quòd templum non haberent, etiamsi apud illos templum Dei esset; sic enim eleganter exponit Zeno Veronens. Episc. Serm. de spirituali ædificatione domus Dei id, quod Christus Dominus dixit. Matt. 24. *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* addit igitur per explicationem Zeno, reprobat tam immensum, tam insigne, tam locuples templum, quia in eo verum non erat templum, etenim vbi non viget Religio, Cultus, Timor, & Reuerentia Dei, neque domus Dei est, neq; templum esse dicendum est; & qui templa adeunt nõ pro colendo, & orando Deum, meliùs illis foret si templum neque adirent, neque scirent. Quod dixit Cæsar Arelat. Episc. homil. 12. loquens de iis, qui in domo Dei impedimento, aut perturbationi sunt. Ita, inquit, vt nec ipsi audiant, neç alios audire permittant. Isti tales minus à nobis culparentur si ad Ecclesiam non venirent, qui ibi probantur ampliùs Deum lædere, vbi peccatorũ poturerant indulgentiam promereri. Quibus similia habet homil. 34. videndúsque erit hac de re Chrysost. Serm. de Beato Philogon. in fin. tom. 3. & tom. 5. hom. 60. & 61. & Serm. de non despicienda Dei Ecclesia, sacrisq; mysteriis, qui habetur eodem tom. inter nouissimè adiecta, & hom. 29. in acta Apost. vbi ait: Ecclesia lauacrum est, si semper aditetis, nullam accipientes tinctionem, quæ vtilitas perpetuò huc ire? Nam maius quidam damnum est, &c. Pulchreque in hanc sententiam Bern. in Apologet. inter alia sic ait: Currunt homines, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur sancta. O vanitas vanitatum, sed vanior, quàm insanior! fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget, suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit, &c. Plura qui velit, adeat Damascen. lib. 4. de Fide, cap. 14. August. de tempore Serm. 1. 2. & 253. Nazianz. Orat. 1. & postrema inuectiua contra Iulian. apostatam, & in 2. vbi piè, ac copiosè prosequitur quo pacto festa celebranda sint à Christianis qui locus sanè lectu dignissimus est quemque pulchrè, ac doctè illustrauit Elias Cretens. Metropolit.

Matth. 24. nu. 2.

Similia sunt quæ habet in Orat. sua Panegyrica in Christi Natiu. non

longè à principio, vbi inter alia ait. Quocirca non vt in publicis festis fieri solet, sed diuinè, non vt mundanè, sed supermundanè celebritatem agamus, &c. quæ videnda sunt, vt inde colligamus qua modestia, & compositione etiam exteriori, diuina sint tractanda, & facienda, alioquin minimè Deo placitura. Vbi non omittendum est id, quod notauit Zeno cit. Serm. 1. de Abraham, ipsum, scilicet oblaturum filium in holocaustum ex præcepto Dei, priùs alligasse, ne impatientia mortis calcitraret Isaac, ac proinde videretur minùs obtulisse, si in oblata victima, etiam sine culpa, aliquid incompositum cerneretur, sic enim habet: pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret, securus enim Pater optimus timuit ne dolori aliquid liceret in morte. O, fratres, secura deuotio! ô qui seruum Domini ita esse meminerat, vt Patrem se esse nesciret! Similia habet Serm. 2.

Ex quibus patet qua veneratione sacra tractanda, & peragenda sint, idque vt doceret suos, contrario vitio deditos, vt de illis sæpius Deus cõqueritur, optabat diu viuere Ezechias, Deique templum sæpius adire, quo veluti in schola de cultu Deo exhibendo eos instrueret, & per hoc securus redderetur, de illius Regni duratione, & stabilitate, quam ille velut Pater curabat, & veluti Rex in mente, cordéque gerebat.

Vel etiam ægre fert præscindi sibi à Deo vitam, eò quòd se iam priuatum inueniret gaudio, & lætitia, qua afficiebatur, tum aspectu, & pulchritudine illius domus, tum perpetua assistentia, qua diuinis laudibus, & sacrificiis incumbebat; de decore, & pulchritudine templi plura diximus ad Cant. Moysis Exod. 15. modò satis sit quod dixit Zeno cit. Serm. de Spirit. ædificat. vbi ita habet: Salomonis accepimus Templum luculento opere fuisse cõstructum, atque ita elaboratum, vt nesciret inspector in eo quid potissimum miraretur, magnitudinem, opus, ornatum, anne materiam? ita enim in vnum decorem vniuersa conuenerant, vt legitima domus Dei, caduca illa ambitio putaretur, &c. Dolebat igitur Ezechias priuati conspectu tantæ pulchritudinis, qua ipse in vita præ omnibus delectabatur.

Quòd verò ipse maximè studuerit Diuinis laudibus, & sacrificiis incubuerit, mihi probat id, quod ipse dixit Deo mortem ipsi comminanti. Isai. 38. *Obsecro, Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & corde perfecto*; existimo enim hanc cordis perfectionem explicandam esse de Cultu Dei, & Religione, cui iugiter insudabat Ezechias; idq; deduco ex 3. Reg. 15. vbi de Abia dicitur: *Ambulauit in omnibus peccatis Patris sui, quæ fecerat ante eum, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid Patris eius*; vbi si quæras, quænam fuerit ista perfectio Dauidis, & imperfectio Abiæ? Audi ad nostrum institutum Abul. ibi. q. 3. Quomodo dicitur, inquit, corde vir perfecto in Domino, qui peccauit grauissimè homicidio, adulterio, & numeratione populi, & similibus, sed ad perfectionem omnimodam requiritur innocentia saltem à mortalibus? Respondendum, quod esse cor perfectum alicuius cum Deo intelligitur dupliciter, vno modo quòd sollicitus sit circa cultum Dei, & vt agat quantum poterit, quòd Deus semper colatur, secundò quòd nunquam recedat ad idola. In Dauide fuerunt ista duo, nam erat nimis diligens, & affectuosus ad ampliandum cultum Dei, quod patet, quia nullus de Principibus Israël dixit vnquam quòd

Isai. 38. num. 3.

3. Regum 15. nu. 3.

quòd volebat ædificare Templum Domino,& ipse dispoſuit;patet etiã, quia humiliabat ſe nimis coram Domino,abiiciendo ſeipſum, vt exaltaret Dominum: nam ſaltabat totis viribus,& ludebat coram arca quando tranſtulit eam de domo Obededon.2.Reg.6.& cùm increparet eum Michol,propter hoc dixit; *Ludam,& vilior fiam;quam factus ſum coram Domino,qui elegit me*; patet item 1.Paralipp.13. Cùm ipſe admonuit totum Iſraël,vt irent pro arca in Cariathiarim. Ipſe igitur magis ſollicitus fuit circa cultum diuinum, quàm omnes prædeceſſores. Secundum patet, quia Dauid nunquam declinauit ad idola,imò tempore ſuo nullus in Iſraël auſus eſt tenere idolum,ergo cor eius perfectum erat in Domino.

2. Reg.6. num. 14. & 22.

1. Paral. 13. nu.2.

Cùm autem obiicitur quòd peccauit in homicidio, adulterio, & ſimilibus, dicendum quòd iſta non tollunt cor Dauid eſſe perfectum, quia iſta erant quædam peccata facta ex paſſione, & tamen, propter hæc non ceſſabat deſiderium magnum colendi Deum, & vigor contra illos, qui vellent colere idola; & dicendum quòd verum eſt Dauid non ſeruaſſe innocentiam, vel munditiam cordis ſemper, & tamen ſeruauit ſemper perfectionem cordis, eò quòd iſta differunt, quia perfectio cordis ſtat cum aliquo peccato, cùm ſolùm requirat duo ſupra poſita;munditia autem cordis omnimoda, vel innocentia excludit omne peccatum. ſic Abul. proſequitur, & probat cordis perfectionem in Dauide,ex eo,quod nimis diligens,& affectuoſus fuerit circa Dei cultum, & nũquam declinauerit ad idola, quod totum in Ezechia repertum fuiſſe conſtat ex 4.Reg.18.vbi dicitur: *Fecit Ezechias quod erat bonum coram Domino iuxta omnia, quæ fecerat Dauid Pater eius. Ipſe diſſipauit excelſa,& contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitq́, ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, ſiquidem vſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum, in Domino Deo ſperauit, itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de Regibus Iuda,ſed neque in his, qui ante eum fuerunt. adhæſit Domino, & non receſſit à veſtigijs eius, fecitq́, mandata eius, quæ præceperat Dominus Moyſi, vnde erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat ſapienter ſe agebat.* Conſtat igitur ex eodem cap. ſic affectum fuiſſe erga templum Domini, vt ad valuas templi affixerit laminas aureas.Cùm ergo Ezechias tanto zelo cultus Dei afficeretur, quid mirum, ſi pro delitiis reputaret ſæpius inuiſere Templum Dei,Diuinis laudibus & ſacrificiis intereſſe,& maximè,doleret,ac lacrymaretur, quòd deinceps, haud quaquam ei liceret Religione Dei frui, quæ illi tantum gaudium pariebat.

4. Regum 18. nu.3.

Sup. n.13.

Vel etiam gratus Ezechiæ animus memoria recolebat quã bene ei fuerat in templo Domini,proinde dolet quòd non poſſet deinceps ibi adeſſe gratias agendo Deo,qui ipſi præſentiam ſuam eo in loco ſubueniendo, & benefaciendo teſtatus fuerat; pro qua re aduertendum eſt Ezechiam, cùm exercitus Aſſyriorũ ſuper Hieruſalem aſcendit, ſciſſis veſtimentis ſuis, & obuolutum ſacco intraſſe in domum Domini,vt patet Iſai.37. Et iterum cùm Rex Aſſyriorum per Nuntios illi literas miſit arrogantia, minîſque refertas;cùm accepiſſet eas de manu Nuntiorũ,& legiſſet,aſcendit in domum Domini, & expandit illas coram Domino, qui cum mirabiliter liberauit de manu Aſſyriorum.4.Reg.19. vbi Hieronym. in cap.37.Iſai.dixit. Contra Senacheribi Regis blaſphemias ſolita Ezechias arma corripuit, rurſumque pergit ad templum, & epiſtolas eius expandit

Iſai. 37. num.1.

4. Regum 19. n.14.

& orauit ad Dominum, dicens. *Domine exercituum*, &c. Arma itaque, imò & victoriam de Assyriis inueniens in Templo, memor tanti beneficij, acerbissimè dolet, quod in posterum non potuerit sacra limina adire, vbi tot bona inuenerat, vlteriorà que posset sperare; quæ ideò domus orationis dicta est, non alicuius peculiaris boni, quia per orationem omnigena bona in Templo Dei reperiuntur, sicut ostendimus ad Epist. Iacobi cap. 1. ad illa verba dabitur ei §. 1.

Denique luget, & dolet Ezechias separationem animæ suæ, eò quòd deinceps non posset in illa proprio munere, & officio fungi, scilicet Deum laudandi, eíque iuges hostias offerendi; hoc enim præcipuum, & peculiare munus animæ nostræ esse videtur. Pro qua re obseruandus venit locus ille. Genes. 12. vbi de Abrahamo ait sacer text. *Tulit vxorem suam Sarai, & Loth filium fratris sui, vniuersamq; substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran*; vbi aduertendum est, animas sumi pro hominibus secundùm vsitatam phrasim linguæ Hebreæ. Tota dubitatio est de verbo *faciendi*, quod significat gignere, vel acquirere; primo modo non potest referri ad Abraham, cuius prima proles fuit Ismaël, quē genuit decem annis postquam venit in terram Canaan, vt habetur Genes. 16. Lyran. intelligit de seruis, quæ est etiam eorum sententia; quos tacito nomine refert Brixian. eámque amplectitur Perer. ibi. num. 56.

Gen. 12. num. 5.

Alij, quorum meminit Lyranus viros, ac mulieres intelligunt, quos Abraham è vano idolorum cultu ad veri Dei agnitionem traduxit; hi enim libentissimis animis, vt vitæ suæ spiritualis parentem, ac Fidei magistrum Abrahamum secuti sunt. Et sanè Hebræi, qui hanc expositionem amplectuntur, tradūt Abraham viros, Sarai mulieres magno numero ab infidelitate deduxisse, & in veri Dei Cultu instituisse, atque adeò eos Deo genuisse, & procreasse. Cui traditioni, siue expositioni suffragatur Chaldæa paraphrasis, quæ pro eo, quod nos habemus, *Animas, quas fecerant in Haran*, habet; *animas, quas legi subiecerat in Haran*. & in hoc sensu non abhorret significatio generationis: vocabula enim Patris, Filij, Natiuitatis, gignendi, & nascendi spiritualiter sumi in Scriptura cuiq; obuium, & notum est. Hanc expositionem veriorem censet Abul. ibi. quæst. 22. in fine vbi ita habet: animæ, quas fecerunt in Haran, idest, homines, quos ad Cultum Dei veri in Haran conuerterunt, quia docentes, vel conuertentes alios, facere eos dicuntur, & gignere, sic enim dicit Apostolus ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*; & fortè ista sententia est melior, scilicet quod illi, quos conuerterunt in Haran, secuti sunt eos venientes in terram Canaan, vt ibi magis ab eis erudirentur, & ne in terra illa idololatrarum manētes rursus ad idololatriam verterētur. Fecit igitur Abraham eos homines, eásve animas, quas ad Dei Cultum adduxit, quasi antequam ad Dei Religionem perducerentur, neque homines fuerint, neque animas habuerint, neque pro animatis potuerint reputari, & censeri; cùm enim proprium munus animæ sit Deum adorare, colere, & venerari, quandiu illa caret Dei cognitione, nec Dei Cultui vacat, & Religioni incumbit, reputatur quidem ac si nec existeret in rerum natura. Tantò igitur munere priuati, à tali ministerio abstrahi dolet meritò Ezechias, facto suo nos docens quanti facere debeamus Religionē,

Galat. 4. num. 19.

&

& Pietatem, quando pius, ac religiosus Rex non tam conqueritur, & dolet de morte, quàm quod separetur à pio, & religioso exercitio colendi Deum.

Sed quoniã vidimus quanto gaudio perfundebatur Ezechias in Tẽplo, quantóq; illius potiũdi desiderio tenebatur, parua iã licet componere magnis, & in præsentiarũ longè nobiliorẽ statum nostri tẽporis, ac legis persequi, & proponere, quãdo nobis misericorditer concessum est Deum videre, tãgere, & mãducare, & viuentium, imò vitæ panẽ sumere; etenim, licèt corpus Christi in Eucharistia existens nõ possit videri oculis corporeis, vt tractãt Theologi ad 3. par. D. Th. q. 76. vbi nos latè hac de re diximus, videríq; ibi potest Suar. d. 53. sect. 4. Neq; etiã possit immediatè attingi ab vllo sensu, imò neq; ab ipsa mente nisi per fidem, tamẽ in specie aliena, & mediatè attingitur oculis, manibus, lingua & ipso etiã pectore, quomodo etiã interdũ saluberrima pharmaca ita inuoluta dantur ægrotis in variis tegumẽtis, vt nullo sensu immediatè percipiantur, & tamen quia ipsa re vera ad stomachum penetrãt, vtilissima sunt, & verè percipiuntur, sicut benè prosequitur Cardi. Bellar. rom. 3. lib. 3. de Eucharistia, cap. 9. Hinc igitur est quod nos dicamus videre Deũ in terra viuentiũ, in Ecclesia. sc. Catholica, & in Templis viuentium per fidem, & gratiam.

Dixit olim Moyses Israëlitis Deut. 4. *En populus sapiens, & intelligens gens magna, nec est alia natio tam grãdis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* vbi Oleast. statim inquirit; nũquid Iudæi propinquiorẽ sibi Deum, quàm Christiani habebãt? Quasi dicat, minime gentium: etenim, sicut ibi notauit Caietan. statim in specie manifestauit sacer tex. propinquitatem Dei in eo, quòd inuocatus adesset, & respõderet, cùm tamẽ Dij gentium sæpè inuocati desint, at nobis longè nobiliori modo propinquus est cùm realiter, & substantialiter corpus eius nobis adsit, imò nobiscum sit, vbi notãdus venit Guarric. Abb. Ser. de Ascens. statim post princ. cùm ait; Sacramentum corporis, & sanguinis sui tradidit, & celebrandũ instituit, nescio virtute, an charitate mirabiliori: hoc nouum genus mansionis adinueniens in cõsolationem recessus sui, vt si discederet ab eis specie corporis, maneret non solùm cum eis, sed etiam in eis virtute sacramẽti. Magna quidem dignitas nostra, dũ nobiscum habemus corpus, & sanguinẽ Dei hominis, sed adhuc adinuenit charitas, & potentia Dei nostri nobiliorẽ essendi modũ, dum in nobis esse voluit. Magnum vtique beneficium nobis contulit Christus Dominus, dum nostris dignatus est adesse, & cõtineri templis, sed longè maius, dũ nostra corpora voluit esse tẽpla sua, illa ingredi, in illis adesse.

Deute. 4. n. 6. & 7.

Tãta luce obfuscatus Philo tenebras suæ ignorãtiæ cõfessus est, quãdo lib. Quod deterior, &c. dixit Deũ quidẽ dantẽ scio, dari verò nõ intelligo, quasi dicat: Deum conferentem beneficia, à malis liberãtem, obsecrationibus respondentẽ libẽter fateor, at quod ipse hominibus detur sumẽdus, mãducãdus, & pectore humano veluti cõcludẽdus, id minimè percipio; dare tamen se voluit Deus, qui dixit. Io. 6. *Panis, quẽ ego dabo, caro mea est;* sed statim non intelligẽtes Deum dari posse, *litigabãt adinuicem dicẽtes, quomodo potest hic nobis carnẽ suã dare ad mãducandũ?* Neq; mirũ si hoc mirãrur, neq; nouũ, si nouitatẽ nõ intelligũt, quoniã iã in figura mirati sunt, & se non intelligere confessi sunt, nã Exod. 16. cùm vidissent filij Israël manna, dixerunt adinuicem: *Manhu,*

Ioan. 6. nu. 51.

Exod. 16. nu. 15.

hu, (quod significat quid est hoc?) ignorabant enim quid esset. Si igitur mirabantur Deum dantem cibum illum, quem manducâtes mortui sunt, quid mirum si ignorantes mirentur Deum dari in cibum immortalitatis, imò quia id semper ignoraturi erant, & miraturi, tunc primò mirati sunt, sicut aduertit Rupert. lib. 3. in Exod. cap. 15. vbi ait, tunc dicere cœperunt, manhu, & vsque hodie dicere non desinunt, cùm dicimus Caro Christi est, & dicunt semper quomodo est? quomodo est? &c.

1. Thes. 2. num. 8. Volebat Paulus præ charitate, qua ardebat se dilectis suis dare, si posset, quando 1. Thessal. 2. dixit: *Desiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis, non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis*; cæterùm illi nequaquam licuit se dare, quia non potuit, dedit tamen se Omnipotens Filiùs Dei, cui omnia dedit Pater in manus, concurrente pariter amore, & potentia, illo desiderante, ac operante.

Gene. 28. num. 20. Votum vouit Iacob Deo, dicens. Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum*; etenim sicut dixit Clem. Alexand. 1. pædagog. cap. 6. ad fin. Aluisse inter homines sæpè affert plura amoris incitamenta, quàm procreasse; dedit quidem panem ad manducandum in via, qui se iugiter manducandum præbebit in patria; non quemlibet panem dedit, sed seipsum in panem, & qui tale viaticum concessit, quid suum nobis negabit in patria? meretur proinde, vt qui à nobis timetur vt Dominus, diligatur vt Deus, atque nobis Dominus sit in Deum: nam sicut dixit Chrysostom. tom. 5. homil. 61. ad populum post princip. Propterea semetipsum nobis immiscuit, & corpus suum in nos contemperauit, vt vnũ quid efficiamur tanquam corpus capiti cooptatum, ardenter enim amantium hoc est. Hoc itaque Iob insinuans dicebat de seruis suis, quibus erat supra modũ desiderabilis, quod desideriũ ostendentes dicebãt; *Quis dederit nobis de carnibus eius impleri?* Iob 31. Propterea quidem & Christus id fecit in maiorem nos inducens charitatem, & suum erga nos ostẽdens desiderium, non tantùm se præbens cupientibus videndum, sed & palpandum, & comedendum, & carni dentes infigere, & complicari, & omne desiderium impleri, vbi Chrysost. ostendit quanto præclariori beneficio nos affecerit Christus Dominus, quàm veteris testamenti etiam electos Reges; illi enim templum videbant, vnde Ezechias ait: *Non videbo Dominum Deum*, at nos ipsum videmus, tangimus, & sumimus. Iob 31. num. 31.

Commendantur quidem matres quæ proprios filios ad vbera portãt, suóque lactãt, & nutriunt lacte, nam sicut dixit Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 7. ad illa verba Genes. 21. vbi Sarai dixit: *Quis auditurus crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* Prouocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos, hæc enim matris gratia, hic honos. Denique plus amare filios solent, quos ipsæ matres lactauerunt vberibus suis, vnde Phauorinus Philosophus apud Gellium, lib. 12. cap. 1. in princ. Dimidiatum matris genus earum dixit, quæ filios aliis nutriendos tradũt, sic enim ait, ad matrẽ vxoris amici sui, quæ enixũ filium commiserat nutricibus. Oro te mulier sine eam totã, ac integram esse matrem filij sui, quod est enim hoc contra naturam imperfectum, atque dimidiatum matris genus peperisse, ac statim ab sese abiecisse? Aluisse in vtero sanguine suo nescio Gen. 21. num. 7.

quid, quod non videret non aleret nunc suo lacte, quem videat iam hominem, iam matris officia implorantem, non frustra creditum est sicuti valeat ad fingēdas animi, atque corporis similitudines vis, & natura seminis: non secus ad eandem rem lactis quoque ingenia; & proprietates valere, neque in hominibus id solùm, sed in pecudibus quoque animaduersum: nam si ouium lactæ hædi, aut caprarum agni alerentur, constat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem: in arboribus etiam, & frugibus maior plerúmque vis, & potestas est ad earum indolem, vel detractandam, vel augendam aquarum, atque terrarum, quæ alunt, quàm ipsius, quod iacitur seminis, ac sæpè videas arborem lætam, & nitentem in alium locum trāspositam. Quæ (malum) igitur ratio est nobilitatē istam nati modo hominis, & animum benè ingenitis primordiis inchoatum, insitiuo, degeneríque alimento lactis alieni corrumpere? Præsertim si ista, quàm ad præbendum lac tunc adhibebitis, aut serua, aut seruilis, & vt plerúmque solet externæ, & barbaræ nationis: si improba, si informis, si impudica, si temulenta est, &c. Similia sunt quæ habet Macrob. lib. 5. cap. 11. dicens, in moribus inolescendis magnam ferè partem nutricis ingenium, & natura lactis tenet, & Virgil. 4. Æneid. in hoc sensu dixit:

Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens

Caucasus, hyrcanaq́; admorunt vbera tigres.

Et vxor Caton. teste Plutarc. in eius vita, cùm propriis vberibus filium lactaret, eisdem admouebat ancillarum filios, quo mores, & indolem haurirent nobilem, ne alias seruili tantum lacte educati filium inficerent, cum quo simul educati versaturi, & colluturi erant.

Christus igitur Dominus, vt mores nobis ingereret diuinos, & suum erga nos probaret affectum, factus est nobis cibus, proprióque sanguine, & carne, veluti lacte nutrit; nam sicut dixit Chrysost. hom. 1. in Ps. 50. Aliquando mater cū genuerit filiū, statim eum tradit foris & pietatis insignia abscōdit, erubescit fieri nutrix, quæ facta est mater, Christus autem non ita, ipse nutritor est noster, ideo & pro cibo propria nos carne pascit, & pro potu suum sanguinem nobis propinauit; similia habet hom. 60. ad popul. cùm ait: Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus, hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia sibi coagmētat, vt sc. nobis impertiatur aliquid de moribus & virtutibus, ac indole sua: nam sicut dixit Cyprian. Ser. de Cœn. Dom. paulò pòst med. Verbum bonum, mores compositos, affectus pudicos, sensus pacificos, illa interior synceritas vbique diffundit. Et Nyssen. Ora. Catechet. cap. 37. Cùm intra nos fuerit hoc salutare medicamētum, veneni damnū, quod corpori fuerit inditum, per contrariam repellet affectionem. Et Cyrill. Alexand. lib 4. in Ioan. cap. 17. Sedat, inquit, cùm in nobis maneat Christus sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatē corroborat, perturbationes animi extinguit. Et Ber. Ser. 1. in Cœn. Dom. post med. ait. Si quis nostrū non tā sæpenumero, non tam acerbos sentit iracundiæ motus inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniā virtus sacramēti operatur in eo, & gaudeat quod pessimū vlcus accedat ad sanitatem. Cyprian. verò loc. cit. ad fin. ait: Omnis sapor delectamentorū carnalium fit

sit ei quasi raucidum, &c. Plura hac de re habet Iulius Firmicus Maternus lib. de Mysteriis, & erroribus profanar. Relig.c.19.tom.4. Bibliot. vbi ait: Christus vos epulis suis reuocat ad salutem, & graui veneno putres artus, & putrentia membra viuificat. Similia habet Laurent. Iustin. lib. de Discip. & perfect. monast. conuersat. cap.19. & D. Thom. opusc.58. cap.6. & 21. Ideo Chrysost. hom.4. in Matt. post med. ait. Quonam modo ab hac tam noxia peste fugiemus? Si illam vtique potionem bibamus, quę omnes intra nos vermes, serpentésque mortificat, &c. Nam sicut dixit Cyprian. cit. loco ad med. alludēs ad id, quod Paulus de vino dixerat

Ephes. 5. nu.18. Ephes. 5 *in quo est luxuria*: in hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum post hunc potum lasciuia. Et Paschas. lib. de Corpore, & sanguine Domini cap.21. tom.6. Bibliot. conferens dicta verba Pauli cum iis, quæ habet Zachar. cap. 9. ait: Felix fructus vbertatis, ex quo virginitas germinatur, nam in hoc nostri germinis vino castitas corrumpitur, ab isto verò virgines procreantur.

Non sat itaque fuit Deo nos creare, nisi etiam propria carne, & sanguine aleret; vt ab illo cœlesti cibo cœlestes hauriremus mores, & nostra sanctificaretur natura: nam sicut dixit Arist. 2. de generat. cap.8. text.50. Ex eisdem sumus, ex quibus & nutrimur. Adhoc igitur vt Christi induamus conditiones, ac veluti Dij firmes reddamur, se nobis dedit in cibum. Videndúmque erit D. Th.3. part. quæst.79. art.1. ad 3. & artic 5. ad 1. vbi videtur insinuare quòd virtus istius cibi redundat etiā ad corpus. Et Episcopus, ac Martyr. Roff. non semel contra Æcolampad. affirmat dici hoc Sacramētum communionem, quia efficit maximorū bonorum participationem; qua in re sic ille argumentatur. Qui seipsum dedit corporaliter participandum, quomodo vnà secum bonorum participationem suis participibus non elargietur? Imò Trident. sess.13. c.2. vocat antidotum contra nostræ naturæ venenum, in quo Diuini erga homines amoris diuitias effudit, & communionem effecit. Audiamus ergo quid ex dictis colligendum sit cum Chrysost. hom.51. in Ioan. post med. cùm ait: Audiamus, & perhorrescamus, carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit, quam igitur satisfactionem offeremus, cùm tali pabulo nutriti taliter peccemus, cùm agnum comedentes in lupos conuertamur, cùm ouinis carnibus saturati, vt leones rapiamus, &c. Similia sunt quæ habet homil.60. ad popul.

Debemus igitur eum, qui talem cibum præbuit Dominum Deum agnoscere, & adorare, & sicut esuriētes infantes ad vbera matris accurrunt, apprehendentes, amplexantes, & osculātes, sic ad parētem nostrum toto animi affectu concurrere: ad hoc enim inuitamur à Dauide. Psal. 2. *Apprehendite disciplinam*, ex Hebr. Psal. 2. nu.12.
Pagnin. Vatabl. Felix. Iansen. Genebrar. & alij, *Osculamini filium*, vel vt Campens. habet, *amplectimini*; quod idem est atque adorare, sicut aliqui legunt, vt Felix, & etiam Eugubin. post Hieronym. in Commentar. & Palmer. tom.1. prolegom.8. & Marc. Anton. Flamin. Etenim mos erat in eo populo, vt si quādo Rex quispiam creatus esset ad significationem obsequij eius genua, aut manus oscularentur, vt 1. Reg.10. cùm dicitur: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saül. & deosculatus est eum*, 1. Reg. 10. nu.1.
& Gen.41. *Ad oris tui imperium cunctus populus obediet*, in Hebr. legitur *ad os tuum* (vel vt Regia habet, *super os tuum*) *cunctus populus osculabitur*, quod Gen. 41. nu.40.
Vatabl.

Vatabl.vertit,& exposuit: *Os tuũ osculabitur omnis populus*, hoc nempe signo te illorum esse Dominum ostendentes; hoc etiam verbum habetur Ose. 13. ibi: *Vitulos adorant*, vbi Pagnin.Regia,& Thigur. *Osculantur vitulos.* Denique D. Hieron.ad Ruffin. ait, qui adorant, solent deosculari manum,& capita summittere.

Iubemur igitur osculari,& adorare filiũ, apprehendereq; ipsum, sicut Hieron.testatur se vertisse in cōmentariis, & ipsi etiam Hebræi vertunt, in Midras Thehilim,idest,expositione Psalmorum.Sed cur hoc pręcipuè isto in loco iniungatur,existimo non vulgariter, nec sine vtilitate,& mysterio deduci ex eo, quòd hæc vox, *Bar*, quæ in hoc loco habetur, ita significat filiũ, vt etiam significet frumentum,& triticum electum quidē, purum, & mundum, sicut eleganter docet Hieron.in Apolog.1. aduersus Ruffin. lib.1. post med. vnde eadem vox habetur Psal.71. *Erit firmamentũ in terra in summis montiũ:* vbi Pagnin. Tygur.& Caiet. *Pugillus* aut *vola tritici*, alij *densitas tritici*, vt Rabbi Dauid, Rabbi Ioseph, & Montan.& in ea tritici vbertate subodorati sunt sicut Hebræi panem hunc supersubstantialem,nam Chaldæus legit: *Erit substantificus panis in terra*. & Rabbi Salom. apud Aug.Iustin. Episc. Nebiensem,cuius extat Psalteriũ quinq; linguarũ, *Pizath bar*.idest,placentula frumenti, loquela est abundantiæ,& multiplicationis,atque Magistri nostri exposuerunt, sermonem esse placentularũ in diebus Messiæ. Et Rab. Hisa apud Raimũd. & Triumphũ in lib.Saresim dixerũt:Magistri. Futurũ est vt triticum palmescat,& ascendat sicut palma,& hoc in diebus Messiæ. Vidēdus Rabbi Barach. apud Galat. li.8.c.7.& dictus Rabbi Salom.Christianis rebus infensissimus, qui vixit circiter annũ 1185. Scriptũ reliquit

Psal. 71. num. 16.

in hunc Ps.Magistri nostri bonę memoriæ exposuerunt hoc esse placētarium in diebus Messiæ.Sic ille,vt refert Galat.li.16.c.6.& Gen-bran Ps. 71.Videndus item Burgens.in addit. 2.ad hunc Psal.vbi ait:Pisath,non significat abũdantiam,sed potiùs placentam, aut placentulam frumenti, & cũ hoc concordat trãslatio Chaldaica,in qua pro *in summis montium*, expresse vertit, *In capitibus Sacerdotũ*, licèt autem hęc versio in nullo reperiatur,sicut aduertit Nebiens. ibi,tamen montes in Scriptura vocari Apostolos,Sacerdotes,& Sapiētes frequentissimũ est apud sanctos Patres. Videndus Ambr.serm.22. in Ps.118. & in c.17.Luc.& libr.de Noë,& Arca c.32.August.tract.1.in Ioan. & in Psal.35.75.86.103.Greg.22.moral.c. 11.& 27.Orig.hom.27.in Numer.& hom.2.& 3. in Cant.Hieron.Isai.14. 30.52. Hierem.9. Ezech.6.35.& 36. & sanè Chaldæa versio, non illa paraphrasis allata, sed illa, quã reliquit Rabbi Ionath,qui viginti annis dicitur ætatem Christi præcessisse, sic habet: *Erit sacrificium panis in terra in capite montium Ecclesiæ*, idest,Sacerdotum,vt ex eo refert Paulus Burgens.

Futura autem prædicitur placentula in capite montium, idest, super capita Sacerdotum, quia cùm Hostiam sacram in sublime attollunt adorandam,super capita ipsorum visitur;& hanc fuisse Hebræorum traditionem refert Triumphus Christi tit.12.probat.5.Ex his igitur constat, verba illa vnde nostra digressa est oratio, imitationē ad sacram Eucharistiam continere: *Osculamini,adorate, & apprehendite Filium,quoniã frumentũ panis,& cibus factus est viatorũ*: vbi notãda,etiam est versio, quam affert Hieron.cũ Aquil.& Symmach. *Adorate purè*: vt sit sensus, panis ille, frumentum,placentulaque proposita in capitibus Sacerdotum,osculo,& ore

apprehendenda est, corde tamen, & animo puro; ad quod videtur allusisse Paulum 1. Cor. 11. cùm iubet panem cœlestem dignè sumi, & probatione præmissa. Inuitamur igitur, & vocamur ad adorandum, & sumendũ hũc cibum, quem toto animo etiam non inuitati quærere debebamus.

1. Cor. 11. nu. 33. & 34.

Sed quoniam Ezechias tanto desiderio tenebatur videndi, & inuisendi Templum, singula quæ ibi reperiebantur cum iis, quæ in nostris Templis adsunt, conferamus, vt inde facilè colligamus quantò maiori lætitia debeamus affici, quantò ardentiori desiderio flagrare, quantò maiori deuotione ad nostra templa concurrere, quàm Rex ipse Ezechias. Adderat igitur ibi in anteriori atrio, quod & Sacerdotum dicebatur (vt externam, & omnibus peruiam partem Templi omittamus) altare holocausti, vbi victimæ cremabantur: statímque occurrit diuisio sacrificiorum, in holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Holocaustum, quod iuxta proprietatem Hebræam significat ascendens, quia nimirum hoc sacrificium igne consumptum, totúmque in vaporem, & fumum resolutum quasi ascendebat. Plerique, vt Isidor. refert lib. 6. Origin. contendunt esse nomen Græcum idem significans quod totum incensum. Hostia pro peccato multiplex erat pro diuersitate peccatorũ, aut personarum. Hostia pacifica instituta erat ad agendas Deo gratias pro beneficiis acceptis. His addi potest quartum genus sacrificij, ad impetrandum, scilicet aliquod beneficium à Deo præter remissionem peccatorũ, quod dici potest sacrificium impetratorium, de quibus sacrificiis videnda sunt sex prima capita Leuit. vbi Cyrill. Rupert. & alij expositores varias horum sacrificiorum rationes tradunt, quas breuiter collegit D. Th. 1. 2. q. 102. & priùs attigit Philo lib. de Victimis, & Ioseph. 3. lib. Antiq. cap. 13. Nouissiméque Lorinus in Commentariis ad libr. Leuitici.

Pro his omnibus sacrificiis præstantissimũ in Templis nostris adest sacrificium, vbi Filius Deo Patri offertur, de cuius præstantia, & excellentia, plura qui velit, adeat Suar. 3. tom. 3. p. d. 74. & 75. vbi latissimè de hoc sacrificio agit. Videndus itẽ erit Baron. tom. 1. anno Christi 34. c. 57. & Thom. Bos. tom. 2. lib. 13. de Signis Ecclesiæ c. 7. nu. 5. modò pro nostro instituto occurrit notandus locus apud August. 16. de Ciuit. c. 20. post med. vbi loquens de hoc Sacramento ait. Id sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod etiam vocem illam in Psalm. 39. eiusdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi, quia pro illis omnibus sacrificiis, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur, quod rectè prosequitur Benedictus Fernand. in cap. 14. Genes. sect. 8. num. 2.

Et pro maiori huius rei explicatione aduertẽdum est, quòd olim sacrificabatur in holocaustum singulis diebus iuge sacrificium, alterum mane, alterum vespere, mactabatúrque agnus mundissimus, certáque portio farinæ offerebatur, vt constat ex lib. Exod. 29. & Num. 28. Mane quidem se obtulerat agnus immaculatus cùm statim atq; factus est homo dixit: *Ecce venio*, & ad vesperam illius diei, de quo dicitur: *Ante diem Festum Paschæ* sese obtulit immaculatus agnus, quãdo panẽ consecrauit in corpus suum, & remansit hoc sacrificium vespertinum in vltima, & 6. ætate vsque in finem duraturum. Etenim sicut aduertit Euthym. quamuis sacrificium ex

Exod. 29. num. 39. Num. 28. num. 4.

agno

agno constaret, & quamuis mane fierét, diuinius, & celebrius vespertinum addebatur, quod nõ ab agno, sed à farina nomen accipiebat, quod, scilicet referret sacrosãctũ, & vespertinũ sacrificium Eucharistiæ; hócque videtur dixisse Regius vates Ps. 140. illis verbis: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Ps. 140. num. 2.

Hoc etiam sacrificiũ cæteris præferendum prædixit Malach. 1. cùm habet: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsque ad occasum magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum:* quæ verba pertinere ad Eucharistiam tradit Iustin. in Dialog. cùm Triphonem, Irenę. lib. 4. c. 32. Tertul. 3. contra Marc. Cypr. 1. cõtra Iudæos c. 16. Euseb. Cæsar. lib. 1. de Monst. c. vlt. Chrysost. in Psalm. 95. vbi etiam Hieron. Aug. lib. 1. contra aduersariũ legis, & prophetarum c. 20 & lib. 18. de Ciuit. c. 35. Theod. ad dicta verba Malach. Idacius Clarus lib. 3. contra Varimãdum; & quod ita intelligendus sit locus ex eo patet, quia in omni loco à Solis ortu vsq; ad occasum Deus ait sibi offerri, & sacrificari oblationem mundam: ergo ab Ecclesia tantùm nostra offertur, sola namque ex omnibus cœtibus, qui Christi cultum profitentur à gentibus conflati, est per vniuersum Orbem terrarum dispersa. Deinde Propheta ait; in omni loco à Solis ortu vsque ad occasum sacrificari Deo oblationem mundam; vnde infertur hãc oblationem ita per se mundam esse, vt nulla offerentis labe commaculari possit; nã scimus in omni loco esse probos, & reprobos homines, qui Deo offerunt, siue speciale, siue corporeum sacrificium, nullum verò inter Christianos sacrificium est, in quo cõcurrant hæc duo, vt scilicet in omni loco offeratur, deinde semper sit mũdum, & purum, nisi corpus Christi, quod Ecclesiæ prodest, ac Deo placet, etiãsi minister sit pollutus, & nequã; quod Hebræis non contingebat, ac propterea Deus eorum repudiabat sacrificia, quia tota pendebant ex offerentis puritate; vt Deo essent grata.

Malac. 1. num. 10. & seq.

Neque verò huic sacrificio, & altari defuit ignis quandoquidem holocaustum erat; nam sicut aduertit D. Th. 3. p. q. 46. art. 4. ad 1. mors, & Passio Christi facta fuit in Cruce, veluti in altari; altare verò holocaustorum, inquit ille, in quo sacrificia animalium offerebantur, erat factum de lignis, vt habetur Exod. 27. & quantũ ad hoc veritas respondet figuræ: loco autem materialis ignis fuit in holocausto Christi ignis charitatis; cùm ergo hoc Sacramentum, & sacrificiũ imago sit, & rememoratiuum alterius sacrificij cruenti, in vtroq; eundem ignem cernere possumus, imò & figura huius Sacramenti fuit ignis de cœlo, de quo Leuit. 9. habetur: *Apparuit gloria Domini omni multitudini, & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes:* vnde Ephræm, & Chrysost. cit. à Bos. lib. 13. de Signis Ecclesiæ c. 7. n 7. Eucharistiam vocarunt ignem, & in antiquissima S. Iacobi liturgia sic ait ad populum Sacerdos: Dominus nos benedicat, & dignos nos faciat, qui puris forcipibus accipiamus igneum carbonẽ, & imponamus in ore fideliũ ad purgationem, & reuocationem animarũ ipsorum, & corporum amen. Hinc etiam est quod ignis de cœlo iubetur custodiri Leuit. 6. vbi dicitur: *Ignis in altari semper ardebit, quẽ nutriet Sacerdos subijciẽs ligna mane per singulos dies, ignis iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Et hæc fuit causa cur Hiere. præcepit iis, qui in transmigrationẽ

Exod. 27. num. 1.

Leuit. 9. num. 24.

Leuit. 6. num. 12.

Babylonis ducebantur, vt acciperent hunc ignem, sicut habetur 2. Mach. 1. & 2. *Et occultè absconderent in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt ignem, ita vt omnibus ignotus esset locus. Cùm autem præteriissent anni multi, & placuisset Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Persidis, nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant misit ad requirendum ignem, & non inuenerũt ignem, sed aquam crassam & iussit eis haurire, & afferri sibi, & sacrificia quæ imposita erãt, iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erãt superposita, vtq; hoc factũ est, & tempus affuit, quo Sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita vt omnes mirarentur, qui & deuorauit victimas.* En igitur vnius ignis perpetua continuatio in vmbra futuri, de quo Christus Dominus dixit Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationẽ sæculi*; quod de Eucharistia interpretãtur Cornel. Ianf. Lyran. & pleriq; alij, voluit enim Deus homo vt Sacramentũ hoc in memoriam ardẽtissimæ charitatis suę institutum, perpetuò nobiscum adesset, tum ad illustrandas mentes nostras, tum etiã ad inflãmanda corda nostra, & hoc testatus est etiã Rabbi Pinhas filius Iail, cùm dixit futurũ vt tẽporibus Messiæ sacrificia cuncta cessarẽt, remaneret tamen sacrificiũ panis, & vini secundùm ritum Melchisedech.

1. Mach. 1. nu. 19. & cap. 2. num. 1.

Matt. 28. num. 20.

Facit in hanc sententiam id, quod Malach. c. 3. loquens de tẽpore Messiæ ait: *Placebit Domino sacrificium Iuda, & Hierusalẽ sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui*: vbi si quæras cur hoc sacrificium vocetur Iuda, & Hierusalem: non alia de causa factũ dicimus, nisi quia in Eucharistia Christus incruento sacrificio immolatur, qui de Tribu Iuda natus est, & in Hierusalẽ fuit immolatus, alioqui cur potiùs Iuda, quàm Leui, aut cuiusuis alterius, cuius nomine Christianu notentur? Deinde expendenda sunt verba illa: *Placebit Deo sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui*: etenim quando olim sacrificiũ Deo placebat, ignis de cœlo adueniens illud deuorabat, vt quando Deus *Respexit ad Abel, & ad munera eius*. Gen. 6. quod non fuit aliud, quàm vt docet Hieron. in lib. traditionum Hebraïcarum in Genes. de cœlo repente misso igne cremasse Deum, & consumpsisse sacrificiũ Abel, intacta prorsus oblatione Cain, id quod secutus Theodotion dictum locũ sic vertit, *Et inflãmauit Dominus super Abel*, quod licèt rideant Caluin. & Luther. quasi Iudaïcas fabulas, tenet ibi Procop. & Cyrill. Chrysost. Theophil. & Æcum. in c. 11. Epist. ad Hebr. n. 4. & Cypr. Orat. de Nat. Domini, videndúsque erit ibi nouissimè Corn. à lapide, sic etiã & de sacrificio consecrationis Aaronis proditum est Leuit. 9. & de sacrificio Gedeo. Iudic. 6. & de Manue Iudic. 13. de sacrificio Dauid 1. Paralip. 21. de Sacrificio Salomonis 2. Paral. 7. de sacrificio Eliæ 3. Reg. 18. Perplacet igitur sacrificiũ necessariũ Deo sicut olim, imò magis quã vllum olim placuerit, quia in eo flamma cœlestis, & Deus ñoster, qui ignis cõsumẽs dicitur Deut. 4. deuorat panem, quod fit in trãsubstantiatione, & veluti in ignem cœlestem conuertit, nempe corpus Filij Dei, & sanguinem ipsius: etenim sicut ignis ea, quæ corripit, in suam substantiam reducit, ita Christus Dominus panis, viniq; substantiam in corpus, & sanguinem suum conuertit, & transfert.

Malac. 3. num. 4.

Genes. 6. num. 4.

Leuit. 9. num. 24. Iudic. 6. num. 21. Iudic. 13. num. 20. 1. Paral. 21. n. 26. 2. Paral. 7. num. 1. 3. Regum 18. n. 38. Deut. 4. num. 24.

Denique sicut præceptum erat in lege veteri vt ignis sẽper arderet nutritus à sacerdotibus, sicut patet Leuit. 6. vbi Cyrill. lib. 12. de Adorat. in spiritu per ignem intelligit Christũ Dominum, qui vt nobiscũ perpetuò adsit, potestatẽ concessit Sacerdotib. & facilitatẽ cõsecrandi, ac veluti nutriendi, & accendẽdi hunc ignem, ne quando

Leuit. 6. num. 12.

quando

quãdo apud nos extinguatur, nosque consortio suo deserat, & iniquitatũ glacie congelatos relinquãt. Videndúsque erit pro hac re Damasc. lib. 4. Fidei cap. 14. vbi hoc Sacramentum comparat carboni ignito, quo & os nostrum in laudem accẽditur, & cor nostrũ in amorem Dei inflammatur.

2. Paral. 4. n. 4. Aderat, & in eodem atrio mare æneum de quo 2. Paralip. 4. plenam aqua ad ablutionem Sacerdotiũ offerentium, & victimarum offerendarum; at modò quia oblatio nostra

Malac. 1. nu. 11. mundissima est, vt patet ex Malach. 1. inde est quod nõ ad illius ablutionem, sed pro lotione offerentium in Ecclesia adest mare aliud, nempe Sacramentũ Cõfessionis, in quo veluti in mari rubro suffocãtur, & merguntur omnia peccata, & veluti in mari æneo abluũtur animæ offerentium; externa enim illa ablutio, atque etiã nostra, cũ ad altare accedimus, in terram nostram futurã, & necessariam abstersionẽ significat, sicut dixit Dionys. Areop. de Ecclesiast. hierarc. c. 3. ablutio illa non fit ad delendas corporis sordes, quæ iam lotæ fuerunt, sed in Symbolũ, quod oporteat nos à peccatis omnibus mũdari, & ad significandã animi puritatẽ, atq; ideo abluuntur nõ manus, sed solæ extremitates digitorum, ad denotandum non tam grauia, sed etiam leuissima peccata esse auferenda: quod etiam notauit Clem. Rom. lib. 8. Constit. Apostol. c. 5. Cyrill. Catech. 5. Mistagog. D. Th. 3. p. q. 80. a. 4. & 5. vbi Sua. d. 66. quod nos ibi etiã prosecuti sumus. Videndúsq; erit Epiph. lib. 1. to. 3. hęres. 37. vbi versãs locũ illũ Matt.

Matt. 10. nu. 6. 10. *Estote prudẽtes sicut serpentes*, postquã ostẽdit prudentiã serpẽtis in exponẽdo totũ corpus pro cõseruatione capitis, quod ille ad Christũ, qui caput est nostrũ refert, subdit: alterã rursus prudẽtiam habet serpẽs, velut naturæ rerum docti de hoc animali tradũt; quãdo enim siti pressus à latibulo procedit ad aquã, vt bibat, non simul accipit secũ venenũ, sed in latibulo relinquit, & sic progressus potũ aquarũ sumit; proinde & ipsi hoc imitemur, vt quãdo ad sãctã Dei Ecclesiã, aut ad preces, aut ad mysteria venerimus, malitiã, aut voluptatẽ, aut inimicitiã, aut aliquid in cogitationibus nostris nobiscũ ne feramus, alioqui quomodo poterimus & colũbã imitari nõ à malitia remoti. Et Chrysost. tom. 4. hom. 27. in 1. ad Cor. ait, sicut cibus corporalis cũ corpus inuenit malis humoribus occupatum, ampliùs lędit, & nocet, nec vllũ præstat auxiliũ, sic spiritualis hic cibus, si aliquẽ inuenit malitiæ inquinatum, magis eum perdit, nõ natura sua, sed accipiẽtis vitio; & hom. 3. in Epist. ad Ephes. in moral. ait. Cogita, qui veteris participes erant sacrificij, quanta vtebantur frugalitate, & abstinentia, quid nõ agebant? quid nõ faciebant? Vndique, & semper expurgabãtur, & expiabãtur, tu autẽ accedẽs ad sacrificium, quod ipsi stupẽt, & venerantur Angeli, quomodo stabis ad Tribunal Christi, qui pollutis labiis, & manibus, ad id audes accedere? Et regem quidẽ, ore malè olẽte deosculari nolueris, Cœli autẽ regem, fœtẽti & malè olenti anima osculari, id planè est cõtumelia, &c. quæ in hãc sententiam prosequitur. Videnda sunt quæ habet idem Chrys. tom. 5. hom. 60. & 61. ad popul. Antioch. & hom. 83. in Matt. vbi inter alia monet: nullus Iudas assistat, nullus auarus, &c.

Quoniã verò inter cæteras figuras huius Sacramẽti præcipua fuit agnus Paschalis, sicut docet D. Th. 3. p. q. 73. a. 6. meminisse oportet, pro præsenti instituto, quo tãdẽ habitu iusserit Deus mãducari agnũ paschalem; etenim præcepit, vt veluti profecturi, iam iã de Ægypto ad agni comestionẽ accederẽt; sic enim habetur Exod. Exod. 14. nu. 11.

14. *Renes vestros accingetis, & calceamēta habebitis in pedibus, tenētes baculos in manibus.* Cū verò Ægyptus pręsēs sęculum designet, sicut videre est apud Hier. Isai. 10. & Ezech. 29. Orig. hom. 17. & 18. in Num. satisq; tritū est apud sanctos Patres, id nobis inculcare voluit in Symbolo, & figura Diuinū Oraculū, vt nō aliter ad comedendū agnū in Eucharistia accederemus, quā si statim de hoc mūdo essemus profecturi, qui enim morti approximat nihil de sæculo curat, & totus in futura extēditur, & disponitur. Sic ferè exposuit Chrys. hom 83. in Matt. post med. vbi ait. Nemo nauscās accedat, nemo remissus, sed excitati, ac incēsi, ac feruētes omnes accedant, nā si Iudæi stātes, calceati, & baculos in manibus habētes cū festinatione comedebāt, quātò magis nobis vigilādum est? Nā illi ab Ægypto in Palæstinam erāt profecturi, ac ideo viatoris habitum habebāt, tu de terra in Cœlū es ascensurus; vigilandū igitur est, non enim paruū supplicium indignè cōmunicātes expectat. Cogita quāta indignatione aduersus proditorē, aduersus eos, qui crucifixerūt ipsū moueaaris, & caue ne tu quoque corporis, & sanguinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissimè sacrosanctū corpus trucidarūt, tu post tot, tātaque beneficia sordida suscipis anima. Quā igitur rē mūdiorē esse nō oportet eū, qui hoc sacrificio participaturus est: quos radios solares nō deberet excedere manus illa, quæ hanc carnē perrūpit, os, quod igne impletur spiritali, lingua quæ cruētatur hoc admirabili sāguine? Similia sūt quæ habētur in opere imperfecto hom. 52. ad med. sic enim ibi scribitur; propterea & Iudæi exituri de Ægypto, expediti, & pręcinctī agnū iussi sūt māducare, & ad exeūdū parati, ostēdētes nobis quomodo quicūmque nostri agni Eucharistiam manducant, ita debent esse expediti, quasi quotidie exituri de mūdo, &c.

Memoria itē recolēdū est, id quod Abul. in c. 26. Matt. q. 7. vsque ad 48. obseruat sc. quadraginta quinq; irregularitates, quas incurrebat Hebręus qui ritè, & rectè agnū nō comedebat; & D. Hier. in q. Heb. ad li. Par. vel quicūq; alius auctor dicti libri fuit, docet quòd qui indignè agno Paschali vesceretur repētino interitu peribat; ad quòd alludens Paulus teste nostro Escalāte li. 1. de Quāt. rel. qualit. & c. c. 11. propè fin. loquēs de sumētibus Eucharistiā indignè, dixit 1. Cor. 11. *Qui enim māducat, & bibit indignè, iudicium sibi māducat, & bibit*, i. sentētiā mortis. 1. Corint. 11. n. 29.

Videndus pro hoc argumento erit Chrysol. ser. 34. cū ponderat id, quod fecit mulier, quæ sanguinis fluxū patiebatur Matth. 9. *Accessit enim retro, & tetigit fimbriā vestimenti eius*; quod totū, & submissā indicat humilitatē, & accēsā testatur credulitatē. Inquit igitur Chrysol. O quid ista mulier vidit habitare in interioribus Christi, quę in Christi fimbria Diuinitatis totā vidit inhabitare virtutē. O quā docuit mulier, quātū sit corpus Christi, quæ in Christi fimbriā rātū esse mōstrauit. Audiāt Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt quātam de ipso corpore sumere possunt medicinam, quādo mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatē. Sed, quod nobis flēdū est, mulier de vulnere medicinā tulit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus. Hinc Apostolus admonet, & deplorat, *Qui tāgit indignè corpus Domini, iudiciū sibi sumit, propterea inter vos multi infirmi, &c.* Matth. 9. nu. 20.

Similia sunt quæ habet Abul. q. 10. in c. 6. li. 2. Reg. loquens de supplicio illato Ozæ, quando *Extendit manum ad arcā Dei, & tenuit eā, quoniam calcitrabāt boues, & declinauerāt eā, iratusq; est Dominus cōtra Ozā; & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei*; sic ergo habet Abul. alludens

alludés ad citatũ locũ Pauli,fortè eã tetigit irreuerenter, ficut fi tetigiffet aliquid profanum:fimiliter eft in Eucharistia,fi aliquis nõ fecerit differétiã inter illã,& alios cibos, *Nõ diiudicãs corpus Domini*.i.nõ faciés differétiã inter corpus Domini,& alios cibos; & hoc videtur significare litera dicés, *Quod percuffit Deus Ozã super temeritate sua*.i.pro irreuerétia, nã temeritas fignificat irreuerentiã, & incõfiderationem,&c. Vt igitur omnis irreuerétia, & incõfideratio abóleretur, proponitur lauacrũ circũdatum fpeculis mulierũ,ad perfpiciédas maculas,& attétè cõtẽplãdas,deinde verò abftergédas aqua propofiti maris, & fic tãdẽ accedẽdũ ad altare, fumẽdáq; medicina purgato ore,& mũdo corde,alioqui irreueréda erit temeritas, nõ diiudicantis corpus Domini, quã ipfe impunitam minimè patitur.

Erat deinde in Téplo,& fecũdùm meliorẽ fententiã extra Sancta Sanctorũ,altare thymiamatis,de quo videndus Riber.de fabrica Tépli lib.2. c.8. in quo incẽdebãtur odores quotidie mane,& vefpere à Sũmo Sacerdote cũ in Téplũ veniebat,fiue à minorib.Sacerdotibus.Si verò per odoramenta fignificãtur orationes,iuxta

Apoc. 5. nu.8. celebrẽ locũ Apoc.5.*De phialis aureus plenis odoramẽtorum, quæ sunt orationes*

Pf. 140. n.2. *sanctorũ*,& infuper iuxta illud Pf.140. *Dirigatur Domine oratio mea,ficut incẽsum in cõfpectu tuo*,quib.cõiũgẽdus eft

Eccl. 35. nu.21. locus Eccl.35. *Oratio humiliãtis se nubes penetrabit,&c.* In noftro quidẽ Téplo lõgè nobilis reperitur altare thymiamatis,pro qua re vidẽdus erit Alcaffar cũ explicat celebrẽ,& citatum locũ Apoc.de phialis illis,quas habebãt quatuor animalia,& viginti quatuor feniores plenis odoramétis,quæ sũt orationes fanctorũ:acutè n.ponderat, quænã fuerit ratio cur phialæ quæ potius ad potũ inferuiunt,eo in loco dicantur thuribulorum officio fungi, rémq; deducit ad facrofanctũ facrificiũ,& Sacramẽtũ Eucharistiæ, fic n. habet. Phialæ aureæ funt præclarĩ noui facerdotij legis gratiæ infigne,hic nãq; eft ingẽs,& fœcundus calix: cũ verò peculiariter agatur de facris,quæ fiũt,in gratiarũ actionem pro peccatorũ cõuerfione, mirũ fuit inuentum ex aureis phialis (quæ propriè sũt calices)thuribula cõficere,in illifq; agno offerre thymiama,in quo illud(ni fallor)innuitur,nẽpe calicem Miffæ facrificij fpiritualiter officium præftare,quod prunariũ aliquod, vbi odorati incẽderẽtur paftilli,eorúmq; odoratus, & fumofus vapor tolleretur in Cœlum:etenim in calice exardent prunæ charitatis, atq; efficaciæ, quę in Christi paffione maximè enituerunt, &c. Ex qua doctrina vides non incongruè in altari thymiamatis adumbratam Euchariftiam, quandoquidem phialæ plenæ odoramẽtis,& orationibus eãdem repræfentabant.

Neque verò in hoc Sacramẽto vna oratio tãtum,vnúfve odor fed multiplex Deo offertur pro nobis,vnde nõ oratio tãtũ,fed orationes appellatur, nã illud 1.Petr.4. *Eftote prudẽtes,& vigilate in orationib.* Turria.li.2. de Dogmat.Euch.de Euch.intelligit,in qua multę fimul deprecationes reperiuntur, & vnica multis orationib.æquiualet,etenim facrofanctum Euch.Sacramẽtum oratio dicitur, & dũ illud offerimus orare dicimur, orationem offerre.vnde apud Tert. oratio fumitur pro Euch.& orare pro facrificare, & offerre hoc Sacramentum, ficuti videre eft apud Iacob. Pamel. in Annot.ad lib. Tertul. de Orat.n.1. & in Annot.ad lib.veland.virgin.nu.136. 1.Petr.4. nu.7.

Quòd *oratio humiliantis se nubes penetrat,* ficut dixit Eccl.loco cit. fummam vtique humilitatem oftendit Christi in hoc Sacramento; vnde Aug.in Pf.33.Cont.1.propè med.ait, nifi effet humilis,nec manducaretur,

ncc

nec biberetur. Et Cyril.ser.de Cœn. Dom. interprete Turrian. libr. 1. de Euch. c. 1. ait. O tremendum Sacramentum! ó dispensatio inexplicabilis: ó condescensus, qui comprehendi non potest. Et D. Franc. in Exhort. ad fratres suos, post initium tom. 1. Bibliot. sic habet: Ecce quotidie humiliat se sicut quãdo à regalibus sedibus venit in vterũ virginis, quotidie venit ad nos ipse humilis apparẽs, quotidie descẽdit de sinu sũmi Patris super altare in manibus Sacerdotis.

Sed adhuc pro maiori cõsideratione istius humilitatis recolẽda est illa Epist. Dionys. Alex. cuius meminit Hieron. in Catalog. script. Eccl. tom. vbi eã vocat insignẽ; habetur autem dicta Epist. tom. 2. Baron. anno Christi 265 nu. 7. vbi ita scribit. Hæc est Dei exinanitio, vt admittantur ad capiendũ eũ, hoc enim tremẽdũ Sacramentũ dicit Apostolus cũ ait, quòd seipsum exinaniuit. Similiter locutus est Aug cit. loco in Ps. 33. his verbis, semetipsum exinaniuit, vt mãducaret panem Angelorũ homo. Et Method. in Sinops. decem virginũ, ait: propter ipsos se Christus exinaniens, vt capi possit. Excellentẽ enim docuit Christus humilitatem, quando quod in Cruce minimè passus est, in hoc Sacramẽto quotidie patitur, quantũ ad species, vt sc. frangatur, & diuidatur, sicut aduertit Chrys. hom. 24. in 1. ad Cor. tom 4. dicẽs: hoc licet videre fieri in Eucharistia, in Cruce autẽ nõ itidẽ, sed vtique ei cõtrariũ, *Os enim,* inquit, *eius nõ cõteretur.* Sed quod non passus est in Cruce, hoc in oblatione patitur, &c. Similia habet Tertul. lib. de Idololatria c. 7. semel inquit, Iudęi Christo manus intulerũt, isti quotidie (sc. peccatores) corpus eius lacessũnt. O manus præscindẽdæ, &c. vbi recolendę occurrunt iniuriæ, quibus afficitur humiliatus Christus sub speciebus, dũ in manib. contrectatur indignis, impudico cõsecratur ore, impuróve sumitur. Si ergo oratio humiliátis se nubes penetrat, odor vtique istius thymiamatis ineffabiliter cõpositi ex duabus naturis, adeoq; humiliati, pro descensu suo ascendet, nósque secum deferet, & subleuabit, siquidẽ ad nos, & propter nos sic descẽdere dignatus est. Quid igitur? cũ hoc thymiamate illud aliud conferri poterit? quid nostrũ altare cũ illo alio, quod propè cũ illud vmbra, istud lux, illud figura, hoc veritas, illud Symbolũ, hoc autẽ figuratum fuerit?

Erat insuper in domo exteriori mensa, in qua quolibet sabbatho ponebantur panes propositionis, sicut habetur Exo. 15. *Pones super mẽsam panes propositionis in conspectu meo semper,* Heb. *panes phanim.* i. facierũ, nõ quòd duas facies habuerint. i. eiusdẽ figuræ esse: superius, & inferius, & vtráq; pars facies videretur, vt hic ait Lyra. & Abul. nã si ita essent, malè à Hier. dicerẽtur panes propositionis: imò & vox Gręca apud LXX. 2. Paral. 4 n. 19. & apud Paul. Heb. 9. n. 2. propositionem panũ significat, & hoc in loco LXX. verterũt: *Panes præ ẽtes, & expositos;* dicũtur ergo panes facierũ, quia semper erãt positi in mensa corã Domino, & ante faciẽ illius in memoriã sempiternã duodecim tribuũ Israël, vt bene vidit Comestor in historia Exod. c. 49. Vatab. Lypom. & Eugub. ad cit. locũ Exod. apertiúsq; hoc cõstabit si aduertamus vocẽ, phanim. i. facies, non habere singularẽ numerũ: quare proinde est ac si dicerẽtur panes faciei. i. qui sunt ad faciẽ Domini. Exo. 15. nu. 30.

Neque verò omittẽdus hoc in loco erit Rabb. Iuda, quem citat Bozius lib. 14. c. 1. n. 12. dũ rationem reddit cur dicti panes facierum dicerentur, maximè enim facit pro mysterio, in quo sumus, sic enim habet: quia apparet panis facie tantum, sed quantum ad substãtiam, faciémque nobis haud

haud conspicuam in substātiam corporis Messiæ transmutatur. Ex cuius Rabbini sententia constat, id, quod sancti Patres postea docuere, panes scilicet propositionis adumbrasse supercœlestē panem, quē in mensa suæ Ecclesiæ Christus Dominus reliquit, imò in quo seipsum in solatiū recessus sui, sicut dixit Guarric. Abb. serm. de Ascens. reliquit, qui cùm speciem habeat visualis panis, interius totus est supercœlestis, cū corpus sit Christi Domini, qui se nobis māducandū præbuit, & in consortiū reliquit. Vnde Cypr. serm. de Cœna Dom. post princ. dixit: panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, nō effigie, sed naturâ mutatus, Omnipotentia Verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat Diuinitas, ita in Sacramento visibili Diuina se infudit essentia.

Reddens igitur rationē Oleast. cur Deus coram se habere voluerit panes in mensa, ait: voluit semper coram se panem habere, vt continuæ nostræ indigentiæ memor esset, quemadmodum pia mater panis frusta ante se ponit, vt paruulis frequenter egentibus subueniat. Ille igitur Dominus, qui iugem nostram indigentiam intuetur, nobis iugiter pro cibo adest, & vt perpetuò succurrat indigentibus, nobis promisit affuturum vsque ad consummationem sæculi. Matth. vlt. vnde Cypr. lib. de Orat. Dom. ad illa verba, *Panem nostrum quotidianū*, ita ait: panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed noster est, & quomodo dicimus, *Pater noster*, quia intelligentium, & credentium Pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus noster (qui corpus eius contingimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibū salutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abstēti, & non cōmunicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante, & monente, *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi*, Ioan. 6. *Si quis ederit de hoc pane viuet in æternum*, quādo ergo dicit: in æternum viuere siquis ederit de eius pane, vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt; ita contra timendum est, & orandū, ne dum quis abstentus, & separatus à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso, & dicente, *Nisi ederitis carnē filij hominis, & biberitis eius sanguinē nō habebitis vitā in vobis*. Et ideò panē nostrū, idest, Christū, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus, & viuimus, à sanctificatione, & corpore eius non recedamus, &c. Vt igitur indicaret nobis sēper necessariū esse hūc panē, voluit illius symbolū presto adesse in Templo, vt illius perpetua cōcessio nostræ quotidianæ postulationi respōderet. *Ioann. 6. num. 51.*

Facialis tamē, & secundū speciem erat panis ille, noster autē verus, qui de cœlo descēdit; sicut & cæteri cibi figurati, & depicti tātū sunt respectu substētationis animæ; hic autē cibus verus est, sicut testatur ipsa veritas, cū ait, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Ad depictas vuas à Zeusìde aues olim deuolarunt teste Plin. lib. 35. c. 10. in princ. quas si carpere vellēt, deceptæ deprehenderentur: sic & cæteri panes, ac cibi, pro quibus homines laborāt, & desudāt, depicti profectò sunt, & externam tantùm faciem, & speciem sortiūtur, si cum vero pane conferantur, & veluti somniantium epulæ, de quibus Isai. 29. *Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus vacua est anima eius, & sicut somniat sitiēs, & bibit, & postquam fuerit expergefactus lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentiū,* *Ioann. 6. num. 55.* *Isai. 29. num. 8.*

quæ liniencruerunt contra montem Sion, &c. De pane verò, quem nobis Dominus dedit ad manducandum, ait Cypr. ser de Cœna Dom. post med. Qui manducat ex hoc pane, vltra nō esurit, qui bibit, vltra nō sitit; quoniā mysterij huius sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, vt cuicumq; tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis consummationis fine inuento Christi baiulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, &c. Et Alger. lib 1. de Sacr. c. 19. statim post princ. tom. 6. Bibliot. ait: Si tanta vis est in cibo, qui non viuit, nec manet, vt labētem vitam huius temporis foueat, & retineat quandiu Deo placuerit; quanto magis Christus cibus viuens immortaliter vitam æternam cōferre credendus est, qui vitam in se habet, & vita est, quam qui non habet, moritur; cū enim sit via, veritas, & vita, corpus eius nobis viaticū est, ne moriamur, & deficiamus in via, sed perducamur ad vitam: veritas est, ne eius promissionibus fallamur; vita est, vt ea in peruentione feliciter fruamur. In hac ergo mortali vita immortali cibo vitæ nos pascit, ne in æternum moriamur, &c.

Rem verò magis aperiēs, & ostendens modum, quo hic vitalis effectus per cœlestē panē tribuatur ait c. 20. in fi. Tunc vita erit vnicuiq; corpus, & sanguis Domini, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, spiritualiter bibatur. Item Gregor. homil. Paschali Sanguis agni super vtrumq; postem ponitur quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur in vtroque enim poste agni sanguis est positus, quando Sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur, & c. 21. affert. August. tract. 27. in Ioan. dicentem, carnē Christi, & sanguinem edamus tantū in Sacramento, quod & multi mali, sed vsque ad participationē spiritus, vt in corpore Domini tanquam membra maneamus, vt eius spiritu vegetemur, &c.

Exod. 12. num. 13.

Sunt & cęteri panes mendacij, vel mendaces cibi iuxta illud Prou. 20. *Suauis est homini panis mēdacij*, etenim cū homines mēdaces sint, panis mēdacij illis suauis est, sic enim exposuit hūc locū Lyran. dicens: suauis est homini mendaci panis mendacij, idest, per mendaciū acquisitus. Vatabl. exposuit, in specie tātu bonus, quasi dicat: videtur quidē panis secundū externā apparentiā, dū oculis proponitur, sed mēdacij panis est si respiciamus ad verū panē & cū illo conferamus; vnde & falsa est illius sustētatio, & nutritio; vnde sacer Text. subdit: *Postea impletur os eius calculo*, idest, dū miser homo putat panē edere, lapidē inter dentes inuenit à quo læditur, imò quo dentes cōtringūtur, & quod diabolus esurienti Christo porrigebat, hoc inuenit homo sibi à mundo, & diabolo oblatū; etenim mendaces panes, nisi à Deo cōuertantur, & veri panes fiāt, lapides realiter esse deprehendentur. Nam & de pane regio, cuius micas serui veluti catelli comedunt, illisque videntur sustentari dixit Salom. Prou. 23. *Quando sederis vt comedas cum Principe ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij*; vbi Brixian. ait, vanus est cibus ille & nō proderit tibi vsus eius. Solus huius Regis panis, & cibus verus est, sicut acutè videtur dixisse Petrus in sua 1. Can. c. 2. loquens de hoc Sacramēto, vt Exc. 1. & ex ipso context. constat, vnde statim in c. 3. addit, *Si tamen gustatis quoniam suauis est Dominus*; quæ verba sumpsit ex Ps. 23. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus*, quęq; etiam à sanctis Patribus de hoc Sacramento intelliguntur, vt videre est apud Dionys. Areop. libr. de Eccle-siast.

Prou. 20. num. 17.

Prou. 23. num. 3.

1. Petr. 2. num. 2.

Psal. 23. num. 9.

ſiaſt.Hierarc.c.5. Cyrill. Alex.homil. de Cœna,& ablutione pedum,Gaudent.Brixian.tract 2. ſeu homil.2. de Paſcha ad fi.tom.2.Bibliot.& Iacob. in ſua Liturg.ad fi to.6.& alios viros doctiſſimos; ait ergo Petrus: *Quaſi modo genus infantes rationabiles,ſine dolo,lac concupiſcite,vt in eo creſcatis in ſalutem*,etenim per lac, intelligitur hic cibus ſacramentalis;vnde olim dabatur recenter baptizatis,& denuò genitis,vt videre eſt apud Ambr.lib.de iis qui myſteriis initiantur c.8.quod etiam confirmatur ex more Eccleſiæ Græcæ,in qua pueris carentibus vſu rationis diuinum lac tribuebatur, vt patet ex Dionyſ. Areop. lib.cir.c.vlt. ad fi.Aug.tract.5.ad 1.Epiſt.Ioan.vbi dixit lac noſtrum Chriſtus humilis eſt.Et Clem.Alex lib.1.Pedag.cap.6. ſupponens id, in quo ſumus, plures lactis proprietates huic cœleſti cibo accommodat.

Eleganter verò appellat hunc cibũ ſine dolo,vt verum eſſe oſtendat,Syriacè verò habetur *Nakda*.ideſt,ſyncerũ, ad quẽ nempe nos inuitat Iſai. c.66.monens vt ſurgamus,& repleamur ab vbere conſolationis Dei, vt mulgeamus, & deliciis affluamus, quoniã ad vbera portabimur, & ſuper genua blandientur nobis,in cuius figurã,imò demonſtrationem, & veritatẽ Ioannes Euang.recũbens ſuper pectus Ieſu affixus illius vberibus dicitur, ſicut notauit Orig.homil.6.in Ezech.Nyſſ.Orat.1. in Cãt.& Ambr. ſer.2.in Pſ.118.Eſt itaq; hic panis verus ſine dolo, & ſyncerus, verè ſubſtãtialis,vitã præbẽs,& appetitũ implẽs, dulcedinẽ continẽs,& omnem ſaporẽ ſuauitatis abſq; vlla deceptione,& fallacia;idque denotans Petrus lac appellauit. Pro cuius rei maiori explicatione recolẽda vtique eſt doctrina Nyſſ hom.13.in Cant.ad fi.vbi explicans rationem, ob quam oculi ſponſi dicuntur lacte loti Cant.5.ait:

Iſai. 66. num 11. & 12.

Ioan. 13. num. 12.

Cant. 5. num. 12.

omnes, quæ humidæ naturæ ſunt ad ſimilitudinem ſpeculorũ ob leuitatẽ ſuperficiei faciunt vt inſpicientium in eas viciſſim ex ipſis imagines reluceant,in ſolo autem lacte huiuſmodi ſimulachrorum expreſſio locum non habet, quo fit vt hæc oculorũ Eccleſiæ ſit laus perfectiſſima, quod nihil quod non ſubſiſtat in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum,præter ipſam rerũ veritatem, velut vmbraculi quodam ſimulachro,fraudulenter repræſentent; ſed ipſiſſimam veritatem intueãtur, erroneis huius vitæ ſpectris, & imaginationibus nequaquam admiſſis, propterea lactis lauacrum perfecta hęc anima certum eſſe remedium ſtatuit ad oculorum puritatem.Sic Nyſſen.proponit ſynceram lactis naturam in non repræſentando,aut obiiciendo ea,quę non habet, ſicut in aliis liquoribus contingit, qui obiecta referunt oculis, quaſi ea in ſe contineant,cùm tamen prorſus careãt his rebus,quas repræſentant Vnde lac ſymbolum veritatis,& ſynceritatis poteſt eſſe,præclarèque nobis veram eſſentiam,& ſubſtantiam Cœleſtis panis proponit, qui cũ ſolus verus ſit, veritatis ſymbolo indicatur, cùm lac dicitur ab Apoſtolo Petro;imò & quod magis eſt,quod cùm manna ſymbolũ fuerit huius panis, de illo tamen Iudæi cõqueſti dicebant Num.21. *Anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo*, vbi LXX.habẽt,*In pane inani hoc*.Vatabl. ex Hebr. vilem cibum appellat, etenim inanes,vacui,& viles ſunt cæteri cibi appetitum cientes,incitantes, & irritantes, minimè tamen complentes, & ſaturantes. Solus hic verus,& ſuperſubſtantialis cibus verus eſt,noſtrúmque appetitum complere poteſt,& quietum reddere.

Num.21. num.5.

Vnde iã intelligetur quid nobis inſinuare voluerit Chriſtus Dominus, quando Io.6.dixit: *Qui manducat meã* carnem

Ioann.6. num. 56.

carnem, & bibit meam sanguinem, in me manet, & ego in illo, ideſt, qui hunc cibum guſtauerit, nihil illi amplius reſtat inquirendum, aut optandum, quandoquidem particeps eſt veri cibi, & præſtantiſſimi panis. Pro cuius maiori explicatione aduertẽdum eſt, quòd manere apud aliquem, ſeu in aliquo, idem eſt atque vlterius minimè tranſire, ſed ibi ſiſtere, vt quando Chriſtus dixit: *Manete in dilectione mea*, Ioan. 15. & Chriſto dixere diſcipuli; *Mane nobiſcum Domine*. Luc. 24. Vnde Ambroſ. libr. de Fuga ſæculi poſt princ. cum de adhæſione, & permanentia cum Deo ſermonem habet, ait. Qui renunciauimus ſæculo, vſui eius, iterum in luto eius hærebimus? Non, ergo cum prætereunte figura mundi, opera noſtra prætereunt, ne etiam ipſi prætereamus, ſed potiùs maneamus in veritate: ſi maneamus in Chriſto, manemus in veritate, & cum eo manebimus, & non prætcribimus, &c. Hinc igitur iam patet quo ſenſu dixerit Chriſtus Dominus: *Qui manducat meam carnem in me manet*; quia ſcilicet à me tranſire haud curabit; deinceps & magis ſe explicans, ait: *Et ego in eo*, ideſt, quia ego in illo; ſic enim particula, *Et*, ſolet eſſe rationalis, & cauſatiua.

Ioan. 15. num. 9. Luc. 24. num. 29.

Pſ. 110. num. 2. Hinc eſt quod Regius vates Pſal. 110. qui ferè ab omnibus de hoc Sacramento exponitur ait: *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius*, ideſt, magna, & multa opera Domini in vno opere continentur, in quo voluntates hominum manere poſſunt, & quieſcere, neque vlteriùs progredi, aut quid ampliùs deſiderare; quo in loco Brixian. ait: alius vertit *Exquiſite facta*, & hunc aſſerunt ſenſum: magna opera Domini, in quibus, qui explorauerint, inuenient quæcunque cupiunt, & perueſtigata faciunt ad omnia beneplacita illorum inueſtigantium. In rememoratione igitur mirabilium ſuorũ, qualis eſt hic panis, voluntates omnium quieſcunt, & ſatiantur, quia omne delectamentũ in ſe continet, & nihil exquiret volũtas noſtra, aut optabit, quod ibi non inuenietur, proindéque progredi vltra minimè volet, aut vlteriùs tranſire.

Pro hoc etiam argumento, & in confirmationem iſtius manſionis facit Gabr. Orat. prolog ad Canon. ſeu lectiones Canonis, vbi ait: panis iſte bene à Pan, quod ſonat, totum, dicitur, quia totum, quod ad ſaluté pertinet, confert homini viatori, &c. Vt, ſcilicet nihil illi, aut deſit, aut quærendum ſuperſit, aut optandum adſit, niſi plena ſatietas cœlorum, iugéque, & æternum conuiuium, quod videtur dixiſſe Clem. Alex. 1. Strom. cùm ita habet. Qui in verbis veritatis germanè, & ſincerè ſunt educati, accepto vitæ æternæ Viatico, ſublimes in cœlum feruntur, &c. Panis ſiquidem, qui de cœlo deſcendit ad conſcenſum nos præparat, & inuitat, & in memoriã reuocat, quæ tandem ſuperſint nobis, in cœlo, & quæ nos expectent, ne quid ampliùs in terra, aut manere velimus, aut inquirere curemus, ſed ad manſionem cœleſtes anhelantes cùm Chriſto velimus manere in perpetua duratione cœlorum. Vbi notandus venit Chryſol. ſerm 95. poſt pr. cùm ait. Chriſtiane, qui ſe tibi hic manducandum dedit, quid ſuum tibi denegare poterit in futurum? Et qui tantùm tibi viaticũ parauit ad victum, quid in illa tibi manſione perpetua non parabit? Mãducabitis in menſa mea in Regno meo, audiſti Dei conuiuium, ſollicitus non ſis de qualitate conuiuij: qui peruenire Regis meretur ad mẽſam, manducauit quidquid Regni dominatio poſſidet, & poteſtas, &c. Hoc ipſum præclarè dixit Auguſt. 1. de Doct. Chriſt. cap. 15. in hunc modum.

dum. Quibus verbis dici, aut qua cogitatione capi potest præmium, quod ille in fine daturus est, quando ad consolationem huius itineris tantùm dedit, &c. Et Cypr. Ser. de Cœn. Dom. ante med. ait; Panem Angelorum sub Sacramento manducamus in terris, eundem sine Sacramento manifestius edemus in Cœlo, non ministerio corporali, sæpè repetitis actionibus ad eadem reuertentes, sed cósummato sacerdotio nostro erit, & permanebit perpetua, & stabilis implens, & reficiens nos sufficiétiâ, &c.

Hinc est quod beatus Alger. lib. 2. de Sacrament. cap. 3. post med. docet nos præstantissima bona à Deo sperare ex eo, quòd ipse Filius Dei tot mirabilia in corpore suo sub speciebus in nostram vtilitatem operatus est: sic verò ille habet, qui pro nobis tanta in se operatus est, nobis de nobis maiora promittit; qui enim vinum pro se oblatum in vnitatem, & veritatem sui sanguinis mutat in suo, & nostro Sacramento, quantò magis nos secum faciet vnum in æternitatis suæ præmio?

Cùm ergo tantus, ac talis sit panis qui nobis in mensa Ecclesiæ proponitur, quátus, & qualis hucúsque à nobis vtcúmq; expositus est; meritò Guarr. Abb. eorum deplorat conditionem infœlicem, qui hunc cibú fastidiunt, hunc panem omittunt, hunc potum prætermittút: sic enim habet Ser. in festo Pentec. post med. O fastidiú tinea cordiú, rubigo mentium languor pessimus animarú quod fastidire facis mána propter ollas carnium; quæ enim lues tam pestifera, quis modus tam lethalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem, ac malè securum appropinquare vsque ad portas mortis? De pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt, quàm illa, iugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame. Vnde ergo post illam experiétiam, gustúmque suauem supernæ dulcedinis tanta hæc obliuio, & incuria boni, languórque métium subintrauit? Sola relicta est eis vox illa plangétis, si tamen plágere velint: *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Ps. 101. nu. 5. Sic ille ostendit miserá, & infœlicem eorum códitionem, qui cœlestem fastidiunt panem, & nauseant super cibo vitæ, qui mortem fugat, & omnia bona pariter secum affert.

Plura pro hoc argumento habet Cyril. li. 4. in Ioan. c. 16. & præ omnibus Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio & hom. 45. in Ioan. & hom. 83. in Matt. vbi post med. inter alia ait. Maiori desiderio quasi lactentes pueri gratiam spiritus sugamus: vnus sit nobis dolor, vna mœstitia si hoc alimento spiritali priuamur. Videndus item D. Th. 1. par. q. 79 art. 1. in corp. cùm ait omnem effectum, quem cibus, & potus materialis facit quátum ad vitam corporalem, (quod sc. sustentat, auget, reparat, & delectat) hoc totum facit hoc Sacramentum, quantum ad vitam spiritualem. Vnde Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 4 in med. ait: Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulsit, &c.

Neque verò omittédus hoc in loco singularis ille effectus panis nostræ propositionis, & inuitationis, quem LXX. secundùm editionem Sixti V. iussu editam, quam etiam habet Hiero. & Theodor. nobis tradút, dum illud quod in nostra vulgata habetur, Ose. 14. *Viuent tritico*, legunt: *Inebriabúntur frumento*; qui locus benè Ose. 14. nu. 8. intelligitur à Ribera de Eucharistia, nam cùm ibi pleráque, & præstantissima bona spiritualia promittantur, quorsum inter ea triticú corporale, & frumentú terrenum esset promittendum, & non potius spirituale, & Eucharisticum? Hoc igitur triticum

inebriat manducantem, dum exta-sim diuini amoris efficit,& obliuio-nem temporalium inducit, de qua ebrietate legendus erit Ambros. Ser. 13.in Ps.118.ibi. *Quàm dulcia fauci-bus meis eloquia tua*; sic enim habet. Bona ebrietas,quæ ad meliora,atque iucunda facit quendam mentis ex-cessum, vt immemor sollicitudinum animus noster vino iucunditatis hi-laretur. Bona mēsæ spiritualis ebrie-tas, denique poculū inebrians quàm præclarum! Sed & alibi habes: *Riuos eius inebria,multiplica genimina eius*.eò quòd ebrietas terræ cùm infusa fue-rit imbre cœlesti, suscitare semina, fructus multiplicare consueuerit,ita-que vbi verbum, quod sicut plu-uia descendit de cœlo venas terræ nostræ, vel animæ, ac mentis no-stræ inebriauit prædicatione diui-na, excitauit virtutum studia di-uersarum, fructúsque fidei, & castæ deuotionis adoleuit, meritóque ei dicitur; *Visitasti terram, & inebriasti eam*; susceptionem etenim corporis visitaret, vt sanaret infirmos, ine-briauit gratia spirituali, vt anxios iucunditate mulceret. Et Serm. 21. post princ. ait. Bona ebrietas spiri-tualis, quæ turbare nescit corporis incessum, leuare mentis nouit ve-stigium. Bona ebrietas poculi salu-taris, quæ mœstitiam peccatricis abolet conscientiæ, iucunditatem vitæ infundit æternæ, & idem Scri-ptura dicit; *Poculum tuum inebrians quàm præclarum est!* Similia sunt,quæ habet in Psal.1. & 35.lib.de Noë, & arca, & lib.de Cain & Abel,cap.5 & lib.de Elia,& ieiunio.cap.16.

Videnda item sunt in hanc sen-tentiam quæ habet Aug. lib.de Ago-ne Christiano.cap.9.tom.3. Deside-remus, inquit, ipsum vitæ fontem, vbi sobria ebrietate mundemur, di-cit enim Spiritus sanctus: *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt,inebriabuntur ab vbertate do-mus tuæ*;talis ergo ebrietas non euer-tit mentem, sed tantum rapit sen-sum,& obliuionem præstat omnium terrenorum. Præclara sunt, quæ ha-bet idem August. Serm.185.de tem-pore propè finem, vbi inter alia ait: hoc spirituali mero calebant mar-tyres, quando abiicientes, & post se iactantes omnia sæculi blandimen-ta, ibant ad passiones, obliuiscen-tes facultates, & affectiones, patri-monia, ac matrimonia sua, & vin-centes armatam contra se paruulo-rum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, pul-uerem mittentes in capita sua, & matres facies suas auulsis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tan-quam ebrij non videbant, nec co-gnoscebant suos,&c. Et Cypr.epist. 63.vel lib.2.epist.3.Quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia om-nis excluditur, ita & potato sangui-ne Domini,& poculo salutari, vide-mus expoliari memoriam veteris ho-minis, & fieri obliuionem conuer-sationis sæcularis, & mœstum pe-ctus, ac triste, quod prius peccatis angentibus premebatur, diuinæ in-dulgentiæ lætitia resolui.

Præclara sunt quæ habet idem Cyprian.cit. Ser. de Cœna Dom.vbi inter alia ait: Hæc ebrietas non ac-cendit,sed extinguit peccatum, cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludi-bria, mira sunt, quæ sentit; magna, quæ videt; inaudita, quæ loqui-tur,&c. Mentis verò alienationem, & excessum describit Chrysost.hom. 24.in 1. ad Corinth. ad med.vbi co-medentes hunc panem Aquilas vult imitari, quæ ima, & terrena dese-runt, & ad suprema euolant, So-lémque ipsum defixis oculis intuen-tur. Ad ipsum, inquit, accedamus & ardenti charitate inde effecti

Aquilæ ad ipsum Cœlum euolemus. *Vbi enim cadauer, ibi & Aquilæ*, Matthæi 24. Cadauer corpus vocans propter mortem, nisi enim ille cecidisset, nos non surrexissemus: Aquilas autem vocat, ostendens quòd oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi, & serpere, sed assiduè sursum volare, & ad Solem Iustitiæ aspicere, acutósque, & perspicaces habere mentis oculos; aquilarum enim non graccularum hæc est mensa, &c.

Matt. 24. nu. 28.

Plura qui velit de hac sancta ebrietate adeat Dionys. Areopag. lib. de Diuin. nomin. cap. 4. par. 1. circa fin. & epist. 9. quæ est ad Tit. Et Nazianz. orat. 2. in sanct. Pasch. Vbi videndus Nicet. eius Scholiastes. Philonem lib. de temulent. cùm ita habet: quæcumque anima impleta fuerit gratia, gaudet confestim, & ridet, exultátque; bacchatur enim ita, vt vulgo ebria videatur insanire; solet enim correptorum numine diuino non solùm anima concitari ceu quodam æstro, sed & corpus erubescere, incandescere̍que, interno gaudio prorumpente in exteriora: quæ res multos insipientes decipit, qui sobrios vino madere autumant; est tamen quædam ebrietas etiam sobriorum, qui bona meraca hauriunt, & propinationes à perfecta virtute accipiunt, &c.

Vbi statim occurrit illa ebrietas discipulorum, quæ ab insipientibus musto facta per exprobrationem dicebatur Act. 2. Cùm tamen ab Spiritus sancti infusione procederet. Similia habet idem Philo lib. leg. allegor. cùm ponderat oblationem Melchisedech. Gen. 14. cùm obtulit in sacrificium panem, & vinum; ait enim: Melchisedech pro aqua vinum obtulit potans, atque confirmans animas, vt occupentur diuina ebrietate, quæ est omni sobrietate magis sobria. Similia sunt quæ habet lib. Quis sit hæres diuinarum rerum. Multa hæc de re habet Plotin. Platon, vel iuxta alios anima Plat. quem sequi non verbis tantum, sed & sententiis dignatus est Diu. Ambros. sicut & Philonem. Ille igitur videndus erit Enneade 1. lib. 6. cap. 5. & Enneade 6. lib. 7. cap. 30.

Actor. 2. nu. 13.

Gen. 14. nu. 18.

Nostrum itaque triticum, nobisque à Deo propositus panis sic inebriat, dum mentis excessum operatur, vt animus inferiora deserens veluti aliena reputet, & sola, quæ sursum sunt, sapiat, & diligat; deindéque summo perfusus gaudio, ac cœlesti veluti debacchatus lætitia non solùm cor, sed etiam caro exultat in Deum viuum. Vnde qui sancta hac ebrietate corripiuntur, exterius etiam videntur afflati. Vnde Totila Rex Cassium sanctissimum Narniensem Episcopum despexit, sicut refert Gregor. 3. dialog. cap. 6. quòd faciem ipsius non ex conspersione, sed ex assidua potatione rubere crederet. Et de Discipulis Spiritu sancto plenis ait Caiet. Act. 2 In ipso Discipulorum vultu splendor quidam & lætitia relucebat cum rubore, qui malè affectibus hominibus, ac temerariis ansam dederit existimandi, dicendíque illos ebrios esse.

Inebriantur igitur diuino tritico, qui ad hunc panem accedunt; ad quam ebrietatem inuitantur à diuino Sponso sanctæ animæ. Cant. 5. dum ait: *Comedite amici, & inebriamini charissimi*, ex eo autem videtur inuitasse, quod prius gustauerit ipse suauitatem istius cibi, præmiserat siquidem antea: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Vbi LXX. prophetico quidem spiritu vti solent ad mysterium nostri

Cant. 5. nu. 1.

nostri cœlestis panis, & sacrificium nouæ legis respicientes pro fauo verterunt *panem*, sicut legunt Nyssen. ibi, & Ambros. lib. 1. de Cain, & Abel, cap. 5. vt omittam alios veteres Auctores tam Græcos, quàm Latinos qui hanc lectionem sequuntur. Melle igitur, ac nectare spiritualis dulcedinis, quod ex hoc fauo liquatur, effluitque, & vino calicis salutaris, ac lacte synceritatis potatur, & fruitur ipse Deus, acceptatione quadam in membris suis, cùm fideles populi vescuntur, & fruuntur ea, qua par est deuotione, & puritate, sicut etiam in iisdem fidelibus se cibatum, potatum, vestitum, visitatum, hospitio exceptum, vltima die cùm iudicabit viuos, & mortuos profitebitur. Matth. 25. Ipse igitur cibus, ac cibi largitor, ipse conuiuator, & conuiua, inuitans, & inuitatus, postquam in Cœna manducarunt, inuitat, non omnes quidem, sed habentes vestem nuptialem. Matth. 23. Charitatis scilicet habitum, ratione cuius charissimos censet, & dicit; ait igitur Matth. 26. ad eos quos, non seruos, sed amicos nominauerat: *Accipite, & comedite: hoc est Corpus meum.* Sic ferè exponũt citata verba Cant. Gregor. Nyssen. Psellus, Philo, & Rupert. ibi, Paschas. lib. de Corp. & Sang. Domin. cap. 10. & eodem etiam tendunt quæ habet Ambros. lib. 5. de Sacra. cap. 2. & 3. & Absalon Abbas Serm. 7. in Natiuit. Dom. Apertius Berengosius Abbas, lib. de mysterio Crucis, & duplici luce.

Matt. 25. nu. 35.

Matt. 23. nu. 11. Matt. 26. nu. 26.

Cæterùm D. Hiero. citatum Oseæ locum longè aliter atque hucúsque sumus profecuti, non tamen longè à nostro argumento, exponit; interpretatur enim dictam ebrietatem, vt abundantiam copiosissimam significet. Sic enim habet: quod hîc ebrietas non euersionem mentis, sed copiam rerum omnium significet, versiculus ille declarat, dicens; Ps. 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam*; & Ioseph conuiuium in quo inebriasse dicitur fratres suos. Genes. 43. & Dominus loquens ad Apostolos: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi.* Similia sunt quæ habet idẽ Hieron. in cap. 31. Hier. ad illa verba: *Inebriaui animam meam lassam*; videndúsque erit Aug. quæst. 144. in Gen. cùm prædictum locum exponit dicens; Solent hi ebriosi adhibere testimonij patrocinium, non propter illos filios Israël, sed propter Ioseph, qui valdè sapiens commendatur: sed & hoc verbum, pro satietate solere poni in scripturis, qui diligenter aduerterit, multis in locis inueniet: vnde est illud: *Visitasti terram, & inebriasti eam*; eò quòd in laude benedictionis hoc positum est, & donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem satiritatem significare; nam inebriari, vt inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ vtile est; quoniam maiori, quam satietati sufficit, humore, corrumpitur, sicut vita inebriosorum, qui non satietate se replent, sed mergunt diluuio. Sic Aug.

Psal. 64. nu. 10.

Gen. 43. nu vlt.

Hier. 31. nu. 25.

Ex quibus constat ebrietatem pro abundãtia multoties sumi, sicut hoc in loco explicat Hiero. facitque hunc sensum: qui hoc pane vescitur, ille vtique inebriatur, repletur, & satiatur, quia copiam, & abundantiam bonorum omnium participat, ita vt nihil illi restet inquirendum, aut optandum. Vnde August. 13. confess. cap. 8. ait: Hoc tantum scio quia malè mihi est præter te, non solum extra me, sed in meipso, & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est, &c. Et sanè ideò Hebraicè Deus nominatur, *Saddai*, idest, omnibus bonis, atque deliciis largitor sufficiens, vel ipsa sufficientia, sicut hoc nomen exponit Epiphan. hæres.

rest. 40. Archontiar. quia Deus animæ nostræ sufficit, in quo omnis copia reperitur, & qui omni affluentia inebriat, & satiat.

Experta fuerat hanc sententiam Cant.1. num.4. sancta illa anima quæ Cantic. 1. dixit: *Introduxit me Rex in cellaria sua*; quod ad Eucharistiam refert Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 2. dicens: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*, Græcè, *in promptuarium suum, & in cellarium suum*: vbi bona illa libamina, vbi boni odores, vbi mella suauia, vbi fructus diuersi, vbi epulæ variæ, &c. Quid mirum igitur si tritico isto inebrietur sancta anima, quæ tot bona in vno pane veluti in abundantissimo promptuario inuenit? aduertit autem Origen. homil. 1. ex 4. in Cantic. Vocabulum Regis ab Sponsa hoc in loco vsurpatum, vt Regales epulas, copiam, & abundantiam indicet. Propterea, inquit, Regem hîc nominat eum, qui aliàs, vel dilectus, vel fraternus, vel alio nomine nuncupari solet, vt ostenderet per hoc nomen prædiue cubiculum, vtpote Regium, atque immensis opibus repletum, quibus scilicet repleri, ditari, & inebriari potest, ac solet anima, quæ à Diuino Rege inuitata in illud introducitur.

Hinc est quod Dauid saturitatem omnium bonorum, & abundantiam promittit manducantibus Psal. 21. num. 27. hunc panem, Psalm. 21. *Edent pauperes, & saturabuntur: viuent corda eorum in sæculum sæculi*, qui locus à Latinis ferè omnibus, & ex Græcis ab Euseb. & Theodor. intelligitur de Eucharistia, & satietatem planè ostendunt: postremáque verba eleganter ad rem nostram explicat Genebr. vult enim vt viuere sit affici summa lætitia, & potest etiam referri ad Altare; *Qui manducat hunc panem*, &c. & repleri rerum omnium copia; nam viuere in Scriptura accipitur pro recreari, refici è mœroribus, ac malis conualescere, & emergere; vt quando Genes. 45. de Gen.45. num. 27.
Iacob dicitur: *Reuixit spiritus Iacob*, cuius contrarium dicitur de Nabal. 1. Regum 25. *Et mortuum est cor eius* 1.Regum 25.n.37.
intrinsecus, idest, mœstitia, & confusione repletus redditus est stultus Nabal; vnde etiam vita pro felicitate, serenitate, lætitiáque sumitur apud Salomonem, Prouerb. 16. *In* Prou.16. num.15.
serenitate vultus Regis vita. Saturantur igitur pauperes spiritu, dum comedunt panem, qui solus saturare potest, & satiare appetitũ nostrum; viuent insuper in summa lætitia, & veram degent vitam, rerum omnium abundãtia veluti repleti. Vnde Ambros. Serm. 18. in Psalm. 118. ibi, *Adolescentulus sum ego*, &c. ait. Caro Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus, non iam ad satietatem mei annuos expecto prouentus: Christus mihi quotidie ministratur, non verebor, ne qua mihi cœli intemperies, aut sterilitas rutis immineat, si pij cultus diligentia perseuerat: non iam coturnicum pluuias mihi opto; quas ante mirabar, non manna, quod ante cibis omnibus præferebam, quia qui manna manducauerunt Patres, esurierunt: meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. In te ipso est vt accipias hunc panem. De hoc pane dictum est: *Omnes qui elongant se abs te, peribunt*. Psalm. 72. Si elongaueris ab Psal.72. num.27.
eo peribis, si appropinquaueris viues: qui vitam manducat, mori non potest; quomodo morietur, cui cibus vita est? *Accedite ad eum, & satiamini*; quia panis est; accedite ad eum, & potate, quia fons est; accedite, & illuminamini; accedite, & liberamini, quia vbi spiritus Domini, ibi libertas, &c. Omnia itaque bona in hoc bonorum bono continentur, quibus satiata

satiata anima bene dicitur, quod inebrierut tritico; quidquid enim posset desiderare, totum inuenit in vino vitæ, qui veram vitam præstat.

Aduertendum tamen occurrit id, quod notauit D. Gregor. lib. 2. in 1. Reg. cap. 10. ad illa verba Annæ. 1. Reg. 2. *Repleti priùs pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt*: isto scilicet pane haudquaquam refici, & saturari eos, qui superbiæ tumoribus repleti ad mensam Eucharistiæ accedunt, sed illos, qui fame, desiderioque accensi illi approximant. Sic verò habet Gregor. Repleti priùs illi sunt, qui dum tumoris cibos in mentis refectionem suscipiunt, delitias Sanctorum virtutum velut cibo iam pleni capere non possunt, sed saturari nequeunt, quia repletioni arrogantiæ dona sancti Spiritus addere nequaquam possunt. Repleti verò priùs sunt, vitiorúmque cibo saturati, qui pro pane se locant, quia corpus ad susceptionem Eucharistię præparant, qui nimirum comedunt, & saturari non possunt; quia etsi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur: à virtute ergo illa Sacramenti ideò ieiunant, quia priùs repleti fuerant. Salutis quippe fructum non suscipiunt in comestione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleuerant, flagiria portant in mente; non saturantur ergo nisi famelici, qui à vitiis perfectè ieiunantes diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Sic Gregor. ostendit abundantiam, & bonorum copiam, qua ditantur, & inebriantur qui vescuntur hoc pane, non concedi nisi iis, qui priùs abiicientes omnem impietatem, & sæcularia desideria, famelici, & appetentes, vt repleantur accedunt.

1. Reg. 2. num. 5.

In cuius rei confirmationem videndus est Diuus Gaudent. Serm. 2. de manducat. Agni Pasch. cùm aduertit præceptum fuisse à Deo vt agnum festinantes comederét, quod desiderium indicat auiditatem, & esuriem; sic verò habet. Præcepit ne lento corde, errore languido, Sacramentum dominici corporis sumamus, & sanguinis, sed cum omni auiditate animi, quasi verè esurientes, & sitientes: beati enim, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, &c.

Solent sacri Interpretes inquirere cur teneræ adhuc ætatis voluerit Christus Dominus infans deduci in Ægyptum; is enim, qui toties sibi iam iam inferendam mortem vitauit, quia nondum venerat hora eius, potuit vtique facillimo negotio Herodis tyrannidem multis aliis modis effugere, & non per solam fugam declinare. Multi multa dicunt, quæ nos variis in locis annotauimus, modò pro nostro argumento ea perplacet ratio, quam D. Leo Papa Serm. 3. de Epiphan. cap. 3. affert, quod scilicet is, qui præmonstratus fuerat in Iosepho quando Ægyptiacæ fami, per panis custodiam occurrit, voluit prima statim ætate sua demonstrare se eum panem esse, & secum eum cibum deferre, qui omnem penitus abolere faciat esuriem, omnem inducat abundantiam, & bonorum omnium copiam afferat; sic verò ille scribit. Qui sanguinem suum pro mundi redemptione fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulit, repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula, & principatum veri Ioseph, maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, qua Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cælo panis vitæ, & cibus rationis auferret, nec sine illa regione pararetur singularis hostiæ Sacramentum, in qua primum occisio

occisione agni salutiferum crucis signum, & Pascha Domini fuerat præformatum, &c. Petiit igitur primò Ægyptum, verus noster Ioseph triticum ministraturus huius mundi incolis, quo possint inebriari, & satiari, omnique pressuræ, & fami per talem cibum occurrere, in quo vera satietas tantummodo reperitur.

Alia versio apud LXX. habet: *Confirmabuntur tritico*, quæ maximè iuuat, & facit in commendationem sacræ Eucharistiæ, est siquidem istius panis cœlestis peculiaris effectus cōfirmare, & corroborare eos, qui ipsum participant, vnde & manna, quod figura huius panis fuit, Angelorum

Psal. 77. num. 25. panis dicitur. Psalm. 77. Hebraïcè *Abberim*, idest, fortium, & robustorum, quia per manna validi, & fortes reddebantur comedentes, quod proprium huius cœlestis est panis. Inde fuit quòd post manna acceptum Hebræi cum Amalec pugnarunt, & vicerunt, vt constat ex lib.

Exod. 17. num. 13. Exod. cap. 17. *Fugauit Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij*: at verò ante manna concessum Dominus solus pro eis pugnabat, vt patet

Exod. 14. num 14. Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis* idque confessi Ægy-

Sup. n. 25. ptij dixerunt eodem cap. *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Instar igitur manna præbet hic panis longe nobiliores vires, ac robur animabus nostris contra inimicos; vnde Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corinth. ad fin. ait: Hæc mensa est neruus nostræ saluti, mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensa illuc excesserimus, cum magna fiducia sacra ascendamus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti. Similia sunt quæ habet Chrysostom. libr. de Sacerdotio dicens. Quidam mihi narrauit, qui id viderat, & audierat, quod qui de hac vita migrati sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura cōscientia fuerint participes spiritum efflaturi ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assūptū illud Sacramentum, hinc rectà in cælum abducuntur. Et Bernard. Serm. de Baptismo, habito in Cœna Domini, in medium ait. Victoria vitiorum, & triumphum motuum appetitionis nostræ huic Sacramento tribuendum est. Si quis vestrum, inquit, non tamsępè modo, non tam acerbè sentit iracundiæ motus inuidiæ, luxuriæ, &c. gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, &c. Et Cyrill. lib. 4. in Ioan. cap. 17. ait Eucharistia sedat, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus priùs sumus, considerat, sed ægrotos curat, collisos redintegrat, &c.

Hinc iam elucescet cur Diuina iustitia acerbè desæuierit in eos qui carnes, ac pisces suspirabāt Num. 11. dicentes: *Quis dabit nobis ad vescendū carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, &c.* Arreptas igitur trans mare coturnices detulit Deus, & dimisit in castra: *Sed adhuc* *Sup. n. 33.*
carnes erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Inquiret autem hoc in loco, nec ineptè, aliquis cur Dei furor insurrexerit aduersus huiusmodi desiderium, cùm tamen simile quid præcesserit impunè. Exod. 16. quando dixerunt filij Israël ad Moysen, & Aaron. *Vtinam* *Exod. 16.*
mortui essemus per manū Domini in terra Ægypti, quādo sedebamus super ollas *num. 3.*
carniū, & comedebamus panem in saturitate: cur induxistis nos in desertū istud, vt occideretis omnem multitudinē fame?

Huic igitur desiderio satisfaciens Deus, & manna pluit, & coturnices præbuit, nullam interim exercendo vindictam, nullum inferendo supplicium, nullum infligendo vulnus. Ratio in præsentiarum ea esse videtur inter alias, quod quando murmurauerunt contra Moysen, & Aaron hoc postremo loco, & quando concupierunt ollas carnium, & panis desiderio agitabantur, minimè adhuc manna habebant, quod cùm figura extiterit cœlestis huius panis, iam in vmbra, & symbolo vtcunque poterat suum sortiri effectum, compescendi, scilicet inordinatas appetitiones, & suffocandi irrationabilia desideria; proinde hoc fræno carentes, & hunc panem adhuc non habentes, quo possent firmari, & in officio contineri, pœnas minimè luerunt, aut supplicia incurrerunt; at postquam participes facti sunt panis Angelorum, seu fortium, fortes iam debebant adesse, neque cedere concupiscentiis, nec flecti desideriis, aut frangi appetitionibus. Tanta siquidem erat virtus efficaciæ, & potentiæ istius panis, qui diuinitus nobis concessus est, vt multò antequam de cœlo descenderit in vmbra iam, & symbolo firmos reddere posset, & potentes constituere Israëlitas contra inordinatas appetituum acies, ne eis vsquequaque subiicerentur. Synodum soluit, & propositam exposuit difficultatem Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 17. dicens. Quare sic conquestus (scilicet Exod. 16.) non puniuit, quos tamen postea, quando simpliciter ægrotantes, panes, carnes, aliósque cibos desiderabant, Ægyptios supplicio prosecutus est? vnde monumentum cupiditatis locus ille fuit appellatus, Numer. 11. quos quamuis terrenis viderit cupiditatibus superatos, non puniuit tamen statim ab initio. Hæc (vt mihi quidem videtur) causa est, nam quoniam nube ab Ægypto effugerant, panemque cœlestem, qui cor hominis corroborat adhuc non receperant, faciliùs poterant in cupiditates carnis incidere, propterea & venia digni sunt visi. Postea verò quàm Domino fruebantur, vt scribitur, tunc iure, quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederunt supplicia, &c.

Num. 11. num. 34.

Prosequitur hoc idem argumentum Chrysostom. tom. 1. in Psal. 22. cùm exponit illa verba: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes, qui tribulant nos*; sic enim scribit. Qui sunt isti, qui nos tribulant? Suggestiones inimici, exagitationes cupiditatis, delectationes, sæculi honores. Isti tribulant, quia huiusmodi qui ita viuunt, tribulationes carnis habent, sed veniunt ad mensam potentis considerantes ea, quæ apponuntur eis, accipere cum timore, & tremore, & tribulationes efficiuntur consolationes. Auferuntur ea, quæ sunt carnis, infunduntur ea, quæ sunt spiritus; & ex mensa præparata proficiunt contra eos, qui tribulant eos. Sic Chrysost. ostendit quonam pacto corroborentur, & firmentur omnes tritico isto, ac pane salutari, qui nobis diuinitus proponitur in mensa propositionis Ecclesiæ.

Huius rei symbolum, non vtcúmque adumbratum inuenio in lib. 1. Reg. c. 21. cum Achimelech Sacerdos panes propositionis famelico Dauidi tribuens, pariter cum illis dedit & gladium Goliat Philistæi, de quo Dauid dixit; *Non est huic alter similis: da mihi eum*; etenim cum pane mensæ cœlestis nobis pariter datur gladius fortitudinis aduersus infestissimos animi hostes, cui non est alter similis ad firmandos, & roborandos animos; cui cedit omnis inferorum potestas, cui subiicitur irascibilis, &

1. Regum 21. nu. 9.

con

concupiſcibilis appetitus, qui metũ incutit aëreis poteſtatibus. Vnde Cyprian. & multi alij Epiſcopi ad Cornel. Papam epiſt. 2 poſt princ. dicunt, minimè denegandã eſſe Euchariſtiam ijs, qui prioribus perſecutionibus, ob tormentorum metum, defecerunt, & dolenter, ac iugiter diuina poſtmodum ſolatia implorantes, pro Domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute fortiter ſtare, & repugnare faterentur; ſic verò ibi habetur. Nunc non morientibus, ſed viuentibus, communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus, & exhortamur ad prælium, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus; & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela; quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus, aut prouocamus in confeſſione nominis ſanguinẽ ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in Eccleſia poculum Domini iure communicationis admittimus? Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit & accendit. Placuit nobis Spiritu ſancto ſuggerente, & Domino, per viſiones multas, & manifeſtas, admonente, colligere intra caſtra milites Chriſti, imò pugnaturis arma ſuggerere. Sic ille probat quomodo firmentur, & armentur contra exteriores etiam hoſtes, qui panem propoſitionis accipiunt. Vnde ſicut congreſſuri, & progreſſuri in prælium prius muniuntur, & acceptis, induttíſque armis præparantur, quo hoſtium ictus ſecurè excipere, faciléque vitare, & declinare poſſint, ſic & fideles contra animæ, fideique hoſtes prælium inituri prius debent his armis corroborari, interiúſque acceptis firmum reddere animum; hoc enim ſignificauit diuinum eloquiũ, quando apud LXX. iuxta citatam verſionem, ait: *Confirmabuntur tritico.*

Panes propoſitionis, teſte Hieronym. in cap. 1. Malach. iuxta traditiones Hebraïcas, ipſi Sacerdotes ſerere, ipſi metere, ipſi molere, ſubigere, & coquere debebant: quæ tamen traditio parum nobis videtur conuenire cum verbis ſacræ Scripturæ. Leuit. 24. vbi panes dicuntur ſuſcepti à filiis Iſraël, non quaſi confectos, & coctos filij Iſraël obtulerint panes, ſed ſimilam offerebãt Sacerdotibus, ideſt dulciorem, & ad nutrimentum aptiorem farinæ partem & Sacerdotes ipſi conficiebant panes, vt patet ex eodem cap. 24. Eſt etiam cõtra dictam traditionem Ioſephus 3. Antiquit. cap. 10. ante med. vbi poſt enumerata ſacrificia, & oblationes ait: ex publico præbetur panis non fermentatus, ex farinæ aſſaronibus vigintiquatuor, coquuntur autem boni pridie Sabbati, & Sabbato manè proponuntur in ſacra menſa. Vtcúmque tamen ſit, hoc ſanè conſtat, panes illos confici à Sacerdotibus cum farinam triticeam acceperint à filiis Iſraël; at noſtri Sacerdotes triticeum panem accipiunt, ſed cœleſtem reddunt, per conſecrationis verba; & cùm antea communis, & vſualis panis eſſet, ſingularis, & Diuinus redditur per tranſubſtantiationem, & conuerſionem panis in corpus Chriſti, vt iam incipiat eſſe panis Angelorum, qui hucúſque tantum erat panis hominum, & tranſeat in eum, qui de ſupremo cœlorum deſcendit; nam ſi tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ſicut ait Ambroſ. lib. 4. de Sacrament,

Leuit. 24. nu. 8.

Supr. n. 5.

ment. cap. 4. vt incipiat esse, quòd non erat; quanto magis operatorius erit vt sint quæ erant, & in aliud conuertantur, & quod erat panis, iam Corpus Christi sit, qui sermo Christi creaturam immutat? &c.

Et ne quid circa panes propositionis, aut facierum omittamus, illud tandem notandũ occurrit, quod si velimus panes facierum interpretari secundùm Lyran. & Abulens. quasi panes illi plures facies habuerint, id sanè in nostro pane verum etiam habet, cùm multiformem effectum sortiatur, & conferat; mors enim est malis, vita bonis, vnde paris sumptionis dispar est exitus; insuper cùm gratiam conferat, de illa vtique
1. Petr. 4. nu. 10. dicitur. 1. Pet. 4. quòd sit *multiformis*, vbi Syriacè habetur, *bonitas diuisa*, seu distincta. Hieronym. verò epist. 50. ad Pammach. interpretatur *multiplicem* & significantius *variam gratiam*, adumbratam quidem in murenis aureis vermiculatis argento,
Cant. 1. nu. 11. seu punctis, notísve argéteis. Cant. 1. Et in tunica polymita, seu variata Ioseph, de quibus videndus Hieronym. cùm vtramque vestem confert cum dicto loco Petri lib. 1. Cont. Iouinian. & c. 16 Ezech. videndúsque erit August. tom. 3. lib. 1. de Doctrina Christiana, vbi petita similitudine à medico, ac medicina, explicat quonã pacto variis morbis & ægritudinibus animi occurrat Deus per gratiam suam. Quemadmodum, inquit, medici cùm alligant vulnera, nõ incomposité, sed aptè id faciunt, sicut etiam ille, qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, adhibet etiam quædam similia, ligaturam ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat, sic sapientia Dei hominum curas, &c. Multiformis itaque gratia Dei multiplicem effectum sortitur, vsúmque iuxta applicationem animi ad id, quòd quisque desiderat, habet; sicut glossa interlinealis explicat locum Petri citatum. In hoc igitur sensu aptè dici potest hic panis cœlestis facierum multarum ratione multiformis gratiæ, quam confert, quæque variis affectibus animi nostri, imò & defectibus mederi solet.

Aderat, vt diximus, ex opposito latere Templi Cãdelabrum aureum plenũ luminibus, quibus panes propositionis veluti illustrabatur, & per quæ nouis inculcatur istius panis virtus mutuata à diuina luce inaccessibili, quam Deus accidentium Sacramentalium habitator inhabitar, nempe illustrandi intellectum, & cognitionem tribuendi ad percipienda illa, quæ nobis antea erant ignota; pro qua re videndus est Cyrill. Alexand. lib. 9. in Ioan. cap. 19. vbi expendit verba illa Ioan. 13. cùm Ioan. 13. nu. 31.
de Iuda ait: *Cũ accepisset ille buccellam exiuit cõtinuo.* Id enim asserit factum, quia verebatur ne panis ille diuinus, quem Iudas acceperat, ipsum illuminaret, vt tandem agnosceret peccatum suum, & facti pœnitens venditionis pactum reuocaret, aut rescinderet, & sic mortẽ Christi, quam diabolus modis omnibus procurabat maturare ille per pœnitentiam suam retardaret. Abiit ad diaboli opus, nihil pecuniâ melius putans, quódque maius est, nihil à benedictione (idest, Eucharistiâ) adiurus, cùm post panem omnino se separauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit (scilicet diabolus) celeritate, &c. Is igitur, qui in perpetuis tenebris degit, Iudam impulit, & velut pungens, ad venditionem accelerauit, ne ille perfunderetur luce istius panis, & nequissi

nequissimi facti pœnitens, id reuocaret.

Clausi erant Discipulorum oculi ne magistrum simul cum eis gradientē agnoscerent, quando Emauntem petebant, at postquam panem consecratum porrexit, aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum in fractione panis; etenim eo in pane Christum Dominum communicasse Discipulos, tenent Chrysosto. August. Bed. & alij, quos refert Henric. lib. 8. de Eucharist. cap. 11. Et sanè fractio panis de Eucharistia dicitur vt patet ex celebri loco, Act. 2. Faué tque huic sententiæ August. lib. 3. de Consensu Euangelist. cap. 25. dicens: A Christo facta est permissio (videlicet impedimentum) in oculis discipulorū, vsque ad Sacramentum panis, vt veritate corporis eius participata remoueri intelligatur impedimentum. Similia habet epist. 57. ad Paulum, & Ser. 146. de tempore. Videndúsque erit Hierony. in Epitaphio Paulæ cùm ita scripsit: apud Emauntem in fractione panis cognitus Dominus Cleophæ domum in Ecclesiam dedicauit. Et Theophylact. ad cit. Luc. locum ait: Magnam, & ineffabilem vim habet Domini caro, eámque sumentibus aperiuntur oculi, &c. Similia sunt, quæ habet Drogo. Episc. Ostiens. Serm. 1. de Passion. post med. vbi versans hunc locum ait. Vbi tandem cognouerunt eum? In fractione panis, & verè non cognosceris Domine nisi in fractione panis, panis caro tua est, &c. Videndus itaque est in hanc sententiam Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corint. ad finem, vbi hoc Sacramentum lucem appellat, &c.

Actor. 2. nu. 24.

Et pro maiori explicatione præsentis argumenti facit maximè Anastas. Synai. lib. 1 ~. in Examer. ad finem cùm ponderat id, quod sacer tex. de primis parentibus post esum pomi vetiti ait Genes. 3. *Aperti sunt oculi amborum, cumq́; cognouissent se esse nudos, &c.* quam oculorum apertionem, & miseræ nuditatis cognitionem censet Anastas. fuisse diuinum beneficium, idque conferens cum cognitione discipulorum apud Emauntem, ita scribit. Audi quid facit postquam surrexit à mortuis, Cleopha enim, & qui cum eo erat Luca, ad Emaus ab Hierusalem, sicut Adam, & Eua separatis & lucem veram non videntibus, Iesus appropinquās ambulabat cum eis, & oculi eorum adhuc tenebantur ne eum agnoscerent, atque hic quidem fuit videndi defectus; audi autem etiam quæ deinceps sunt secuta *Factum est autem cùm ipse recumberet cum eis accipiens panem benedixit:* ecce benedictio pro execratione; *& frangens dedit eis, eorum autem aperti sunt oculi, & cognouerunt eum.* Ecce habes escam, habes etiam per escam visus recuperationem, & Dei agnitionem, quam per escam ignorauerunt protoplasti. Deinde quid fit post sumptam escam? *Surgentes ipsa hora reuersi sunt in Hierusalem.* Ecce etiam à casu excitatio, ecce etiam pulchra ab errore reuersio: primum comederunt: deinde sic sunt reuersi, &c. Sic ille ostendit singularem huius panis effectum impertiendi cognitionem Dei, & illustrationem intellectus, vt quantocius diligendus quæratur, & possidendus teneatur.

Genes. 3. nu. 7.

In quam sententiam est optimus locus apud Hieronym. in cap. 62. Isai. vbi loquens de hoc pane, ac Sacramento, meminit illius conuiuij, quo Ioseph fratres suos excepit, meridiano quidem tempore, sicut constat ex Genes. 43. Namque quando verus Ioseph fratres suos ratione humanitatis, ad comedendum panem Angelorum inuitat, veluti in meridiano Sole luce sua tenebras no-

Gen. 43. nu. 25.

-stræ

ſtræ ignorantiæ depellit, & lumina Candelabri ante ſe habens eiuſdem claritate nos totos perfundit; ſic ergo habet Hierony. Plena luce, atque meridie bibitur à Ioſeph cum fratribus ſuis depulſis omnino tenebris, & qualibet obſcuritate fugata, vt tempus conuiuij illius effectum, & operationem indicaret, quod ſcilicet omnes depellat ignorãtiæ tenebras; lumineque ſuo, & cognitione animum, & intellectum noſtrum illuſtret. Et ſanè quando verus Ioſeph fratres ſuos ſcilicet diſcipulos, corpore, & ſanguine ſuo ſaginandos excepit, etiamſi ad veſperam, & poſt Solis occaſum temporaliter, & materialiter eſſet, ſi tamen oculos mentis eleuemus profectò meridiè fuiſſe inueniemus; ſicut etiam de media nocte Natiuitatis Domini aliàs comprobauimus. Nam ſtatim atque Sol oritur, vmbræ quaſi ab illo fugiant longè, latéque à montibus deſcendentes per campos extenduntur, itidémque cùm Sol ad occaſum vergit quaſi iterum amiſſum locum, & campum acquirant, altis cadunt de montibus vmbræ. Ad meridiem verò Sol quaſi ſua luce inuoluat, colligat, & in ſe recipiat vmbras, omnia illuſtrat, lumineque perfundit, & vix arbores ipſas proprias indicare vmbras permittit. Si igitur ortum Solis iuſtitiæ contemplemur, inueniemus profectò vmbras promiſſionum, figurarum, & propheτiarũ, quæ ipſum prędicabant veluti vniuerſum orbem occupantes: ſi mortem inſuper, & occaſum recolamus, tenebras factas ſuper vniuerſam terram deprehendemus; at ſi Cœnaculum adeamus, videbimus tunc abolitas vmbras, agnum ſcilicet Paſchalem comeſtum, conſumptas lactucas agreſtes, baculos fractos, & igne diuini amoris combuſtos, cæteráque cæremonialia præcepta euacuata, quia impleta, Solémque ſupra virtutem lucentem, ſicut dixit Nyſſen. Cubantémque, & paſcentem in meridie diuinum Sponſum, quandoquidem meridianus panis ſicut vmbras, figuras, ſymbola, & obſcura lineamenta fugat, & depellit, ſic etiã & lumine ſuo animum noſtrum illuſtrat, ac præmiſſo ſapientiæ aureo Candelabro intima quæque, & abſconſa peruadir, vmbráſque ignorantiæ omnino fugat, ad hunc enim effectum veluti parata ante ſe lumina habet menſa huius panis, iam tum temporis vmbra etiam lucentia.

Niſi etiam Candelabrum è regione menſæ poſitum denotat qua luce conſpiciendus, & cognoſcendus ſit hic panis, luce ſcilicet, & lumine fidei interitus in mente noſtra accenſo, miniſterio Sacerdotum, & propoſitione Eccleſiæ, eſt ſiquidem myſterium fidei, quod ſola ſupernaturali luce conſpici poteſt, alioquin ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria, decipietur ſenſibus, propriáque cognitione ductus præceps corruet, & irreparabilẽ patietur caſum, nam ſicut dixit Cypr. Ser. cit. de Cœna Domini: ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat Diuinitas, ita Sacramento viſibili ineffabiliter Diuina ſe infundit Eſſentia, vt eſſet Religioni circa Sacramenta deuotio; Panem Angelorum ſub Sacramento mãducamus in terris eundem ſine Sacramento manifeſtius edemus in Cœlis, non miniſterio corporali, ſæpè repetitis actionibus, ad eandem reuertentes, ſed cõſummato Sacerdotio noſtro erit, & permanebit perpetua, & ſtabilis, &c. Vbi vides Cyprian. conferre accidentia panis, & vini, quibus Corpus Chriſti in hoc Sacrameno tegitur, quæque oculis noſtris cõſpicienda obiiciuntur cum humanitate Chriſti, qua Diuinitas occultabatur,

batur, sicut igitur ibi fides externos sensus exterius relinquens, ad latentem vsque Deitatem credendo peruadebat, est enim oculata fides, sicut dixit Bernard. Serm. 2. de Epiph in fine, Linceósque habet oculos, cognoscit Filium Dei lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, proinde etiam agnoscet sub accidentibus latitantem: & sicut fidei in via respondet veritas patriæ, sic & communicationi fidei huius Sacramenti respōdebit vera, & æterna participatio Dei.

Nouerat vtique fidem nostram ad hoc Sacramentum conueniendum Bernard. qui epist. 77. longè à princ. ait: Sacramentum Dei altissimi est suscipiendum, non excutiendum, venerandum, non diiudicandum; fide sortitum, non innata traditione sancitum, non adinuentum ratione, &c. In quam sententiam facit id, quod de Agno Paschali habe-
Exod. 12. num. 10. tur. Exod. 12. *Nec remanebit ex eo quidquam vsque mane*; nocte siquidem, & in obscuritate fidei percipiendum est hoc Sacramentum, & nullatenus expectanda lux cognitionis naturalis.

Vnde etiam (quod maximè notandum est) de manna expressa etiam figura huius Sacramenti dicitur,
Exod. 16. num. 19. Exod. 16. *Nullus relinquat ex eo vsque mane*: neque enim ad mortalem diem humanę lucis deducendus est hic panis, aut humanis oculis intuendum qualiter rubus spinosus, & memoriale passionis Domini igne Diuini amoris deflagret, sed sola obscura fidei reuelatione agnoscendus est sub ænigmate, qui reuelata faciali specie, sicuti est, in mensa gloriæ perpetuò fruendus, proponitur.

Quæ etiam fuit causa cur hoc sacrificium primò instituerit Christus
1. Corint. 11. n. 23. Dominus, *in qua nocte tradebatur*. 1. Cor. 11. Licèt enim meridies fuerit quoad ablationem vmbrarum, & tenebrarum extinctionem; in nocte tamen obscuræ propositionis, & sub velamine fidei exhibitum nobis est hoc mysterium, nō in matutina euidentia, nempe in meridiana luce claræ notitiæ, neque in aperta scientia naturalis cognitionis.

In quam sententiam adhuc inseruit maximè id, quod aliqui dicunt scilicet fuisse significatum hoc mysterium sub rubo illo ardenti, in cuius igne apparuit Deus, Exod. 3. Si- Exod. 3. num. 2.
cut enim inde redemptionis principium habuit gens Hebræa, ex quo Deus inter spinas, & flammas apparuit, & sic & vera libertas spiritualis, initium sumpsit ab ea sacratissima Cœna, qua institutum est hoc Sacramentum; tunc enim ardebat diuina charitas eo amore, quo accensus Filius Dei in holocaustum se obtulit. Cùm ergo Moyses *videret quod rubus arderet, & non combureretur: dixit, vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*: etenim sicut dixit Tertullian. libr. de Palio. Calor est omnis affectus, quātumcunque igitur arserit Filius Dei igne charitatis, minimè tamen combustus est, atque consumptus; nam sicut dixit Augustin. Absit, vt dilectionem suam morte finierit, qui non est in morte finitus; qui igitur huius rei rationem humana fretus cognitione rimari voluerit, audiat Deum dicentem ad curiosum Moysen: *Ne appropries huc: solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*: qui locus intelligetur cum illo alio apud Ruth, Ruth 4.
cap. 4. *Hic erat mos antiquus in Israël, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, vt esset firma concessio, soluebat homo calceamentum suum.* Is igi- num. 7.
tur, qui propriis oculis constituerat ardentem rubum conspicere, & euidenter agnoscere, quo tandem

T modo

modo illud fieri possit, iussus est deponere calceamenta, & totum omnino ius naturalis agnitionis renunciare: neque enim tantum mysterium poterit cognosci sensu, aut intellectu humano. Sicut igitur Rubus plenus erat spinis, sic etiam & Sacramentum hoc conditum fuit in memoriam spinarum, & passionis Christi; vnde ipsemet Christus Dominus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Qui igitur voluerit euidenter cognoscere, quomodo fieri possit, vt corpus humanum integrum sub tam parua quantitate, & alterius substantiæ velamine lateat, diuinúmque ignem contineat ad inflammanda corda nostra, soluat calceamenta humanæ cognitionis, oculósque corporis contegat, sicut fecit Moyses, & manu ductus fide, eademque interius illustratus ad communicationem, & confessionem huius Sacramenti accedat.

Descendens de monte Synaï Moyses deferens tabulas testimonij, cornutam insuper, & radiatam deferebat faciem; videntes autem Aaron, & filij Israël cornutam faciem Moysis timuerunt propè accedere, vnde ille operuit faciem suam velo, & sic ad eos loquebatur. Exod. 24. Verus hic Moyses, qui

1. Tim. 6. num. 16. *lucem habitat inaccessibilem.* 1. Timoth. 6. Videns quàm multa reluceant mirabilia in hoc mysterio, vt patet in transubstantiatione, in modo existendi corporis Christi, in his, quæ per concomitantiam adsunt, anima scilicet Diuinitate, & persona diuina Verbi, quæ naturaliter videri nullatenus possunt à quacumque creatura sine spirituali Dei auxilio, & lumine supernaturali; qua ratione intelligendum est illud Exo-

Exod. 33. num. 30. di 33. *Non videbit me homo, & viuet*, idest, non videbit me homo qui sensibus vtatur, quemadmodum exponit eum locum Augustin. epistol. 112. Vnde Paulus 2. Corinth. 12. Rectè dubitat vtrum eius anima fuerit separata à corpore, quando raptus diuinas expertus est visiones; quo pacto intelligendus est Dionys. Areop. libr. de Mystica Theolog. vbi negare videtur Deum vmquam fuisse visum ab aliquo viatore, quibus similia habet in lib. de Cœlesti Hierarch. cap. 4. Negat enim quenquam sensibus vtentem Deum videre potuisse. Itaque in terra viuentes nostrum Moysem, Ducem, & Ductorem videre minimè poteramus, nisi ipse se obducere dignaretur accidentium velo, & obnubilare faciem suam sacramentali tegmine, quo sic opertum, & temperatum lumen conuenite possemus, eíque petitiones nostras proponere, & necessaria exponere, ac veluti ore ad os loqui possemus. 2. Corint. 12. num. 3.

Tantùm autem abest vt velatum accidentibus Christum fugere possimus, quod potiùs ipsum deprecari teneamur, vt nobiscum gradiatur per desertum huius vitæ vsque ad promissam terram viuentium. Est siquidem nubes illa, quæ Israëliticum populum olim ductabat in figura, ita vt calorem nimium Solis temperaret, & tenebras noctis illustraret; sic etiam & nube accidentium retardantur fulgores Diuinitatis, & splendores corporis gloriosi Christi Domini ne omnino inaccessibiles nobis sint, insupérque tenebræ ignorantiæ illustrantur ne præcipites agamur in obuios quosque errores, hac enim luce plerique destituti in varios prolapsi sunt errores. Vnde de hoc Sacramento loquens Drogo Episcop. Ostiens. libr. de Pasch. post medium, tom. 2. Bibliot. Ita precatur. Gradere nunc nobiscum Domine ne desolemur, & tristemur in via hac, qua ambulamus,

quoniam tu ipse quondam præcedebas filios Israël in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Exod. 13. Et ad nutum deponebant tentoria, & rursus erigebant. Quæ est nubes, quæ præcedit veros Israëlitas, nisi verissimum, & sanctissimum corpus tuum, quod in Altari sumimus, in quo velatur nobis altitudo dici, immensitas maiestatis tuæ, cuius & calorem, & splendorem mortalis infirmitas sustinere non posset, nisi mediatrix nubes interposita, & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus te viam præmonstraret? Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur, Domine Rex sabbaoth; qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat, relucet enim de hac semita, quæ ducit ad vitam, semita humilitatis, & patientiæ, semita mansuetudinis, & misericordiæ, quidquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium reuelare dignatus es, &c.

Exod. 13. num. 21.

Videnda sunt in eandem sententiam, quæ habet idem Drogo cùm confert hoc Sacramentum cum Eliæ pallio, quod discipulo reliquit in solatium recessus sui; sic enim appellauit sacrosanctam Eucharistiam, Guar. Serm. de Ascens. dicens: Hoc nouum genus mansionis adinueniens, in consolationem recessus sui. Luculentiùs rem prosecutus Gaudent. tractat. 2. de Manducatione Agni Paschalis, paulò ante finem, tom. 2. Biblior. de hoc Sacramento ait. Verè istud est hæreditarium munus testamenti eius noui, quod nobis ea nocte, qua tradebatur, crucifigendus tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, voluit animas nostras, non solùm gratia sua, sed pretioso etiam sanguine semper sanctificari, per imaginem, & memoriam passionis suæ, quod optimè aduertit D. Thomas 3. part. quæst. 103. artic. 5. in corp. dicens. Quando ipse Christus in propria specie à discipulis discessurus erat; in Sacramentali specie seipsum eis reliquit, sicut in absentia Imperatoris exhibetur veneranda eius imago. Vnde Eusebius Emiss. homil. 4. de Pasch. non longè à princip. & habetur de consecrat. distinct. 4. cap. quia corpus, dicit. Quia Corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat vt die Cœnæ Sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret nobis, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.

Alludens itaque Drogo ad 4. Regum 2. ait: Ecce sublatus es, amplius te tuus non videbit Elisæus: remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, vt præsentia absentiæ tuæ, dolorem eius semper, & augendo leniat, & leniendo augeat. *Hoc sumite*, ait, *in meam commemorationem*; hoc est Sacramentum Corporis tui, quod sumimus in tui commemorationem, donec venias: pallium tuum est caro tua, qua vestitus ad nos processisti, & latuisti quidem perfidis, sed fidelibus tuis teipsum ostendisti, sicut & vsque hodie sub hoc pallio tuo abscondita est maxima fortitudo tua. O fortissime Samson, quàm etiam dilectæ, & non diligenti te ad vltimum non celasti, vt inimicam verteres in amicam. In tantum amasti mulierem non amantem te, sed persequentem, vt propter amorem eius sapientia sua stultesceret, & fortitudo tua infirmaretur; quibus in verbis alludit ad 16. Iud. vbi Samson in perniciem suam Dalilæ aperuit cor suú, & exposuit in quo virtus, & potétia ipsius consisteret. At noster Samson

4. Regum 2. nu. 12.

in noſtram vtilitatem,& vt ad ipſum ſecurè poſſemus accedere, ſecuriſque redderemur de fruitione præſentiæ ſuæ in cœlo, & de beneficiis exhibendis quando ipſum conueniſſemus petentes, ſeſe occultauit, & operuit accidentium velamine, ſicut præfiguratum fuerat in velo, quo Sancta Sanctorum tegebatur. Sicque liber cum eodem Drogone exclamare hoc in loco. O pium! ô delectabile pietatis ſpectaculum! Ipſe, qui quæritur, & deſideratur, & occultat ſe, & manifeſtatur; occultat ſe vt ardentiùs requiratur, & requiſitus cum gaudio inueniatur, inuentus cum ſollicitudine teneatur, & tentus non dimittatur donec in amoris ſui cubiculum manſionem facturus inueniatur; in alio ſcilicet Sancto Sanctorum, vbi reſerato velamine, & omni prorſus euacuato ænigmate ſe clarè, & ſicuti eſt, præbebit in æternum, & vltra mãducandum in menſa beatitudinis.

Sed iam ad Sancta Sanctorum felicibus auſpiciis accedamus; qui locus velo appoſito, & appenſo diſcernebatur ab exteriori domo. Licèt autem ibi ſemel tantum in anno licitum fuerit ſummo Sacerdoti ingredi, nobis iam licet quotidie ingredi; & quod ipſe ſemel fecit, in memoriam paſſionis ipſius quotidie celebrare.

Sed in velo, quo Sancta Sanctorum tegebatur, velamina contemplari licet accidentium, quibus Chriſti corpus, eiúſque ſanguis occultatur, & tegitur, eodem Chriſto Domino ſic diſponente; etenim ſi ſine Sacramenti velamine corpus ſuum, & ſanguinem porrigeret, quis ſumere non abhorreret, vel quis accedere auderet? Si mortalis nobis adeſſet participandus, & viſibiliter guſtandus, quis non durum ſermonem cenſeret, quis non faſtidioſum cibum reputaret? Si autem in eo ſtatu, quo poſt reſurrectionem in cœlo adeſt nobis offerretur, intolerabilem fulgorem oculis intuentium offerret, quem ſuſtinere humana fragilitas nequiret; vnde Auguſtin. in libr. ad Orozium ait. Clarificata carne vtique Chriſtus reſurrexit, ſed noluit in ea clarificatione diſcipulis apparere, quia non poſſent oculis talem claritatem perſpicere. Si antequam moreretur, & reſurgeret, quando transfiguratus eſt in monte, diſcipuli eum videre non potuerunt; quanto magis clarificata carne eum videre non poſſent? &c. Ille igitur, qui claritatem corporis glorioſi pro captu diſcipulorum attemperauit ne illorum oculos fulgentiſſima lux offenderet, cùm ſe præbuit manducandum, & bibendum, voluit tegmine accidentium deliteſcere, & inuiſibiliter ſumi, ne humana fragilitas carnem hominis abhorreret, in cuius participatione fons totius gratiæ ſumebatur.

Intra velum igitur nobis collocauit Corpus, & Sanguinem ſuum qualitatibus panis, & vini tectum, digna profectò de cauſa, ne ſcilicet infidelibus pateat, cùm ad Sancta Sanctorum nullus penitus ſit ingreſſus profanis, qui nos neque iudicare, neque dicere poſſunt inhumanos, & crudeles, vtpote humani corporis comeſtores, & humani ſanguinis potatores, cùm neque corpus videant, neque ſanguinem, neque myſterium agnoſcant, quod nos ſumentes veneramur.

Appendit igitur Chriſtus Dominus accidentium velum, vt ad interiora contemplanda puriorem fidei diligeremus animum: dum enim in myſterio, quod non eſt, apparet, & quod eſt, occultatur, fidei lucta proponitur vt meritum

augea

augeatur, sicut rectè prosequitur Diuus Alger. lib. 2. de Sacrament. cap. 3. post med. dicens: Dum contra quod videtur credens, quod non videtur decrepita intus veritate, desuperata exterius falsitate dupliciter assequitur gloriam; cætera enim Christi miracula, cùm sint infidelibus in signum vt conuertantur, hoc solum fidelibus datur ad meritum, vt illo erudiantur: in illis enim, quæ Deus in extrinseca materia fecit, roboratur fides; in hoc autem solo, quod ex seipso facit, fides excitatur, vt victa, & inuicta felicius coronetur; victa, inquam, ne comprehendat, sed inuicta ne diffidat, dum exteriores quidem sensus obiecta panis, & vini specie, colore, odore, & sapore, ipsum, quod fuerant mentiendo, panem & vinum, quod non est nituntur astruere: interior autem intellectus ipsum, quod est corpus, scilicet Christi contemplans, nec comprehendere sufficiens, non tamen desistit credere. In tanti mysterij fide intellectus internorum, & exteriorum sensuum lutum subinnuens, ait Augustin. Sermo. de Verbis Domini, quod videtis in Altari, panis, & calix est: quod autem fides postulat instruenda, panis est Corpus, calix est Sanguis. Ista ideo, fratres, dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur, sicque dum exteriorum sensuum testimonio non acquiescit, nec interiori inquisitione comprehendet, de veritate tamen non titubat: sic per Dei gratiam vt in tali suo agone fides nostra exerceatur, exercendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. Hac fide ipsum Sacramentum quasi Diuinum quid adoramus, quasi viuum quid, & oramus, & alloquimur, & rogamus. Et cap. 4. Reddit Alger. rationem aliam cur fides tantopere exigatur in hoc Sacramento. Quia videlicet, inquit ille, falsa fide mundus periit, quando Adam plus Diabolo, quàm Deo, credere præsumpsit, dum in ligno scientiæ boni, & mali vetito plus sperauit diuinitatem assequi, quæ ab hoste promittebatur; quam incurrere mortem, quam Deus minabatur.

Voluit igitur Deus, vt homo in hoc Sacramento plus crederet ei, dicenti: *Hoc est Corpus meum*; quàm sensibus dictantibus communem esse panem, & vinum vitis. Sicut igitur non in ligno vetito, sic nec in Christi Sacramento debet visus, aut gustus, sed fidei vigere iudicium: quia sicut pomum visu decorum, & suaue ad comedendum cibus vitalis videbatur, & mortem intulit, sic è contrario Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi videtur cibus mortalitatis nostræ, cùm vera vita æterna sit; qua propter vtriusque rei media vera fides videtur necessaria: Adæ vt crederet mortem esse in pomo, & ita viueret: nobis, vt in Sacramento Christi vitam credamus, & ita eam assequamur; vtrumque enim ex se contrarium visui effectum parit; illud dum videtur cibus voluptatis & vitæ, mortem inferens; istud dum videtur cibus mortalitatis, vitam æternam exhibens. Sicut igitur à Petro post trinam negationem, trina confessio repetita est, sic ab homine vt saluari possit pro perfida fide, qua periit, vera fides exigenda est: quia tantum Sacramentum, nec sine fide potest intelligi, nec nos etiam per illud sine fide saluari.

Et c. 5. post med. hanc aliam subdit rationem cur Sanctum Sanctorum, & Sacramentum Sacramentorum sub velamine accidentium latere voluerit Auctor illius Christus

Dominus. Quia, inquit, nos necdum apparemus quod sumus, ideo Christus noluit apparere quod est, vt sit desiderabilior, & sicut in Emaüs peregrinis à fide peregrinus apparuit in specie, sic nobis peregrinus in mundi exilio peregrina, & extranea sibi specie apparet in Sacramento, vt quia quod de nobis exterius apparet, mortale est; mortalitatis cibus ipse exterius videatur, cùm tamen per ipsum, qui immortalitatis est alimonia, intus verè, & inuisibiliter mors æterna sanetur. Similia sunt quæ habet Odon Cameracens. Episcop. in Exposit. Can. dist. 3. tom 6. Bibliot. ad illa verba Calicis *mysterium fidei.*

Illud etiam indicat appositum velum ingressum prohibens ad Sancta Sanctorum, non patere, scilicet aditum ad hoc Sacramentum cuilibet peccatori, & indigno, sed pœnitenti, & amico iam per gratiam. Alioquin, sicut ait Cyprian. lib. de Lapsis, qui dominicum corpus inuadunt, vim inferunt Corpori Domini, plúsque modo manibus, atque ore delinquunt, quam dum negauerunt; quibus item obiici potest illud Pauli Hebr. 6. Etsi alius sit sensus literalis: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Ad hunc ergo locum adducit Diu. Clemens Rom. lib. 6. cap. 15. cùm ita habet. Crucifigunt Dominum iterum cùm interimunt, derident diuina, illudunt sancta, insultant spiritui, sanguinem sanctũ veluti communem contemnunt, peccant in mittentem, idest, in Patrem; in passum, idest, Filium, & in testificantem, idest, Spiritum Sanctum. Sed in sensu literali dixit Paulus: *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit non dyudicãs Corpus Domini*; vbi peccatum indignè sumeptis hoc Sacramentum simile

Hebr. 6. nu. 6.

1. Corint. 11. n. 28.

asserit ei, quod commiserunt Iudæi Dominum crucifigentes.

Aduertit autem August. sibi iudicium manducare, non malum accipiendo, sed malè accipiendo; illud autem, *non dyudicans*, explicat D. Th. ex eo, quòd non discernit Corpus Domini ab aliis cibis indifferenter ipsum assumens, sicut alios cibos, & Sancta Sanctorum profanans intra velum irreuerenter ingressus. Theodor. verò explicans dicta verba Pauli ait: hoc significat, quod quemadmodum tradidit ipsum Iudas, ipsi autem insultauerunt, & cum opprobriis, & conuitiis affecerunt Iudæi, ita eum ignominia, & dedecore afficiunt, qui sanctissimum eius Corpus immundis manibus contrectant, & in pollutum, & incestuosum os immittunt.

De hoc item crimine dixit idem Paulus, Hebr. 10. *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Quem locum possumus explicare ex alio apud Malach. c. 1. vbi habetur: *Ad vos ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: in quo despeximus nomen tuum? Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? In eo quod dicitis: mensa Domini despecta est.* Quo in loco Hieronym. ait: Polluimus panem, idest, Christi corpus quando indigni accedimus ad Altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus, *Mensa Domini despecta est*, non quòd hoc aliquis audeat dicere, sed opera peccatorum despiciunt mensam. Et Cyril. ibidem ait. Qui non adhibet honorem, quem debet Altari sancto, factis testatur, illud esse pollutum, & contemptibile, &c.

Hebr. 10. nu. 29.

Malach. 1. nu. 6.

Hinc igitur innotescit quomodo indignè sumens Filium Dei conculcet, eiúsque sanguinem pollutũ ducat,

cat, & dicat. Venit item notandum quòd vbi nos apud Paulũ habemus *pollutum*, Græcè habetur, & ita legit Chrysostom. *communem*, & potest ad rem nostram Paulus alludere, vel nos ab ipso allusionem sumere ad locum Templi communem gentibus, & Iudæis, sicut ibi exponit Chrysost. vt sit sensus. Qui hunc cibum non discernit à cæteris, videtur illum communem ducere, & nihilo nobiliorem reputare, sicque faciendo polluere; vnde tex. Syriac. habet: *Et æstimauerit sanguinem testamenti, tanquam cuiuslibet alterius hominis.*

Hinc est quod August. lib. 50. Homil. hom. vlt. cap. 9. ad fin. In sensu à nobis allato, veluti nostrum argumentum prosequens de velo Templi ait: quomodo ergo in interiora veli, & in illa inuisibilia Sancta Sanctorum introire audebit, aut poterit, qui disciplinæ medicinam contemnens noluit paulisper à visibilibus separari? Et Chrysost. hom. 60. ad popul. statim post princip. de hoc Sacramento ait. Accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes feruentes, & excitati. Nam si Iudæi stantes, & calceamenta habentes, manibus gestantes baculos agnum cum festinatione comedebant, te multò magis oportet esse solertem: nam illi quidem in Palæstinam erant prodituri, & propterea viatorum figuram habebant, tu verò debes in cælum migrare, quapropter in omnibus oportet te vigilare, nec enim parua pœna proponitur indignè sumẽtibus. Cõsidera quãtum aduersus proditorem indignaris, & contra eos, qui crucifixerunt. Itaque cõsidera ne tu quoque sis reus corporis, & sanguinis Christi; illi sanctissimum corpus iugularunt, tu verò polluta suscipis anima post tot beneficia. Quo non oportet igitur puriorem esse tali fruentem sacrificio? Quo solari radio nõ splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? Os, quod igne spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore. Quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem; & alloquẽs Sacerdotes ait. Non parua vobis imminet vltio, si quem cuiuspiam conscium nequitiæ huius mensæ participem esse concedatis. Sanguis eius de manibus vestris exquiretur: non tam graue est Energumenos esse intus, quàm istos, vt ait Paulus, vt Christum conculcent, & sanguinem testamenti communem existiment, & gratiam spiritus afficiant contumelia Hebr. 10. Dæmonium enim pascente, peior est, qui postquam peccauit, accedit (scilicet ad Sancta Sanctorum) & temerè se intra velum intromittit. Et hom. 83. in Matth. post med. vbi eisdem prorsus verbis locutus est Chrysostom. ac præterea, quæ hucúsque diximus, addit. Non parua vobis imminet pœna si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem tribuatis: sanguis enim eius ex manibus vestris requiretur. Si limpidissimæ aquæ fons vt intactum gregi seruares, tibi commissus esset, cũ petulcos suos, ac sordidissimos venire aspiceres; non patereris influente eos descẽdere, nec fontem ab his perturbari; nunc verò cum non aquæ, sed sanguinis, & spiritus sacratissimus fons commissus tibi sit, si peccatis inquinatissimos videris accedere homines, non indignaberis, non prohibebis? Et quam veniam huius contemptus consequeris? Idcirco vos Deus voluit tanto honore decorare, vt hæc diligentissimè discernatis. Sic Chrysost. docet cognoscendam separationem huiúsce

Hebr. 10. nu. 29.

Sancti

Sancti Sanctorum; alluditque fortassis ad id, quod fecit optimus Sacerdos occurrendo, & repellendo Regem Oziam, quia sumpto thuribulo ausus est temerè ingredi Sancta Sanctorum, vt incensum adoleret, cui liberè locutus est, & aperto ore dixit: *Non est tui officij, egredere de sanctuario*; quod vsque adeò Deo placuisse videmus, vt inter cæteros omnes Sacerdotes, istum peculiariter, & laudabiliter suo munere fuisse functum sacer textus attestetur, cùm ait: *Iste est, qui coram Deo sacerdotio functus est*; enim verò qui Sacerdotis officio fungitur, & Sanctum Sanctorum in se debet agnoscere ne pollutus ingrediatur, & in aliis itidem reuereri, ac profiteri, dum sordidos haudquaquam sinat accedere, aut ingredi.

2. Paral. 26. n. 18.

1. Paral. 6. nu. 10.

Malach. 1. nu. 11.

Cùm ergo mundissima sit hæc oblatio ex Malach. 1. Pro vt omnes ferè Sancti Patres interpretantur, vnde Euseb. lib. 1. de Minist. Eucharistiam vocat hostiam mundam, & Chrysost. in Psalm. 95. Hostiam puram. Et Theodor. ad citatum locum Malach. Sacrificium purum, quibus similia habet Tertul. 3. Contra Marcion. cap. 22. & lib. de Cultu fœmin. cap. 11. & lib. de Corona Militis, & lib. de Velandis Virginibus, & lib. de Exhortat. ad Cast. Cùm, inquam, mundissima sit oblatio omnem puritatem, & mũditiam in participante prærequirit, & exigit; quapropter Cypr. li. 1. epist. 10. Agens de histrionibus à communione procul arcendis, ait. Puto nec Maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur; vbi vides diuinam Eucharistiam pudorem ipsum in abstracto appellari, quo scilicet magis pudeat peccatorem, si adhuc peccatis inuolutus ad illam accedat, & nequitiæ ignominia deturbatus Ecclesiæ honorem audeat contingere. In quam sententiam maximè facit locus ille Apoc. 2. Vbi hoc Sacramẽtum ipsum Diuinum Oraculum appellat calculum candidum; tritũmque est in sacris literis Christum Dominum lapidem appellari, satis sit Isai. 28. *Ponam in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum*; quæ omnia sacræ Eucharistiæ apertissimè quadrant, sed vide quid statim addat sacer textus, *qui crediderit non festinet*, idest, ne præcipitanter accedat sine probatione, præuio examine, & iudicio, alioqui si ad durum lapidem accedat, præcépsque feratur, proculdubio confringetur iuxta illud Matthæi 21. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur*; vbi verbum *ceciderit* inconsiderantiam denotat, sicut benè aduertit Fernand. de Vision. Sac. Script. vis. 2. sect. 8. n. 2. Qui igitur ad lapidem politum, pollutam habentes conscientiam properant; qui ad pretiosum lapidem accedunt, vilem, & abiectum deferentes animum; qui electum lapidem, & probatum petunt reprobandãm, imò & damnandam animã portantes, confringuntur tandem, & æternum interitum incurrunt, ídque eo magis, quominùs cogitant, & expendunt quid quærant, & accipiant.

Apoc. 2. nu. 17.

Isai. 28. nu. 16.

Matt. 21. nu. 44.

Insuper & cùm hoc Sacramentum sit lignum vitæ in illo alio paradisi terrestris adumbratum, sicut enim paradisus terrestris symbolum fuit Ecclesiæ Dei, ita lignum vitæ figurã fuit Christi Domini, qui de seipso ait: *Ego sum panis vitæ, qui manducat me, ipse viuet propter me: nisi manducaueritis, non habebitis vitam in vobis.* Et sanè hac similitudine vsus est Paschas. Abb. li. 1. Comment. in Apoc. 2. Sicut ergo postquã Adam deliquit, illi interdictus est esus ligni vitæ, mititque eum Deus de paradiso voluptatis,

Ioan. 6. nu. 51. & seqq.

ptatis, & collocauit ante paradisum, Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ, sic & qui in peccato est reiicitur à mensa ista, flammeúsque gehennæ gladius ei minitatur; qui mortali peccato infectus ad lignum vitæ ausus sit accedere, vnde si de eo sumat, potiùs fur, & raptor dicetur, quàm particeps, & cōmunicans; *Vincenti* enim tantummodo seipsum *datur edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei.* Apoc. 2. vbi Rupert. ait. Quod ergo primo homini interclusum est pœnitēriam non agenti, pulchrè huic remittitur, qui pœnitentiam egerit, quatenus edat de ligno vitæ. Sæpe autem is qui necdum vincit, idest, qui pœnitentiam non egit, edit de hoc ligno vitæ, quod est in paradiso Dei, manducat Corpus, & bibit Sanguinem Domini: non illi dat Christus, sed ipse rapit, & ideò sibi iudicium manducat, & bibit.

Apoc. 2. num. 7.

Ex quibus iam melius intelligetur locus ille Prouerb. 33. vbi dicitur: *Quando sederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam*; pro quo Brixian. legit: *Si rationem habes animæ tuæ.* Hic locus intelligitur ab Ambros. August. & aliis de Eucharistia, & Hebr. ad verbum habetur: *Quando accumbis vt cū Principe comedas, aduerte prudenter quæ ante te posita sunt, si tu gulæ tuæ indulgere voles, gutturi tuo cultrum intentabis,* vel vt alij legunt ex Hebr. teste Vatabl. *Pones spinas in gutture tuo, si habueris animam,* idest, si præditus cupiditate fueris, vel si tu nimis edax sis. Alij teste Brixian. exponunt: pone cultrum in gutture tuo, si habes animam, subaudi concupiscentiis deditam, quasi dicat: restringe gulā tuam, veluti cultro gutturi immisso, & ne laxes concupiscentiis habenas. Brix. verò explicat: si habes concupiscentiam effrænem, & sedes in mensa Præpotentis, ede temperatè, & si te inuitat appetitus, vt alia concupiscas, restringe gulam tuam veluti cultro gutturi infixo. Quæ omnia maximè competunt sumenti sacram Eucharistiam, dum eam à cæteris cibis ita discernere debet, vt veluti apposito cultro, quidquid aliud neque transire liceat, neque accedere, vel eodem cultro appetitum ipsum amputare, vt hoc cibo veluti satiatus nihil aliud, vel audeat, vel queat appetere. Vnde Aquil. vertit: *Pones cultrum in gula tua,* vt scilicet eam reseces, & ampures, ne limites transilire liceat, & ad alia concupiscenda diuagari. Vel etiam pone cultrum gutturi tuo tibi mortem comminantem, si huius purissimi cibi contaminationem permittas per commistionem aliorum ciborum, neque iudicaueris inter hunc panem verum, & panem mendacij, de quo statim fit sermo.

Prou. 33. num. 1.

Vel iuxta alios, quos diximus: *Pone spinas in gutture tuo,* quod possumus explicare ex alio loco apud Eccles. 28. *Sepi aurem tuam spinis*; quod explicat D. Hieronym. epist. ad Demetriad. de Conser. virgin. de non admittendis delatoribus, ac delationibus, annuendo illorum dictis, sed veluti spinis pungendo, & punctionibus arcendo. Sic igitur, & qui ad mensam Dei accedit debet à se reiicere cæteros animæ cibos, & appetitiones, ac veluti spinis in gutture voluntates, & rationis appetitus longè, latéque remouere, iuxta illud Bernard. lib. de Amore Dei: intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones venite ascendemus ad montem Domini, vbi Dominus videt, & videtur: curæ, solicitudines, anxietates, pœnæ, seruitutes expectate hîc

Eccle. 28. num. 19.

cum asino, corpore isto, donec ego cum puero, ratione scilicet & intelligentia vsque illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertamur ad vos; reuertemur enim, & heu quàm citò reuertemur! Vbi D. Bernard. alludit ad sacrificium Abrahæ, quando relictis pueris solus in montem ascendit filium oblaturus diuisione quadam præuia, & separatione præhabita; etenim qui offert, nec rectè diuidit & discernit, Deo placere nequaquam potest; vnde Genes. 4. ait Deus ad Cain: *Nonne si rectè obtuleris, rectè autem diuiseris, non peccasti?* vbi diuidere, pro discernere bona à malis, sumit August. ibi in quæst. ad Genes. Malè enim dicitur Cain diuisisse, quia nullo delectu, aut discussione præhabita, sed temerè obtulit; quãto igitur maiorem discussionem requiret Deus in hoc sacrificio, vt in bonum cedat, non in malum participanti. Ideóque Cypr. Ser. de Cœn. Dom. post princ. ait: Sacramenta, quãtum in se est, sine propria esse virtute nõ possunt, nec vllo modo diuina se absẽtat Maiestas mysteriis, sed quamuis ab indignis se sumi, vel contingi Sacramenta permittãt, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum indignitas tantę sanctitudini contradicit; ideoque aliis sunt hæc munera odor vitę in vitam, aliis odor mortis in mortem, quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Nondum Iudas diabolo inuadente & occupante animam eius, egredi cogebatur, sed vbi sacrum signum mens perfida tetigit, & sceleratum os panis sanctificatus intrauit, parricidalis animus vim tanti Sacramenti non sustinens, quasi palea ex area exsufflatus est, & præceps cucurrit ad proditorem, & pretium, ad desperationem, & laqueum. His suffragatur Chrysostom. hom. 83. in Matth. post med. vbi ait: Acutum gladium pro cibo accipis: exemplum huius rei nullum apertius inuenies, quàm quod de proditore Iuda legimus, quem vnà cum aliis discipulis communioni accubuisse, multorum est, & sanè probabilis opinio, atque diuino cibo assumpto, confestim Sathanę traditum fuisse; introiuit enim in eum Sathanas scribit Ioan. & August. in Psalm. 47. dixit. Quàm multos Iudas indignè accipientes ad iudicium suum implet Sathanas, &c.

Genes. 4. num. 5.

Ioan. 13. num. 27.

Licèt autem, sicut aduertit dicto loco Bernar. quàm citissimè pro fragilitate humana ad pristinas concupiscentias, & defectus reuertamur, tamen pro virtute cibi istius ac pro eius veneratione, puritatem, quam efficit diu conseruare tenemur, & pro ea Christum Dominum exorare. In cuius rei confirmationem Prosper in sententiis, asserit, Eucharistiam esse oblationem mundam, quia post illius communicationem requiritur à sumentibus mira quædam puritas vitæ, & morum splẽdor, & in eodem sensu Tertul. lib. de Resurrect. carn. c. 8. ait. O mensa admiranda, quæ aduersus superbiam humilitatem, aduersus inuidiam charitatem, aduersus auaritiam eleemosynam, aduersus libidinem castitatem, aduersus vitia omnia, virtutes subministrat, aduersus hostes arma præbet. Et Chrysostom. hom. 27. in 1. ad Cor. ad fin. Non audisti, inquit, quomodo illa tria millia, quæ perceperant communionem, perpetuò perseuerabant in oratione, & doctrina, tu autem priusquam quidem communices, ieiunas, vt quomodocunq; dignus appareas, quãdo autem communicaueris, cùm te oporteret magis augere temperantiam omnia perdis: atqui non sunt paria esse sobrium antea

antea,& postea,nam in vtroque quidem oportet esse sobrium,& temperantem, maximè autem postquam Sponsum excepisti: antea quidem vt sis dignus accipere; postea autem ne appareas indignus iis, quæ tu accepisti,&c.

Etenim Christus Dominus cùm sit illa petra spiritualis, quæ fidelem consequitur populum,eos,qui dignè participant, noua semper largiendo beneficia consequitur, proindéque nouam exigit puritatem, nouúmque meritum, & dispositionem,sic enim interpretatur Hilar.homil.75.de Pa-
1. Cor.3. num.3. scha illud Pauli. 1.Cor.3.nu.3. *Eandem escam manducauerunt, eundem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de consequente eos petra,* &c. O verè,inquit ille,vnica, & perfecta Hostia fide æstimanda,non specie;& infrà, *Bibebant de consequente eos petra:* vides qui de Christi biberit gratia, sequitur eum Christi misericordia, &c. Similia habet August. Serm.48. de Verbis Domini in princ. ad illud Ioan.8.num.31. *Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei estis.* Sic verò, ait Augustin. maneamus in eo, qui manet in nobis, nos si non manserimus in illo, cademus; ille autem si in nobis non manserit,non ideò donum perdidit: nouit ille manere in se, qui perdidit se, ergo nos in illo maneamus indulgentia, ille in nobis maneat misericordia,&c.Qui ergo antequam accederet ad cœlestem cibum spinis pœnitentiæ, & doloris præteritorum se ab impedimentis segregauit, & à vitiosa vita diuisit, vt spirituali viueret, debet item vt illa iugiter potiatur, ab omnibus abstinere,quæ gratiæ nocent,mortem inferunt,& vitam auferunt.

Sed iam ad prædictum Prouerb. locum reuertamur,quem LXX. reddidere in hunc modum:*Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi,& mitte manum tuam, sciens quod oportet te talia præparare.* Sic legunt Cassian.orat.2. cap.1. Ambros.1.off.cap.31. August. tract.47. & 84.in Ioan. Mensam igitur Potentis appellat sacer tex.hanc, in qua Deus Omnipotentiam suam ostentauit in mirabili transubstantiatione, pertinet enim ad Diuinam Omnipotentiam totius vnius rei in aliam conuersio, qualis planè in hoc mysterio reperitur. Sapienter deinde monet; intelligere, est enim hoc mysterium superioris rationis, & fidei. Mittenda insuper manus vt percipiamus,non furemur, quod Christus sumendum tribuit, corpus scilicet & sanguinem suum.

Sed quo tãdem pacto fiet id,quod additur: *Sciens quod oportet te talia præparare?* Hoc rectè exposuit August.nempe quòd sicut Christus Dominus hoc instituit, & præbuit Sacramentum quando tali charitate deflagrabat,vt non solùm se manducandum exhibuerit, sed seipsum pro hominibus redimendis libentissimo animo tradiderit ligandum, flagellandum,conspuendum, spinis coronandum, clauis crucifigendum, & lancea vulnerandum, ita & Sacerdos,qui conficit; & fidelis qui accipit hoc Sacramentum, talia paratus sit reddere tali Domino, & ea animi præparatione accedat, vt si oportuerit quamprimum, & quam libenter vitam pro illo, & sanguinem fundere,minimè recuset.

Præclara quidem solutio, sed adhuc debitum non soluit,video siquidem dura reddenda, dum aliud est quod videtur exteriùs in hoc Sacramento; aliud,quod accipitur & realiter, ac substantialiter adest. Video accidentia naturalia, credo substantiam supernaturalem Deitatis, imò & naturalem humanitatis Christi Domini supernaturaliter existentis

agnoſco. Video ad prolationem Sacramentalium verborum ſtatim adeſſe corpus, & ſanguinem; miraculoſam denique confiteor conuerſionem.

Oportet igitur ſi non talia, neque enim poſſumus, ſaltem ſimilia reddere, dum hoc accipimus Sacramentum, vt ſcilicet communicans etiam ſi exteriùs, & quoad ſpeciem homo appareat, intus tamen Angelus ſit, Angelóſque imitetur ſpiritualiter viuendo; exteriùs naturaliter videatur degere, ſed interiùs ſupernaturaliter viuat iuxta virtutes ſupernaturales, & beneplacitum Autoris ſupernaturalis, quem in omnibus reſpiciat, diligat, & colat. Et quod ſicut Chriſtus Dominus ad prolationem verborum Sacramentalium, illico adeſt, veluti obediente Deo locutioni Sacerdotis; ſic & ſumens Euchariſtiam verbis Dei, per omnia obſequatur, nihilóque differat executio illius à diuinis eloquiis, & totum, quod Deus præcipit, nulla interiecta mora, exequatur, neque diſcuſſione interpoſita; neſcit enim iudicare quiſquis perfectè didicit obedire.

Sed adhuc nobis reſtat altius rimandum, quidnam præbeat Chriſtus Dominus in hoc pane, ídque licet deducere ex cap. 6. Ioan. vbi ait ipſe Chriſtus Seruator: *Operamini non cibum, qui perijt: ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc Pater ſignauit Deus:* quę extrema verba torquent multorum ingenia: nam Chryſoſt. & Theophil. dicunt Chriſtum à Deo Patre ſignatum, & oſtenſum eſſe Filium quando dixit: *Hic eſt Filius meus dilectus.* Auguſt. tract. 25. in Ioan. ait Chriſtum ſignari à Patre, eſſe deſignari cunctis præfectum Angelis, & hominibus. Cyril. lib. 3. in Ioan. cap. 29. ait ſignatum eſſe, idem prorſus ſignificare, atq; vnctum, quoniam Reges olim, & Sacerdotes oleo ſolebant inſigniri. Hilar. libr. 8. de Trinitate, putat Chriſtum ſignari; eſſe ſempiternam formam ſuſcepiſſe, quaſi diuino impreſſam ſigillo, cùm ipſe forma ſit Patris. D. Thomas in cap. 6. Ioan. de Chriſto homine intelligit, quod de Chriſto Deo intellexit Hilar. ita vt humana Chriſti natura vnito ſibi Verbo ſignata ſit quaſi eminentiſſimo ſigillo, vt homo iſte Deus cognoſcatur. Sed Rupert. dicta verba intelligit non de Chriſto, ſed de cibo, vt ſit ſenſus: ſignauit Deus hunc cibum, non ſignauit hunc Filium. Quæ expoſitio communiter probatur, & meritò: nam eo in loco non de ſua humanitate, aut Diuinitate agebat Chriſtus Dominus, ſed de cibo, vt patebit legenti, commendátque longiſſimum diſcrimen inter cibum hunc Euchariſticum, & cæteros communes; & ſignari potiùs pani conuenit, quàm Chriſto, panes enim vt plurimum ſignantur ſigillo, & quę occulta volumus ſigillo claudimus; vnde Daniel. 14. Templi fores Nabuchodonoſor annulo obſignauit.

Ioann. 6. num. 26.

Dan. 14. num. 13.

Inſuper ſi ſignare eſt figuram alicui rei imprimere, aptè conuenit ſignatio Euchariſtiæ, ideo namque Chriſtus Dominus antequam cruentum ſacrificium in cruce offerret, inſtituit incruentum hoc, vt quandam repræſentationem faceret ſacrificij peragendi. Vnde Ambroſ. in Epiſt. ad Hebr. cap. 10. & D. Thom. 3. part. q. 83. Cum ſcholaſticis, ſacrificium altaris mirabilem ſacrificij in cruce oblati repræſentationem eſſe docuerunt; & Chriſtus Dominus inculcauit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem;* repræſentatio verò veluti figura eſt, & ſigilli ſignatio.

Sed quodnam prælum, ſigillum, & repræſentatio impreſſa eſt ſacrificio?

ficio ? Nam triticeæ hostiæ vt sigilli figuram accipiant ferreo quodam prælo ignito comprimútur. Prælum vtique crux, claui, lancea, spinæ, quibus compressum est corpus Christi Domini, & signata sanctissima victima; prælum vtique candens redditum per ignem amoris sui. En igitur signatum cibum, quem Deus nobis signauit, & designauit, vt nos illius signo insigniti iam deinceps incedamus, talia nostro modo illi præparantes, qualia nobis apponuntur; quod etiam ratio postulat, & ipse à nobis exigit, quando ait Cantic. 8. *Pone me, vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum*; qui idiotismus significat idem, ac me habe charissimum; vnde apud Aggæum, cap. 2. *Ponam te quasi signaculum, quia elegi te*, idest, habebo te semper præ oculis, singularémque tui curam geram, sicut de Ieconia è contra legimus apud Hier. 22. Eum & si foret tanquã signaculum in manu, mouendum tamen, & reiiciendum. Fuítque antiquus mos gestandi imagines illorum, quos amabant in annulis, armillis, gemmísque, siue in collo, siue in pectore à collo pendentibus. Idem igitur postulat Sponsus Diuinus ab animabus nostris, vt pro eo, quod tantum nobis signauit cibum, nos itidem quocumque siue in loco, siue negotio neque aliud, vel intueamur, vel cogitemus. Quod benè expressit Gregor. ad hæc verba dicens. In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes; super cor ergo, & super brachium sponsæ dilectus vt signaculum ponitur, quia in sancta anima quantum ab ea diligatur, & volũtate, & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius, & exterius Christum portat, quia dum in eius meditationibus assiduè laborat, in exteriori actione eum imitari nõ

Cant. 8. nu. 6.

Agg. 2. nu. 24.

Hier. 22. nu. 24.

cessat, quo eius dilectam esse dubitare non debeat. De quo signo Christus Dominus discipulis suis aiebat: *In hoc cognoscent omnes quia vere discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Tantum Greg. Ioan. 13. nu. 35.

Ambros. verò de iis, qui mysteriis initiantur interpretatur iuxta mentem suam, sed ad rem nostrã dicens. Volo vt tota mea sis, nihil videlicet tui ad alium pertinere volo, & cap. 1. Para te, vt meum in te recipias sigillum, non modò in interioribus, quæ ad spiritũ pertinent, sed etiã in exterioribus, quæ ad carnẽ, & quocũque tandem transeas mea agnoscaris, me redoleas, mei odorem effles, meíque vestigia relinquas; quod perplacuit admodum in sancta anima, sicut testantur sodales Sponsæ, Cant. 7. cùm dicunt. *Quã pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Pulchri enim dicuntur gressus, quia sponsi dilecti similitudinem quandam, & notam relinquebant impressam quocumque sponsa se ferebat, & transibat; sic enim potest exponi locus cum Clem. Alex. 2. pædag. c. 11. vbi ait. Multæ fœminarum soleis quoque amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerose incendentes meretriceos spiritus in incessu insculpãt, &c. Etenim sicut Arcades, & antiquissimi Romanorum lunas gestabant in calceis, vt ostentarent generis antiquitatem; sic fœminæ soleis, idest, subiectæ calceorum parti, quæ vestigia imprimunt, clauos addebant, vel aliam formam, figuram, sigillúmve, quo in vestigiis aliquod amoris, amatique signum exprimerent. Hinc fortasse natus ille loquendi modus, quo dicitur ex alicuius vestigiis flores erumpere, quia sc. statim appareant ex impressione sigilli in soleis affixi, vnde Persius satyr. 2. Cant. 7. nu. 1.

Quidquid calcauerit hic, rosa fiet.

Pulchri ergo dicuntur gressus spon-

sæ, quia quocũque se ferat relinquit notata vestigia, quæ suum dilectum denotent,& testentur,vt neque moueatur nisi ex illius perscripto,neque gradiatur nisi ad illius obsequium.

Imitemur igitur,vel signatã sponsam, vel sigillatum Paulum dicentem Galat.6. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*; Græcis enim stigmata dicuntur notæ alicui inustæ, quales seruis inurunt domini, vt si fugiant, ex hisce agnoscantur esse serui talis domini, vbi notandum venit non dixisse Paulum: stigmata habeo, sed porto,sc. ostento, & prodo in honoris testimonium, vt sicut signatus Dominus meus eleuatur in hostia, & omnibus ostenditur, & proponitur, ego tale quid illi reddens,me signatum illius seruum omnibus proponam,& ostentem.

Galat. 6. nu. 17.

Quòd si stigmata Christi Paulus vocat plagas, & cicatrices ex verberibus, & vulneribus per Christũ susceptis corpori suo impressis,de quibus 2. Cor.11.n.23. vnde vti milites vexilliferi, & capitanei sua vulnera, & cicatrices ostentant, quasi signa fortitudinis, & gloriæ bellicæ,quod pulchrè Tertul.dixit:de morsibus, & cicatricibus formosiores sibi esse videntur; sic Paulus hæc stigmata,has plagas, quasi trophæa militiæ Christi non tantum habebat, sed portabat, ita Hieronym. Chrysost. Ansel. D.Tho. Haimon,& Theophyl. Etenim Paulus ostentando vulnera, cicatrices, & plagas vicem reddebat pro posse suo illi, qui in memoriam suæ passionis quotidie nobis proponitur passus,crucifixus,vulneratus,& spinis coronatus.

Neque omittendus Hieron. cùm moraliter ad dicta verba Pauli addit. Stigmata Christi in corpore suo portãt qui corpus macerant, & affligunt amore Christi, vtque se Christi cruci, & passioni configurent, ac conforment. Sic sanè accipiendus cibus signatus à signatis, & configuratis fidelibus, sic cogitandum quia talia oportet reddere ei, à quo per summam misericordiam talia accipiunt.

Sed heu duris corde, qui huius sigilli impressioni non cedunt, huic configurationi non subiacent. Quid est, inquit Bernar.lib.1.de Consider. cor durum? ipsum est, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum est ad beneficia, infidum ad consilia, sæuum ad iudicia,inuerecundum ad turpia,impauidum ad periculum,inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futura non prouidens, &c. Hoc igitur abiiciendum cor, & carneum reassumẽdum,quod facili meditatione possit mollescere,& huius Sacramenti sigillo signari, ad quod maximè conducit cogitare, quod talia debemus reddere qualia accipimus.

In quam sententiam facit admonitio illa Chrysost. in princ. illarum septem homil. quas fecit de prodit. & myster. Cœn. vbi ita incipit. Ad hodiernum conuiuium, qui solemni frequentia conuenistis,& cum Christi discipulis in immolationem agni Pascha facere festinatis,syncera quæso, & plena charitatis pectora diuinis exhibito mysteriis, nulla sit in mente duplicitas, nec liuoris libidine interior homo suscetur; agnum comesturus, agni innocentiam præferat; nec immaculatæ ouis membra lupina malignitate transfundat in viscera, quoniam qui sacrata huius Cœnæ indigno participatur accubitu, non cum Petro perueniet ad salutis portũ, sed sustinebit cum Iuda sine reparatione naufragium, &c.

Meminit Plutarchus, & alij,quorum

rum mentionē facit Girald. de Diis gentiū,pag.341.& 437.& Euseb.lib. 4. Præparat. Euang. Olim apud Romanos, dum Sacerdos sacra faceret, ad ipsius latus astantem ministrum adesse, qui hoc solum, sed sæpè illi inculcaret: hoc age quod agis. Vtinā hoc perpetuò in cordis nostri auribus resonaret; hoc age interius apud te, quod exterius apud Ecclesiam agis; hoc sapienter intellige, quod tibi apponitur; hoc sciro, quod oportet te talia præparare, qualia præparauit tibi Christus Dominus, vel qualia tibi, vel fidelibus præparasti. Vtinam de nobis haudquaquam dici posset illud Hierem. 12. *Desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet*; quod scilicet accipit, vel præparat, nam sicut dixit Aug.Serm.77. de temp. Præoccupatum desideriis sæcularibus animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia carnalibus, vt pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram, sed discernenda sunt, & separanda quæ humana sunt, & extra velum relinquenda ei, qui ad Sancta Sanctorum accedere intendit.

Hier. 12. nu.11.

Accedamus igitur, & ingrediamur iam fiducialiter Sancta Sanctorum, iuxta monitum Pauli, iam enim interclusum olim iter nobis patet, sic enim dixit Apostolus. Hebr. 10. *Habētes itaq; fratres fiduciam in introitum Sanctorū in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen*, idest, *per carnem suam*: vbi Vatab. ita vertit: *Cùm habeamus libertatē introëundi in sancta per sanguinem Iesu ea via, quam dedicauit nobis*: quibus in verbis innuit Paulus reseratā nobis viam per Christi sacrificiū, & mortem: quod totum in Eucharistia habemus. Et cùm olim via ad Sancta Sanctorum mortua fuerit, modò viua existit; vbi eleganti metaphora

Hebr.10. nu.19.

rem & viam aperit Paulus; nam sicut mortuā viā diceremus, quæ, nemine per eam incedente, succrescentibus interim herbis extinguitur, & quasi emoritur; ita quę cursu attrita est plurimorū, ea viuere, & vigere dicetur: ita olim ad Sācta Sāctorū via mortua erat, quando semel in anno, vnusque tātum ingrediebatur; at modò quam multi, quotidiéq; ingrediūtur, viuam vtique, & apertā viā habētes per carnem, & sanguinē Christi, id enim significat per sanguinē, ac in sanguine, vt omnes interpretātur. Aperuit igitur viā per velamē, idest, per carnē, & corpus suū, quo diuinitas tāquā velo tegebatur, sicut ait Ans. & alij Patres.

Sicut igitur in morte Christi velum Tēpli scissum est. Matt.27. Quia omnia legis secreta, quæ prius tegebantur, prodita sunt, sicut ait Hiero. & Aug.Ser.19.de Verbis Domini, & Conc.2.in Ps.50. Sicut ergo per velamen discissum, vel diuisum quasi per viam iam apertam, & patefactā licebat ingredi ad Sācta Sanctorū, sic & per carnē Christi flagellis, clauis, spinis, & lancea discissam, aditus nobis iā patet ad Diuinitatē, & ad gloriam. Vnde Aug.9.de Ciuit.cap.5. ait Beatus, ac beatificus Deus particeps humanitatis nostræ, compēdiū præbuit participandæ Diuinitatis suæ, &c. Vnde qui ad hoc accedit Sacramentum per carnem Christi communicatam, particeps fit Diuinitatis.

Matt.17. nu.51.

Cùm verò multa fuerint in Sancta Sanctorū quæ facilè ad Eucharistiā possemus deducere; illā in māna videmus adūbratā, de quo Christus Dominus. Ioan:6.nu.31. *Patres vestri manducauerunt manna, &c.* Et Paul. 1. Cor.11.n.4. *Omnes eādē escā spiritualē māducauerūt*; nō quasi māna cibus tātū spiritualis fuerit, sed quia figuratiuus fuit, spiritualis dicitur, sicut benè notauit Tertull. in eo, quod Paul. legem spiritualem appellauerit, dicens

Ioan. 6. nu.31.

cens lib. 5. contra Marci. cum Paul. legem spiritualem dicit, confirmat vtique eam figuram esse, & prophetiam rerum futurarum.

Manna igitur concessum Hebræis, quandiu per desertum gradiebantur, ad ingressum promissæ terræ defecit. Indicat verò Eucharistiam viaticum esse, dũ in hac vita incedimus, quod cessabit ad ingressum beatitudinis patriæ, vbi Christi aspectu fruemur; vnde etiam & manna Sabbato, quo vita gloriæ significabatur, nõ descendebat. Mirũ autem quòd mãna Solis radiis expositum liquefiebat, ignem verò sustinebat, eóque coctum, solidúmq; reddebatur, vt videre est Exo. 16.& Num. 11. Quod in Eucharistiã suo modo cernere est, cùm amoris ignẽ, eiúsque rationes supernaturales optimè patiatur hoc mysteriũ, fugiat autem naturalis discursus, & rationis Solem; mirũ insuper quod de manna dicitur Exod. 16. *Collegerunt alius magis, alius minus, & mensi sunt ad mensurã Gomor; nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id, quod edere poterant.* Quod exponens D. Alger. lib. 1. de Eucharistia, c. 15. post princ. ait. De hoc pane vetus narrat historia, nec qui plus collegerat, habuit amplius, &c. Eò quòd Eucharistiæ sacra perceptio, non in quantitate, sed in virtute consistat, quod corpus, Sacerdote dispensante, tantùm est in exiguo, quantum esse constat in toto: quod cùm Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in vniuersis, ita integrum esse probatur in singulis. De hoc pane cùm assumitur, nihil minus habent singuli, quàm vniuersi, totum vnus, totum duo, totum plures sine diminutione percipiunt, quia benedictio huius Sacramenti scit distribui, nescit consumi distributione.

Exod. 16. & Num. 11.

Exod. 16. nu. 17.

Item August. in Serm. de Verbis Domini: Putatis quia de hoc corpore, quod videtis partes facturus sim, certè qui integer ascendere potuit, consumi non potuit. Illud manducare refectui est, sed sic reficeris, vt non deficiat vnde reficeris. Item Ambros. Domin. 5. post Epiph. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrũ se præbet in singulis, sed quid mirum si Christus comeditur, & integer manet, cum Sareptana vidua. 3. Reg. 17. Non minus oleum comederit, quia testante sacra historia lecithus olei non est imminutus, cum eadem scriptura dicat, abiit & fecit iuxta verbũ Heliæ, & comedit ipsa, & domus eius. Et Chrysost. tom. 4. Ser. in illud Paul. Nolo vos ignorare fratres, &c. post med. ait. En Ecclesia: non aliud quidẽ corpus diues, aliud verò pauper, neque aliũ quidem sanguinẽ ille, alium autem iste sic & tunc nõ aliud quidẽ accipiebat diues manna, aliud verò pauper, neque alterius fontis iste particeps erat, alterius verò indigentioris ille, sed sicut nunc eadem mẽsa, & idem poculum, eadem educatio omnibus, qui huc ingrediũtur, proponitur siquidem & tunc idem manna. Tentauerunt tunc aliqui per tempus illud plusquam opus fuerat, colligere, & nullum auaritiæ suæ fructum accipiebãt, nõ enim rapiebãt ex alimento proximi, cùm plus colligerent, attamen cùm plus desiderarent, condemnati sunt: nam tametsi neminem alium iniuria affecerunt, tamen sibi ipsis maximè nocuere, hoc colligendi modo auaritiæ studentes. Atque sic simul erat cibus, & diuinæ agnitionis instructio, & simul pascebat corpora, & erudiebat animam.

3. Reg. 17. n. 16.

Similia habet Ruper. lib. 3. in Exo. cap. 17. vbi alia similitudine eandem rem explicat. Sicut Adam, inquit ille, cuius nos iniquitatẽ portamus, non pro quãtitate morsus sui, sue pomi,

quod

quod momordit, sententiam & damnationem iustam accepit, tantumque illi valuit pomum vnũ momordisse, quantum si quidquid pomorum in illa arbore fuit, deuorasset: sic econtrario vnusquisque nostrum non quantitate partiunculæ viuifici panis, quæ illi frangitur, quam ore sumit, aut dentibus terit, gratiam, & vitam accepit. Videndus item erit Cæsar Arelat. hom. 5. de Pasch. Guidmund. Archiepisc. Auersan. libr. 1. de Corporis & Sanguinis Christi veritate in Eucharistia.

Quoniam verò multa sunt, quæ concurrunt in manna pro Eucharistia commendanda, eáque passim reperientur apud sanctos Patres, nos aliò properantes lectorem interim remittimus ad Vieg. Apocal. cap. 2. Comment. sect. 4. vbi rem latissimè prosequitur ostendens hoc Sacramentum esse manna absconditum, & calculum candidum, quem Deus in vrbe negotiatorum primæ Ecclesiæ fidelium Ezech. 17. posuit, vt negotiemur, dum tempus est: Miserum siquidem est, inquit Naz. Orat. 40. Cùm nundinæ effluxerint, Deum negotiationem quærere: miserum est cùm manna præterierit, cibum appetere, sic ille. *Ezec. 17. num. 4.*

Ex quibus tam latè dictis poterit iam constare quanto maiori lætitia perfundi debemus, quantóque alacriori animo templa nostra adire, ibique delectari, quando non Rex Ezechias; sed ipse Rex Regum nostræ Ecclesiæ speciem videtur desiderare, & concupiscere, iuxta illud Psalm. 44. *Concupiscet Rex decorẽ tuum,* reddens verò huius desiderij rationem subdit, *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Hebraïcè, *Ipse Adonai,* propriéque etiam significat, sustentator tuus, sicque legit Froster. Etenim decor, species, & pulchritudo Ecclesiæ oritur ex Eucharistia, quæ est etiam bona gratia, & quia ipse Dominus Deus est sustentator, & alimonia nostra, *Quid enim bonum Ecclesiæ, & quid pulchrum eius nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. Et quando Synagoga in figura Ecclesiæ pulchra proponitur. Ezech. 16. *Corona decoris in capite tuo,* ornata auro, & argento, vestita bysso, & polymito, & multis coloribus, statim subiicitur, *Similam, & mel, & oleum comedisti,* hoc est, manna, expressa figura Eucharistiæ; quod inde probatur, quia eius gustus erat quasi similæ cum melle, & panis oleati, siue oleo pinsi. Exod. 16. Deinde dicitur: *Decora facta est vehementer:* isto nempe cibo, à quo totum decorem hauris, & totam pulchritudinem desumis: sicut è contrario omnis decor abiit, vbi hic cibus deficit. Daniel. 9. *Ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temetipsum.* Chald. *Quod desolatum est propter sustentatorem,* dum, scilicet abiit, & deseruit Synagogam. Toto igitur desiderio instar Ezechiæ, in nostra templa feramur, & ad Ecclesias nostras accurramus; vbi verè, & substantialiter adest verus Deus, & homo, Deus Iesus sustentator noster, vera pulchritudo, & decor, cuius gustu pascimur, cuius participatione iustificamur, cuius diuitiis ditamur, tanquam pignoribus illarum diuitiarum, quæ sine vmbra, velo, & operimento nobis concedenda in patria confidimus, eodem præstante Domino, qui cum Patre, & Spiritu sancto ibi regnat.

Psal. 44. num. 12. *Zach. 9. num. 17.* *Ezec. 16. num. 12.* *Exod. 16. num. 31.* *Dan. 9. num. 19.*

TEXTVS III.

Num. 3. *Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernacula pastorum. Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me; de manè vsque ad vesperam finies me.*



D maximè torquet Ezechiam, quòd in medio vitæ cursu, mors ipsum intercipiat sine filio, per quem series oriundi Saluatoris texeretur. Etenim in hoc rerum articulo, quo Ezechias hęc protulit, liberis omnino carebat: nam Manasses tertio ab hinc anno natus fuit, etenim Manasses 12. ętatis suæ anno regnum accepit, vt patet 4.
4. Regum 21. nu. 1. Reg. 21. Hicq; Ezechias à morbo liberatus, quindecim annos superuixit, & apertè inde deducitur Manassem tertio ab hinc anno natum fuisse, & patrem eius Ezechiam triénio, antequam ille nasceretur, hæc verba protulisse, qua de re videndus Abul. 4. Reg. c. 30. q. 7. & Sanch. hoc in loco.

Tota ergo dubitatio est, quidnam hîc nomine generationis significetur? Sunt enim plerique, qui iuxta id, quod diximus generationem, & prolem intelligunt, quasi id maximè doluerit Ezechias, quia sine liberis decedebat, cùm accepisset è suo genere nasciturū esse Messiam. Namque vox Hebræa, *Dor*, non solùm ætatem aliquam hominum, seu ætatis, ac sæculi homines, verùm etiam prolem,
Ps. 111. num. 2. sobolemque significat, vt Psalm. 111. *Potens in terra erit semen eius generatio Rectorum*, &c. vbi Hebraïcè *Dor* habetur, sicut etiam Prou. 30. *Generatio,*
Prou. 30. num. 11. *quæ patri suo maledicit*. Vnde L X X. hoc loco transtulerunt, *cognationem*: & in hoc sensu accipitur generatio in Scriptura, vt Exod. 20. *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*: Hebraïcè, *in tertium, & quartum genium*, & Genes. 15. *Generatione autem quarta*, &c. Exod. 20. num. 5. Gen. 15. num. 15.

Quia verò eiusdem generis homines, & eiusdē familiæ contubernales sub eodem tabernaculo olim degebant, & habitabant, inde vna domus, vnúmve tabernaculum, vna generatio dicebatur, & vna familia: vnde etiam præcipuus Princeps, & Pater dicebatur lapis alicuius domus. Etenim qui in tabernaculis, & papilionibus olim habitabant, hunc ordinē in erigendis illis seruabant, vt primò collocarēt in terra prægrandē, & electū lapidē perforatū, cui inserebant lignū præcipuū, & veluti nauis malū, à quo pendentes funiculi tentoriū trahentes, & extendentes, terræ infigebantur: qua de re videndus Pradus in c. 17. Ezech. n. 23. Quia igitur dictus lapis erat primū fundamentum tabernaculi, & radix mali, inde capita domorū, & ij qui familiā sustentabant, dicebantur lapides. Vnde loquēs Iacob de filio suo Ioseph. Gen. 49 ait. *Inde pastor egressus est, lapis Israël*, idest, egressus est ille qui patrem pauit: & cibaria ac sustentationem prębuit parēti, fratribúsq; suis, & fuit firmamentū, & colūna, cui innitebatur tota illa gens, & familia. Hinc est quod obseruarunt Hebræi vocabulū *Ebon*, pro quo Latinè est lapis, esse mysticum, quia occultè, & inuolutè Gen. 49. num. 24.

continet

cõtinet duas dictiones; dicitur enim *Ebon*, quasi *Au*, & *ben*, ideſt, *pater & filij* nam Ioſeph fuit lapis, qui ſuſtentauit patrẽ ſuũ, & reſpectu illius verè fecit officiũ filij, alimentum ei administrando, at reſpectu fratrũ ſuorum fuit pater, & parẽs, vnde Eccleſ.
Eccl. 49. num. 17. 49. *Ioſeph Princeps fuit fratrum, firmamentũ gentis, rector fratrum, ſtabilimentum populi*. Et in eodem ſenſu Iſai. 53.
Iſai. 53. num. 1. *Attẽdite ad petram, vnde exciſi eſtis*. & mox ſicut ſolet ſe explicans diuinum ipſum oraculum ſubdit; *Ad Abrahã patrem veſtrum*; iuxta quem ſenſum
Matt. 16. num. 18. Chriſtus Dominus Matth. 16. dixit Petro; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiam meam*, Syriacè, Cephas, ideſt, rupes, & petra, cui inſerẽdum eſt lignum crucis meæ, cuius meritis inniti debet omnis domus, & tabernaculũ meæ Eccleſiæ, cui inſuper ligno quodcũque ligaueris, appoſueris, & appenderis veluti ad columnã ligatũ erit, & ſecurũ, vſq; dum perueniatur ad regnũ cælorum, è cõtra verò, quodcunq; ſolueris, erit ſolutũ, ſicut enim in tabernaculis præcipuo ligno, & malo appendebãtur, & colligabãtur vtenſilia, & vaſa, quæ ſoluta diſſoluebantur, & in minimas partes confringebantur, ſic & illi, qui ſeparantur à cruce, fide, & meritis Chriſti, ſtatim pereũt, & diſſoluũtur:
Iſai. 22. num. 23. Quod poſſumus explicare ex Iſai. 22. vbi de Eccleſia dicitur: *Figam illum paxillum* (ideſt, lignum præcipuum, ſicut exponit Prad. loco cit.) *in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domui patris eius, & ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius, vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum, à vaſis craterarum, vſque ad omne vas muſicorum.* Pendebãt itaq; diuerſa vaſa ex ligno illo, tam quæ ad domeſticos vſus adhibebantur; vt crateres, quàm quæ ad animorum voluptatem pertinebant, vt cythara, lyra, per quæ vaſa homines ſignificantur, ſummi, medij, & infimi, alioqui facilè perituri, ſi ab illo diſſoluerentur, vnde ſtatim additur n. 24. *In die illa, dicit Dominus exercituum: auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo.* Vbi Deus prædicit ruinam Sobnæ, qui paxillus fuerat, ex quo plurimorum ſpes pendebant, & quo ablato, ignominioséque depoſito, cætera, quæ in eo niti videbantur eodem veluti impetu, & caſu conciderunt. Præcipuus itaque in qualibet familia dicebatur lapis, ſumpta metaphora à dicto lapide, qui totius tabernaculi firmamentum erat. Vnde intelligetur etiam metaphora, ſecundùm quam domus, familia, & generatio dicebatur tabernaculum.

Dolet igitur Ezechias ablatam, & interceptam generationẽ ſuam, conuolutum tabernaculum, domum, & familiam in poſterum iam amplius minimè extendendum, quod ſic interlinealis explicat: plicata fit generatio mea, ne extendatur in poſteros: ita penè Hieronym. D. Thom. Haim. Dionyſ. Carth. Hugo, Lyra, Pintus, & Agel. pluréſque alij.

Alij verò putant, generationem ſumi pro vita, ſecundùm vſitatam phraſim ſacri ſermonis, ſic enim Petrus 2 epiſt. c. 1. dixit: *Iuſtum arbitror quandiu ſum in hoc tabernaculo*, &c. Eadem autem ratio eſt in præſenti de generatione, & tabernaculo. Et Paul. 2. Cor. 5. *Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus grauati*, &c. Et Ioan. 1. de Filio Dei facto homine ait: *habitauit in nobis*, vbi vox Græca ſignificat, figit tabernaculum, veluti colonus, & viator, iũxta illud Ierem. *Expectatio Iſraël, Saluator eius in tempore tribulationis, quare quaſi colonus futurus in terra, & quaſi viator declinans ad manẽdum?* Et ſanè corpus rationem tabernaculi ſatis accommodatè ſortitur: qua de re videndus Pined. in cap. 18. Iob

[Right margin: 2. Petr. 1. num. 13. — 2. Cor. 5. num. 4. — Ioann. 1. num. 14. — Iere. 14. num. 8.]

Iob 10. num. 10. Iob 14.n.7.Etenim Iob 10.dixit:*Pelle & carnibus vestisti me.* Pelle constat corpus aduersus iniurias cœli neruis vt funiculis tẽditur;pro malo,& aliis ligneis instrumentis ossa sunt, pedes clauorum funguntur officio, breuis in eo mora,sicut in externo tabernaculo.Peregrinantes enim potiorẽ ciuitatem inquirimus. Hebr.11.Et sub Hebr.11. num. 13. ista pelle militamus,pascimúsve: habitator istius corporis, sicut hoc in loco ait Euseb.anima est, qua discedente, & abeunte, simile est corpus soluto tabernaculo;nutant claui,cutis corrugatur,laxãtur nerui:attamen postea iterum explicabitur, erigetur enim in æternis tabernaculis, non iam ad modũ tabernaculi, sed instar domus in æternũ mansuræ, nec ampliùs transferetur,vel auferentur claui eius in sempiternum,& omnes funiculi eius non rũpentur,sicut habe- Isai. 33. num. 10. tur Isai.33.Vbi tamen cauendum est, ne tabernaculi iure, & animæ,veluti habitatores,labamur in Platonicorũ errorem asserentium corpus nostrum merè extrinsecam esse custodiam, & sepulchrum animæ. Similíque nec minus periculoso errore lapsus est Appollinar. in c.2.Ioan. teste Theophylact. Christum animam non habuisse,quia templum ambir corpora, & anima caret, posset item dicere, Christum carne, & ossibus caruisse, quia & templum lapides, lignáque habet,non ossa,& carnes.

Testatur igitur Ezech.breuem admodum fuisse vitã suam:& sanè vox Hebræa, *Dor*, pro qua vulgatus noster transtulit generationem, ætatem etiam significare satis notum est.Pro vita igitur accipiunt hoc in loco dictam vocem Guill. Theodor. Izichi. lib.6.in Leuit. Procop.Vatabl.qui ex Hebræo legit, *Vita me i translata est.* Osor. Adamus,Saa,Sanch.Palat.Ribera in cap.2.Ioël.n.3. Lorin.in cap. 23.in Act.Apost.nu.36.& in 2.Epist. Petri cap.1.nu.13. Martin. Delrio,in cap.15. Gen.nu.16. Perer.ibi disp 7. Neque officit generationis nomen, tum quia ętatem significat,& vitam; vnde Hebræi vocant, & numerant vitas per generationes; quod enim nos vulgari nostro sermone dicimus vnam, aut duas, vel tres vitas ipsi dicunt generationes, sicut notarunt Riber. & Perer.locis cit. Tum etiam quia ex dictis constat generationem accipiendam esse pro vita, vt statim se magis exponit sacer textus,dum ita habet. *Præcisa est velut à texente vita mea.dum adhuc ordirer,succidit me.*

Hic versus in Hebr cum superiori coniunctus est; duas enim similitudines eandem rem explicantes,pastoris,scilicet tabernaculorũ conuoluentis, & textoris telam,& fila præscindentis coniungere voluerũt.Nec inepta,inelegánsve est similitudo telę cum vita nostra:nam fila, quibus texitur,torquent,& nent Parcę,& non tantũ annis,sed horis,minutissimisq; particulis, atque momentis,velut tenuissimis filis constat, non semper æqualibus: cuius enim vita hominis nõ est plerũque,aut multoties dispar, dissimilisque sui, nunc crassior,nunc tenuior? Nũc in diuitiis,mox in paupertate, modò in salute, deinde in ægritudine; Textor igitur tempus, quod,non sicut Penelope, quod interdiu texit, retexit noctu,sed nõ minus texit noctu,quàm interdiu,nunquam interquiescens;quod totum sic prosequitur Gregor.8.moral.c.7. dicens.Sicut tela filis,sic vita mortalis, diebus singulis proficit; sed quoad augmentum proficit, eò ad incisionem tendit. Tela infra, supráque ligata duobus lignis innectitur, vt texatur, sed quò inferiùs texta inuoluitur, eò superiùs texenda deplicatur,& vnde sese ad augmentum multiplicat, inde fit minus quod restat, sic nimirum vitæ nostræ tempora,&

tran

transacta, quasi inferius inuoluimus, & ventura à superiori deplicemus; quia quò plus fuerint præterita, minus inesse incipiunt futura. Sed quia nec tela ad expressionem nostri temporis sufficit, nam eius quoque festinationem vitæ nostræ velocitas transit rectè dicitur, *Dies mei velocius transierunt, quàm à texente tela succiditur*; tela quippe tarditatem profectus habet, vita autem præsens morā defectus non habet. In illa quoque cum laborantis manus figitur, aduentus terminus elongatur. In ista verò, quia tempus semper desinens, indesinēter consumimur, ad finem nostri itineris & quiescendo peruenimus. Et per cursum nostri transitus etiam dormientes imus. Sic Greg. metaphoram telæ explicat, & velocitatem vitæ nostræ ostendit.

Illud igitur in nostro textu aduertendum, quod similitudo ista telæ & texentis in Hebreo non explicatur per breuitatem vitæ vsq; ad præscissionē præmaturā: sicut bene etiā aduertit Pined. in cap. 7. Iob nu. 5. Sensus enim est, quē Euseb. ponit: Vt tela cùm iam opus textum textor præscindit, sic vitæ meæ totius textura ad finem præscissa properabat, & ad hunc sensum reducendos existimò eos, qui similitudinem telæ explicant per anticipatam præscissionem, quæ quidem secundū existimationē Ezechiæ fiebat, quia ipse adhuc expectabat sibi longissimam vitam restare cùm tamen secundùm Dei comminationem ad finem properaret. Est itaque sensus, præscissa est vita mea, veluti telæ lacinium, cùm ad finem peruenitur, me quidem longè aliud opinante, vtpote quia adhuc ordiebar, & putabam multum restare huius telæ prosequendæ, & texendæ.

De mane vsq; ad vesperum finies me, id est, adeò malè habebam, & acerbè cruciabar omni spe salutis ablata, vt mecum ipse tacitus reputarem haud quaq uā vltra illum diem, quem agebam, vitā productur ū, sed te ad vesperā simul, & diei, & vitæ meę finem impositurum. In Hebræo verò est; *A die vsq; ad noctem finies me*; quod Vatab. legit, *A prima luce in noctē conficies me*; & explicat dicens; consumabis dies meos; tam grauis erat morbus, vt putarem me eo solùm die victurum, describit enim diem cum dimidio, quo grauiter laborauit, secundū aliorum sentētiam, qui diē, seu mane cū vespera pro die cū dimidio sumunt. Nec est quod nobis hoc in loco aliquis obiiciat cū Vatab. eodē die sanatū fuisse Ezechiam, quo illi Isaias Propheta denūciauit finē vitæ instare, vt ipse colligit ex 4. Reg. 20. Proindéq; nō posse stare, quod Rex ęgrotauerit ad mortē integro die cū dimidiato; nam Ezechias, antequam ad eum veniret Isaias lethali morbo laborabat, imò & postquā Deus precibus Ezechię inclinatus illi sanitatem restituit, & vitā prorogauit, non illico ad integrū reddidit sanitatem, sed triduo transacto, vt bene probat ex ipso sacro textu Abulens. q. 15. vt ad citatū locum, 4. Reg. At verba nostri Textus intelligenda sunt quo Ezechias ad mortem vsque premebatur, quando ad illum misit Deus Isaiam. *4. Reg. 20 n. 1. & 5.*

Sperabam vsq; ad manè: sicut afflicti suspirare solent aliud tēpus, quo putant releuandos esse, sic & ego sperabam vsq; ad mane leuari posse mutatione, ac vicissitudine temporum. Verbū quidē, *Sabba*, rectè D. Hiero. vertit sperabam, quod idem est, ac sustinebam; sic enim aliquando sumitur, & ita acceperunt LXX. Iob. 15. vbi nos habemus; *Non credat frustra errore deceptus*, illi habent, *Non credat, quia sustinebit*. Sustinebat igitur doloribus plenam noctem Ezechias, sperans se prima luce releuandum, meliusque habendum, sed morbus, & *Iob. 15. nu. 31.*

X 3 dolor,

dolor ita inualuit, vt pene omnia ossa, quasi Leo disserpisse videretur: semper ossa intellige robur corporis, vt omnino confractus, & penè deficiens reperiretur.

Alij verò & clarius sic explicant. Cũ nocte grauiter vexaret morbo, nõ vltra diei sequẽtis lucẽ sperabam meã protrahendã esse vitã, & quasi reddat huius desperationis rationẽ, addit: *Quasi Leo, sic contriuit omnia ossa mea:* seu vt habẽt LXX. in optimis codicib. *In illa die traditus sũ vsq; manè, sicut Leoni:* quasi dicat, torquebar quidẽ, & conficiebar, siue à Deo, siue à morbo, adeò crudeliter, perinde ac si traditus essẽ dilaniandus, & discerpendus famelico, ac sæuo leoni; morbus enim doloribus vehementibus, veluti vnguibus, & dentibus dilacerabat, & torquebat ægrotãtem Ezechiã. Vel tãdẽ potest esse sensus, quod adeò vehemẽtissimè torqueretur tota nocte, vt nullũ aliud leuamen haberet, nisi matutinã lucẽ sperando, si fortè ad illã perueniret, liberatus ab vnguibus torquentis morbi, quasi Leo esset desæuiens, quod contingere solet lethali morbo laborantibus, vt iugiter sperent, & interrogent de matutina luce, quasi ea releuandi sint ab ægritudinis tortura.

De manè vsq; ad vesperam finies me: Hebraicè ad verbum, *Præfinies me, Taslimi;* quod idem est, ac dicere, *In pace me constitues,* aut *Pacem me habere facies,* pacis autem nomen prò morte sumitur, sicut etiam somnium, aut silentium; vnde dicitur in pace dormire qui moritur, vel requiescere in pace, quod defunctis solemus deprecari: quanquam ibi pax non tam mortem significet, quàm futuram beatitudinis pacem, & tranquillitatem. Repetitio autem ista dictũ confirmãt, sicuti solet, estq; poëtica integra huiusmodi versus repetitio: quæ sæpe in Psalmis, & canticis occurrit, vt iã alibi annotauimus, prouerbialisq; videtur hæc locutio significans breuitatem temporis, qua vita ipsi succidenda erat. Et Hebraicè habetur, *A die vsque ad noctem finies me,* sicut Iob 4. nu. 20. *De manè vsque ad vesperum succindentur*, nempe homines, hoc est, breuissimè, celerrimè, & sæpissimè, vbi Chrysost. vnum diem assignari putat, vnde cap. 7. *Si manè me quæsieris non subsistam,* vtpotè, qui citiùs abierim, cùm intra vnũ diem me extinxeris, proindéque valdè serò me requires. Et Eccles. 18. *A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus,* vbi Lyran. Inter manẽ, & vesperum mutatur de diuitiis in paupertatem, & Vatab. Inter manè, & vesperum accedit temporis immutatio; quasi dicat, quotidie expecta sortis tuæ & vitæ commutationẽ, quod nos dicimus, intrà vnum diem. Est itaque sensus, non vltra diem vita mea producetur, sed mox mihi moriendum est, sicut enim Hebræi dicere solent, à Dan vsque Betsabe, idest, totus Israël, & à masculo vsque ad fœminam, idest, ad vnum omnes, nullo excepto, sic à die vsque ad noctem finies me significat, non vltra hunc diem ero superstes, sed intra illum vitæ meæ periodus terminabitur, & concludetur. Iob. 7. nu. 21. Eccle. 18. nu. 26.

ANNOTATIO I.

Proponitur naturalis dolor in filiorum defectu, & carentia.

IVxta illorum sententiam, qui putant in verbis illis, *Generatio mea ablata est*, intelligendam esse prolis orbitatem, id statim notandum occurrit, quam insitus, scilicet à natura sit hic dolor & affectus parentum in filiorum carentia. Hinc enim Abraham cùm plurima bona haberet,

inpu

innumerasque pene diuitias, ea omnia nihil illi prodesse conquerebatur, quod filium hæredem non habuerit, qui decedenti illi in facultates suas succederet, proindeq; statutum habuerit hæredem relinquere filium œconomi Damascum Eliazer, proindéque sic quasi lachrymans fatur Genes. 15. num. 2. *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliazer hæres meus erit?* Neque passus est Deus vlterius vlceratũ animum Abrahæ progredi, & amplius affligi, & ideo innumerabilem illi pollicitus est generationem futuram. Hinc item Gen. 25. summo affectu deprecatur Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis quod ex Hebr. propriè legitur. *Orauit Isaac ad Dominum è regione vxoris suæ,* siue vt Vatab. legit. *Præsente vxore sua;* Oleast. verò; *Multiplicauit Isaac Dominum contra vxorem suam,* quibus verbis ostendit sæpius orasse, & multiplicasse preces, non solùm Isaac, sed etiam simul Rebeccam, videlicet, vno è regione alterius posito, & sanè vox Hebræa, *lether,* multum, & instanter significat, sicut etiam notarunt Rab Dauid, & Rab Salomon, & Chrysost. homil. 49. in Genes. ad finem, censet Isaacum per viginti annos orasse pro sterilitate Rebeccæ tollenda, ac 20. demum anno id impetrasse, nam Genes. 25. habetur. *Qui cũ esset quadraginta annorũ duxit vxorem Rebeccam,* & nu. 26. dicitur. *Sexagenarius erat quãdo nati sunt ei paruuli.* Vnde Chrysost. infert in hunc modum; manifestum est quòd annis viginti perseuerauit orans Deum, & vterum Rebeccæ inutilem generationi idoneum fecit: vidisti orationis vim, quod & naturam superet, &c. Id ergo pro quo tam inrensè, & instanter Deum precabatur Isaac ipsum maximè angebat, & excruciabat.

Gen. 25. nu. 31.

Gen. 25. nu. 1.

Hinc intelligetur ille locus, Gen. 30. Cùm Rachel cernens, quòd infæcunda esset, ait marito suo: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Hebraicè iuxta Caiet. *Mortua ego,* vel iuxta Perer. *Si non morior,* id est, si non mihi dederis liberos, præ tristitia vitam pertæsa morior, vel si nullos suscepero liberos nomen meum, meiq; memoria penitus emorietur, & obliterabitur, prior sensus planior, secundus nostro argumento accommodatior.

Gen. 30. nu. 1.

Sed quid est quod Rachel tã insipiẽter, stultéque loquitur, & inuidia corripitur? Solitum quidẽ inter fratres, & sorores si vnus præferatur, & excedat aliũ, facilè oriri inuidiam, ea autẽ ordinẽ nõ seruat, adde Rachelem necdum sanctã, necdum fidelẽ, cùm adhuc idola coleret, quæ est Chrysost. Ruper. Caiet. Oleast. Cornelij Cornel. sentẽtia quam ipse ponit Gen. 31. Licèt opposita probabilior videatur Perer. ibi. disp. 1. nu. 9. Sed vt mitiùs cum Rachele agatur, admittenda Hebræorum expositio erit, qui putant Rachelẽ hoc in loco alludere ad Rebeccã, & Isaacũ. Huc ergo Deus exaudiuit pro illa deprecantem, vt diximus, & habetur Gen. 25. Tũc igitur sensus erit. Effice hoe Iacob ac impetra precib. tuis, vt fœcunda reddar, sicut pater tuus matri tuæ Rebeccæ orãdo impetrauit proles, te sc. & Esaü fratrẽ tuum ideóque statim Iacob respondit; *Num pro Deo sum ego?* Quasi dicat: non à me, sed à Deo pete proles, & ita habet Chaldæus, innuitque his verbis singulare hoc beneficium à Deo postulãdum, & impetrandũ quod clariùs apparebit ex eo, quòd dicũt Hebræi, Deum sc. sibi soli quatuor claues naturæ reseruasse, sc. clauem pluuiarum, vt eas ad libitum emittat ex thesauris suis, iuxta illud Deut. 28. *Aperiat Dominus thesaurum suum, optimum cœlum, vt tribuat pluuiã terræ in tempore suo.* Secundo

Gen. 31. nu. 19.

Gen. 29. nu. 21.

Deut. 28. nu. 12.

do clauem vitæ, idest, generationis, vt patet ex hoc loco. Tertiò, clauem alimoniæ ad famem depellendam, vt constat ex Psal. 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Quartò, clauem resurrectionis, vt videre est apud Ezechiel. c. 37. *Ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.* Agnoscens igitur sapiens Iacob sterilitatem Rachelis loco pœnæ fuisse irrogatam à Deo, quòd Rachel superba ob pulchritudinem, & quòd flagrantissimè diligeretur à marito, aspernabatur sororem Liam; proinde docet vnde prolem optare, & petere deberet, sc. à Deo, cui reseruatum est filiorum generationem concedere, sicut confessa est prima mater, quando Genes. 4. dixit, *Possedi hominem per Deum*; vbi Chrysost. explicat, non natura mihi puerum dedit, sed diuina gratia, imò & ipsemet Iacob, Genes. 33. ad Esaü ait: *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus*, loquens de filiis suis.

Ps. 144. nu. 6.

Ezec. 37. nu. 12.

Genes. 4. nu. 1.

Gen. 33. nu 5.

Hinc intelligetur locus ille Prouerb. 21. *Quid dilecte mi, quid dilecte votorum meorum?* Quæ verba in persona Betsabe dicuntur Salomoni ab eodem, indicant autem ipsam tanto desiderio flagrasse habēdi filium, etiam postquam promissionem, & nomen Deus dederat per Nathā Prophetā 1. Paral. 22. Vt nihil sic habuerit in votis, nihil tantopere exoptauerit, vnde & filius ille desideratus vel filius desideriorum posset dici; vel magis ad rem nostram ita exoptauerit filiū, vt pro illo habendo vota Deo nūcupauerit, sciens a Deo esse postulandum, & impetrandū. Hoc ergo intersonare videntur verba illa, *Dilecte votorum meorū*. quod licèt aliqui ad effectum muliebrē, & maternā indulgentiam referant, tamē ad vota desiderātis, & deprecātis pro filio habendo melius videtur deduci. Hoc enim etiā ad Gētiles vsque peruenit, vnde noua nupta in mutini fascino sedere solebat, vota ore ferens suscipiendorū liberorum causa, vt videre est apud August. lib. 6. de Ciuit. cap. 9. post med.

Prou. 21. nu. 2.

1. Paral. 22 n. 8.

Tanta igitur res erat apud veteres Patres succedētem sibi prolē habere, vt nihil ardentius optarēt, & pro nihilo enixius Deū precarentur: vnde Dauid 2. Reg. 7. ad Dominum ait. *Quis sum ego Domine Deus? & quæ domus mea quia adduxisti me vsq; adhuc?* Quod bene explicat Tigurina dicēs, *Quid me tantopere euehis?* Septuag. *Quia dilexisti me vsque ad hæc*, sed & hoc parū visum est in cōspectu tuo Domine Deus: Septuag. *Factus sum paruus cora te*. quasi dicat: licèt tot beneficiis à te affectus sim, nō satis tibi videor creuisse, maiora siquidē de me cogitas, quę mihi magis sūt in optatis, meq; ampliorē & certiorē reddere possūt: *Nisi loquereris de domo serui tui in lōginquū*, id est, nō solum de me exaltando cogitas, & definitū habes, sed etiā de mea posteritate: *Minor sū tuis miserationibus*, quæ quia tā magnę me infinities superāt, & excedunt, & me semper paruum, & pusillum, vt magis extollant, inueniunt. *Ista est enim lex Adam*; id est, hac de re solent maximè homines cogitare, huius rei admodū solliciti esse, nēpe de sua posteritate, & successione: quod Chaldæus sic explicat. *Talis est, i. visio humana.* Nam nomen Adam hoc in loco pro more, & consuetudine humana sumitur adiunctum legi, in hoc enim sensu Iob. 31 dicitur, *Si abscondi quasi homo peccatum meum.* Psal. 81. *Vos autem sicut homines moriemini:* est enim statuta lex hominibus semel mori. In his autem locis, in Hebr. habetur *Adam.* Et Oseæ 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum:* Vatab. autem ad dictum locum accepit nomē Adam, pro principe viro, & inter alios excellenti, quasi voluerit, & dixerit Dauid,

2. Reg. 7. nu. 18.

Iob 31. nu. 33.

Psal. 81. nu. 7.

Osea 6. nu. 7.

mecum

mecum sanè agis, quasi cum viro aliquo præclarissimo, cũ ego potiùs vilis armentarius sim, & abiectus. Mihi enim posteritatem polliceris, ac tribuis, cuius desideriũ, cum ad omnes in vniuersum spectet, maximè pertinet ad Reges, & Principes; hi enim nihil magis optant, nihil tanti faciũt, quàm si filios habeant, & prolem sibi succedentem sortiantur, sicut è contrario id maximè dolet, si deficiat, sicuti in præsenti videmus contigisse. Cæterùm in sacra Scriptura nomen Adam pro vulgari, & plebeo homine sumitur, vt obseruat Pined. lib. 2. de rebus Salom. cap. 3. num. 2. in fine.

Nihil itaq; altiùs infixum est naturæ hominũ, quàm prolis desideriũ; hoc enim magis afficiũtur, & in eius defectu magis cruciantur. Hinc est quòd Deus in ira sua recordatur misericordiæ suæ, & dum punit, supplicium cõdire solet benignitate, quod nos latè probauimus ad illud Cant. Deut. 32. *Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur.* Interim satis sit id, quod obseruat Naz. Apolog. 1. post med. Deum, scilicet, puniuisse Ionam fugientem tempestate, & iactatione, ac tandem ventre cæti: sed eo supplicio illum admodũ honorasse, dum figuram constituit Saluatoris, & ad se faciliùs traxit, quando ille longiùs recedere intendebat. Fugiebat, inquit, Ionas à facie Dei, imò se fugere putabat, sed comprehẽsus est in pelago, tẽpestate, forte, vẽtre cæti, ac triduano sepulchro, in quo maioris mysterij typus erat.

Deut. 32. num. 36.

Punitururus igitur Deus peccantem mulierẽ acerbissimo partus dolore, qui adeò vehementissimus est, vt in sacris literis cum magnitudo alicuius doloris grauissimi exaggeratur, parturientium doloribus similis esse dicatur. Hinc Psal. 47. *Ibi dolores vt parturientis.* Ierem. 6. *Tribulatio apprehẽdit nos; dolores, vt parturientis.* Et cap. 50. *Angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientem.* Et Christus Dominus. Ioan. 16. *Mulier cũ parit, tristitiã habet.* Vnde etiam Basil. ad illud Psal. 114. *Circumdederunt me dolores mortis & pericula inferni inuenerunt me,* ait. Dolores propriè de parturientibus dicũtur, quia ad tumorẽ venter insurgens extra fœtum pellit: deinde partes illæ genitales diuexatæ, & circum prodeuntem ex vtero fœtũ distẽtæ, conuulsionibus, ac fibrarum contractionibus, acutissimos dolores, & vehementes cruciatus pariẽtibus gignũt. Trãstulit autẽ Dauid dolores partus ad mortis pœnas circa animã in animæ, & corporis diuisione instantes.

Psal. 47. num. 7. Ierem. 6. nu. 24. & cap. 50. num. 43.

Ioan. 16. num. 21. Psal. 114. num. 3.

Cùm ergo grauissima fuerit pœna, qua Deus primum peccatũ in prima peccatrice censuit puniendum, & casum nostrum citiùs, & meliùs sanare vulnere vehementissimo dolorẽ adhibendo, veluti chyrurgus, quò meliùs, & citiùs sanet, secat, vel vrit corporis vitium. Vnde perelegãter Procop. ait. Vt nobis innascatur odium peccati cogitantibus illas miserias ex hoc manare, acerbissimum dolorem adhibuit: eum tamen maximo item solatio condire, & leuare instituit. Cũ enim parẽtes nihil magis optẽt, quàm prolẽ suam, dum vident puerũ enasci, non tam dolent de eius parturitione, quod aduertit Chrysost. homil. 17. in Genes. post med. explicans illud Genes. 3. *In doloribus paries filios,* ait. Rem magnæ lætitiæ, & filiorum propagationem à tristitia te incipere faciam, vt & ipsa quãta sit peccati, & inobedientiæ magnitudo, perpetuam habeas memoriam, ex perpetuis doloribus, & præsertim tẽpore partus. Verumtamen doloribus tãta solatia admiscuit simul misericors Deus, vt fermè conferendũ sit gaudium, quod ex nato puero habetur, cũ doloribus, qui tot mensibus ventrem dissecant. Nam tantùm laborẽ, totq; dolorum

Genes. 3. num. 6.

cruciatus ferentes, & vt ita dicam, de ipsa vita desperantes: postquam pepererint, & doloribus fuerint solutę, lætitiáque frui cœperint, iterum quasi oblitæ laborum omniū, seipsas filiorum generationi accommodant: sic dispensante misericorde Deo, vt hominum saluetur genus; semper enim spes futurorum bonorum præsentia incommoda leuius ferre facit. Et quid dico? Sæpe cum fœtu nato, quo mori eas contingit, & neque hoc cæteras terret, neque persuadet, vt rem fugiant: tantùm Deus tristibus illis inseuit dolorem simul, & voluptatem. Hoc etiam Deus dicebat discipulis suis, monstrans tam doloris magnitudinem, quàm lætitię excellentiam. *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quoniam venit hora eius.* Deinde volens nobis declarare, quomodo tristitiæ simul è medio tollantur, gaudium autem, & lętitia succedant, inquit, *Quando autem peperit puerum, non iam memor est afflictionis propter gaudium, quia natus est homo in mundo.* Vidisti prouidentiam, & curam nostri eximiam? Vidisti pœnam admonitionis plenam? &c. Sic Chrysost. ostendit magnam lætitiam ex filiorum ortu, acerbissimos partus cruciatus lenire, & absorbere. Vnde magnum supplicium Deus voluit magna lætitia temperare.

Ioan. 16. num. 21.

Ideò postquam Caim fratricidam Deus acerbissimo addixit supplicio, non oblitus in mediis iris misericordiæ suæ, hominem solatur afflictum benedictionis diuinę beneficio, vt filium suscipiat. Etenim statim post pollicitationem adhibitam, addit sacer Textus. Genes. 4. *Cognouit autem Caim vxorem suam, quæ concepit, & peperit Enoch.* Neque mirum, si acerbissimos dolores filiorum beneficio Deus temperabat, vt nihil magis homines oprent, diligant, & affectent. Nam sicut aduertit Procop. ad libr. Numer. Veteribus tam durum, & graue erat sine liberis excedere, quàm nobis vita excidere æterna.

Genes. 4. num. 17.

Vnde cùm inter omnia diligibilia primas partes videatur habere vita nostra, priùs in nostro textu videmus Ezechiam filiorum defectum deplorasse, quàm propriæ vitæ præscisionem; priùs enim dixit, *Generatio mea,* idest, filiorū successio, *ablata est*, tum deinde addit; *Præcisa est velut à texente vita mea*, id siquidem lacrymanti primò occurrit, quod maximè eum angebat, filiorum, scilicet, carentia, deinde vitæ excessio. Dolor autem est sicut amor, & ad amussim gaudij, proinde id summo excipiebatur gaudio, filiorum, scilicet, generatio, cuius item defectus durus admodum erat, & in fœcundis parentibus, & iis, qui filios mortuos præmittebant.

Vnde iam patet, cur olim liberi pro benedictione haberentur. Nam Gen. 24. Fratres Rebeccæ propterea sorori suæ imprecantes dixerunt: *Soror nostra es, crescas in millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Quin & Abrahæ. Gen. 22. ait Deus, *Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum*: sterilitas verò apud Hebræos maledictio, & infamiæ nota putabatur. Suspicio itidem erat, aliquod scelus admisisse infœcundos parentes, ratione cuius, hac quasi communi gentis suę benedictione priuarentur, vt colligitur ex Ose. 9. *Da eis Domine, quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.* Infamia verò erat, & opprobrium, quapropter Genes. 30. Cùm Rachel peperisset dixit, *Abstulit opprobrium meum.* Et Luc. 1. Postquam Elisabeth senserat se concepisse, *Occultabat se mensibus quinque dicens, quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum in perpetuum.* Videbatur etiam alicuius peccati indicium, & supplicium sterilitas.

Gen. 24. num. 60.
Gen. 22. num. 17.
Ose. 9. num. 14.
Gen. 30. num. 23.
Luc. 1. num. 25.

Cùm

Cùm enim inter alias benedictiones illi populo concessas, fuerit etiã, vt in eo nulla sterilitas esset, sicut plerique deducunt ex illo Exod.23. n.26.& Deut.7.n.14.De qua promissione videndus Maldonatus, Luc. 1. nu.25. Inde est quod steriles alicuius peccati rei cẽserẽtur, sicut prosequitur Greg.Nyss.hom.de sancta Christi Natiu. Non quod hoc in vniuersum fuerit verum,licèt apud homines putarentur. Nam fœminæ omnes, quæ in Scriptura dicuntur steriles, sanctissimæ fuere,vt Sara,Rebecca,Rachel,Anna mater Samuelis,& mater
Iudic.13. num.2. Samsonis,Iudic.13.de quibus videndus Theoph.in c.1.Luc. & Orig.homil.12.in Gen. Vnde Elisabeth citato loco loquens de sterilitate sua appellauit opprobrium inter homines, vtpotè, quæ apud Deum cum viro
Luc. 1. num.6. suo asseritur iusta. Luc.1. quæ verba bene explicat August.lib.1. de gratia Christi, cap. 48. & de peccatorum meritis,& remissione,cap.13.

Ostenditur insuper gaudium ex filiorum generatione,per mortem,& tristitiam eorundem parentum, cùm filiis orbantur. Nam Iacob nunciata morte Ioseph, scidit vestimenta sua, & indutus cilicio, congregatisq; cũctis liberis,vt lenirent dolorem eius, noluit consolationẽ accipere,sed dixit, *Descendam ad filium meum lugẽs in*
Gen. 37. num. 35. *infernum.* Genes.37. quasi dicat, filio meo mortuo, neque possum, neque volo ampliùs viuere.Quæ verba perturbati,& grauiter dolentis, & mala sua etiam exaggerantis esse dixit August.q.126. in Genes. in fin. Transegitque in luctu, & lacrymis viginti tres annos qui à 17.ætatis Ioseph,vsque ad 40. effluxerunt. Dauid etiam quasi leo robustus,imò & leone fortior,quippe qui leonem discerpebat, Amonem filium nefarij incæstus, stup:ique reum interfectum deplorauit tam molli affectu correptus, vt Scriptura quasi effœminatum cum luctum iudicet, quando ea de re loquitur.2.Reg.13. *Luxit Dauid filium* 2.Regum 13.n.37.
suum multis diebus, in Hebr. posuerit verbum fœmininum, luxit fœmina. Ita enim effusis lacrymis mortem filij deplorabat,vt nõ vir,sed fœmina; non pater, sed mater potiùs videretur. Impium item Absalonem regni, & paterni sanguinis auidissimũ tam acerbè luxit,vt opus fuerit, & oportuerit ab immoderato luctu excitari, & amoueri à Ioab.2.Reg.29. 2.Regum 29.n.33.

Refert Plutarch. iñ vita Solonis, quod cùm ille apud Thaletem diuersaretur Milesius Thales,quem peregrinum subornauit, qui simularet se Athenis venisse, & interfuisse funeri filij Solonis.Cœpit Solon caput cædere,atque alia facere,quæ ab hominibus afflictis edi solent. Tunc Thales videns, his hominem aggreditur. Hæc me Solon à nuptiis, & à procreandis filiis dehortant, quæ te hominem fortissimum, & constantissimum infringunt.Et Iulius Capitolinus refert quendam audita morte filij, laqueo suspensum interiisse. Similiter Liuius libr. 42. sic habet. Flauius Flaccus Pontifex fœda morte periit. Ex duobus filiis eius, qui tunc in Illirico militabant, nunciatum alterum decessisse, alterum graui, & periculoso morbo ægrum esse. Obruit animum simul luctus,metúsque, manè ingressi cubiculum serui laqueo dependentem inuenere.

Libeat etiam hoc in loco pro parentum luctu,amore,& æstimatione erga filios totum c.5. lib.7. noctium Attic.apud Gell. afferre, vbi ita incipit Histrio in terra Græcia fuit,fama celebris,qui gestu,& vocis claritudine, & venustate cæteris ante stabat: nomen fuisse ait Polum, tragœdias Poetarum nobilium scitè, atque asseueratè actitauit. Is vnicè amatum filium morte amisit, eum luctum,

quoniam satis visus est eluxisse, rediit ad quæstum Artis. In eo tempore Athenis Electram Sophoclis acturus, gestare vrnam, quasi cum Orestis ossibus debebat. Ita compositum fabulæ argumentum est, vt veluti fratris reliquias ferens, Electra comploret, commiseretúrq; interitum eius, qui per vim extinctus existimabatur. Igitur Polus lugubri habitu Electræ indutus, ossa, atq; vrnam è sepulchro tulit filij, & quasi Orestis amplexus oppleuit omnia, non simulacris, neq; imitamentis, sed luctu, atq; lamentis veris, & spirantibus. Ita cum agi fabulam videretur, dolor actitatus est. Sic Gellius nobis diu plorantem induxit patrem, sic in aliena, & figurata actione verum dolorem, veras lacrymas inuenit filij orbitas, quæ nobis ex opposito repræsentant gaudium, & lætitiam parentum in filiorũ possessione, quorũ defectum tam acerbè deplorant, quorum carentiam tantum lugent.

Sed iam inquirendũ superest quęnam sit causa huius innati desiderij prolis in parentibus, sicut & acerbissimi doloris in carentia filiorũ. Eam in primis affert Aristot. lib. 1. œconom. cap. 2. his verbis. Non essendi causa solùm, verùm etiam bene essendi mas, & fœmina naturæ ope coniunguntur, filiósque procreant, non solùm, vt id naturæ tributum ferant, verumetiam vt commoda inde suscipiant; etenim valentes ipsi imbecillos filios labore suo tuentur, & alunt; mox ipsi ob senium imbecilles facti, à filiis iam valentibus eãdem reportant, & simul natura per hunc circuitum adimplet æternitatem, quando secundùm numerum non potest, saltem secundùm speciẽ. Sic Aristot. ratione naturali ex parte inuestigauit rem admodum sublimẽ. Etenim per peccatum ingressa est mors. Errauit enim Seneca, & cum eo Philosophi, quos refert mox citãdus Cornel. à lapide, dum putant, & asserunt ex communi sententia. Mors homini natura est, non pœna; nam mors pœna est, non natura.

Etenim teste Salomone Sapien. 2. *Deus fecit hominem inexterminabilem,* idest, immortalem, & incorruptibilem. Græcè verò habetur, *immortalitati,* & ita legit Vatab. In cuius scholiis explicatur ad naturam non interituram. Vnde Clem. Alexand. 6. Strom. legit; Deus creauit hominem ob immortalitatem. Basil. in Anaphor. quæ habentur 4 tom. Bibliot. in præfat. ante princip. legit, ad immortalitatem. Et Nicet. in Commẽt. ad Orat. 42. Nazianz. Deus creauit hominem propter incorruptionem, & immortalitatem, & hanc secundã lectionem amplexus est Guarinus Iansen. & cohæret cum illa, quæ habetur in orig. Græco, sicut bene explicat Cornel. à lapide, in c. 5. epist. ad Rom. num. 13. Nam id, quod diximus, *Creauit hominem immortalitati* idem est, ac ad immortalitatem, vt scilicet, esset immortalis, si Deo vellet obedire, & persistere in sua innocentia iuxta communem Theologorum sententiam contra Pelagian. quę statuit, in innocentiæ statu eatenus fuisse homines immortales, quòd si in illo perseuerassent, nequaquam mortem subirent, sed sine ea de statu innocentiæ ad statum visionis beatificæ transferrentur, vt proinde mors sit pœna peccati, non natura hominis à Deo creati. De quo dogmate sacro videndus est D. Thom. 2. 2. quęst. 164. art. 1. Et de potentia quæst. 1. art. 6. ad 11. Molin. 1. part. disput. 28. de opere sex dierum. Valent. 1. 2. q. 8. disp. 6. quæst. 11. de peccato origin. puncto 1. Cumel. 1. p. quæst. 97. art. 1. Vtrũ homo in statu innocentiæ esset immortalis q. vnic. latè Bellar. 3. tom. lib. vnico de gratia primi hominis. c. 8.

Sapien. 2. num. 23.

c.8.& lib.2 de amissione primæ gratiæ c.13.Habetur itē in Cōsil.Arausi. 2.can.2. his verbis: Iniustitiam Deo dare conuincitur per mortē, quæ est pœna peccati,sine peccato, quod est meritū mortis,ad nos transiisse dicit, quo fit mortē per peccatum, vt eius meritum in posteros Adæ manasset. Optimè hac de re locutus est Aug. lib.2.contra Iulian.cap.12.& 15.

Mortem igitur,quæ fuit pœna per peccatum ab homine promerita, & à Deo cōtra illū prolata,voluit idem misericors iudex aliqua ex parte tēperare, vt quoniam homo moriebatur, in filiis se viuentem relinqueret, & qui in propria persona diu nō poterat superesse, in posteritate sua se permanentem consolaretur, & contemplaretur. Hoc innuit Chrysost. hom.20.in Gen. post principiū,cùm ait. Hominibus factis mortalib. studiū fuit, vt immortalē suam memoriā facerent ex filiis,quos generabāt.

Hinc est quod Eccles.in c.3. dicitur, *Mortuus est pater eius,& quasi non est mortuus, reliquit enim alium post se.* Et cap.10. *In filiis suis agnoscitur vir.* Dum enim filij viuunt, ipsum patrem videntur repræsentare in eis, quæ tanquam in re maximè sua, pater iure dicitur viuere. Et in Scriptura filius dicitur lucerna parentis, vt constat ex Psal.131. *Paraui lucernam Christo meo:* Quæ verba sic explicat Oleast. ad cap.21. Numer.circa literam.Vocatur filius lucerna patris, quoniam patrem repræsentat, & ostendit, quemadmodum lucerna id, quod ad eam accedit, aut propè ipsam est. Vnde intelligetur, cur D.Bernard. Serm.de Sancto Martin. post principium dixerit: Dilatatus est vehementer Adam, multiplicatus est, & repleuit terram. Dicitur enim dilatatus in filiis, multiplicatúsque, quia parens in progenie, & posteritate sua permanens eadem

Eccles.3. nu.4. & 10.

Ps. 131. num. 17.

facere censetur,quæ filij viuentes faciunt. Ideo sciens ipsemet Adamus se victurum etiam post mortem per filios, quos ipsi paritura erat Eua, eam appellauit vitam, hoc enim significat nomen, quod imposuit vxori suæ Adamus Genes.3. *Vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua.* Scio in Hebræo non esse nomen hoc Eua, sed *Chauuah*, quod à vita deducunt Hebræi. Vnde Hieronym.de quæst. Hebraic.in Genes. ait, alia litera habet, *Vocauit nomen vxoris suæ vitam, quia est mater cunctorum viuentium,* Chauual, quippe transferunt in vitam. Admiratúsque Philo lib. Quis sit hæres, &c. in hunc modum ait. Adam mulierem videns, quamuis mortem suam, vitam illam nominauit. Cur igitur sic eam appellauerit, à qua initium mors sumpserat, inquirendum; potius enim videbatur appellanda mors, quæ morti primam viam fecit, ostiúmque aperuit, mortem vtique suam nouerat Adamus eam, quam vitam appellauit, sed ideo hoc nomen imposuit, quia vidit se per illam victurum in filiis, cuius suasione mortis pœnam incurrerat, nobis omnibus meruerat, filiorum siquidem vita parentum propria iudicatur, hìque in illis viuere censentur, quia & pater eadem res cum filiis habetur,iuxta illud Iob 39. *Duratur ad filios, quasi non sint,* Hebr. *quasi non se*, idest; quasi non idem ipsi forent cum parente. Qui igitur idem est cum filiis,in eis etiam mortuus viuere censetur, & cùm innatus hominis sit amor vitæ, inde est quod maximè afficiatur, & præ omnibus diligat prolem suam,in qua etiam post mortem se remanere credit.

Hinc est quod volēs Deus punire Aaronē, eò quòd ipsum nō sanctificaret corā filiis Israël Num.20.eúmque è vita tollere,dixit Moysi ibidem nu.25.

Genes. 3. num. 20.

Iob 39. nu.19.

Num.20. nu.12.& nu.25.

nu.25. *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces in montem Hor, cumq; nudaueris patrẽ veste sua, indues ea Eleazarũ filium eius; Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses vt præceperat Dominus.* Itaque cõstat ex hoc textu Aaronem induisse vestes Põtificias in castris, atque inde ita indutũ exiisse in montẽ Hor, vt cum decore, & gloria occumberet, vtque in monte hasce vestes exueret, iisque Eleazarum primogenitum Aaronis indueret Moyses, vti & fecit, & hoc solùm vestitionis ritu sine alia vnctione, vel consecratione in monte hoc consecrauit Pontificem, & patris successorem. Quod totũ factum est præter legem, viuente siquidem patre filius in lege veteri non poterat fieri Pontifex, erat enim hæreditarius, & perpetuus Pontificatus, ita vt nec ipsi quidem parentes eum in filios possent resignare, quãdiu officio fungi valerent. Deinde etiam quod extra tabernaculum, & castra exiuit Aaron indutus vestibus sacris; quibus nunquam vtebatur Summus Sacerdos, nisi in Sãctuario, vt habetur Exo.28. Deinde quod sola vestitione Pontificalium vestium Eleazarus consecratus sit Pontifex, cùm consecratio Sacerdotum ex lege fieri deberet in tabernaculo, multis adhibitis cæremoniis, de quibus Exod.29. & Leuit.8.

Posset igitur aliquis existimare extraordinariã huiusmodi ablationem Sacerdotij, viuente adhuc Aarone, in maximam pœnam, & suppliciũ cessisse. Attamen cùm videamus mortem Aaronis plenam beneficiis, non est cur hoc ad supplicium deducamus. Enim verò Aaron mortuus est nullo præcedente vulnere, morbo, tædiove vitæ, sed in plena sanitate, ipse siquidem sanus, & validus ascendit montem Hor, & quasi dormiens de vita hac assumptus est, imò R.Salom. penes quem fides sit, ait, Eleazarum ascendentem montem inuenisse speluncam, & lectum paratum, & lampadem ardentem, exutúmque vestibus, & induto Eleazaro incubuisse Aaronem, & à Domino fuisse susceptum; Moysen verò, cum videret mortem adeò placidam, similem sibi desiderasse, quæ promissa est illi. Numer.27.n.13. & Deut.32.n.50.

Magnum item beneficium fuit, quod in præsentia, & quasi in gremio charissimi fratris Moysis, & filij Eleazari expiraret, illiq; ipsi oculos clauserint absque cõtractione legalis immunditiæ, cùm id fecerint iussu Dei, qui potuit dispensare. Quid ergo inter tã præclara beneficia existimandum erit acerbissimum supplicium illatum in ablatione Sacerdotij, & collocatione Pontificatus dilectissimo filio? Imò verò singulare beneficium existimandum, quòd moriturus Aaron, in filio se viuentem propriis oculis contemplaretur, hoc enim acerbitatem mortis temperaret, dum id, quod maximi ducebat, in filio stabilitum iure, & præcepto diuino cõtemplaretur. Ideóque Abulens. ibi q.21. à principio ait, voluit Deus facere magnã gratiam Aaron, erat enim vir bonus; & quamquam peccauerit in Cades Barne non sanctificando Deum, quia tamen illud accidit ex zelo Dei, vt suprà declaratum est, & Deus eum priuabat possessione, & visione terræ Chanaan voluit supplere in genere mortis, dãdo ei consolationes aliquas in morte sua, & præcipuè in duobus. Primò, quia mors fuit pacifica. Secundò, quia fecit Deus, vt filius Aaron Eleazar, eo vidente, indueretur vestibus sanctis, tanquam Summus Sacerdos, & gauderet Aaron, quod in vita sua videbat filiũ suum in illo summo honore sibi successisse, quæ est magna iucunditas patrum. Sic Abul. Cui omninò suffragatur Caiet. referens

referens inter cætera beneficia in morte diuinitus collata Aaroni, hoc etiam, quod viræ cesserit viso filio in habitu Pontificali.

Sed præsens argumentum conficit Oleast. dum quod intendimus in hunc modum explicat. Considera quomodo animæ, & corporũ optimus consolator, in medio iræ suæ memoratur, ne pater se omnino mortuum putaret, voluit filium primogenitum adesse, eúmque patre viuente, in eius ministerio sufficere, vt videns se filium in sua functione, & dignitate relinquere, non se omnino mortuum putaret, & æquo animo mortem sustineret. Solent enim patentes animæ quietiores in sua morte esse, cùm filios relinquunt, tum personæ, tum etiam suæ dignitatis hæredes. Hac ergo causa voluit Dominus Eleazar ante patris obitum vestimentis Sacerdotalibus patris indui, vt ex aspectu eius pater in morte gauderet. Sic ille ostendit Deum consolatum fuisse Aaronem in morte, dum filium videt sibi succedere, dúmque se superstitem in illo iudicat. Est siquidem filiorum vita ipsorummet parentum, vnde Genes.45. Cùm primum Iacob resciuit filium suum viuere, dicitur, quod reuixit spiritus eius; is enim, qui propè mortem aderat, in viuente filio, quem mortuum reputabat, visus est reuiuiscere, & à filio mutuatam vitam haurire.

Gen. 45. nu.27.

Ostendit hoc ipsum Author libri Ecclesiast. cap. 46. vbi præclaros viros referens, qui populo Dei præfuerant, ait. *Iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino, vt sit memoria eorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in æternum.* Si verò inquiras, quomodo ossa arida reuiuiscere possent, & germinare, quomodo de loco suo pullulare? Lyra. ibi, ad filiorum successionem rem deducit, quorum vita in tantum censetur esse parentum, vt dum filij viuunt, arida ossa parentum germinare, & pullulare dicantur.

Eccl. 46. num. 14.

Quia igitur parentes in filiis viuere censentur, idémque cum illis esse, inde est quod volens Deus ob grauissimum adulterij, homicidij, & scandali crimen Dauidem punire, filium ipsi occidit, asserens eum fuisse causam mortis filij, cuius vitam summoperè optabat, vt patet ex iis, quæ pro illius incolumitate consequenda fecit 2.Reg.12. *Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est, morte morietur:* Accerbior vtique pœna, dum pater mortis est causa filio, quàm ipsemet interitus infantis, cuius enim vitam propriam reputabat pater, mortis causam esse, durum vtique, & dirum supplicium.

2. Reg. 12. n.14.

Sed hoc ipsum discutientẽ audiamus Saluian. lib.2. de Prouidẽtia ante fin. pœnitenti Propheta ait, *Quia blasphemare fecisti nomen Domini; propter hoc filius, qui ex te nascetur, morietur*: Præter pœnam acerbæ orbitatis etiam hunc addi piissimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit, vt dilectissimo filio causa mortis existeret pater ipse, vt doleret, cum itaque natum ex crimine puerum, crimen ipsum occideret, quod creasset. Ita Saluian. in Dauide proponit id, quod cæteris parentibus expositum vult, parentum eorum, scilicet, crimina mortem filiis conciliare, eísque maximè obesse, quos summè diligũt, & dum acerbè eos punire constituit Deus, filiis infert supplicium.

Vnde intelligetur cur quando Cham filius Noë nunciauit fratribus suis nudata verenda patris, euigilans Noë, non ipsum delinquentem, sed filium maledictione ferierit, Gen.9. Genes. 9. nu.22. & 25.

Maledictus

Maledictus Chanaan seruus seruorū erit fratribus suis. Vbi siquis quærat, cur non in patrem, sed in filium pœnam intorserit: scio optimam huius rei rationem assignari à D. Chrysost. ibi dicente. Non maledixit Cham, ne videretur maledicere, quem Deus semel benedixit. Benedixit enim Deus Noë, quando exiuit de arca, & filios eius, &c. Attamen video communem Patrum responsionem esse, quæ nostro instituto inseruit, ideò scilicet maledixisse Noë Chanaan potiùs, quàm parētem ipsius Cham, quia maledicto filio Chanaan, grauius illius pater puniebatur. Fortasse, inquit, Ambros. lib. de Noë, & arca cap. 32. post princip. Ideò quod plus afficitur iniuriis filij sui, maximè quatū reus, & author existit, & vehementius cōtristatur sui peccati damnationem à filio persolutā, qui non tam suo, quàm patris merito punitetur. Et Procop. in comment. ad dictum locum ait. Maior dolor cruciabat patrē, cùm videret filium maledictione perstringi, grauiùs enim affligimur calamitate liberorum, si quam patiuntur, quàm si nobis aliqua miseria obiiceretur; sic Procop. qui videtur mutuatus à Chrysost. homil. 29. in Genes. post medium, vbi ait. Quare cùm ille peccauerit, hic pœnam luit? Neque hoc absque ratione factum est, quia pater non minorem pœnam, & cruciatum habuit, quàm filius, satis enim quomodo sæpenumero patres orant, vt filiorum pœnas ipsi ferant: quomodo grauius illis est videre filios supplicio affici, quàm si ipsi ijs forent obnoxij. Factum igitur est hoc, vt ille ob naturalem in puerum amorem maiorem sentiret dolorem. Addit autem Procop. tunc grauius dolere patrem in filio punito, cùm ipse tota fuerit causa pœnæ, quam patitur; quod in Dauide & Cham visum est. Augetur, inquit, acerbitas doloris, si cognoscimus nos esse authores eius calamitatis, præsertim si egressi fuerimus officio paterno, non quia suggerentes liberis, sed hos ad malas deducentes artes, &c. Magis itaque afficiuntur parentes in filiorum pœnis, & doloribus, quoniam in ipsis viuunt, eorúmque vitam, & sensum totum reputant præ amore. Vnde Hieronym tom. 1. epist. de Vitando suspecto contubernio ante medium, loquens de parentum amore erga filios, ait. Non mirum est, si diligitis, scelus est, quod odistis. Sic ille.

In multis igitur parentibus odium simul cum amore reperiri est, quos enim natura duce maximè diligunt, hos item summè odisse deprehenduntur, dum ipsis mortem inferunt peccando, pœnásque, & dolores conciliant delinquendo, & cùm pluris videantur facere filiorum vitam parentes, quàm suam. Vnde Dauid 2. Reg. 18. dicebat: *Absalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Vatab. ex Hebr. *Vtinam pro te mortuus essem.* Quæ verba intelligenda sunt cum Abulen. ibi. quæst. 28. in fin. quod scilicet, Dauid ea prorumpit ad expressionem magni doloris. Cæterùm plures parentes pro filiis mortui asseruntur, de quibus videri potest Ioann. de Lacerd. in comment. ad 2. lib. Æneid. Carm. 212. nu. 5. & apud Eurip. in Hercule furente, Amphitruo Elico tyranno enixè contendit, vt ipse, & Negara prius occidatur, quàm pueri. 2. Reg. 18. n. 33.

Vnam verò nobis da gratiam, Rex oramus.
Occide me, & hanc miseram ante filios,
Ne filios aspiciamus (impium spectaculum.)
Morientes, & inuocantes matrem,
Patrisque patrem.

Et Cilaber. lib. 2.

Nullus

Nullus dirior homines dolor inuadit,
Quàm si filij pereant patre suo inspe-
ctante.

Imò & matres cùm muliebri animo præditæ sint, hac tamen in re, virili spiritu se pro filiis ingerentes obtulerunt, vt videre est apud Sanctos Patres in concionibus de innocētibus. Cùm matres se opponentes pro vita, & incolumitate filiorum, multis prosequuntur. Patet etiam in Andromacha apud Eurip. cùm ita ait.

O fili, ego quæ peperi, ne tu moriaris,
Eo ad Plutonem.

Atque vt illustrior affectus cernatur, præcesserat velle se pro nato mactari, mori, ligari, suspendi collo. Et Aranue apud Iustin. lib. 24. Pro filiis suis, sæpe se percussoribus obtulit, frequenter corpori suo puerorum corpora amplexata protexit, vulnerátque excipere, quæ filiis intendebantur, voluit.

Quia igitur parentes filiorum vitam propriam reputant, in eísque se diutiùs, & dulciùs viuere arbitrantur etiam post mortem; inde est, quod pro illorum incolumitate se exponant, in quibus superuiuere intendunt, quod maximum consolationis genus est decedentibus parentibus. Miseri profectò illi, qui & bona sua alienis relinquunt, maximo dolore, & labore multoties parta, miseriores, qui sui memoriam secum pariter interire, & vitæ suæ lumen penitus extingui vident, quod summopere, & summo iure torquebat Ezechiam, maximè verò, & præ omnibus ipsum angebat, dum se morti proximum contemplabatur sine prole, ex qua, iuxta promissionem Dei, oriundum Messiam Seruatorem speraret, quod maximum illius gentis bonum erat, & totius orbis desiderium, sicut superiùs prosecuti sumus.

ANNOTATIO II.

Innatum cuique vitæ desiderium, certus finis, tempus tamen illius incertum, id enitendum, ne incautos nos intercipiat.

VSque adeò insitum hominibus est huius vitæ desiderium, vt quia illam æternam, & perpetuam sortiri nequeunt, saltem longæuam, & diuturnam optent, sicut notauit August. lib. 50. Homil. hom. 1. post princip. dicens. Hęc vita saltem optatur prolixior, quia esse non potest sempiterna. Et per hanc potest homo peruenire ad illam, si quemadmodum vult eam longam, sic vellet & bonam: sic August. carpit, & ineptum desiderium habendi æternam miseram hanc vitam, & insaniam eorum, qui dum æternam vitam cupiunt, nolunt mereri illam, iustè in hac viuendo. Quia igitur sic tenētur homines vitæ desiderio, in veteri testamento passim, & vbique prolixa vita promittitur, tanquam bonum, & præmium, quo maximè alliciuntur mortales; vnde & præmiũ supernaturale, beatitudo, quo magis excitet homines, nomine vitæ promittitur; sic enim afficiuntur homines ad istam vitam, qua viuimus, vt nomine illius, & similitudine nobis alia proponatur expetenda, & procuranda, quæ sola dicenda est vita. Vnde & Christus Dominus eam simpliciter vitam appellauit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Dauid Psal. 20. *Vitam petijt à te.* Chaldaïcè, *vitam æternam*, quod prosequitur Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 74. Optiméque Bern. Ser. 17. in Psal. 90. & Aug. Serm. 39. de Verbis Domini. Chrysost.

Matth. 19. n. 17.
Psal. 20. num. 5.

Chrysost. igitur hom. 46. ex c. 6. Ioan. ante medium, in nostram sententiam ponderat quod Christus Seruator dixit, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis; & qui manducat hunc panem viuet in æternum, & qui manducat me, viuet propter me*, tunc sic infert Chrysostom. Vitæ vbique meminit, nam eius trahimur cupiditate, & nihil suauiùs, quàm non mori. Etenim in veteri testamento longæ vitæ, & multi dies promittebantur, &c.

3. Regum 19. n. 14. 3. Reg. cap. 19. Fugiens Helias impiam Iezabelem perrexit in desertam viam, cúmque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, *Petiuit animæ suæ, vt moreretur.* Illud igitur obseruandum, quòd dum petit mori, mortem vtique fugit. Vnde Chrysostom. Epist. ad Olympiam ait. Si mortem meliorem credebat, quare patriam, & populum ne mortem incurreret, reliquit, & fugit? Quomodo mortem, quam tunc fugerat, nunc requirit? Imò verò, sicut notauit Abulens. ibi. quæst. 3. in fin. Cur refrigerium vmbræ quærit pro vita, qui pro morte precabatur, ne viueret: adhuc insuper quod vmbram salutiferam quærit, sicut ibi notauit Lyran. dicens: Iuniperus arbor crescens in desertis, cuius vmbram serpentes fugiunt, vt dicit Plin. & ideò in vmbra eius homines securè dormiunt: quia & arbor salutifera est, & medicinalis ex eodem Plin. lib. 24. cap. 8. in fin. Hoc vtique totum videtur ortum ex amore vitæ, quæ etiam dum abiicitur, retinetur: dum auferri postulabatur à Propheta, eam maximè tueri, & conseruare profitetur. Hoc enim sæpe contingit in iis, quæ maximè retinere volumus, vt dum tenuimus, vel abiicimus, adhuc retinere videamur. Sic ergo afficitur homo erga propriam vitam, vt qui illius omnino pertæsus videtur, eiusdem amantissimus, & tenacissimus deprehendatur.

Quòd si plures extitisse dicas, qui sibi necem intulere, id præ furore, & insania factum rectè dixit Senec. Epistol. 24. ad fin. Vir fortis, inquit ille, ac sapiens non fugere debet è vita, sed exire. Est, mi Lucille, vt ad alia, sic etiam ad moriendum incōsulta animi inclinatio, quæ sæpe generosos, atque acerrimæ indolis viros corripit, sæpe ignauos, iacentésque: illi contemnunt vitam, hi grauantur. Et Martial. lib. 2. Epigr. 80.

Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic rogo, non furor est, ne moriare, mori?

Hos contra videndus est Augustin. lib. 1. de Ciuitat. cap. 23. vbi copiosè in eos contendit, qui seipsos interimunt.

Cùm itaque omnibus sit insitus vitæ amor, arctius tenet eos, qui vitæ indulgent, delitiis affluunt, potentia, & maiestate pollent. Vnde Eccles. 41. Eccl. 41. dicitur: *O mors, quàm amara est me-* num. 1. *moria tua homini pacem habenti in substantiis suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus!* Hebraïcè: *Quàm amara est, ô mors, tui memoria homini quieto in bonis suis, viro vacuo negotijs, felicíq; per omnia!* Si ergo, vel memoria mortis amara est felicibus, diuitibus, & potentibus, quantò amarior, & acerbior erit ipsamet præsentia, & præoccupatio? Quod optimè prosequitur Ephræm de Recordatione mortis, &c. ante med. dicens: Quantò dulciora hęc momenta, tantò magis augent calamitatem. Etenim sicut auari, aut vna, aut altera dragma priuati, dolent auaritia stimulati: & facultatum amator, parua vinea, exiguóque agro culto à pabulo idoneo priuatus męret, iacturam non ferens. Ita quoque diuitibus coniunctus est dolor, separationem diuitiarum in

memo

memoriã reducens, & maximè quando quis ad senium declinantem aspexerit, discruciatur, atque angitur, tanquam ferro aliquo, aut vinculis constrictus, dum nullum artificium inuenire potest, quo senectutem depellat: & licèt sibi videatur, tibiis, & tympanis, reliquóque musicorum apparatu (quibus sese exonerat, ac recreat) memoriam mortis à se depellere, per hæc magis eam auget, quoniam tanta penitus lætitia priuabitur, cessabuntque eiusmodi plausus, & ludi, ac iucundissimus simphoniatorum concentus. Et quantò maior est diuitiarum copia, tantò ampliùs mortis metum auget. Recordatio quippe mortis intus habitans, dolorem affert secundùm proportionem vniuscuiusque sensus, non vt instituantur præceptis temperantiæ, prudentiæ, iustitiæ, & fortitudinis, nec de gehenna, & iusto Dei iudicio, verùm inopia laborantes consilij, fegum ipsi lamentantur, deplorántque opes, dictitantes: quis igitur post mortem nostram possidebit opulentiam, quod quidem & Regibus gratum est nosce, quis scilicet post eos regnaturus sit? Et quis Dominus erit tanti auri, & argenti? Et cui postea deseruiet tanti auri apparatus? Qui famuli Dominum appellabunt? &c. Quantò itaque felicior, iucundior, & potentior quisque reperitur in vita, tantò acerbiorem deplorat, & duriorẽ experitur mortem, per quam tot bonis tandem priuatur. Non mirum ergo si Rex Ezechias doluerit de imminente sibi morte, si deplorauerit separationem à regali throno, demissionem totius regiæ abundantiæ, & maiestatis, si doluerit in extinctione charissimæ vitæ, maximè cùm filio sibi succedente in paterna domo careret.

Illud tamen mirum, quod citò sibi ablatam deplorauerit vitam, & in ipso adhuc exordio, & limine intercisam dolens inclamauerit, cùm certè omnes dies vitæ nostræ veteres sint, & quantumuis iuniores videantur, senio confecti, & morti proximi reuera sint. In hoc enim sensu Dauid Psalm. 38. dixit, *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Vbi L X X. in edirione emendatiori Romæ edita: *Veteres posuisti dies meos.* Et ita habet Psalterium Romanum, Arabicum, Æthiopicum, & apud Orig. Cassiod. August. ibi, & Ambros. Orat. de Fide resurrect. Appollinarius verò, quasi parum esset appellare veteres, vetustissimos dixit. Vbi igitur veteres, & vetustissimi sunt dies, mirum profectò si præmaturam censeat, & dicat mortẽ suam Ezechias, & quasi de vita securus, longiorem adhuc sibi polliceretur vitam. Etenim Dauid Psal. 55. vitam suam fugam appellat, dicens: *Vitam meam annuntiaui tibi.* Vatab. ex Hebr. *Fugas meas numeratas habes.* Et sanè vox Hebræa, *Nod*, migratio, fuga, & peregrinatio dicitur. Recteque per vitæ nomen à nostro interprete reddita est: quid enim aliud est vita nostra, quàm fuga? Fugit enim homo veluti vmbra. Iob 14. Et sicut dixit Cicer. 1. Tuscul. volat ætas, vel per ætates vita. Ei igitur, qui fugam perpetuò intendit, ita vt fuga dicatur, quis se securè credet? Quãdo nec fugitiuo seruo, domum, ac substantiam suam custodiendam committet prudens paterfamiliâs, vt securus dormiat, & quiescat? Si ergo fugax est vita, & fugam iugiter molitur, quęnam prudentia est exorsum meditari, & longè abesse à fine, cùm perpetuò illi vicinus, & proximus quilibet viuens degat.

Psal. 38. num. 6.

Psal. 55. num. 9.

Iob 14. num. 2.

Ideò meritò Seneca Epistol. 59. post medium loquens de vita nostra ait. Nemo nostrum est mane, qui fuit pridie: corpora nostra rapiũtur fluminum more; quidquid vides

currit cum tempore, ego ipse dum loquor cõmutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus, in idem flumen bis descendimus, & nos descendimus. Manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est. Hoc in amne manifestiùs est, quàm in homine, sed nos quoque non minùs velox cursus præteruehit, & ideò admiror dementiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimã, timemúsque nequando moriamur, cùm omne momentum mors prioris hominis sit. Vis tu timere, ne semel fiat, quod quotidie fit? Sic Senec. miratur, quòd fugacissimam vitam omnes impensè diligant: plus sanè admiraretur, quòd illi se credant, & securos se reputent. Vnde Cicero lib. de Senect. Mortem omnibus horis impendentem timens, quis poterit animo consistere?

Videndus in hoc argumento erit August. Serm. 17. de Verbis Domini in medio, cùm ponderat illud Pauli, Ephes. 5. *Redimentes tempus, quando dies mali sunt*; vult enim ex eo dici malos dies, quia fallaces sunt, & quo magis numerantur pro incremento, plus decedunt, nihilque securum in eis potest reperiri. Sic verò habet. De his diebus, quos agimus, ait Apostolus, *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Non sunt ergo dies mali, quos agimus inter tantas difficultates, vbi falsa voluptas, nulla securitas gaudij, timor torquens, cupiditas auida, tristitia arida? Ecce quàm malos dies, & nemo vult finire ipsos malos dies, multúmque rogant homines Deum, vt diu viuant. Quid est autem diu viuere, nisi diu torqueri? Quid est aliud viuere, nisi quàm malos dies malis diebus addere? Et cùm crescunt pueri, quasi accedunt illi dies, & nesciunt, quia minuuntur: & ipsa est falsa computatio, crescentibus enim decedunt potiùs, quàm accedunt. Mali ergo sunt dies, & eò peiores, quia diliguntur. Sic August. nobis proponit vitæ nostræ dies malos, quibus bonus quisque, & prudẽs fidere minimè debet, ne illorum malitia decipiatur, dum putat crescere quod minuitur, & decrescit, vel certum esse quod fallit, vel securum quo fallitur. Vnde dum longiores adhuc dies sibi proponit, & promittit, stultitiæ conuincitur, sicut ille, cui dictum est, *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Luc. 12.

Ephes. 5. num. 16.

Luc. 12. num. 20.

Flores, inquit Sponsus, Cantic. 2. *apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit.* Mirum profectò quòd tempus florum dixerit tempus putationis; si ante flores prolatos amputandas arbores affirmaret, vel post maturos, & decerptos flores putationis tempus assereret, congruum vtique videretur, sed resecandos flores quis credat, audeátve, cùm spem fructuũ cum floribus auferat? Optimum sanè quod dixit Ambrosius 3. Exam. cap. 11. Breui vnusquisque decurso ætatis flore marcescit. Sed tamen hoc admonet, expectandum breue tempus donec flos vitæ siccetur. Clariùs rem aperuit Bernard. Serm. 58. in Cantic. ante med. dicens: Animas amputandi tempus aduenisse denuntiat. Sic ille: Cuius verba inculcare videntur, tempus vtique animas auferendi, vitæque filum resecandi iam aduenisse, dum flores enascuntur, neque expectandum fructum, ætatísve maturitatẽ, sed quodlibet tempus ad auferendas animas esse aptum, quantumuis præmaturũ videatur, cùm nulli prorsus ætati mors parcat, nullũ tempus ineptum censeat vitæ amputatio, & præcisio. Quod bene assecutus Seneca Epist. 67. post med. ait. Etsi mors aliorum longiùs vitam passa est procedere, aliorum in medio flore præscidit, aliorũ interrupit principia, alius inter

Cant. 2. num. 12.

ter cœnandum solutus est, alterius continuata mors somno est, aliquem concubitus extinxit, &c. quæ in eandem sententiam prosequitur. Vnde rectè intulit Cicero 1. Tuscul. Quid est quod querare, si repetit, cùm vult? Ea enim conditione acceperas, &c. Et lib. de Senect. Mortem omni ætati communem esse sentio: commorandi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit, &c.

Statim itaque ac quis nascitur, moriendi debitum contrahit, & quandocúm[illegible] mors, illud repetet. Vnde Virgil. de Mœcœnate dixit:

Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit, sed tamen illa senes.

Rectè Tertull. hac in re dixit lib. de Carne Christi, capite 6. in med. Mutuum debitum est inter se natiuitati cum mortalitate, forma moriendi, causa nascendi est. Christus mori missus, nasci quoque necessario habuit, vt mori posset. Non enim mori solet, nisi quod nascitur. Sic ille ostendit ius, quod mors habet in nobis ex eo, quòd ad vitam ingredimur; quòd etiam eleganter dixit lib. 4. contra Marc. cap. 31. ad fin. vbi loquens de recenter nato infante, dum pannis inuoluitur, ait. Pannis iam sepulturæ inuolucrum initiat; quibus in verbis talem connexionem, tantámque cohærentiam natiuitatis cum interitu & sepultura nobis insinuauit, vt præludium quoddam sint panni, quibus infans natus primo inuoluitur ad vltima inuolucra sepulturæ, quibus cadauer tegitur, vt terræ mandetur. Et fortè hoc subodorata est illa Tharciæ natio, quæ natales hominum flebiliter celebrabat, sicut refert Valer. Max. lib. 2. Tantam enim vicissitudinem cũ morte natiuitas habet, vt cædem lachrymæ, quæ morti impenduntur, natiuitatem iam prosequi possint, iam namque est ferè in lucem prodire, atque scintillam vitæ extingui.

Cùm igitur hæc ita se habeant, nemo sanæ mentis se sanum reputare debet, & dum se valere reputatur, cùm perpetuò mortis morbo laboret, quo tandem prædominante occumbet, & cùm mortalis sit morbus, quis sibi longam vitam pollicebitur? Etenim illud [illegible] est primo parenti, si delinqueret. *Morte morieris*. Gen. 2. Adimpletum videtur in eo, quòd mortali morbo laboremus, quãdiu viuimus, donec tandem illo corripiamur, & intereamus. Túncque dicimur tandem morte mori, sicut qui ethyca febri diu laborauit, quando tandem illa absumitur, dicitur interiisse tali febri. Qualis igitur valetudo, & sanitas, securitásve potest contingere homini mortali morbo ægrotanti? Vnde August. lib. 50. Homil. homil. 38. post medium ait. Non vera salus est fratres, quomodo dicunt Medici; perægrotamur quodammodo, nam ægritudo perpetua est in ista fragilitate carnis. Putatis enim hunc hominem ægrotare, quando febricitat, & sanum esse quando esurit? sanus est, dicitur. Vis videre quantum malum sit esurire? Dimitte illum sine medicamento septem diebus, occiditur. Sed quia potius, quotidie medicamentum sumit, viuit. Medicamentum autem famis cibus est, medicamentum sitis potus est, & vide quàm imbecillum sit corpus humanum. Hoc ipsum adiutorium, quod dixi, qui assumit, in eo perseuerauerit, deficit. Esuriendo cibi quærebas adiutorium? Ecce adeò adiutorium cibi: manducas reficeris, si plus feceris, plus deficies. Adiutorium sitis quærebas potum, multum

Genes. 2. nu. 17.

bibendo effocaris, qui fitiendo vtgebaris. Laſſaſti ambulando, ſedere vis, ſede perpetuò, vide ſi non laſſaberis. Quicquid ergo aſſumpſerit, vt aliud pellat, in eo ipſo ſi perſeuerauerit, deficit. Qualis eſt ergo iſta ſalus, fratres, tranſitura, fragilis, peritura, vana, &c. Quis proinde infirmæ ſaluti confidet, quis fragilitati credet, quis perituræ, & vanæ valetudini ſecurus adhærebit, vt arbitrium lethalique [illegible] victurum, dum iugi, cuius medicamento, & remedio magis laborauit, ſi diu permaneat in illius applicatione, & vſu? Ideóque & morbus lethalis eſt, & medela, ac remedium mortem conciliat, & infert.

Quapropter idem Auguſt. Ser. 1. de Verbis Domini poſt princip. expendens mortalem morbum, quo laboramus, & periculum in quo verſamur, ait. Tempus cuique noſtrum proximum eſt, quia mortales ſumus, inter caſus ambulamus: ſi victuri eſſemus, minus caſus timeremus: quid fragilius vaſe vitreo, & tamen ſeruatur, & durat per ſeculum? Etſi enim caſus vitreo vaſi timetur, ſenectus ei, & febris non timetur: nos ergo fragiliores, & infirmiores ſumus, quia & caſus omnes, qui non ceſſant in rebus humanis, fragilitatem vtique noſtram, formidamus. Etſi ipſi caſus non accedant, tempus ambulat, vitat homo ictum, nunquid vitat exitum? Vitat quæ extrinſecus eueniunt, nunquid quod intus naſcitur, pellitur? Sic Auguſt. oſtendit periculoſam vitam noſtram ab extrinſeco ſimul, & ab intrinſeco, proindéque longè fragiliorem eſſe, quàm ſi vitrea foret cùm tamen nihil fragilius vitro occurrere videatur. Vnde Bernard. de Conuerſ. ad Clericos cap. 14. ad med. iure inuehitur in eos, qui ſecuri de vita memoriam appropinquantis mortis amittunt. Quid in rebus humanis (ait ille) certiùs morte, quid hora mortis incertiùs inuenitur? Non miſeratur inopiam, non diuitias reueretur, non generi cuiuſlibet, non moribus, non ipſi denique parcit ætati, niſi quod ſenibus quidem in ianuis, adoleſcentibus in inſidiis eſt. Infœlix proinde qui in huius vitæ tenebris & lubrico fidens, perituram inſumit operam, nec aduertit, quoniam vapor eſt ad modicum parens, & vanitas vanitatum. Sic ille probat nullum poſſe in [illegible] ſperare, nulli licitum confidere, & inimico præter [illegible] inſidianti, & vanitati vanitatum omnino deficienti.

Illud tamen occurrit illico obſeruandum, quòd licèt omnia terrena, vanitas vanitatũ à Salomone prædicentur, peculiari tamen ratione hoc quadrat in humanam vitam, de qua Regius vates Pſal. 38. dixit, *Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens*: vox Hebr. *Ach*, pro qua Hieron. tranſtulit, enim, cæteri verò, certè, aut profectò, & noſter interpres, verumtamen; quidã volunt valere idem ac ſolùm, ſiue tantùm, & duntaxat, vt non ſit particula aduerſaria, ſed excludens, ſenſúſque ſit, quòd præter hominem, nihil eſt, in quo vanitatis particeps ſit. Ponitur autem dicta particula in principio orationis, ornatus cauſa aliquando, vt apud Sophon. cap. 3. *Attamen timebis me ſuſcipiens diſciplinam.* Aliquãdo verò ponitur, vt maiorem emphaſim indicet, ſicut hoc in loco Eſt itaque homo, ſi cæteris rebus caducis, & fragilibus comparetur, duntaxat vanitas, & omnimoda, ſeu omnigena vanitas. In tanta autem, & ſola vanitate, quid ſtabile, firmum, & ſecurum reperiri poteſt, vt confiſus quiſquam reperiatur, & de futuro ſibi promittat, aut de præſentis ablatione doleat, ſicut in noſtro textu videmus.

Pſal. 38. num. 6.

Sophon. 3. num. 7.

Nouerat

Nouerat hanc incertitudinem Isaac. Genes.27. Qui quam maturè per 43. annos suam præmeditatus mortem, dicebat. *Vides quod senuerim, & ignorem tempus vitæ meæ*: vbi incertam dixit, quia indies expectabat ad eam, quæ se, suáque omnia comparabat, & componebat, factóque suo nos docebat, sicut ibi aduertit Cornel. à lap. vitam nostram non esse aliud debere, quàm meditationem mortis, sicut Plato aiebat epist. ad Heliod. & Cicer. 1. Tuscul. quæst. Tota, inquit, Philosophorum vita est commemoratio mortis. Idcóque Horat. od. 3. lib. 2.

Gen. 27. nu. 2.

Omnes eodem cogimur; omnium
Versatur vrna serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exitium impositura cimbæ.

Et lib. 1. od. 28.

Mixta senum, ac iuuenum densantur
funera. nullum
Sæua caput Proserpina fugis, &c.

Hoc ipsum etiam, quod intendimus, voluit significare Iob cap. 7. Cùm vitam hominis dixit *Pyraterium*, pro eo, quod nos habemus in vulgata editione, *Militiam*: Nā sicut pyratæ nullibi consistunt diu, aut anchoram iaciunt: vt securi persistant, sic & vita nostra quasi pyraterium, nullam ferè securam habet consistentiam: quod ex alio simili loco apud eundem lib. sic illustro. Enimverò cap. 9. habetur, *Dies mei transierunt quasi naues poma portantes.* Hebraïcè, *transierunt cum Ebe.* Est autem Ebe ex Rab. Salom. Pagn. Priscian. & Caietan. Fluuius rapidissimus Arabiæ sic appellatus, vbi præter tantarum impetum aquarum, tantum cursus impetuosus naues defert velocissimè, ita vt cùm existimantur hic adesse, aliò hinc distantissimè reperiantur nauigasse Rab. verò Dauid Kimhi legit, *cùm nauibus*, seu *vt naues voluntatis*, hoc est, ex animi sententia quolubet nauigantes: qua metaphora summæ velocitatis indicatur auolatio. Alij verò legunt; *Vt naues inimicitiæ, & pyratarum* à radice *Aiel*, quod est, inimicari. Nam inimicorum, & pyratarum naues incautos aggrediuntur, ac securè nauigantes impetu, vt deprædentur, capiant, vel occidant, & sic inimica mors, siquem incautum, & nihil de ea cogitantem inuenit, libentius adoritur ipsa, eiúsque asseclæ, de quibus 3. Georg.

Iob 7. n. 1.

Iob 9. nu. 26.

— *Subeunt morbi, tristisq; senectus,*
Et labor, & diræ rapit inclementia
mortis.

Clarius Vatab. *Prætervolarunt æquantes celoces celeritate.* Est autem celox genus exigui nauigij, quod vno remorum ordine agebatur, & Rhodiorum inuentum fuit ex Plin. lib. 7. cap. 56. De quo Plaut. in Asinar.

Quo hanc celocem conferam?

Et Apuleius lib. de Repub. Qui celocem regere nequit, onerariam petit. Est igitur sensus dicti loci iuxta hanc vltimam versionem. Instar celocis se habuerunt dies mei, & quasi paruum pyratarum nauigium, quod incautorum hominum, & dormientium securè portus sua paruitate, & velocitate aggreditur, & maritima loca occultè deprædatur, qui illius notitiam habeant imprudentes; & incauti, quæ adoritur, spoliat, & in captiuitatem abducit, nihil minus prouidentes, aut cogitantes, quàm aduentum pyratarum. Vnde iam patet quo sensu dixerit Iob pyraterium esse vitam hominis super terram, est siquidem quandiu durat obnoxia, & exposita huiusmodi pyratis, túncque mors aduentat, quando hoc minimè cogitabatur. Quo etiā sensu, Secundus philosophus interrogatus ab Adriano Imperatore, quidnam esset mors? Respōdit, diuitū pauor, pauperum desideriū, ineuitabilis euentus, incerta

incerta peregrinatio, latro hominis, fuga vitæ. Hic igitur latro si quem dormientem inuenit, vitam deprædatur, hæc fuga si quem incautum sentit, tunc arripitur; & auolat, quando minus expectabatur, nulláque de illa cura aut memoria aderat.

Amos 8. num. 1. Amos in cap. 8. Vncinus pomorum propositus est Prophetæ & interrogauit eum Deus dicens: *Quid tu vides Amos?* qui respondit, *vncinum pomorum ego video; & dixit Dominus; venit finis super populum meum Israël.* Est autem vncinus instrumentum rusticanum, lignum scilicet oblongum præfixum habens recuruum ferrum, vel ipsummet lignum incuruum est, eóque rami arborum trahuntur, vt poma colligantur. Vncino ergo finem, & mortem significari sacro ipso eloquio testante nouimus. Similitudinem vncini sic explicat Lyranus. Poma, ad quæ pertingere è terra possumus, manu ipsa discerpimus illa, quæ longiùs distant, vncino attrahimus. Hoc ergo posito, sic ibi Ribera rem aperit. Mihi videtur vncinus mors esse, quæ omnes ramos, quamuis virentes, & omnia poma, siue omnes fructus æstatis, siue matura sint, siue immatura, quamuis valdè recondita, & latentia attrahit, vt à Deo discerpantur, & suis locis singula collocentur. Nec malè vita nostra in pomis, & similibus fructibus æstatis significata est, citò enim erumpunt, maturescunt, & discerpuntur, & quædam quidem siue casu aliquo, siue sponte sua decidunt immatura, necdum rubentia quod putida etiam in arbore seruantur, alia rubent, & pulchra oculis videntur, quæ tamen si seces, vermes intus inuenies. Ita quidã incautè in adolescentia rapiuntur, alij ad decrepitam veniũt senectutem, quidam longam vitam pollicentur, qui citò morbis latentibus absumuntur. Quod igitur Deus vncinum ostendit, mortem comminatur habitatoribus terræ, qui ita viuunt, ac si morituri non essent. Sic ille, cui tamen addẽdum est, quod sicut vncino trahuntur poma, quæ in altiori arboris culmine remotiora erant, securioráque videbantur à manu discerpentis, sic etiam & mors eos colligendos offert, & aufert à vita, qui sibi securiores præ valetudine, vel ætate esse videbantur. Vnde nullum pomum sibi securitatem potest polliceri, cùm mors vncino assimiletur attrahenti, & redimita, & sublimia poma.

Attamen adhuc nobis in propositum argumentũ expendenda restat hoc loco versio LXX. correcta, quæ pro vncino habet: *Ecce vas aucupis,* vel vt alij legunt, *laqueus,* seu *decipula extẽsa,* vel *rete aucupis,* qui aues venatur, & carpit. Neque mirum si mors dicatur instrumentum capiendarum auium, cùm & homines dicantur aues, Daniel. 4. Imò & apud eundem Amos c. 3. *Nunquid auis cadet in terram absque aucupe.* Vbi Hiero. de ruina peccatorum intelligit; & Ose. 11. dicitur: *Auolabũt quasi aues ex Ægypto,* quod de Iudæis redeuntibus è Babylonica captiuitate interpretatur Theodoret. de Vocatione verò gentium ad Ecclesiam Christi intelligunt Gloss. Ruper. Lyr. & Vatab. Laqueus verò, vel rete, quo aues capiũtur, mors intelligitur expressè hoc in loco; eadémque similitudine vsus est Christus Dominus. Luc. 21. quando dixit: *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superueniat in vos repentina illa dies: tanquã laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciẽ omnis terræ.* Consistitque in eo similitudo, quòd sicut incautas aues, cùm ad cibũ, vel potũ, pro proroganda vita accurrũt, auceps laqueis, aut retibus venatur, & intercipit: sic & mors nihil minus quàm

Danie. 4. nu. 18. Amos 3. nu. 5. Ose. 11. num. 11. Luc. 21. num. 34.

quã de ea cogitantes comprehendit, & strangulat, quam similitudinẽ posuit Cauotus lect. 28. in Iob 1. p. art. fi. his verbis: Homines in arbore huius vitæ hilares cantant fine mortis cogitatione, & qui mercaturæ ramũ ascendit, & qui voluptatum, qui dignitatũ, quiq; Deũ huius, quiq; alius rei, & cùm magis voluptatibus incũbere posse existimant, mors accedit, atq; cõparet eosq. interficit. Apertus insuper est locus. Ecclef. 9. rem exponens: *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, vel reti* (vt cæteri legunt) *& sicut aues laqueo cõprehendũtur: sic capiuntur homines in tẽpore malo*, (idest in tempore mortis, exponente ibi Lorino propter cõsequentia mala post eandem mortem) *cùm eis extemplo superuenerit*. Hebraïcè, *cùm ceciderit super eos*; Græcè, *cùm superuaderet in eos*. Intellige, sicut rete cadit super incautas aues, vel in eas supercadit. Quis ergo sanæ mentis securum se, & stabilem reputabit, cùm videat mortem instar laquei, vel retis securos expectare, vt intercipiat, & super id minimè cogitantes cadere.

Eccles. 9. num. 12.

Ad literã loquitur Salomon. Eccl. 12. de repentino tẽpore iudicij, prout Taumatur. Cyrill. Hierosolymit. Ricard. & omnes ferè interpretes exponunt, quod in futurã mortẽ nostram optimè quadrat, imò & secundũ aliquos ad literã. Ait ergo: *Excelsa timebũt, & formidabũt in via florebit amygdalus*: quis verò nescit amygdalũ quã citissimè, & ante cęteras arbores floribus suis càticare. Vnde Hebræi vocant *Schakut*, à vigilãdo, & festinando, quod reliquarum arborum prima florem protẽdat, & illam virgã, quæ vigilans dicitur Hiere. 2. n. 11. Theodotion appellauit amygdalinã, quod Syriaco, & Hebr. respondere notat Theodor. Indicat autẽ ille locus caniciẽ aduenturam quam celerrimè: vnde Chald. habet, *Germinabit caput*.

Eccl. 12. num. 5.

Hieron. verò, *capillus incanescet*, & ita habent omnes Interpretes literales. Et Eucher. in quæst. veteris testamẽti ad Eccle. ac Pier. Valer. lib. 51. Aduertit autem Cardin. Hugo canos flores esse mortis, illã quasi fructum in propinquo esse denunciantes. Hæc igitur canities, & approximatio mortis, quæ iuuenibus aduentare non solẽt, sed senibus tantùm, vnde quandiu capillorum candor non adest, mors longè abesse existimatur; Deo sic disponente adueniet citò, & quia vita nostra semper vicina adest morti, pueris vtique canities aduenient, & mortis flores apparebunt, vt de nonnullis in Albania narrat. Plin. lib. 7. c. 2. & Cardin. Palæor. de bono senect. p. 1. testatur se vidisse apud Phaliscos puerum sexẽnem, vel septennem capite admodum cano. Sensus itaque videtur esse: rectè viuas oportet, iugitérq; timeas futuram mortẽ quoniam excelsa timebunt, & florebit amygdalus, canitiesq;, & flos mortis eam secum deferens, quàm celerrimè apparebit, nullusque eam distare experietur, quandoquidem in pueris etiam præter opinionẽ conspiciatur.

Vesanus prorsus, & amens, quem aliter existimantem mors repentè intercеperit, & comprehenderit; fallitur enim qui putat lapidem præcisum de mõte sine manibus, vltimam huius mortalis statuæ ætatem, pedes scilicet ferreos, & fictiles tantũ petiturum, & contriturum, non verò caput aureum, sicut contigit statuæ illę Nabuchodonosor ostensę Danieli in c. 2. Etenim aureum caput erat Absalon, de quo 2. Reg. 14. dicitur: *Sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis à vestigio pedis, vsque ad verticẽ. non erat in eo vlla macula, & quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.*

Dan. 2. num. 34. 2. Regum 14. n. 25.

Aa En

En igitur nõ tantùm aureum caput, sed totus aureus adolescens, sed hūc capite aureo suspensum, & comprehensum, non lapide percussum, sed tribus laneeis confossum vide. *Accidit enim* (inquit sacer Textus 2.Reg. 18.) *vt occurreret Absalon seruus Dauid sedens mulo, cùmque ingressus fuisset mulus subter cõdensam quercum, & magnā, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* Quis ergo, superbe, caput exerat aureum, & securus de illo finem tantùm prȩstoletur in pedibus debilibus, senectute, & multo tēpore. Sanè nihil in corpore nostro efformatur posteriùs, quàm oculi, qui proinde cæteris corporis partibus iuniores videntur, nihil tamen priùs in nobis aggreditur mors, ibi enim ipsa præuidetur, dum adhuc in vita debilitati franguntur. Vnde Clem. Alexand. superiùs citatus dixit: ante totum corpus corrumpuntur oculi. Sic & multoties iuniores, & valentiores adoritur mors, quæ ideò ex multorum sententia amori assimilatur Cant.8. num.6. *Fortis est vt mors dilectio*, quòd sicut amor iuuenilem vt plurimum petit ætatem, sic & mors, cuius fortitudini ille confertur, primam aliquando petit ætatem, & in robustioribus robur suum probat, & exercet, & sicut ex Propert. lib.1.ad amicum:

2.Regum 18. num.9.

Nescit amor magnis cedere delitijs.

Imò ex eodem lib.2.Nullæ sunt amicitiæ, sicut amoris acerbæ, nam nescit vitæ ipsi concedere, sic & mors nullum reueretur potentem viribus, nulli parcit ætati, proindéque nullibi quisquam de ea securus esse potest, aut illius absentiam sibi promittere, aut existimare.

Psal. 38. num.5. Nouerat hanc incertitudinē Dauid, Psal.38. quando dixit: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciā, quid desit mihi:* quasi dicat: Nunquam inuenio dies, quos numerem, quia nullos prorsus video mihi certè suppetere numerandos, sicut neque finem vitæ meæ, quem præfixum teneam, cùm illum semper ante oculos cernam, non tamen iudicare possum: nam si finis est instans illud, quo animam agam, vel illud, quo esse desinam; sanè illud priùs cùm adhuc viuam, non erit finis vitæ: si posteriùs, quod Philosophi appellabant primum non esse, cùm iam non viuam, non finiet vitam, quippe quod ad illam non pertineat vllo modo, imò illi extrinsecum sit. Similiter & de diebus vitæ philosophari licet, etenim dies, quos numerem, in vita mea non habeo, cùm ij, qui præcesserunt, iam non sint, qui autem supersunt, nondum sint, præsentē verò non habeo diem, sed momentum tantummodo.

Cùm igitur & tam incertus sit finis cuiusque nostrum, & tam certi esse debeamus de huiusmodi incertitudine, prudens quisque de fine prouidere tenetur, ne improuidum ipsum præoccupet; vnde Ambros. de Fide resurrect. ante med. ait mortem incautos minimè intercipere sapientes, qui cùm sciant mortem plerumque aggredi imparatos, eam semper prȩstolantur parati. Mors, inquit ille, non formidabilis, nec amara egentibus, nec gratiosa diuitibus, nec iniusta senioribus, nec ignaua fortibus, nec perpetua fidelibus, nec improuisa sapientibus. Quo etiam sensu Cicer.1. Tusculan. quæst. ait. Non deterret sapientem mors, quæ propter incertos casus quotidie imminet, & propter breuitatem vitæ nunquam longè potest abesse. Et Seneca epist.26. post med. Accipio, inquit, conditionem humanam, non reformido iudicium. Hæc mecum loquor,

loquor, sed tecum quoque me locutum puta. Iunior es, quid refert? Non dinumerantur anni, incertum est quo te loco mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta. Egregia res est mortem condicere.

Prou. 14. num. 32. Ideò Salom. Prouerb. 14. Discrimen inter impium, & iustum supponit, *In malitia expelletur impius*: quorum verborum sensus ex mente Rodolphi sic habet: Impius quidem tūc cùm scelus orditur, & nihil de morte cogitat, inter ipsam criminis malitiam de medio tolli consueuit: Iansenius verò obseruat verbum *Idache*, propriè esse impellere, aut propellere, sensúmque sic accommodat: impius propter suam malitiam impelletur, & agitabitur adeò, vt animus illius metu, & desperatione perturbatus, & agitatus, securè, & tranquillè nunquam degat. Sed meliùs hoc ad eiectionem è vita possumus accommodare, tuncque maiorem cohærentiam habebit cum Vulgata, quæ habet: expelletur, vt sit sensus. Compelletur impius inuitus mori, & è vita propelletur, hanc enim vim dicit expellere in nostra Vulgata, atque etiam compellere ex Hebr. De iusto verò dicitur; *Sperat autem iustus in morte sua*; quia sponte moritur, dum diu cogitauit, & expectauit, imò se præparauit ad mortem sollicitus de aduentu illius, quem proinde non corripit subita mors, sed præuisa præmeditata, & diu sperata; quod Chaldæus ad rem nostram sic exposuit: *In malitia sua repelletur impius, & qui sperat, quòd moriturus est, iustus est*; quasi dicat, impium suis sceleribus distentum subitò mors inuadit, iustum autem inopinatum, & incautum minimè adoritur, cùm hoc sit proprium iustorum, mortem iugiter præmeditari, & præstolari.

Cùm itaque nemo securus esse debeat in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, infida, fugax, fallaxque, quid est, quod in illa tam securè degant plerique, & sibi multum adhuc restare credant, cùm morti vicini, & proximi realiter sint? Hoc imprimis referre possumus ad deceptionem diaboli, qui aliter rem nobis proponit, ac sese habet, & dies vitæ nostræ stabiles depingit, cùm verè auolent, & fugiant, & nos longè admodum à fine esse persuadet, cùm illi in re coniungamur. Hoc diaboli ingenium Deus Iob intimauit. cap. 32. vbi ait: *De cuius vtero egressa est glacies? & gelu de cœlo, qui genuit? In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi constringitur*: quę verba commentatus Gregor. lib. 29. Moral. cap. 15. ante med. glaciem, & gelu Sathan intelligit, dicēs: Sathan in gelu, & glacie nihil obstat intelligi. Ipse quippe, quasi de Dei vtero, glacies processit, quia à calore secretorum eius malitiæ torpore frigidus, magister iniquitatis exiuit. Ipse gelu de cœlo est genitus: quia constricturus corda reproborum à summis cadere est ad ima permissus, qui bene in cælestibus conditus, in culpæ frigore mentes sequacium quasi gelu, dum cecidit, adstrinxit; qui ad terram veniens, quid in hominibus egerit, expletur, cùm subditur: in lapidis similitudinem aquæ durantur. Per aquas namque populi, per lapidem verò eiusdem Sathanæ durities designatur. Illo igitur ad ima veniente, in similitudinem lapidis aquæ duratæ sunt, quia eius malitiam imitati homines, mollia viscera charitatis amiserunt, cuius fraudulenta consilia, quia à seductis hominibus deprehendi non possunt, rectè subiungitur: *Et superficies abyssi constringitur*, aliud quippe ei intrinsecus latet, atque aliud extrinsecus ostendit: sic Gregor. ex cuius doctrina colligitur Sathanam nobis super-

Iob. 32. num. 29. & 30.

perficiem aquæ gelu duratam,& cõstrictam ob oculos proponere. Quæ igitur erit hæc aqua, cuius superficies nobis à diabolo congelata obiicitur?cùm tamen inferiores aquæ decurrant, sicuti fieri solet in fluuiis hyemali glacie duratis?Etenim inferiores aquæ defluunt, & in mare dilabuntur stante superficie congelata, & indurata? Quis nescit vitam nostram instar aquæ perpetuò defluentis se habere, iuxta illud 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur:* Et cùm hoc verum, & certum sit, superficiem aquæ nobis diabolus constringit, geluq; solidam, & stantem obiicit, ac depingit, quò existimemus nos longè adhuc à morte degere,imò in ea stare,quin defluamus, sed potiùs permanẽtes consistamus; proinde posse adhuc delinquere,cùm tempus pœnitendi suppetat: nam sicut dixit Tertull. libr. de Cultu Fœmin.cap.2. Qui præsumit,minus veretur, minus præcauet, plus præcauet,plus periclitatur.Hinc & diabolus cùm audiret mulierem ob oculos mortem habentem,tum dixit Gen.3. *Ne fortè moriamur*, statim dixit, *nequaquam moriemini*, ablato enim timore præcepti, & mortis rem facilè conficiendam circa peccatum, quod suadebat, putauit: nam sicut dixit Clem. Alex.1.Stromat. Quem timorem genuit lex (illius scilicet secundùm quam statutum est hominibus mori) is est misericors ad salutem: hunc igitur abolere nititur diabolus, mortémque longissimè distare suadet,vt liberior delinquendi locus supersit.

2. Regum 14. n.14.

Genes. 3. num.3.

Huius autem diabolicæ consuetudinis memor Dauid Deum precabatur. Psalm. 89. in hunc modum: *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.* Vbi Hieron.epist. ad Cyprian.post med.tom.4.quæ est de dicto Psalm. Putat potiùs legendum ex Hebræo, cum Aquila,Symmaco,& quinta editione: *Dies nostros sic ostende, vt veniamus corde sapienti.* Est sensus, inquit Hieron.numerum annorum, dierúmq; nostrorum quibus hoc in seculo viuere decreuisti, ostende nobis, vt præparemus nos aduentui tuo, & contempto errore mortalium ad te pergere festinemus, cupiamúsque præsentiam tuam, & ad te festinemus corde sapienti, nihil enim putat ita decipi humanum genus, quàm dum ignorant spatia vitæ suæ,longiorem sibi seculi huius possessionem repromittunt; vnde & illud egregiè dictum, nullum tam senem esse,& sic decrepitæ ætatis,vt non se adhuc vno plus anno viuere suspicetur; & ad hunc sensum pertinet illud,quod dicitur: *Memento mortis tuæ, & non peccabis:* qui enim se recordatur quotidie esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat: sic ille. Cùm itaque diabolus comperiat, nihil tam à peccatis abstrahere homines, quàm aduentantis mortis cognitio,quò eos faciliùs ad delinquendum inducat, & diutiùs in peccatis detineat, proponit stabilem,& permanentem vitam, illísque diffluentes aquas prima superficie conglutinatas depingit, quæ reapsè fugacissimæ sunt, & ad mortis mare quàm ocissimè decurrunt, necnon auolant: sicut è contrario aliquando nobis proximum finem depingit,quò magis nos peccatorum fæcibus ingurgitet, quod optimè prosequitur Bernard.Serm.de nimia fallacia præsentis vitę,vbi ita incipit. Vera omnino sententia fratres,quoniam tentatio est vita hominis super terram, vt enim multipliciter illudat hominibus mutat faciem, mutat vocem,modò ait, modò negat, nec erubescit: de ipsa quantitate sua diuersis diuersa loquitur,imò & eidem diuerso tempore contraria quoque

Psal.89. num. 12.

fugge

ſuggerit, & aduerſa, modò enim ſe breuem eſſe cauſatur, modò ſimulat longiorem. Cùm peccare delectat adhuc, gemit altius pro breuitate ſua; nec breuitas falſa, ſed gemitus fallax, quod memorat cum mœrore, vnde magis oportet gratulari, ſiquidem bonum eſt ei, ſi ſic agere perſeuerat, vt flagitiis eius, quibus voluntas modum non ponit, vel neceſſitas finem ponat. Expedit ei, qui ſemper anima moritur, vt corpore citius moriatur, magis autem ei bonum erat, ſi natus non fuiſſet homo ille. Et ipſa denique vitæ memoria breuioris remedium magis, quàm incentiuum debuerat eſſe peccati. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccl. 7. Quod ſi vſque adeò regnat in te peccatum, imò vſque adeò delectat te ſeruire peccato, vt doleas tibi modicum tempus eſſe, quo ſeruias ei, ſed eo vſque latam diligis vitam, vt omnimodis optes, ſi poſſes, eam etiam facere longam: velis nolis non longè eſſe miſerius, ſed vt fateor longè es à Regno Dei, & firmiſſimum videris fœdus pepigiſſe cum morte, pactum cum inferno. *Errauerunt* (ait Proph.) *in ſolitudine, viam ciuitatis habitaculum non inuenerunt.* Pſalm. 106. Errauerunt planè in initio, & non in via. Neque enim via eſt latè via ſolitudo inuia lata eſt via & vbi nulla eſt via, totũ eſt via. Sic eſt anima expoſita vitiis latiſſimos habens hinc inde terminos, quia nullos terminos habens: nec vita ſanè data eſt, quia nimirum ſoli viuitur morti. Ipſa eſt ſpatioſa via, cuius latitudinis ſpatium nullis clauditur metis, vbi nec lex eſt, nec præuaricatio. Si quando fortè imminentis ſibi mortis cœperunt horrere memoriam, & terribilem expectationem iudicij contremiſcere, continuò vitæ huius fallacia lõgam ſe eſſe mentitur, vt quam paulò ante breuem eſſe dolebát peccato vitam, nunc eandem repentè inuenient vſque adeò prolongatam, vt ſecurè ſe poſſe putent non modicam adhuc partem conſumere in peccatis, quod reliqua longa ſit, & ſufficiat ad agendum pœnitentiam pro peccatis. Vereor autem ne dum vita ipſa ſimulationem longitudinis illudere valet, non conſolationem hinc habeat, ſed magis inferens deſolationẽ. Sic Bernard. cuius aurea verba minimè cenſuimus omittenda. Illa autem expendenda ſunt, quæ ſanctiſſimus Pater ſubiicit peccatori: videris pepigiſſe fœdus cum morte, quæ deſumpta ſunt ex Iſai. cap. 28. vbi Propheta loquitur in perſona eorum, qui irridebant Prophetas prædicentes eis mala futura, cauſam autem reddebant, vt illorum minas minimè formidaſſent, quod ſcilicet iniſſent fœdus cum morte, ne illis appropinquaret, quandiu ipſi vellent, proindéque nihil ab ea timendum. Vnde Gregor. explicans dicta verba, ait. Cum morte fœdus percutere, eſt mala audacter præparare, & ea ſemper agenda promittere. Impij igitur ideo impudenter, & imprudenter ſe peccatis immergunt, quod exiſtimant ſibi cum morte eſſe fœdus initum, illámque haud acceſſuram, niſi ipſis placuerit, & ideò impunè poſſe per omne vitiorum genus vagari.

Optimè hac de re locutus eſt Nazianz. Orat. 40. ante med. in hunc modum. Omne tibi tẽpus idoneum eſt, quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat, cum Paulo ad te clamo, cum magna, inquam, illa voce: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Quo loco particula, *nunc*, non certum aliquod tempus, ſed tempus omne deſignat. Salutis negotium tuæ ſemper age, atque omne tempus tibi certum, & defini

Eccleſ. 7. nu. 40.
Pſ. 106. nu. 4.
Iſai. 28. nu. 15.
2. Cor. 6. nu. 2.

definitum esse existima quod si hodiernum diem semper prætereas, crastinum obserues, paulatim differendo, non animaduertis te à prauo illo deludi, vt illius consuetudo fert (da mihi præsens,inquit,futurũ Deo: mihi iuueniles annos, Deo seniles, mihi voluptates, Deo corpus effœtũ,nullísque vsibus aptũ) quanto in periculo versaris?Quot,quãque inopinanti rerum casus? vel bellum oppresserit, vel terræmotus obruerit, vel mare eruperit, vel bellum arripuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis transuersè per fauces currens, res vilissima (quid enim hominis interitu facilius? Quantumuis ob diuinam imaginem glorieris?) Ne hostem in consilium adhibeas. Anna Samuëlem, prius etiam quàm procreatus esset,Deo promisit;atque in lucem editum, statim conseruauit,&c. Dixerat autem superius ipse Nazianz. in eadem orat. quis nobis præstabit fore, vt vitæ finis curationem expectet, ac non potius adhuc ære alieno oppressos, atque ignis illius ardore opus habentes, tribunal illud suscipiat? Tu quidem fortasse bone, & humane agricola Dominũ supplex rogabis, vt ficulneæ adhuc parcat, nec causa sterilitatis accusatam adhuc succidat, verùm tibi permittit,vt stercora,mundáque in eam iniicias,hoc est,lachrymas, gemitus, preces, vigilias, animæ, & corporis macerationem. At incertum est, an Dominus illi parcet; vtpotè etiam locum occupanti, cùm interim alius misericordia egeat, atque ob longanimitatem, quæ ipsi exhibetur deterior fiat. Sic Nazian. quem ibi in comment.Nicet.ita exponit.Tu quidem spiritualium plantarum excultor,Dominum iuxta parabolã Euangelicam.Luc.13.num.8.orabis,vt infrugiferæ ficui, hoc est, animæ tuæ parcat,eámque non excindat, verùm

Luc. 13. nu. 8.

tibi cõcedat,vt ea, quæ ad tollendam ipsius sterilitatem adiumento esse possunt, iniiciat, nimirum eam correctionem,quæ in peccati confessione, atque in apertum proferendis non sine pudore criminibus consistit, ac propterea animi afflictionem hoc est, contritionem, cæteráque afflictiones. Verùm incertum est,an Deus huiusmodi homini parcet, ac non eum excindet, ne alius quispiam ex ipsius erga eum lenitate,& patiẽtia offendatur, ac deterior fiat, cuius videlicet scelera impunita manere conspiciens. Sic ille mentem aperit Nazianzeni, qui nullatenus censet audiendam fallaciam Diaboli, dum nostram emendationem in posterum suadet, cùm semper præsens tempus correctionem exigat, & morti quàm proximum sit, nullámque securitatem cordato, & prudenti viro permittat.

Suffragatur huic doctrinæ Ambros. epist.82. ante fin. cùm ait: Festinantes Patres agnum manducabant, festina est fides, salutis deuotio, spes impigra cõtradictiones animi non amet, sed traductionem ab infructuoso otio ad fructum laborum. Quid in crastinum differs? Potes & hodiernum diem lucrari; cauendum est enim ne & illum non teneas & hũc amittas: non exiguum detrimentum est, vel horæ vnius, & vna hora totius vitæ portio est.

Sic ex dictis constat quomodo & diabolus nobis emẽdationem in posterum suadens, vitámque lõgiorem promittens nos decipiat, quomodo item nos existimãtes multum adhuc temporis vitæ restare,à morte incautos intercipiamur, & aliam diriorem mortem experiamur,dum sine emendatione corripimur, tempus ad illam adhuc præstolantes. Etenim sicut dixit Saluian. lib. 1. ad Ecclesiam post med. qui à malis actibus tantum

tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus, ac per hoc necessitate exclusus à vitiis,& tūc puto peccat, quando cessauerit, quia quantum ad animum nec tum desiit, quia adhuc vellet peccare si posset. Non bonis itaque spebus innititur, qui ad hoc semper tantum peccat in vita, vt peccatorum molē redimat in morte. Sic ille ostendit infelicem eorum conditionem, qui in peccato nulla præuia pœnitentia absumuntur.

Psalm. 6. num. 5. Hinc est quod morbo afflictatus Dauid, vt cōstat ex serie Ps. 6. ait: *Conuertere Domine, & eripe animā meam.* vbi Dydimus, Hieron. August. & Innocentius III. sic explicant, vt voluerit Dauid enixè à Deo consequi conuersionem, quæ difficillima est in illo, qui in articulo mortis positus Deum quærit, quādo multa sunt, quæ ipsum angunt, torquent, & retrahunt. Sic verò ait August. sentitur in conuersione labor, vt idcirco addatur. Et erue animam meam tanquam inhærentem perplexitatibus sæculi, & spinas dilacerantium desideriorum patientem: quibus similia habet lib. 2. ad Bonifac. c. 8. & lib. de Ignorant. & lib. arb. c. 5. Reddens verò Dauid rationem cur hoc summis precibus exorauerit subdit: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui*; vbi mors supponitur pro tempore mortis, quando plurima sunt, quæ mentem, & memoriam obruunt, atque adeò ipsa mortis agonia, quæ adeò premit hominem, vt Dei recordationi vix locum relinquat, maximè si conscientia priorum peccatorum mole prematur. Sic enim ferè explicat Innocent. III. repetens illa verba Augustini, iusto iudicio Dei tali animaduersione molliri peccatorem, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.

Idem innuit August. lib. de Salutarib. Document. cap. 39. circa med. tom. 4. vbi ait. Ne de misericordia Domini tantum securi existamus, vt peccatis peccata augeamus, neque dicamus donec viget ætas nostræ carnis, concupiscentias nostras exerceamus, & postremò in senectute malorum nostrorum, pœnitentiam agamus, pius est enim Dominus: summa stultitia est hęc cogitare: cùm & impium sit talem licentiam à Deo postulare quempiam velle. Nemo nouit diem exitus sui, non omnes in senectute moriuntur, & in quibus actibus vnusquisque homo inuentus fuerit, in eisdem iudicabitur, quando anima exierit de corpore; dicit enim Psalm. *Nemo in inferno confitebitur tibi.* Semper ante oculos nostros versetur vltimus dies, & cùm diluculo surrexerimus ne ad vesperam nos confidamus peruenire, & cùm in lecto membra deposuerimus, de lucis non confidamus aduentu. Sic August. monet præueniendam emendatione mortem, cùm difficillimum sit eam inuenire in ipsa morte, in qua nullus ferè est, qui memor sit Dei, & contingere poterit; quod impio Antiocho, qui lethali affectus morbo, orabat Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus 2. Mach. 9. 2. Mac. 9.

Ex dictis constat, vnde in nobis tāta mortis obliuio proueniat, quod scilicet diabolus, vt nos decipiat facilè & incautos aggrediatur, procul adhuc distantem mortem proponat, ne illius aduentui præparemur. Insuper & vitæ amor nullum locum relinquit recordationi futuræ mortis; & dum homo totus incumbit præsenti vitæ fruendæ, nihil de futura curat. nu. 13.

Proinde maximè enitendum, & totis viribus instandum, ne incautos, & improuidos nos præoccupet mors, sed illam iugiter expectantes debita

debita præparatione, & compositione rerum nostrarum eam præstolemur, tantum absit, vt illius obliuiscamur, quod potius cùm peccatum occurrerit, vel aliquid infestum statim ad illam occurramus, ne à via, & rectitudine deflectere contingat. Hoc enim videtur docuisse Iob cap.
Iob 17. nu.14. 17. cùm dixit: *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* vbi Orig. ait: vt pueri consolatores parentes habent, sic ego mortem, & putredinem, &c. Videtúrque similitudo in eo consistere, quòd sicut pueri, quando quis ei nocere intendit, aut quid mali inferre, metúmque incutere, illico ad sinus parentum accurrunt, vel ad sorores conuolant, vt solatium, & auxilium inueniant. Sic & Iob cùm se miseriis circumdatum, & malo afflictum contemplabatur, ne quid contra Deum cogitaret, loqueretur, aut committeret, mortem adibat, illiúsque complexu, & consideratione mentem suam fouebat, ne ab officio discederet, sed Dei obsequio perpetuò adhæreret.

Hoc etiam gloriabatur Dauid fecisse iugiter, quando dicebat se Dei aduentum, & vocationẽ è vita non solùm expectasse, sed potius exquisiisse tota huius vitæ nocte, bene quidem operando, séque componendo, quò inueniretur non extincta, sed lucente lucerna & lampade; ídque magis curasse, quando magis laborabat, & periculis tentabatur, vt de vita tantum cogitaret; dicebat siqui-
Psal. 76. nu.2. dem, Psalm. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum.* Super quæ verba August. in Psalm. 143. sic habet. Agat aliquid homo dignũ desiderata luce in istis diebus vmbræ suæ, & in nocte requirat Deum, sicut scriptum est; *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum.* Operare ergo quamuis in nocte manibus tuis, idest, bonis operibus tuis, inquire Deũ, antequam veniat dies ille, qui te lætificet, ne veniat, qui mœstificet, &c. Quid est ergo in nocte apprehendere Deum, antequam alterius vita dies adueniat, nisi mente, & cogitatione mortem amplecti, illiúsque mediante expectatione, & præparatione Deum inquirere, & ad illius aduentum, mortis interuentu disponi: quid est in die tribulatiõnis nocte quærere Deum, nisi quando in hac noctis vita tentamur, & affligimur, vt à Deo discedamus, ad mortem confugere, eiúsque contemplatione Deo coniungi, & copulari, ne aliò diuertamus. Fecerat hoc, & docuerat Paul. 1. Corint. 15. quando *1. Corint. 15. n.31.*
dixit (sicut eum interpretatur Isidor. Pelus. lib. 3. Epist. 399.) *Quotidie morior:* quæ verba sic interpretatur Pelus. Hoc omnino dixit Apostolus, quod ad id paratus esset, nam qui ad aliquid paratus est, etsi reipsa id non sufferat, expectatione tamen, animíque promptitudine id suffert, siquidem res à conatibus plerúmque non ab effectibus indicantur. Sic ille explicat quomodo Apostolus quotidie moreretur, vt tandem benè moreretur; fieri enim non potest, vt qui semper de vita cogitat, & sibi adhuc magnum vitæ spatium superesse existimat, ea animi præparatione mortem excipiat, qua sponsus sui aduentum expectari præcipit, vt nos ad beatitudinis nuptias introducat.

In quam sententiam videndus erit August. Serm. 59. de Verbis Domini post med. vbi locum Ecclesiast. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominũ, &c.* Cõfert *Ecclef. 5. nu.8.*
cum illo. Matth. 25. vbi pulsantibus *Matt. 25. nu.12.*
ad ostium fatuis virginibus noluit sponsus aperire ostium beatitudinis; quia verò foris remansere ex defectu olei charitatis probat idem August.

August. Nullam in se charitatem habere eos, qui cũ videant Deum nullas in operibus charitatis pati moras, erga salutem suam desides, & ignaui reperiuntur, differendo de die in diẽ: sic ergo habet Aug. Multi incipiunt dicere in cordibus suis; si quacunque die cõuersus fuero à via mea pessima, Deus misericors, sicut veraciter per Prophetas promisit, omnes iniquitates meas obliuiscitur: quare hodie conuertor, & non cras? Eat hodiernus dies, sicut hesternus, cras conuertar, & finis est. Respondetur tibi, cuius rei finis? Dicis, iniquitatum mearum. Bene; gaude, quia crastino iniquitatum tuarum erit finis. Quid si ante crastinum tuum erit finis: Ergo bene quidem gaude, quia propter iniquitates tuas conuerso tibi, indulgentiam Deus promisit, sed crastinum diem tibi nemo promisit. Ergo propter istos malè sperantes procedit paterfamiliâs, & dicit eis per aliũ librum: ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira Dei, & in tempore tribulationis disperdet te. Noli differre, noli, quod patet contra te, claudere: ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostiũ, quid moraris? Gaudere deberes, si aperiret aliquando pulsanti; non pulsanti, & aperit, & foris remanes? ne ergo differas. De misericordiæ operibus quodam loco Scriptura dicit Prouerb. 3. *Ne dixeris, vade, & reuertere, cras dabo, cùm possis continuò benefacere, non enim scis quid contingat sequenti die.* Audisti præceptum non differendi, vt in alium sis misericors, & differendo in te crudelis? Non differre debes panem daturus, & differs indulgentiam accepturus? Si miserando alterum non differs, *Miserere & animæ tuæ placens Deo.* Ecclesi. 30. Exhibe, & animæ tuæ eleemosynam, &c.

Prou. 3. num. 28.

Eccl 30. num. 25.

Videndus item in hoc argumento Cæsar Arelat. Episcop. homil. 13. post med. vbi contra desides, & improuidos circa resipiscentiam, & conuersionem suam in hunc modum argumentatur. Considera si iustum est, vt per totam vitam tuam vitiis, & peccatis seruias, & ad acquirendam vitam iam semiuiuus assurgas. Nunquid tibi hoc fieri vis à seruo, vt quãdiu fortis, ac iuuenis fuerit, inimicis tuis seruiat, & cùm ad senectam venerit, tunc ad tuum seruitium redire velit? Quod ergo non vis pati à seruo tuo, non est iustum, vt facias Domino tuo. Cùm tamen multos nouerimus, dum sani essent, frequenter dixisse pœnitentiam se toto corde desiderare, sed tamen, quia illam statim agere noluerunt sine ipsius remedio de hoc sæculo recesserunt: percutitur enim etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei. Nam qui remedium animæ suæ, quia potuit, noluit quærere, postea etsi velit, dubium est vtrum mereatur accipere. Et homil. 17. in med. ait. Non sanitati credendum est, non ætati, in remedia salutis suæ semper tardus est, qui vitæ suæ incertus est. O si tempus pœnitentiæ sic disponeretur, quando est in potestate positum, quomodo si desideraretur amissum. Nos ergo quibus adhuc etsi sub incerta breuitate conceditur curare maculas, subuenire præteritis, consulere futuris, & facere infecta de factis, totis viribus laboremus, vt quod viuimus ad vitam possit apponi, vt quod viuimus, non morti proficiat, sed saluti.

Itaq; vt semper vicinã mortẽ existimaremus, & ne vnquã ab illa procul esse, sed semper ad illã parati incederemus, voluit Deus ignotã nobis esse mortis horã, sicut dixit Hilar. in c. 26. Matt. in fi. Diei, inquit, ignoratio intentã sollicitudinem suspẽsæ

expectationis exagitat. Clariùs Rupert.lib.3. in Genes. cap.25. in med. Mortis,ait ille, diem, vel horam homini incognitam esse voluit, vt dum nescitur,quando sit, quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperque suspectum,superbire non sinat.Dixit enim indefinitè, *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Genes.3. Et non dixit, vsque ad tot annos,vel tot dies, quibus transactis statim reuertaris in terram, de qua sumptus es;ita ergo viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum & rationem de propriis factis redditurum. Ita Rupert. Ex qua doctrina elicimus, quòd si Deus finem nostrũ minimè assignauit, vt semper proximum iudicaremus, contra mentem Dei existimat, & loquitur ille, qui imitatus Ezechiã dixerit esse in exordio vitæ,vel in dimidio dierum,cum fini semper vicinus degat. Ideóque Tertull.lib. de Anima,cap.23. in fin. ait Deus iudicabit semel, & in eum diem,quem solus Pater nouit,vt pendula expectatione sollicitudo fidei probetur, semper die obseruans dum semper ignorat,quotidie timẽs,quod quotidie sperat.Similia sunt quæ habet Chrysost.tom.3. hom.23. in act. Apost.post med.in hæc verba.Timete,quoniã incerti sumus,quid postea futurum, si nunc fuerimus negligentes? *Sicut fur in nocte; ita veniet mors.* 2.Petr.3.Neque simpliciter sicut fur, sed dormientibus nobis insidiatur, desidésque apprehensos abducit. Idcircò incertum voluit Deus esse quãto tempore duraturi simus, vt expectatione incerta virtutem amplexemur sempiternam,&c.

Gene.3. n. 19.

2.Petr.3. n.10.

Optima sunt quæ in hanc sententiam habet Bernard.Ser. de Conuersione ad Clericos cap.14. & Ser. 38. ex paruulis, vbi inuehitur in eos,qui spe veniæ concedendæ sibi in morte liberiùs delinquunt in vita. Vidẽdus item Senec. Epist.4.post princip. vbi ait. Nullum magnum malum, quod extremum est Mors ad te venit; timenda erat, si tecum esse possit, necesse est autem,vt perueniat,aut pertranseat. Hoc quotidie meditare, vt possis æquo animo vitam relinquere: quam multi sic complectuntur, & tenent, quomodo qui à torrente rapiuntur in spinas,& aspera.Pleriq; inter mortis metum,& vitę tormenta miserè fluctuant,& viuere nolunt, & mori nesciunt. Fac itaque tibi iucundam vitam, omnemque pro illa sollicitudinem deponendo. Nullum bonum iuuat habentem, nisi ad cuius amissionem præparatus est animus, nullius autem rei facilior amissio est, quàm quæ desiderari amissa non potest: momento mare euertitur, eodem die vbi luserunt nauigia sorbentur. Et Epist.71. post med.ait. Vis aduersus hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus habita, propone tibi quandoque hoc contubernio carendum,fortior erit ad necessitatem exeundi. Nullius rei meditatio tam necessaria est. Alia enim exercẽtur fortasse in superuacuum: aduersus paupertatem præparatus est animus, permansere diuitiæ; ad contemptus nos doloris armauimus, nunquam à nobis exegit huius virtutis experimentum, integri ac sani felicitas corporis: vt fortiter amissorum desideria pateremur, præcepimus nobis: omnes, quos amabamus, superstites fortuna seruauit: huius vnius rei vsum,qui exigat, dies veniet. Et Epist. 72. Paratus exire sum, & ideò fruor vita, quia quandiu futurum hoc sit, non nimis pendo. Ante senectutem curaui, vt bene viuerem, in senectute, vt bene moriar, bene autem mori est, libenter mori, &c. Quod in Hypolit. dixit Tragicus:

Vbi mori constituit,& debet mori.

Ea

Ea ſiquidē erit optima mors, quę prę-uēta fuerit in vita, & quā quiſq; apud ſe præparatus habuerit conſtitutam.

Igitur qui agnoſcit certiſſimam mortem, nuſquámque & nunquam à nobis procul abeſſe, ad illius aduētum ſe diſponens componit, ne incautū, & oblitum præoccupet, qualem ſanè inuenerat Ezechiam lethalis morbus, mortiſque decretum; in eo enim, dum de præmatura morte cōqueritur, idq; immeritò, dum ſemper ad illam maturi ſimus, quantumcunq; ætati immaturi; diſcimus non mirari, quacunque tandem ætate veniat, cùm in omnes ius habeat, & ex diuina ordinatione exerceat.

ANNOTATIO III.

Præmatura mors Sanctis aliquando nimis fructuoſa; quæ impijs etiam vtilis, ſed ferè ſemper periculoſa.

ILlud in præſenti à nobis reſtat inquitēdum, cur ſcilicet Ezechias de præmatura morte conqueratur, quādo ei nulla ſuppetit ratio. Etenim ſi propriam conditionē expenderet, ex ſuperiùs dictis patet, mortem nullum mortaliū è longinquo reſpicere, cùm potius cuilibet vicina approximet. Vnde Ambroſ. libr. 2. de Vocatione gentium, c. 8. ante med. ait. De immaturitate mortis non eſt ratio cōquerendi, cùm ſemel in naturam noſtrā per peccatū ingreſſa mortalitas, obnoxiū ſibi omnem vitę noſtrę fecerit diē; eſſet enim, quoniā ſecundùm aliquem modū immortalis dici homo poſſet, ſi eſſet tēpus, intra quod mori omnino non poſſet: ſed nunquā corruptio ita incorruptionis eſt particeps, vt non ſemper obnoxiū ſit defectioni, quod debetur occaſui. Vitæ huius principium mortis exordium eſt, nec priùs incipit augeri ætas noſtra, quàm minui. Cui ſi aliquid adiicitur ſpatij temporalis, non ad hoc accedit, vt maneat, ſed in hoc tranſit vt pereat. Quòd ergo ab initij ſui die mortale eſt, qualibet occidat die, non cōtra legem mortalitatis occumbit, nec vnquā ei viciniùs eſt poſſe viuere, quàm poſſe deficere. Quamuis autem ex vna cauſa omnium hominum ſit orta mortalitas, non in vnam tamen, ſed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura diſtrahitur: & ſiue morbis, ſiue debilitatibus, ſiue vulneribus non ſolùm anni, aut menſes, vel dies ætatis humanæ, ſed omnes horę, omniaq; momenta ſubiecta ſunt, nec eſt aliquod mortis genus, aut vllus obeundi morbus, qui non intra vniuerſitatem mortalium in aliquam incidat portionē: manet enim graue iugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum in diē ſepulturę in matrem omnium. Huic in pueritia finis eſt illi in adoleſcentia: huic vltra iuuentutem non licet progredi: illi impoſſibile eſt ad loquendi rudimenta gradeſcere. Sic ille oſtendit quomodo nemo poſſit mirari mortem, quod citò perueniat, quandoquidem iugiter cum illa verſatur, & cōgreditur; aut quod repentè ſuccidatur, cum abſciſioni vicinus ſemper adſit, quin potiùs pro tranſacta debet reputare vitā, vt mortem præſentē iugiter cōtempletur. Quod optimè aduertit Aug. in Pſalm. ad illa verba; *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præterijt*; quaſi ex Deo debeamus diſcere, quo pacto vitam noſtram reputare teneamur. Pſal. 89. num. 4. Quantumlibet huic vitæ, inquit ille, longum tempus optetur, mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quę pręteriit. Non ſaltem tanquam dies craſtinus, qui venturus eſt, ita omnia, quæ tēporis fine clau-

 duntur,

duntur,pro transactis habenda sunt. Vnde & ea sibi Apostoli Pauli postposuit intentio ad Philip.3. *Quæ retro sunt obliuiscentis*, vbi téporalia cuncta oportet intelligi, & in ea, quæ ante sunt,extendi. Quibus in verbis August.ex Dauide docet,nullum de futura vita posse, aut esse sollicitum, aut securum, sibive vlteriores dies promittere,cùm vita vsque adeò breuis sit,mortiq; commixta, vt potiùs pro transacta iam debeat censeri.

Philip. 3. num. 13.

Rectè hac de re loquentem audiamus Senec.Epist.24.post med.vbi sic ad Lucill.scribit.Hoc turpissimũ est, quod nobis obiici solet, verba nos philosophiæ nõ opera tractare.Quid tu nunc primũ tibi imminere mortẽ scisti,nunc exiliũ,nunc dolorem? In hæc natus es, quidquid fieri potest, quasi futurũ cogitemus. Memini te aliquando illũ locũ tractasse,non repentè nos in mortẽ incidere,sed minutatim procedere; quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quocunque cùm crescimus,vita decrescit.Hũc ipsum, quẽ agimus diem,cũ vita diuidimus. Quemadmodum clepsidra, non extremũ stillicidiũ exhaurit, sed quidquid ante defluxit: sic vltima hora, qua esse desinimus,non sola mortem facit, sed consummat: tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus: mors non vltima venit,sed quæ rapit vltima,mors est.Sic ille ostẽdit,quomodo mortem nobiscum feramus,& iugiter patiamur,quo minus de illa assuefacti doleamus, cùm tandem aduenerit.Imò quia illa finem tot laboribus, & miseriis imponit,quocunq; tandem adueniat tempore, æquo, si non læto,animo ferenda sit.Vnde & Paul. mortẽ appellauit lucrum. Philipp.1.nu.21. Scilicet,quia in morte homo,(vt Chrysost.ait)& laboris,& peccati præscisionem elucratur. Et Theoph. ibi ait, fit itaque vt lucrum

Philip.1. num. 21.

mihi sint allaturi, qui hac me vita exuerint. Quæ est ratio,vt viri sancti mortem quocunque tempore adueniat,non deplorent, imò tam æquo animo excipiant,quod potiùs illi occurrere videantur, sicut ostendit Iacob Patriarcha Gen.49.vbi sacer tex. ait;*Finitis madatis,quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectum, & obijt*.Quod Hieron.in cap.1.Sophon. non longè à princ. legit: Leuans pedes suos super lectum, defecit. Eodémque modo legit Chrysost. mox citandus;quę verba mihi innuũt tam libenti animo Patriarcham mortem excipisse, vt non contentus si ea corriperetur in lectulo,ab illo alleuatus voluerit ei occurrere, eamq; amplexari.Sic verò rem exprimit Chrysost, hom.vlt. in Gen.post med. Vide, inquit,mortem iusti etiam magno miraculo plenam:nam postquam imperauit pueris,subleuauit pedes in lectũ suum, quasi cum voluptate rem aggrederetur. Sic ille videtur alludere ad illud Matth.25. Quando clamor factus est, & dictum dormientibus virginibus:*Ecce Sponsus venit,exite obuiam ei.* Iusta enim, & sancta anima, aduenienti Sponso, & per mortem vocanti,læta debet occurrere,ipsumque expectatione præuenire.

Gen. 49. num. 32.

Matt.25. num.6.

Pulchra iridem sunt, quæ de hac re habet Ambros. lib.2.de Iacob, & Vita beata cap.9. Et hæc videtur ratio, cur aduentum suum ad repetendam vitam nuptiarum nomine appellet Christus.Luc.12.& Matth.25. vt scilicet festiuo, ac hilari animo mortem pręstolemur.Vbi notandum venit,quod dixit Diog. Cynic. apud Plutarch. lib. de Tranquillit. animi. etenim cuidam Lacedæmoni præparanti se quadam die ad festiuitatem, idque magno studio dixit: An non videtur probus vir,quemuis diẽ festũ censet? Quod rei præsenti aptissimè congruit, nuptiis enim diuini Spõsi,

Luc. 12. nu.36.& Matt.25. num. 1.

&

& æternę festiuitati virũ probũ oportet iugiter esse paratũ, ne improuidũ Dei aduentus cũ intercipere possit; qui verò ad huiusmodi festa se pręparat,& ad agni esum se cõponit, etiã antequã adueniat tẽpus lætitiæ, & securitatis futuræ cõpos redditur.

Hoc ipsum etiã videmur precari. cùm dicimus; *Adueniat regnum tuum*; vt scilicet per mortem ad vitam perueniamus. Ex quibus verbis D. Cromatius Aquilien. Episcop. in cap. 5. Matth. Infert nos, qui quotidie Deũ per mortem interpellamus, ad illam debere semper esse paratos. Quia, vt regnũ Dei, inquit ille, semper optamus: tales non in fide Domini,& in mandatis eius exhibere debemus, vt futuro regno digni esse possimus. Sic ille. Et sanè, quia ex dictis nulla ætas morti immatura est,in nulla licet conqueri, si accedat, quinimo qualibet pulset hora, maturos debet in nobis reperire fructus. Vnde Ambros.lib.3.Exam.cap.12. ad fin. postquam eleganter descripsit vitis fœcunditatẽ, cuius similitudine homo indicatur in sacris literis addit. Nec aduertis ex his admoneri te, homo, ne immaturos fructus tuos inueniat supremus dies, & plenè tempus ætatis opera immatura deducant? Acerbus enim fructus amarior esse consueuit,nec potest dulce esse,nisi quod ad maturitatis perfectionem adoleuerit,&c.

Videnda item in hanc sententiam quæ habet Clem.Alex.Orat. ad gentes in hunc modum. Planta cælestis cũ sit homo,vt cælestes quoq; virtutũ fructus ferat, inutiles vitiorũ stolones pęnitẽtię ferro circũcidat, &c. Conuenit enim huic cælesti plantæ, quod dixit Lyricus, ab ipso ducit opes, animũq; ferro;non scilicet igni deputetur æterno.Et in eandem sententiã Chrysost.hom.24.ex variis in Matt.locis ad med.ait.Esto itaq; homo arbusculæ tuæ valde diligẽs cultor, esto huius plãtationis sollicitus amator,vt in ea arida quæcũq; sunt, abscindantur: quæ infructuosa sunt amputentur:quæ fructuosa sunt, excolantur,diffusos ramos, & nemorũ opacitate cõdensos spiritali falce cõponat,vt abundantes fructus potius quã luxuriã mali germinis nutriant; vbertatis enim genere nõ inani specie Dominus delectatur, steriles non amat, fœcundas exoptat, fructuosas diligit,aridas amputare cõsueuit.Exhibe ei quod desiderat,& accipies ab eo,quod donat. Diximus superius in hominẽ figuram esse arboris transferendã, cũ Dominus Christus nec ad arborẽ posset,nisi figuratè alieno tẽpore accedere,nec ab ea fructum,qui deerat,quasi desiderans postulare,sed hoc totũ in figura hominis gestũ est, qui semper debet in se se debitos fructus habere, nec vnquam sine ipsis inanis,& vacuus consistere,quippe qui paratus sit semper, vt si fortè Dominus ad eum venerit, & fructũ in eo,id est, officia sancta quæsierit, inueniat eum semper paratum, semperque fructu bonę vitę instructum; nam quod dixit, non fuit tempus, vt fructus Dominus inueniret,hominis istic causa tractatur. Tuum illud est tantùm semper esse paratum,vt quouis veniat tempore semper dignus existas,&c.

Debemus itaq; arborẽ hãc nostrã ita colere,vt nunquam Domino Deo infructuosa appareat. Nã sicut dixit Hieron. Epist. ad Oceanum ante fin. loquens de Fabiola.Dum semper paratur,mors eam inuenire non potuit imparatam. In quam sententiã rectè loquutus Senec.Epist.12.in med.ait. Molestum est, inquis, mortem ante oculos habere. Primùm ista, tã iuueni ante oculos debet esse, quam seni; nõ enim citamur ex cẽsu.Deinde nemo tã senex est, vt non improbi vnũ

diem speret. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquã cogat agmen & consumet, atque expleat vitam. Pacuuius qui Syriam vsu suam fecit, cum vino, & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentauerit, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, nullo non se die extulit. Hoc, quod ille ex mala conscientia faciebat, nos in bona faciamus, vt in somnium ituri læti, hilaresque dicamus.

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Crastinum si adiuuerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, vixi, quotidie ad luctum surgit. Sic ille, cuius illa verba explicanda sunt: nullo non se die extulit, idest, funera sua peregit, & se pro mortuo reputauit, nã effero, funebre verbum est: olim enim extra vrbes efferebantur cadauera, vt sepelirentur, exceptis iis, qui gessissent magistratus. Honestiores autem sepeliebantur iuxta vias, vnde frequenter epitaphia ad viatores diriguntur, vt constat ex Liuio lib. 2. ab vrbe condita Vnde Auson. Epist. 73.

Ecce hodie, iussus transferri ex æde vetusta,

Effertur, &c.

Quod Rader. in Martial. lib. 1. Epigram. 28. explicat. Effertur ex æde, in ædem, vel ex æde quasi ad rogum, seu tumulum. Effertur, Latinis propriè de funere dicitur. Vnde Terent. in Andron. Effertus imus, &c. Et Plaut. in Asinar. Vtinam sic efferamur. Et Cicer. pro Flacco, cùm efferetur magna frequentia. Eodémque verbo vsus est Martial. lib. 2. Epigr. 65. Et in Sacro Sermone. Exod. 13. *Efferte ossa mea*, inquit, *vobiscum*. Et Luc. 7. *Defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.* Actor. 5. *Efferentes sepelierunt.* Et nu. 9. *Efferent te.* Sensus ergo loci adducti ex Seneca est, quod Pacuuius quotidie funus suum celebrabat, se vita functum reputans, quod faciendum monet Seneca iis, qui ad mortem se præparare voluerint, quod prosequitur Ambros. in Psal. 1. ad illa verba. *In via peccatorum non stetit*; vbi ita ait. In via es ô homo, ambula, vt peruenias, ne te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ, antequam progressum vitæ acceleres, quod in rem præsentem sic conuertimus: ambula, & perfice, ne quando vocatus dicas, *Dum adhuc ordirer succidit me.* Non enim rectè loquitur, qui fini minimè proximum se fatetur, & in exordio adhuc consistere existimat, cùm semper è propinquo debeat mortem contemplari.

Exod. 13 nu. 19.
Luc. 7. n. 12.
Actor. 5. nu. 6.
Psal. 1. nu. 1.

Similia sunt, quæ habet Basil. ad eadem verba Psal. & Greg. 25. moral. cap. 2. & 8. moral cap. 3.

Cùm igitur teneamur mortem præmeditari, & ad illius aduentum iugiter præparari, nulláque sit immatura mors huic arbori, quæ maturos semper debet habere fructus bonorum operum, mirum profectò est, quod Ezechias conqueratur de præcoci, & ante tempus aduentante morte, neque hac in re nobis imitandus proponitur, qui potiùs libenter debemus suscipere aduentum Domini, & ad illum vigilantes adesse, ne extra diuinum chorum fiamus cum stultis virginibus.

Deinde etiam cùm Ezechias vitam in diligẽdo, & colendo Deo toto corde transegerit, sicut ille dixit Isai. 38. *Memento quomodo ambulauerim coram te corde perfecto.* Est autem ambulare cum Deo, & coram Deo hebraïsmus frequentissimus in scriptura, & significat placere Deo, eique morem gerere. Vnde Gen. 6. dicitur.

Isai. 38. nu. 3.
Genes. 6. nu. 6.

Noë

Noë vir iustus, & perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Chaldæus vertit: *In timore Dei ambulauit.* Supponit autem timor pro Religione Dei in Scriptura, sicut alibi ostendimus, eadémque phrasi dixit

Gene.17. nu.1. Deus ad Abraham, Genes.17. *Ambula coram me, & esto perfectus,* id est, ad nutum meum viue, quod LXX. indicant dum legunt, *Complace coram me,* & Chaldæus, *Seruias coram me.* Et 3.

3. Reg.8. nu.23. Reg.8. *Qui custodis pactum, & misericordiam seruis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo.* Et de Enoch dicitur

Genes.5. nu.22. Gen.5. *Ambulauit Enoch cũ Deo,* quam phrasim explicans Paulus

Hebr.11. nu.5. Hebr.11. vertit, *Enoch placuit Deo.*

Scio hunc loquendi modum exceptionem pati in eo, quod legimus de Sacerdote Abiatar, quem subrogauit Salomon pro Sadoc. vbi dicitur

1. Reg.2. nu.31. 1.Reg.2. *Ædificabo ei domum fidelem, & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.* Vbi ambulare coram Christo nihil aliud significat, quàm fungi sacerdotio, sicut bene exponit Lyran. Siue in gratia esset gratum faciente, siue non.

Ambulauit itaque Ezechias coram Domino corde perfecto, & sic ambulãdo potuit breui tẽpore multam viam conficere, & ad cumulatissima merita peruenire, iuxta illud,

Sapiẽt.4. nu.13. Sapient.4. *Consummatus in breui expleuit tempora multa:* vbi Iansen. explicat: breui tempore perfectionem vitæ est assecutus. Conuenit & Isidori Clari expositio ad illũ locum, quæ sic habet: quæ alius vix longissima ætate absoluisset, hic paucis annis exegit. Et Anastas. Synaït. q.17. cum Bernard. & Glossa ait. Perfectus in modico expleuit tempora multa: quod ex Bernard. Epist.253. sic possumus explicare, cùm dictum locum versat. Quanta sanè tempora non longæuitate, sed longanimitate, hoc est, non annorum serie, vel dierum numero, sed mentis deuotione, & inextinguibili semper proficiendi desiderio percurrere potuit (scilicet iustus) tanta sibi in meritis non immerito vendicauit. Bonauent. verò sic explicat dicta verba. Perfectus in gratia modico tempore expleuit meritum; quod alij acquirunt per multa tempora.

Cùm igitur Ezechias etiamsi breui tempore vixerit, & ad dimidium vitæ secũdùm existimationem suam peruenerit, ambulauerit tamen coram Deo corde perfecto, maius sanè merebatur præmium, quàm alij longo tempore viuentes, vnde nouissimus à Deo haberetur primus ex Matt.cap.19.nu.30.& cap.20.nu.16. Nec enim merces tempori quo quis laborat, sed operi, quod facit, respondet. Vnde non est cuiquam de antiquitate vocationis suæ gloriandum; quod cùm facere vellent Iudæi, adhibuit Christus Dominus parabolã de operariis Matth.20. Ex quibus ij, *Matt.20. nu.1.*

qui in prima hora venerãt, eundem receperunt denarium, quem & prius venientes, & longiori tempore laborantes, eò quòd tantũ laborauerant, quantum priores illi. Priùs verò acceperũt denarium ij, qui posteriores venerant, quàm qui manè accesserant, quoniam hoc ipsum, nempe quòd breuiori tempore fuerant diligentiores eam merebantur laudem, & prius affecti sunt præmio, qui melius repleuerant tempus. Etenim Fulgent. Epist. 2. cap. 4. legit dicta verba Sapientis, *Consummatus in breui, repleuit tempora multa.* Vacua enim sunt tempora, quæ in benè operando non expenduntur, adhoc siquidem datur nobis tempus, vt iustis operibus repleatur. Vnde D.Th. interpretatur menses illos vacuos, de quibus Iob conqueritur cap. 7. de illo tempore, quod in humana versatus est *Iob 7. nu.3.*

felicitate, neque virtutibus totus deditus

ditus

Apoc. 3. nu. 2. ditus incũbit;quo etiam ſenſu Apocalyp. 3. Dicuntur opera vacua,quæ ad profectum, & meritum non conducunt.

Aſſecutúſque eſt ratione naturali quomodo ſecundùm eandem rationem tempora, dies,& vita repleatur, Seneca quando Epiſt. 94. poſt princ. ait. Non vt diu viuamus curandum eſt, ſed vt ſatis: nam vt diu viuas fato opus eſt; vt ſatis, animo. Longa eſt vita ſi plena eſt, impletur autem cùm animus ſibi bonum ſuũ reddidit,& ad ſe poteſtatem ſui tranſtulit.Quid illum 80.anni iuuant per inertiam exacti? Non viuit iſte, ſed in vita moratus eſt; nec ſerò mortuus eſt,ſed diu,80.annis vixit,intereſt mortem eius ex quo die numeres. At ille obiit viridis, ſed officia boni ciuis, boni amici,boni filij executus eſt. In nulla parte ceſſauit, licèt eius ætas imperfecta ſit, vita perfecta eſt. 80.annis vixit;imò 80. annis fuit:niſi fortè ſic vixiſſe eum dicis, quomodo dicuntur arbores viuere. Obſecro te (mi Lucille) hoc agamus, vt quemadmodum pretioſa rerum, ſic vita noſtra non pateat multum, ſed multum pendat: actu illam metiamur, non tempore, quemadmodum in minori corporis habitu poteſt homo eſſe perfectus, ſic & in minori temporis numero poteſt eſſe vita perfecta. Ætas inter externa eſt,quamdiu ſim alienum eſt: quandiu verò vir bonus ſim, meum eſt. Quæris quod ſit ampliſſimum vitæ ſpatium? vſque ad ſapientiam viuere, non maiori ſpatio alter alterum præcedimus. Sic ille.

Et in hoc ſanè ſenſu non poteſt cenſeri iuuenis, neque correptus in exordio vitæ, qui tempora ſic repleuerat, & expleuerat, quomodo Sanctus Ezechias de ſe fatetur: nam ex
Sapien.4. nu. 8. eodem Sapiente, eodem in cap. n. 8. dicitur: *Ætas ſenectutis vita immaculata*, vbi ſtatim occurrit Ambroſ. in funere Theodoſ. Perfecta eſt ætas, vbi perfecta eſt virtus. Et Fulg. loco citato in noſtram ſententiam congruenter ait. Sancta Scriptura nos docet in hoc ſæculo Chriſtianis fidelibus non vitam longam prodeſſe, ſed bonam, ſcilicet ad cognoſcẽdum quantum poſſibile eſt,cuiuſlibet defuncti meritum, non quantum vixerit, ſed qualiter quiſque vixerit, intuendum; vbi iterum occurrit Seneca Epiſt. 56. ad fin. dicens. Doce non eſſe poſitum bonum vitæ in ſpatio eius, ſed in vſu,poſſe fieri,imò ſæpe fieri,vt qui diu vixit, parum vixerit. Et Plutarch. in Orat. conſolatoria ad Apollonium ait. In ſumma omnia tibi in animo ſunt voluenda præſenti apud te, & apud alium ſeduìo, non eſſe longiſſimam vitam optimam, ſed honeſtiſſimam. Et Clem. Alex. 6. Stromat. loquens de ſapiente,& iuſto viro ait.Hic non viuere, ſed bene viuere faciet plurimi. Vnde & Seneca Epiſt.79. in fin. ex Poſſidon.ait,Vnus dies hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas. Et Sapient. eodem cap.num.16.*Condemnat iuuentus celerius conſummata longam vitam iniuſti.* Denique Auguſt. Serm. 64. de Verbis Domini, poſt principiũ, pulchrè dixerit: Non magnum eſt diu viuere, aut ſemper viuere, ſed magnum eſt beatè viuere, &c.

Cùm ergo Ezechias totam iuuentutem ſuam in operibus iuſtitiæ exegerit, multaque tempora expleta habuerit,& maioribus meritis abundauerit, quàm alius, qui diu vixiſſet, & ad multam virtutis ætatem peruenerit, nõ erat cur de vita ſibi adempta, & præmatura morte conquereretur,cùm potius Rex iuſtus,& pius, in plenitudine temporis eſſet, dum breue tempus ſic diſpoſuit, & adimpleuit, vt nullum habuerit vacuum, &

& quodcunque illi completum adesset, vt quandocunque à Deo vocaretur, sponso plenus maturis fructibus obuius occurreret.

Quinimò si rem altiùs rimari velimus, debuit potiùs gratias Deo referre, quàm conqueri; mæstitiáve affici, vtpote cui posset notum esse, Deum electos suos aliquando in iuuentute vocare, & præmatura morte, tollere, quia præsciuit, si diutiùs viuerent, peccatis tandem esse contaminandos, & æternam pœnam incursuros. *Populi quidem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordijs talia.* Properat enim Deus properatè bene agere de iniquorum cõsortio, & periculis eruere, ac imperita multitudine: vides probi iuuenis mortem, neque illius prospiciens rationem, quasi, vel indignum fuerit, vt tam citò moreretur, vel id peccato aliquo suo commeruerit, aut aduersus Deum quæritatur, aut innocentem accusat, aut pietatis studium prorsus inutile arbitratur. Sapient.4. vbi Græcè pro eo, quod nos habemus; *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum*, sic habetur: *Nam placebat Domino anima ipsius, quapropter properè excessit de medio prauitatis.* Vbi notanda sunt illa verba, *Properè excessit de medio prauitatis.* Properauit enim Deus, vt eum educeret, quod nostra Vulgata expendit, & iustus etiam non solùm excessit, sed properè excessit, quasi velociter fugeret occasiones, quæ passim, & vbique in vita occurrunt, & abundant. Sic enim locum exponunt Cantacuzen. Iansen. & Anastas. loco superius citato. Cæterum quia si iustus abiit, id profectò adscribendum est Deo, propterea additum est Græco à Latino educere, vbi August. lib. de Vita Christiana, cap.5. post med. tom.9. legit, *Properauit eripere*, & Cyprian. lib.3. Testimon. num.58. *Festinauit eripere illum*; quasi velit dicere, quòd ille, qui in adiutorium suorum aduocatus, vt festinet, quàm ocissimè subuenire solet, votis iusti annuens, festinauit etiam, vt eum eriperet de medio iniquitatis, quę iam inde properabat, vt eum sibi eriperet, nisi citiùs properaret Deus, vt iustum de ergastulis vitæ liberaret.

Sapien.4. num. 14.

Clariùs hoc habemus in eodem sacro textu, & cap. num.10. & 11. vbi dicitur: *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* Quo in loco sacri Interpretes communiter intelligunt locum de Enoch, de quo Genes.5. dicitur: *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Ex Græco ad verbum: *Placuit Deo, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus*: in cuius translatione adumbratur, & significatur ea, quæ fit de ista peregrinatione ad æternæ vitæ quietem, sicut ibi indicant Bonauent. Hugo, & Holcoth. Is igitur, qui Deo placet, secundùm istum textum transfertur, & eripitur de hac vita, quàm citissimè, ne diutius viuens iniquis aliorum exemplis, ac suasionibus, variisq; occasionibus innocentiam perdat. Adeóque hoc certum, & vulgate est, vt his verbis Fulgent. Epist.2. cap.4. Gallam de mariti morte soletur. Et Paulin. Epist.35. post med. tristitiam de vxoris morte leuauerit Pammachio in hunc modum. Gratulemur iusto-cius auitui, & fini maturo, quæ etsi adhuc flore annorum viuebat, tamen morum sanctitate canuerat, & ætatem puellæ stipendiis senectutis ornabat; properauit eam Deus de medio iniquitatis educere, ne intellectum nostrum malitia nostra mutaret: *Quia totus hic mũdus in maligno iacet.* 1. Io.5. *Eloquia mala plerumque corrũpunt bonos mores.*

Sapien.4. num. 10.

Genes.5. num. 24.

1. Ioan.5. num. 19.

mores. 1. Cor. 15. *Et qui picem att[i]git, [in]quinabitur ab ea.* Eccles. 13. Quo metu quidam sanctus more metuens, & & de tardo sene sollicitus, orat Deū, vt notū sibi faciat finē suum, & numerū dierū suorum. Psal. 38. Et quoniam reuelante spiritu, quo prophetauerat, agnouit prorogata sibi tempora, ingemuit dicens: *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est.* Psal. 119. Causam verò gemitus, & timoris hāc esse testatur, quòd habitauerit in tabernaculis Cedar, idest, in tenebris istius mundi. Denique ipse Dauid in duobus filiis diuerso merito sibi amissis mysteriū istius veritatis exercuit, qui filium dilectissimum, quem fleuerat ægrotantē, non fleuit amissum, certus infantem ad pacis æternę beatitudinem translatum. At verò idem Absalon, quem inimicum habuerat, mortuum lamētatus est, quia diuinæ iustitiæ, vt Propheta, cōscius, desperauit impio requiem, & resurrectionis bonum sciuit indebitū parricidæ. Idem, qui paruulo ægrotanti impendebat lacrymas, hunc sibi lugendi finem fecit, quem paruulus viuendi acceperat; itaque vt filius corpore, sic pater luctu solutus est, &c. Videndus item Ambr. Orat. funebri de Obitu fratris, ante med. vbi affert prædicta Sapiētis verba, & sic de fratre ait: Raptum ex imminētibus malis, vrgentibúsque periculis gaudere debemus; non nobis ereptus est, sed periculis, &c. Et Cyprian. Serm. 4. de Mortalitate ad fin. ait. Per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant, maturiùs hinc eximi, & citiùs liberari, nedum in isto mundo diutiùs immorantur, mundi contactibus polluātur. *Raptus est*, inquit, *ne malitia mutaret intellectum eius, placita enim erat Deo anima eius, propter hoc properauit educere eū de media iniquitate.* Eius est in mūdo diu velle manere, quem mundus oblectat, quem sęculū blan[di]ens, atque decipiēns illecebris terrenæ voluptatis inuitat, &c. Et quid amplius est hac in re, quod eam videtur assecutus Menander, cùm dixit. Quem enim amat Deus, moritur iuuenis, ob eam scilicet rationē, quam adduximus, quod breui consummatus expleuerit tempora multa, & ne diutiùs in vita detentus magnam contraheret malitiam. Primū prosequitur Senec. Epist. 71. post pr. dicens. Clementissimus portus est aliquando petendus, nunquam recusandus. In quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet, quàm qui citò nauigauit; alium enim, vt scis, venti segnes ludunt, ac detinent, & tranquillitatis lentissimo tædio lassant: alium pertinax flatus celerrimè perflat. Idem euenire nobis putat: alios vita velocissimè adducit, quò veniēdum erat, alios macerauit, & coxit, &c.

Eccl. 13. num. 1.

Psal. 38. num. 5.

Psal. 119. num. 5.

Sapien. 4. num. 14.

Itaq; præclarissimum beneficium cēsetur collatum à Deo dilectis suis, dum eam gratiam confert, qua citius perueniant ad terminum prædefinitum meritorum, & quando etiam morte corripiuntur in statu iustitiæ, ne procedentibus annis in grauiora incidant peccata, & æternam mortem incurrant, quod aptissima similitudine demonstrat Gregor. Nyssen. Orat. de Infantibus præmaturè morientibus, post med. in hunc modum. Verisimile est eum, qui id, quod futurum est æquè, atque præteritum cognouit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod in præscia mali animaduersum est in eo, qui ita victurus fuisset vitij, nequitiæ materia vita fuit. Atque hunc intellectum similitudine, quod facilè fuerit, exprimere, atque repræsentare: sit enim exēpli gratia ex omni genere ciborum opiparum quoddam conuiuis epulum propositum. Huic præsit ex conuiuis is, qui exactè

actè cuiusq; naturæ proprietatē nouerit, quid tali quidem tēperamento, atq; cōplexioni commodū, quid item noxiū, & incōmodū sit, addita sit itē huic cū authoritate potestas, & officiū, vt ad suū arbitriū aliū quidē vti, & frui appositis sinat, aliū verò prohibeat, & omnia faciat ad hoc, quo quisq; suo tēperamento, atq; cōplexioni cōmoda, conuenientiaq; attingat, ne vel morbo obnoxius per ęsculenta, materiam morbo adiiciēs cōficiatur, vel robustior incōmodo cibo, molestiā ex humorū abundātia contrahat, atq; laboret. In his aliquis vinolentię addictus, vel ex medio conuiuio educatur, vel cùm incipiat inebriari, vel in finem vsq; perueniat in cæna, hæc itaq; profectò administrāte, vt nullū ex abundantia, atq; ebrietate, mentísque deprauatione malum existēs in medio relinquatur, sed perpetuus decor, & honestas in mensa seruetur. Quemadmodū igitur ei, qui à nitore condimentorum auellitur, priuatio eorū, quę cordis sunt, ingrata, atq; iniucūda est, atq; importunitatis, ac temeritatis cuiusdā perfectū condēnat, quasi inuidia quadā, & nō prouidentia ab appositis arcentē. Sed si ad eos, qui prorogatione ebrietatis vomendo, caputq; grauatū iactando, ac temerè, quæ non deceat, proferendo, etiam nunc se turpiter gerētes respiciat, gratiam habet ei, qui antequā talia sibi acciderent, ab immoderata repletione prohibuerit. Si igitur similitudo à nobis intellecta est, facilè fuerit in ea à nobis speculationem ad propositum sensum accommodare. Quid enim erat propositum? Cuius rei gratia quàm plurimum studium parentes in hoc ponāt, vt suarum sibi facultatū successor reseruetur? Deus sæpe ante tempus, ac præmature in imperfecta ætate abripi sinit, id, quod raptū est, his, qui ita interrogāt, referemus illam cōuiualē similitudinem, ne ergo in tali mensæ apparatu diutiùs immoretur, qui non rectè ac decenter cōuiuio educatur, citiùs educitur ex cætu, atq; concessu conuiuarum, id lucrifaciens, quod in illa molestia, atq; turpitudine non versetur, quarū rerum immoderata sumptio, helluonibus consiliatrix existit. Hoc est, quod dico perfectę atq; abstinentiæ prouidentia opus esse, non solum cōtractos curare morbos, verumetiā prohibere, antequam contrahantur: quā adeò opinionem etiam de morte infantium modò natorum habemus, quòd is, qui ratione omnia facit, humanitate adductus, vitij materiam aufert, spatiū temporis voluntati per præscientiā notatæ, & animaduersæ non dans, vt per opera nequitiæ, vitiiq; excellentia ostēdatur, qualis sit, quem ad malum impetum habeat, &c. affectū. Sic ille apposita similitudine diuinam pręscientiam omnia intima attingentem proponit, in qua cum Deus prænouerit iustum adolescentem, si diutiùs sinatur viuere à iustitia defecturum & grauissima scelera commissurum, ne eadem committat, & æterna incurrat supplicia, dum adhuc in iustitia est, morte corripitur, vt æterno fruatur præmio, ad quod electus, & prædestinatus à Deo est.

Facit in hanc sententiam Ambr. in Psalm. 38. ad illa verba: *Mensurabiles posuisti dies meos*, vbi eorum lectionē prosequitur, qui verterunt *palmares posuisti dies meos*: Fortè, inquit ille, propter peccata hominum breuiores vitæ istius dies fecit Deus, quæ ante, & nongentis, & septingentis annis extēdebatur: aut certè sic intelligendū: ne peccatū cresceret, abbreuiasti dies vitę humanę, quę viuimus in his terris, &c. Etenim ibi quem grauius peccaturū Deus cognouit, vitā citissimè aufert: & quē præsciuit in senectute periturū, succindit in exordio pro maximo beneficio, quod sibi etiā

collatiũ existimare potuit Ezechias, cum factus fuerit Dei dilectus, suos autẽ in meliori ætatis portione ad se vocat,& corripit benignus Deus, ne si ad postremã deueniant,in grauissima prolabantur peccata:& cũ iustus quocunq; tandẽ tempore reuocetur è viuis,satis longam confectam ætatem habet, sicut superiùs ostẽdimus: vnde & Martial.lib.10.Epigr.22.ait.

Ampliat ætatis spatium sibi vir bonus : hoc est

Viuere bis, vita posse priore frui.

Nam qui benè, & secundùm iustitiã viuit , dum postea anteactæ vitæ recordatur,& lætitia afficitur,& beatitudine coronatur,proindeque bis vixisse dicitur;qui autem bis vixit,quomodo potest dici,quod breui vixerit? quo sensu bene habet Hebræus codex Psal.26.*Credo videre bona Domini in terra vitarum*,pro eo,quod nos habemus, *in terra viuentium.* Dupliciter enim censentur viuere Sancti,& vita beatitudinis , & bene transactæ vitæ recordatione,& lætitia.Hoc minimè assecutus Cornel. Tacit. pro hoc argumento,de Iulio agricola in medio annorum sublato , non ad æternam lætitiam,sed ad perpetuum dolorem; quia verò ad præclara virtutis ornamenta,consulares scilicet dignitates, ac celebrem triumphum peruenerat, dixit.Ipse quidem quanquã in medio spatio integræ ætatis ereptus,quantũ ad gloriam lõgissimũ æuum peregit. Quippe & vera bona(quæ in virtutibus sita sunt)impleuerat,& consularibus , ac triumphalibus ornamentis prædito, quid aliud astruere fortuna poterat?Et Senec.Epist.78.post prin. in eandem sententiã ait. Iter imperfectum erit,si in media parte,aut circa petitum locum steteris : vita non est imperfecta , si honesta est. Vbicunque desines,si bene desinis , tota est. Et in fine Epistol. sic concludit: Quomodo fabula, sic vita:nõ quandiu,sed quam bene acta sit,refert.Nihil ad rem pertinet,quo loco desinas: quocunque voles desine,tantùm bonam clausulã impone.Cùm ergo hoc ita se habeat, apertè constat,immeritò Ezechiã conquestũ de Deo, quòd tam citò è vita mortali , morbo corriperetur , cùm potiùs hoc pro signo singularis erga se beneuolentiæ diuinæ posset, & deberet reputare:maximè cùm quidam ex maioribus suis, nempe Salomon,diuinò afflatus numine , id docuerit de iusto , dicens: *Factus Deo dilectus,raptus est,ne malitia mutaret intellectum eius.* Et quidem se fatebatur rectè antea dixisse , potuit existimare,malè mori nõ posse, quocunque tandem die discederet;iustus enim confidit in morte,cũ bene operatus est in vita.Imò & nota sapiẽtis hominis esse dixit Seneca. Minimè metuere,dum è vita mortali exit. Sic enim habet Epist.121.post med. Necessariò magnus apparuit , qui nunquã malis ingemuit,nunquam de fato suo questus est, fecit multis intellectũ sui,& non aliter quàm in tenebris lumen effulsit , auertitque in se omniũ animos , cùm esset placidus, & lenis,& humanus, diuinisq; rebus pariter æquus:nunquam magis diuinum est pectus,quàm vbi mortalitatem suam cogitat , & scit in hoc natum hominem,vt vita defungeretur: nec domum esset hoc corpus , sed hospitium , & quidem breue hospitium , quod relinquendum est,vbi te grauem esse hospiti videas. Maximum argumentum est animi ab altiori venientis sede,si hæc, in quibus versatur , humilia iudicat , & angusta ; si exire non metuit , scit enim quo exiturus sit , qui vnde venerit, meminit ; erramus , qui vltimum timemus diem , cùm tantundem in mortem singuli conferant. Ad mortem dies extremus peruenit , accedit omnis. Ideò magnus animus conscius

Psal. 26. num. 10.

Sapien. 4. num. 10.

ſcius ſibi, melioris naturæ debet quidem operam, vt in hac ſtatione, qua potitus eſt, honeſtè ſe, atque induſtriè gerat. Cæterùm nihil horum, quæ circa ipſum ſunt, ſuum iudicat, ſed vt cômodatis vtitur peregrinus, & properans. Cùm aliquem huius videremus cõſtantiæ, quidni ſubiret nouas ſpecies, non inuſitatæ indolis? Sic magnum animũ deſcribit Seneca minimè timentem, aut deplorantem mortem, quem habere dicit magnus vir, putà Rex, vt ſibi proponeret, vnde diſcederet, & quo tãdem deducendus eſſet, nẽpe per mortem ſuam ad ſinum Abrahæ, & per mortem Chriſti ad æternam patriam.

Vbi illico occurrit eorum vitæ deploratio, qui in peccatis viuunt, & dum nihil minus cogitant, è vita eripiuntur; hi nempe deplorare iure poſſunt infœliciſſimam cõditionem ſuam, dum eos imparatos mors intercipit, & præoccupat, & quia pœnitentiam, & emendationem in eas anguſtias reſeruarunt, minimè inueniunt ſpatium pœnitendi. *Inſurrexit Abner contra Dauid pro Isboƺet filio Saulis, fugatuſq; eſt Abner à Ioab, & militibus Dauid, perſequentibuſq; Ioab, & Abiƺai fugientẽ Abner, ſol occubuit, & exclamauit Abner ad Ioab, & ait. Num vſque ad internecionem tuus mucro deſæuiet? An ignoras quod periculoſa ſit deſperatio? Vſquequo nõ dicis populo, vt omittat perſequi fratrès ſuos? Et ait Ioab, Viuit Dominus ſi locutus fuiſſet manè, receſſiſſet populus perſequẽs frãtrẽ ſuum.* 2. Reg. 2. (2. Reg. 2. nu. 24.) Inſurgit impius in Deũ graues committendo offenſas, quibus occurrens Deus eum de vita tollit. Tunc miſer moribundus, ſupplex Deũ precatur potius pro vita, quã pro venia, etiãſi eam ore proferat: Cui re ipſa reſpondetur, ſi locutus fuiſſes mane, forſan exaudireris, at clamas in nocte, dum tempus non eſt operãdi, proindéque neq; exaudiris. Quod poſſumus illuſtrare ex D. Greg. 4. dialog. c. 38. vbi ait. Griſonius vir in hoc mundo fuit tantum plenus vitiis, quãtum rebus: morti vicinus vidit teterrimos ſpiritus, vt ad infernũ eum raperẽt: cœpit credere, & clamare: inducias vel vſq; mane, inducias vel vſque mane, ſed in ipſis vocib. de habitaculo ſuæ carnis euulſus eſt. Tunc ſubdit Gregor. pro nobis hæc vidit, vt eius viſio nobis proficiat, quos adhuc diuina patiẽtia lõganimiter expectat. Sic ille oſtẽdit nõ eſſe pro induciis clamãdũ, quando iã non ſit tẽpus exaudiendi. Nam ſicut dixit Naziãz. in Sentẽtiis. Mercaturam hanc vitã exiſtima, ſi negotiatus fueris, quæſtũ facias, parua magnis, caduca ſempiternis cõmutans. Quòd ſi nũdinarum tẽpus tibi fluere ſinas, nullũ aliud poſtea es habiturus. Sic Nazianz. docet quãndiu ſit operandum, & pro venia deprecandum. Quod bene proſequitur Bern. ſer. 38. ex paruulis in princip. cùm ait. Quid diſſimulant homines in vita ſe agere pœnitentiã, & extrema de confeſſione præſumunt? Quomodo ſub vnius horæ articulo reuocari poſſe exiſtimãt animæ mẽbra, cuius cõcupiſcentia, & deſideria per totũ mũdũ ſparſa ſunt, & vbiq; terrarũ velut quodam viſco tenẽtur? Nõ dico (ait Dominus) quin & taliũ ſaluem aliquos, potens ſum enim in momento omnia reuocare: *Sed non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus.* Pſ. 15. Ideſt, qui (Pſal. 15. nu. 4.) in ſanguine perſeuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deſetantur à peccatis, antequam deſerant ea. Si bene memini in toto canone ſcripturarum, vnũ latronem inuenies ſic ſaluatũ. Noli ergo huic tã periculoſæ expectationi credere temetipſum. Et quidem ſpiritus, non modò vbi vult, ſed quando vult, ſpirat, nec ei difficile eſt de ſubito dare perfectam contritionem cordis, quã vix multo tempore alij conſequuntur: ſed vnde

 ſcis

ſcis quod tunc tibi ita ſubuenire velit, quem tu interim ſic repellis? *Benignus quidem ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum à labiis ſuis*. Sap. 1. Audi quis ille ſit: *Maledictus qui peccat in ſpe*. Sic Bernard. oſtendit infœlicem conditionem impiorum, qui ad finem vſque vitæ remittunt pœnitentiam, & differunt correptionem, quam tamen neque merentur, neque conſequuntur. Vnde peſſimam dixit impiorum mortem Dauid Pſalm. 33. quaſi nó ſatis fuerit malam eam appellare, peiorémve, quàm dici poſſit. *Mors*, inquit, *peccatorū peſſima*. Quod benè exponit Bernard. breuiſſimo ſer. 41. ex paruulis, his verbis. Mala in amiſſione mundi (ſcilicet eſt mors impiorum) quia non poſſunt ſine dolore ſeparari ab eo, quem diligūt; peior in diſſolutióne carnis, à qua euelluntur eorum animæ à ſpiritibus malignis, Peſſima in tormentis inferni, quando corpus, & anima perpetuis ſimul addicuntur ignibus: è contrario bonorum mors optima, quoniam quidem fit ibi quies à labore, fit iucunditas de nouitate, fit ſecuritas de æternitate: tantum Bern.

Sapiét. 1. nu. 6.

Pſal. 33. n. penult.

Licèt autem materia de qua agimus, minimè ludibrioſa ſit, riſumvè patiatur, illuſtrari vtcūmque poterit ex Senec. Epiſt. 123. poſt med. vbi meminit Attilij Buiæ Prætoris, cui poſt patrimonium ingens conſumptum Tiberius paupertatem confitenti, dixit: Serò experrectus es: profectò ſerò expergiſcitur, & cum ſtultis virginibus, qui tunc oleum bonorum operum quærit, & póſtulat, cùm præ foribus adeſt, & iam ad mortem vocat ſponſus. In quam ſententiam facit itidem quòd notauit Plutarch. in Apophthegmat. Alex. vbi refert Alexandrum ab exercitu ſuo eiecisse militem, qui tum temporis arma poliebat, & à rubigine abſtergebat, cùm ſignum iam ad congrediendum cum inimicis eſſet datū, dixiſſéque ei non eſſe tempus illud arma præparandi ſed potius illis vtendi, hoſtéſque aggrediendi: ſic & Dominus exercituum, ac ſponſus animarū noſtrarum à nuptiis excludit quos vltimus cōflictus mortis in viriis inuenit voluptatos, & omnino ad exitum imparatos: imò quia eos nouit nunquam à peccatis ceſſaturos, ne in dies ſcelera ſceleribus adderent, cito è vita aufert, quod dixit Dauid Pſal. 54. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*; vbi dimidiare dies, eſt mori quaſi per ſucciſioné, & diuiſionem, quam verbū Hebræum importat, & benè explicat Ezechias in præſenti, cùm dixit: *Succidit me*. Quod melius intelligemus, ſi aduertamus, quod ſtat ſua cuiq; dies, ſicut dixit Virgil. 10. Æneid. Et cōſtituti termini vitæ, qui præteriri nó poterunt ex Iob 14. Numerúſque dierū præfixus ex Pſal. 38. Idque ſecundum præſciētiam, & prouidentiam Dei: At ſecundùm naturæ curſum, quæ protelanda erat vitæ telæ, præſcinditur iuſſu eiuſdem Dei, dum homo ordiebatur, & exiſtimabat adhuc eſſe in limine, quod poſſumus explicare ex eo, quod narrat D. Bern. Senenſ. tom. 2. in quadrageſimal. Dominica 2. quadrageſ. art. 3. cap. 1. accidiſſe in Catalon, ciuitate prope Valentiam ætate ſua: duo & viginti annorū adoleſcēs parentum tamen, non parens monitis, tandem ob latrocinia patibulo ſuſpenſus eſt: ibi mox ei ſuccreuit, populo inſpectante, barba, ac ſenſim cum capillo incanuit, ipſáque facies decrepitū ſenem exhibuit nonagenariū. Epiſcopus afflatus diuino ſpiritu docuit tādiu victurum fuiſſe, ſi ſe in paterna obedientia cōtinuiſſet. Verùm autem eſſe Oraculum: *Viri ſanguinū & doloſi nō dimidiabūt dies ſuos*. Simile eſt quod narrat D. Anto. de Anaſtaſio Imperatore, apparuiſſe ſcilicet illi, horribili ſpecie

Pſal. 54. nu. 24.

Iob 14. nu. 5.

Pſal. 38. nu. 5.

specie vnũ cũ libr[illegible],in quo scriptum erat:En ob tuam improbitatem quatuordecim annos tibi vitæ deleo. Estq; optimus in hũc sensũ locus ille apud D. Greg. 16. moral. c. 4. à princ.
Iob 22. nu. 26. vbi explicat illud Iob 22. de impiis dictũ: *Sublati sunt ante tẽpus suum*: vbi plerique Rabbinorũ, quos refert Pineda, legunt, *Succisi sunt*. Sic ergo habet Greg. Cum tẽpus vitę sit à diuina nobis præscientiâ proculdubio præfixum, quærendũ valde est, qua ratione nũc dicit, quod iniqui ex pręsenti sæculo ante tempus propriũ subtrahuntur? Omnipotẽs enim Deus plerúmq; mutat sententiã, consiliũ nunquã. Eo ergo tẽpore ex hac vita quisque subtrahitur, quo ex diuina potẽtia ante tẽpora præscitur. Sed sciendũ quia creans, & ordinãs nos omnipotens Deus iuxta singulorũ merita disponit & terminũ: vt vel malus ille breuiter viuat, ne multis bene agẽtibus noceat, vel bonus iste diutius in hac vita subsistat, vt multis bonis operibus adiutor existat. Vel rursum malus longè differatur in vita, vt praua adhuc opera augeat, ex quorũ tentatione purgati iusti verius viuant; vel bonus citius subtrahatur, ne si hic diu vixerit, eius innocentiã malitia corrumpat. Sciendum tamẽ, quia benignitas Dei est peccatoribus spatium pœnitentiæ largiri: sed quia accepta tẽpora nõ ad fructũ pœnitentiæ, sed ad vsum iniquitatis vertunt, quod à diuina misericordia mereri poterãt, amittũt. Quamuis omnipotens Deus illud tẽpus vniuscuiusque ad mortẽ præsciat, quo eius vita terminatur; nec alio in tẽpore quisquam mori potuit, nisi ipso, quo moritur: nam si Ezechiæ anni addiri ad vitam quindecim memorãtur, tempus quidem vitæ creuit ab illo termino, quo mori ipse merebatur: nam diuina dispositio eius tẽpus tunc præscit, quo hũc postmodũ ex præsenti vitã subtraxit. Cũ ergo ita s[illegible], quid est quod dicitur, quia iniqui sublati sunt ante tempus suum? Nisi quòd omnes, qui præsentem vitã diligũt, longiora sibi eiusdem vitæ spatia promittunt? Sed cũ eos mors superueniens à præsenti vita subtrahat, eorũ vitæ spatia, quæ sibi lõgiora, quasi in cogitatione tẽdere consueuerãt, interscidit: quibus in verbis duo includit Greg. & quod aliquãdo Deus abbreuiat impiorum dies, ne vlteriora cõmittant peccata, cũ tamen lõgiorem vitã possent habere à Deo, nisi data vita abuterentur; & quod ita affecti sunt iniqui erga vitã pręsentẽ, vt semper ipsis præmatura videatur mors: nã multoties sibi longam promittunt vitam, sicut ille stultus apud Luc. 12. Vnde Hugo Luc. 12. nu. 20.
Card. ait improbum non dimidiare dies suos, quos, scilicet sibi, promiserat. Et Hierony. in cap. 38. Isai. in alio sensu air. Peccatores, & impij in dimidio dierũ suorũm moriuntur, non enim implent opera virtutum; nec studẽt pœnitentia emendare delicta: vnde in medio vitæ cursu, & in errorum tenebris ducũtur ad Tartarum. Et Theodor. in c. 3. Ezech. obseruat, quod certa quadam mẽsura præfinitum tempus secũdum diuinã longanimitatem iniquitas amplior effecta contrahit, id, quod per se Deus etiam tulit, dicens Genes. 6. *Non permanebit* Genes. 6.
spiritus meus in homine in æternum, quia nu. 3.
caro est. Hoc est, conceptum furorem non amplius continebo, neque differam vindictã cõtra hominem, neque viuere diutius patiar, quia cũ sit spiritus degenerabit in carnẽ, & pectus, & nihilominus ex præstituto ad pœnitentiam spatio centum viginti annorum, videtur detraxisse viginti, sicut affirmat idem Theodoret.

Facit in eandẽ sentẽtiam Greg. 5. moral. c. 29. post med. cũ interpretatur verba illa, Eliphæ, Iob in c. 4. *De* Iob 4.
mane vsque ad vesperam succidentur, nu. 20.
vbi

vbi ita habet, à mane vsque ad vesperam peccator succinditur, dũ à vitæ suæ exordio vsq; ad terminũ iniquitatis perpetratione vulneratur. Omni namque tempore reprobi per augmentũ malitiæ cõtra se intus ingeminant, quibus succisi in profũdum ruant, de quibus bene per Psal. dicitur: *Viri sanguinũ, & dolosi nõ dimidiabunt dies.* Dies quippe dimidiare, est tẽpus vitæ malè in voluptatibus ductũ, ad pœnitẽtiæ lamenta diuidere, atque hoc ad bonũ vsum partiendo reparare; sed iniqui dies suos nequaquã dimidiãt, quia peruersam mẽtem nec in extremo tempore immutant, quos contra benè Paul. admonet dicens. Ephes. 5. *Redimentes tẽpus, quoniã dies mali sunt.* Tẽpus quippe redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flẽdo reparamus. Sic Gregor. ostẽdit quomodo impij nõ dimidiẽt dies vitæ suæ; quia cùm deberẽt eos dimidiare, soluendo per bona opera malè consumptum tempus, & sicut seruierant iniquitati ad iudicium, ita dimidiũ tribuere veritati ad præmiũ: ipsi è contra iniquitatibus commissis, velut additis percussionibus, & ictibus filũ, ac telam vitæ succidũt, vt eã, quam procellare iuxta innatũ desideriũ, deberẽt, citius finiant, & terminent. Pro qua re videndus Bernar. cùm ita incipit sermonẽ in nostrũ Cant. Ezech. dicens: *Viri sanguinũ, & dolosi nõ dimidiabunt dies suos*, perseuerantes in sua vetustate vsque ad mortẽ, & hoc, quia nõ timent Dominũ. Verùm qui timore Domini initiatur ad sapientiã, is cõtinuò dimidiat dies suos, exclamans pre timore: vadã ad portas inferi, &c.

Ephes. 5. nu. 16.

In hanc sententiã est Theodoret. Orat. 5. in Dan. ad fin. vbi quærit, cur Deus præbuerit tẽpus pœnitẽdi Nabuchodonosor, nõ sic verò illius nepoti Balthasari, à quo & vitã, & regnũ pariter abstulit? Dan. 5. Sic verò habet. Illud inquirendũ, cur nã Auctor omniũ rerũ Deus eruditũ Nabuchodon. rursus in regnũ reduxerit, istum verò statim regno priuauit, & vita? Cõsiderãtes itaq; cõperimus primũ, quia Nabuchodonos. alterum impietatis pœnas luisse nõ conspexerat, idcirco dignũ venia iusto Dei iudicio existimatũ, sed iste sũmũ Patris suppliciũ suspicatus, nihil inde percepit vtilitatis, iure itaque iustus iudex illi definito tempore suppliciũ præscripsit, istũ autẽ nulla venia dignũ censuit, alioquin & omnia futura prouidens Deus, & proinde apertè ea cognoscens, atq; præterita, præcognita illius pœnitẽtia, ita, quæ ad eũ pertinebãt, moderatus est. Istius autẽ præcognoscẽs perpetuã impietatẽ, morte sedat impiẽtatis incremẽtum. Facit etiã pro hac sententia D. Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel. c. 10. ante med. vbi de impiis morte sublatis, ait. Sic nocẽtes moriuntur, qui gradũ à peccatis reuocari noluerint, vel inuiti tamen finẽ, nõ naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquãt, quibus vita fœnus est delictorum. Quibus in verbis altera metaphora rem explicat Ambros. quomodo impij è vita auferantur, ex eo, quòd non dimidiẽt dies suos, & viã impiã non reuocẽt, neque redeant ad Deum, à quo recesserant. Sic enim intelligere possumus dimidiationẽ dierum in eo, qui conuersus ad Deum reuocat gradum, & iterum cõficit iter per pœnitentiã, & emendationẽ, quod antea occurrerat præceps toto impetu petens scelera: quia verò non dimidiat hoc modo dies suos, neque etiã ad dimidiũ dierum suorũ eos patitur Deus peruenire.

Danie. 5. nu. 30.

Nisi fortè velimus explicare illud, *Viri sanguinũ, & dolosi nõ dimidiabunt dies suos*, vt sit sensus: non permittentur à Deo diutius viuere, & peruenire ad dimidium dierum meorum, quia ipsi, vt iniquitati habenas laxẽt, semper

ſemper ſibi eſſe videntur in exordio vitæ, & multum ſibi reſtare, proindéque nihil de pœnitentiæ emendatione,& morte cogitant. Vel ſemper ſunt in initio, & non dimidiant, quia ſemper cogitant de incipienda, & inſtituenda vita iuſtitiæ, nunquam tamen à principio procedunt, neque vlterius progrediuntur, vt ad medium,in quo virtus conſiſtit, perueniāt,& ideò nunquam ab initio,& extremo vitioſo exeunt. Sicut enim vitia quædam ſunt in quodam initio, & extremo per exceſſum, à quo reuocandus eſt gradus,vt ad medium veritatis perueniatur:ſic & in quodā alio quaſi initio per defectum vitia ſunt; etenim in periculis adeūdis audax per exceſſum peccat, per defectum verò ignauus,cùm fortitudo in medio ſita ſit. Poteſt ita è contra hoc conſiderari,& enumerari in erogandis pecuniis,vbi effuſio excedit, neq; ad medium peruenit,in quo eſt liberalitas; ſicut etiam auaritia deficit, nec medium virtutis attingit. Vbi exponendū venit celebre illud reſponſum Vlpiani in l. bene collatæ 33. ff. de vſuris, vbi curioſitatem à diligentia diſcriminat his verbis. Dummodo non acerbum ſe exactorem,neque contumelioſum præbeat, ſed moderatum,& cum efficacia benignum,& cum inſtantia humanum: nam inter inſolentiam incurioſam (legendum omnino curioſam)& diligentiam nō ambitioſum multum intereſt,& ambitioſam dices affectatam. Videndus item Seneca lib.2.de Clement.cap.5. in princip.cùm ait.Quemadmodum religio Deos colit,ſuperſtitio violat; ita clemētiam,& manſuetudinē omnes boni præſtabunt, miſericordiam autem vitabunt. Et cap.4.circa fi.ait. Hanc(ſcilicet crudelitatem)clemētia repellit longiùs à ſe:nam ſeueritatem illi conuenire certū eſt.Ad rem pertinet hoc loco quærere quid ſit miſericordia. Pleriq; vt virtutē,eam laudant, & bonum hominē vocāt miſericordem. Hæc autem vitium animi eſt:vtraq; circa ſeueritatem, & circa clementiam poſitæ ſunt, quæ vitare debemus, ne per ſpeciē ſeueritatis in crudelitatem, néve per ſpeciem clementię in miſericordiam incidamus: in hoc leuiori periculo erratur; ſed par error eſt à vero recedentium.

Vbi illud aduertendū eſt Senecam loqui de miſericordia more Stoïcorum,non vt virtus eſt,de qua videdus D.Th.2.2.q.157.maximè in art 4.ad 3.& indicat illa miſericordia nimiam manſuetudinem quæ potiùs ignauia dici poteſt; quod adhuc explico ſuo modo ex legis Conſulto Calliſtrato in l.obſeruandum 19.ff.de off.pręſid. vbi ait. Obſeruandum ius reddenti, vt in adeundo ſe facilem prębeat,ſed contemni non patiatur:nam ex conuerſatione ęquali contentio dignitatis naſcitur:& in §.1.addit:Sed neque in ignoſcendo excādeſcere aduerſus quos malos putat, neq; precibus calamitoſorum illacrymari oportet. Id enim nō eſt cōſtātis, & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. Sed ne in meſſem alienā falcem mittamus:videndus Greg.20. moral.c.6. aliàs 8.ad med.vbi de prelatis ait Miſcenda lenitas cum ſeueritate,faciendumq; quoddam ex vtraq; vt temperamentum,vt neque multa aſperitate exulcerētur ſubditi,neque nimia benignitate ſoluātur.Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificabat, in qua cū tabulis virga ac manna ſimul erat, quia cū ſanctæ Scripturæ ſcientia eſt in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & māna dulcedinis: ſit itaque amor,ſed non emolliens:ſit rigor, ſed non exaſperās:ſit zelus,ſed non immoderatè ſæuiens, ſit pietas, ſed non pluſquam expediat parcens: intueri libet in Moyſis pectore miſericordiā cum ſeueritate ſociatā, &c.

Eſt optimus in hanc ſententiam locus apud Tullium in partita orat. cùm ait. Cernenda ſunt diligenter, ne fallant nos ea vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas, in voluptatibus ſpernendis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & integritatem deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & iuſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam diſputandi prudentiam concertatio, captatióque verborum, & hanc oratoriam inanis quædam profluentia loquendi.

Obſeruandúſque venit in hanc ſententiam Ambroſ. in cap. 2. Epiſt. ad Coloſſ. ad illa verba: *In quo circuncisi eſtis:* vbi ponderat Sathanas à vero cultu homines reuocare ſub alieno nomine, & vitia introducere ſub nominibus virtutum, quia nouit minimè venerandum eſſe, & colendum, ſi apertè proponatur nomen ipſius; ſicut neque vitia fore ſectanda ab hominibus, niſi ſub ſpecie alicuius boni, & virtutis. Sic verò habet: idcirco elementorum ſuadet culturam, vt à Deo auocet, & participes apoſtaſiæ ſuæ volens afficere homines; quia enim ſub nomine ſuo culturam ſuadere non poteſt: horretur enim ipſo nomine, ſub alterius nomine ſuam conatur implere voluntatem. Et in fine eiuſdem cap. ait. Hinc ſe ſapientiæ rationem habere putant homines, quia traditioni humanæ nomen religionis applicant, vt religio appelletur, cùm ſit ſacrilegium. Nomen ergo fingit, (ſcilicet Sathanas) vt falſa quæ ſunt, poſſit vera aſſerere, & humanas mentes in terram humiliat, ne ſe erigant ad ſuperna; aut vt terrena colentes excidant à ſupernis cæleſtibus, & obſint corpori, cuius caput eſt Chriſtus, &c. Proindéque maximè enitendum ne decipiamur, & aberremus à medio virtutum circa vitiorum extrema.

Cùm itaque vitia in extremo ſint, ſeu initio, virtus verò in medio, impij non dimidiant dies ſuos, hoc eſt vitam ſuam non deducunt ad dimidium virtutis, ſed perpetuo in initio, ſeu vitio excedente, aut deficiente verſantur, & qui multum faciunt, dimidiare conſtituũt, & virtutem proſequi proponunt, nunquam tamen ab initio egrediuntur. De huiuſmodi autem viris, qui, velut Pharao procraſtinantur, & ſemper cras dicunt Exod. 8. eleganter ait Seneca Epiſt. 23. quam ſic claudit. Moleſtum eſt ſemper vitam inchoare, aut ſi hoc modo magis ſenſus poteſt exprimi, malè viuunt, qui ſemper viuere incipiunt. Quare inquis? Deſiderat enim explanationem iſta vox, quia ſemper illi imperfecta vita eſt. Non poteſt autem ſtare paratus ad mortem, qui modò incipit viuere. Ita agendum eſt, vt ſatis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur cum maximè vitam; non eſt quod exiſtimes paucos eſſe hos, propemodum omnes ſunt Quidam viuere tunc incipiunt, cùm deſinendum eſt. Si hoc iudicas mirum, adiiciam quod magis admireris. Quidam ante viuere deſierunt, quàm inciperent. Meliùs Gregor. in Pſalm. 5. pœnitent. ibi, *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum,* ait. Roget vnuſquiſque, vt dum in vitæ huius curſu mentis amore defigitur, antequam de adipiſcẽdis æternis ſatagat, à Deo non reuocetur. Vbi notanda verba illa, antequam de adipiſcendis æternis ſatagat, non enim dicit, antequam cogitet, hoc enim impij faciunt, ſed antequam ſatagat. Satagere enim in vigore Latinitatis

Exod. 8. num. 10.

Pſal. 101. num. 25.

nitatis significat anxium esse, & distorqueri difficultate alicuius rei faciendæ, vt habet Calepin. à quo desumpsere Ribera in cap. 4. Micheæ num. 62. Et Lorin. 2. Petr. 1. num. 10. Et in alia significatione indicat diligentem esse, & festinare cum quadam cura, aut potiùs sollicitudine,
Luc. 10. num. 40. quemadmodum Martha Luc. 10. *Satagebat circa frequens ministerium.* Et Quintil. lib. 6. cap. 4. refert de Manlio Sura, qui multum in agendo discursabat, saliebat, manus iactabat, togã deficiebat, & reponebat, Afrum dixisse non agere, sed satagere. Videndus Iustus Lypt. lib. 1. electorum c. 21. vbi dicit, & ex aliis autoribus probat satagere, idem esse, quod satis agere, vel satis angi. Quo sensu
Mich. 4. num. 10. Mich. in c. 4. n. 10. dixit, *Dole, & satage.* Vbi L X X. *Viriliter age.* Quam interpretationem secutus est Hieron. in comment. In hoc ergo sensu satagere debemus de adipiscẽdis æternis, & satis multum pro eis facere, & laborare. In quam sententiam notandus venit Faust. Rhegiens. Epist. 1. post princip. vbi ita ait. Quia Deus non irridetur, ipse se decipit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam iam semiuiuus assurgit, vt tunc officiosus appareat, quando Dominicæ seruituti omnia corporis, & animæ subtrahunt officia circa exequendam interioris hominis sanitatem non solùm accipiendi voluntas, sed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: *Si,* inquit, *peccator pœnitentiam egerit pro peccatis suis* (egerit, memorauit, non solùm dixit, acceperit) *in sua,* inquit, *iustitia, quam operatus est, viuet.* Aduertis, quod huiusmodi medicina: sicut ore poscenda, ita opere consummanda est? Insultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire, quo potuit, & illo tunc incipit velle, quo non potest. Opus itaque est, vt quanta in peccando fuit abrupta, & vegeta ad malum mortis intentio, tanta sit in vulnerum curatione deuotio. Sic ille docet, nullatenus iacendum, & immorandum vsque ad finem vitæ, quin ad dimidium virtutis progrediatur, qui enim in initio, & extremo vitioso diu detinentur, supplicio sine fine, & æterno approximant, quod maximè dolendum est, & cum Ezechia deplorandum, vel cum Dauide, dum asserit iniustos nunquam ad dimidietatem in vita sua peruenire, sed ad multum dicere, & velle.

Quòd si roges cur impij ad virtutis dimidium nunquam perueniant, & semper in initio, idest, proposito illius, vel in extremo vitioso persistant? Id mihi non aliunde prouenire videtur, quàm ex eo, quod assueti vitiis nullatenus patiuntur viuere secundùm iustitiam, & rectitudinem, sed statim atque aggrediuntur virtutem, & ad illam amplexandam accinguntur, illico resiliũt, nauseant, & omnino fastidiunt. Quod prosequitur Hieron. in c. 18. Ezech. ibi. *Patres nostri comederunt vuam acerbam,* &c. Ezec. 18. num. 2.
Et libr. 6. in Hieremiam vbi sic ait. Peccata sunt vua acerba, vt comedentium dentes obstupescãt, & non possint eius suauitatem sentire, de quo dicitur Psalm. 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et Psal. 33. num. 9.
Ambros. in Psalm. 35. in eandem sententiam ait. Sicut vua acerba dentibus, & fumus oculis; ita iniquitas omnibus vtentibus ea. Grauis pœna, quę cibum impedit, aspectum obducit, & quod est amplius, oculis mentis internæ tenebrosam effundit caliginem, vt quod verum est, videre non possit iniustus. Propterea igitur impius ab impietate non egreditur, neque ad virtutem progreditur, quia neque viam agnoscit præ cæcitate mentis, neque virtutem gustat præ

ægritudine gustus. Prosequitur idem argumentum Ambros.lib.2.de Cain, & Abel cap.1. Sed mea quidem sententia optimus omnium rem illustrauit D.August. Concione 2.in Psalm. 48. post med. vbi de diuite epulone,
Luc. 6. num. 19. de quo Luc. in cap.6. ait. Diues ille quotidie epulabatur splendidè, bene secum facere putabatur: cùm autem cœpit ardere apud inferos, tunc inuentum est malè, quod putabatur bene; quod enim mãducauerat apud superos, hoc digerebat apud inferos; iniquitatem dico fratres, quam epulabatur: manducabat pretiosas epulas ore carnis, ore cordis manducabat iniquitatem, quod apud superos ore cordis manducauit,hoc apud inferos in illis suppliciis digerebat. Manducatur ergo iniquitas. Fortè aliquis dicet,quid est quod loquitur, manducatur iniquitas? Non ego dico,audi Scripturam.Prou.10. *Dentibus vexatio est, & fumus oculis, sic iniquitas vtentibus ea.* Qui manducauerit enim iniquitatem,idest, qui libenter habuerit iniquitatem, non poterit manducare iustitiam, panis enim iustitia est;quis est panis? *Ego sum panis viuus,qui de cœlo descendi.* Ioan.6.Ipse est panis cordis nostri. Quomodo qui mãducat ore corporis vuas acerbas, obrigescunt, & obstupescunt dentes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare quod videt, & manducare posse;sic & qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis in corde incipit, non possit manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit; vnde non facit? quia cùm cœperit facere laborat, quomodo sentimus laborare dentes post vuas acerbas,cùm cœperimus panem mãducare. Sed quid faciunt illi,quibus obstupuerunt dẽtes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & incumbunt pani: sic & nos si volumus manducare iustitiam,temperemus nos ab iniquitatibus, & incumbamus iustitiæ, & nascetur in corde, non solùm delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi (hoc est operandi) sic Augustinus.

(margin: Prou. 10. num. 26.; Ioann. 6. num. 51.)

Ex quibus constat eos, qui peccatis assuefiunt, ægrè, & difficilè posse ad iustitiam conuerti, & ab iniquitate separari,non minùs enim eis displicet virtus, quàm suauis cibus ei, cui dentes ob acerbas escas obstupescunt. Detinentur itaque miseri antiqua consuetudine peccandi, ne ab initio sui extremo vitioso ad medium virtutis accedant; vnde Salomon Prouerb.22.num.6.dixit: *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit,non recedat ab ea.* Vbi Salonius Viennens.Episcop.ait. Nunquid non multi recedunt à via sua mala, quàm ambulauerunt in adolescentia? Verè plurimi inspirante diuina gratia in senectute conuertuntur à vitiis, quæ habuerant in adolescentia; nec Salomon hoc fieri posse negat: sed frequentiùs hoc contingere solet, vt mores, quos homo discit in adolescentia, non eos mutet in senectute: attamen non semper ita euenire confirmat: & idcirco ponit huiuscemodi prouerbium,vt animis admoneat, quamuis à prima ætate virtutibus,& bonis operibus studeant insudare,ne fortè in senectute non possint studia bonorum operum discere, quæ neglexerint in tenera ætate, &c. Est siquidem difficillimum veterem consuetudinem deserere, & superare, quam necessitatem voluntariam videtur appellasse Dauid, prout eum interpretatur August.Psalm.20. cùm dixit: *Quoniam respexisti humilitatem meam,saluasti de necessitatibus animam meam.* Ait ergo August.quæ sunt necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum,& annosarum malarum consuetudinum? Vincere consuetu

(margin: Prou. 22. num. 6.; Psal. 20. num. 8.)

ſuetudinem, dura pugna, noſti? Vides quàm malefacias, quàm deteſtabiliter, quàm infeliciter, & facis tamen? Feciſti heri, facturus es hodie. Si ſic tibi diſplicet cùm diſputo; quomodo diſplicet tibi cùm cogitas? Et tamen facturus es hoc, &c.

Expertus fuerat hanc neceſſitatem Auguſt. 8. Confeſſ. cap. 11. cùm dicebat. Rapiebat ad te decore tuo, & plus in me valebat deterius inolitū, quàm melius inſolitū. Vnde ab Ariſtotel. conſuetudo appellatur ſecunda natura, vt videre eſt apud Chryſoſt. homil. 7. in 1. ad Corinth. quæ primam ipſam naturam excludere videtur, dum vim quandam infert, quæ tamen libertati non officit. Qua de re videndus Ambroſ. cùm explicat illa verba Pſalm. 1. *In cathedra peſtilentiæ non ſedit.* An ignoramus, inquit, quòd tantam vim habeat inueterata conſuetudo peccandi, vt excludat naturam, quæ natura cùm ſit medicabilis ad ſalutem, multo tamen tempore paſſionibus deprauata immedicabilis reperitur: quod adhuc patebit ſi aduertamus cōſuetudinem ita ſibi vendicare noſtram operationem, vt ſicut naturalis operatio antecedit voluntatem, ita & conſuetudo ſine voluntate aliquando operatur, non quaſi neceſſitatem inferre velimus, ſed vt melius vim cōſuetudinis oſtēdamus ex Chryſoſt. qui ſic loquitur hom. 27. ad Popul. ſtatim poſt med. Conſuetudo, inquit ille, eſt, quæ iam ſine volūtate patratur; verbi gratia: Multi Thebas ingreſſi cùm primùm fauces tranſcenderint ſignantur. Hoc nouit manus, vel nullo iubente, & ex conſuetudine facere, &c.

Pſalm. 1. nu. 1.

Vnde eleganter Bernar. Serm. de Septē Donis Spiritus Sancti in med. Eſt autē conſuetudo grauis quędam, & pernicioſa catena ſoluenda vtique faciliùs, quàm rumpenda: vt hic maxime illud Prouerbij videatur vſurpari induſtriam prouidētia priorem, vt quemadmodū vis vi repellitur; & feruore ſpiritus feruor extinguitur deſideriorum, vt maligni artem arte deludas, & conſuetudini conſilium opponas. Alioquin ſi fortè violētiam quæras, & caſtigationē corporis ſperes conſuetudini prævalere, timendum omnino eſt ne ſit pernicioſus labor, & prius ipſa ſubſtātia deficiat, quàm inolita concupiſcentia, &c.

Vbi licèt omnia verba maximè aduertenda ſint, illa tamen è memoria minimè excidere debent, ſoluēda vtique facilius, quàm rumpenda: etenim dum vincula franguntur, & rumpuntur, ſemper aliquid ſupereſt, vel coniunctum adhæret, quo facilè poſſit ligari. Iterum is, cui vincula rumpuntur, quando autem vincula ſoluūtur, poteſt is, qui ſoluit ea, longè, lateque abiicere. Proinde ſenſim ſoluenda ſunt vincula conſuetudinis, non quàm citiſſimè rumpenda, & veluti vno ictu frangenda, nihilque relinquendum, quod iterum vigeat, creſcat, & vires reaſſumat. Vnde Iſai. in cap. 58. ait. *Diſſolue colligationes impietatis:* vbi licèt ſit alia prorſus cōmunis expoſitio, Dionyſ. Carthuſ. intelligit peccata addita peccatis, & quaſi colligata inter ſe, quæ habitum generant, & conſuetudinem introducunt. Hæc igitur cōnſuetudo ſoluenda eſt, non rumpenda, alioquin iterum redibit, alligabit, & in gehennæ incendium deducet.

Iſai. 58. nu. 6.

In huius rei ſymbolum ex mente D. Chryſoſt. vir ille, qui, Numer. 15. colligebat ligna in Sabbato, & in faſcem congerebat, conſulto Domino, lapidibus obrutus eſt, is namque qui actus peccaminoſos cōgerit, colligit, & colligat, cùm potius ſoluere, & diſcerpere deberet, ad res diuinas, & virtutis exercitium obduratur, & veluti lapis redditur, ideóque diuina ſæuiente iuſtitia pro meritis lapidi-

Num. 15. nu. 32.

bus obruitur: Sic verò habet Chrysoſt. hom. 27. ad Popul. poſt princ. Si quidam in Sabbato ligna colligens, lapidibus obrutus fuit, qui tali collectione multa peiora committit, & peccatorũ colligit ſarcinã (hæc enim eſt peccatorũ copia) quis ſuſtinebit? Imò verò quid non ſuſtinebit? &c.

Ex dictis igitur duo tanquam corollaria debemus colligere, & peccatorem, ſcilicet ſceleribus perpetrãdis aſſuefactum, nõ dimidiare dies ſuos, quia in extremo, initióq; vitioſo cõcatenatus detinetur, ne ad dimidium virtutis peruenire poſſit: & in dies maiora ligna addere, quibus comburatur in perpetuũ, proindéque item in alio ſenſu nõ dimidiare dies ſuos, ſed in ipſo ætatis flore morte corripi, ne maiora, & grauiora cogatur ſuſtinere ſupplicia. Vnde nõ minimum beneficium illi confertur, ſi ante dimidium dierũ ſuorũ auferatur à vita, quod bene proſequitur Honchala in c. 7. Geneſ. cùm ponderat id, quod ſuperius tetigimus, Deum nempe è centum viginti annis conceſſis pro emendatione, & pœnitentia impiorũ abſtuliſſe viginti annos: vel quia, inquit, deſperabatur eorum emendatio, quod fuit iuſtitiæ: vel ne peccata peccatis addentes grauioribus ſuppliciis apud gehennã mortui diſcruciarentur, quod etiam in ipſa iuſtitia non parum habet miſericordiæ. Hoc etiã proſequitur Bernar. ſer. de nimia fallacia præſentis vitæ ſtatim poſt princip. vbi de impio peccatore ait. Bonum eſt ei ſi ſic agere perſeueret, vt flagitiis eius, quibus voluntas modum non ponit, vel neceſſitas finem ponat, expedit ei, qui ſemper anima moritur, vt corpore citiùs moriatur; magis autẽ ei bonũ erat, ſi natus non fuiſſet homo ille. Et Chryſoſt. ho. 69. ad popul. poſt med. ait. Si peccator quidẽ abiit, mala repreſſa ſunt: nec ſi Deus pœnitẽtiam acturum nouiſſet, ante pœnitentiã eum rapuiſſet. Vnde è cõtrario quia nouit ipſum vlterius peccaturum, & impœnitẽtem moriturũ, ne maiorẽ pœnam contraheret, & acriores ſibi dolores cõpararet, eũ è vita ſuſtulit. Hoc etiam videtur dixiſſe Nazianz. orat. 53. poſt med. his verbis. Illud quidem compertum habeo, prius quoque ex hac vita abripi impios, ac de medio tolli, eò quòd vanitati ſeipſos dediderunt, &c.

Horũ igitur deploranda eſt mors, quos æterna pœna expectat, nõ verò iuſtorum, qualis planè erat Ezechias, cui duplex acceſſerat gaudiũ in morte, alterum ſcilicet de beneacta vita, alterum de æterna, quam iam certò poſſet ſperare: quo ſenſu beatũ prędicat iuſtũ Dauid Pſ. 127. cùm ait. *Labores manuũ tuarũ quia mãducabis, beatus es, & benè tibi erit.* In eo enim ſẽſu iuſtus mãducat labores, quiã nõ ſolũ fruitur bonorũ operum, ac laborum mercede, ſed de ipſiſmet laboribus in mẽſa cæleſtis beatitudinis lętitiã percipit, dũ recordatur. Vel etiã duplex aderat gaudiũ, ſc. & quod mortalem, & miſeram exueret vitã, imò potiùs mortẽ. Vnde Plut. de Cõſolatione ad Apoll. probat eſſe Deorũ beneficiũ cito mori, quod ab hac morte liberẽtur, qui moriũtur. Ob hãc cauſam, inquit ille, excellentiſſimos heroũm, & Diis prognatos Poëtæ nobis proponũt, quid ante ſenectutẽ mortẽ cum vita commutent. Vnde Odyſſ. 245.

Quẽ ſũmo Diuũ genitor cõplexus amore
Dilexit, Phœbo neq; charior extitit alter.

Pſ. 127. nu. 2.

Deinde poſt multa ſubdit idẽ Plut. Dices immatura ætate abreptũ eſſe, atq; eò fœlicior eſt, qui tot mala non ſenſerit; verè enim dixit Euripides.

Hæc vita nomine vita eſt, ipſa re labor.

Vnde Orig. ho. 23. in lib. Numer. ait: quis peregrinationẽ tã odioſam, ac moleſtã, imò verò exiliũ nõ libẽs pro iucũdiſſima patria permutet? Ex eo igitur imprimis debebat lætari Ezechias,

zechias, quòd miserā vitæ mortē dimitteret,& quòd ad æternā vitā initiaretur, quod elegāter dixit Ber.ser. 68.in Cāt.post med.his verbis.Transisse de morte ad vitā,vitæ gratiā duplicat.Videdúsq; erit idē Ber.ser.1.de Petro,& Paulo post med.vbi ostēdit cur mortes sanctorū solemni celebritate veneremur, quia scilicet pretiosior est illorū mors,quàm vita,tū addit:studeamus fratres viuere vitā iustorum, sed morte eorū mori multò magis desideremus,sapiētia enim iustorū nouissima præfert,ibi nos iudicans,vbi nos inuenerit: quo in loco alludit Bern.ad illa verba,quæ de sapientia Patris in carne referūt impij

Sapiēt.2. nu.16. in lib.Sap.c.2. *Præfert nouissima iustorū*:vbi Cōplutens. Vatabl.& Guarin. *Extrema iustorū beata prædicat*:propriè ex Græco; *Fœlicia,periucunda iudicat, & iactat extrema iustorum.* Licèt enim impiis, & iustis omnia recta sint, & laudāda,tamē nouissima hora, & extremum vitæ tēpus cæteris omnibus antefertur. Si.n.via, & motus à suo termino denominatur, cū terminus iustis sit beatitudo, ad quā per mortē ingrediuntur,cur nō beata dicetur mors,cui beatitudo respondet?Vnde Christus Dñs Matth. 5. in fine bea-

Matt. 5. nu.12. titudinū viæ ait. *Gaudete,& exultate, quoniā merces vestra copiosa est in cœlis.*

ANNOTATIO IV.

Viri iusti pro virtute comparanda vlteriorem exoptant vitam, & pro humilitate, & merito semper sibi in initio virtutis esse videntur; periculosum autem in initio iustitiæ semper versari.

CVm certū sit Ezechiā iuxta vir-

Isai. 38. nu.3. tutē vixisse,sicut ipse Dño proposuit,cū dixit:*Memēto quomodo ambulauerim corā te,&c.* Isai.38.Minimè existimandū duximus ipsum nō alia ratione ablationē vitę deplorasse,nisi quia iā ei nō licebat templū adire, & diuino cultui,ac laudibus interesse,vt ex superioribus à nobis annotatis cōstat. Deinde etiā maximè dolebat, quòd nō haberet tēpus pœnitēdi, & satisfaciendi pro peccato suo, quod cōmiserat,dū ostēdit thesauros suos legatis Regis Babylonis 4.Reg. 4. Reg. 20. n.13.
20.Sicut realiter fecit,postquā Deus quindecim vitæ annos ei protraxit.

Neque cōtra hoc facit,imò cōfirmat locus ille Eccles. 49. qui negare videtur Ezechiam nullum peccatum cōmisisse,cū ait.*Præter Dauid,& Ezechiā, & Iosiā omnes peccatū cōmiserunt:* Eccl. 49. nu.5.
vbi Iansen.ita habet. Non parua dubitatio oritur circa veritatē huius sētentiæ, adeò, vt quia videtur apertè cōtrariæ scripturis,quidā de veritate huius libri dubitent: nam & hi tres etiam peccasse leguntur. Et in specie Lyra. ibi aduertit Ezechiā peccatum vanæ glorię cōmisisse,dū magnificētiā suā Regis Babylonij nūtiis ostentauit. Scio pleró sque, inter quos est Carthus.explicare hunc locū de idololatria, quā dicti Reges nō commiserunt,vt videtur colligi ex ipso contextu,vnde Vatabl. pro eo,quod nos habemus,*Omnes peccatū cōmiserunt*,ex Hebr.legit, *perfidiosè defecerunt omnes*, idest, circa fidem errauerūt,ad idola deficiētes. Et profectò cū idololatria maximū crimē sit, iuxta illud Sapiēt.14.*Idolorum cultura omnis mali initiū,& finis*,idest,omniū peccatorū Sap. 14 nu.27.
fons. Finis verò,quia vltra nō potest quis deterius peccādo progredi:vnde est illud graue exordiū apud Tert. in li.de Idololatria.Principale crimē generis humani,sūmus sęculi reat⁹,sola causa iudicij,idololatria:& infrà.Omnia crimina in idololatriā cōditionē suā repræsentant,quia quod in eis est execrabilius, non est aliud profectò, quàm

quá defectio ab ipso Deo, in quo ratio idololatriæ posita est, quod latè ibi ostēdit. Quia verò ex hoc omniū maximo scelere cætera facilè consequuntur: vnde Rom. 1. *Cū cognouissent Deū, non sicut Deū glorificauerūt: Idcirco tradidit illos Deus in desideria cordis, in immunditiā, &c.* Vbi Hier. ait. Omnia præuerterūt in Deū præuersi, nec ordinē potuere seruare naturę, quia naturæ dereliquerūt Authorē, &c. Inde igitur est, quòd dicti Reges, quia idololatriam nō admiserunt, in qua, veluti in radice, continentur omnia peccata, dicantur non peccasse.

Rom. 1. nu. 21.

At verò glossa aliter exponit, dicēs. Hi tres cōparatione aliorū nō dicūtur peccasse, quod enim peccauerunt cōdigna pœnitētia diluerūt; eodēque modo innuit Iansen. etsi rē ad Dauidem cōtrahat. Dicūtur igitur peccatū nō cōmisisse, quia cōdigna pœnitētia peracta, in eū statū repositi sūt, & restituti, ac si nūquam peccassent. Hoc enim est insigne priuilegiū pœnitentiæ: de quo argumēto nos plura diximus ad illud Deut. 32. *Dei perfecta sunt opera*: vbi de operibus supernaturalibus, dēq; eorū perfectione tractauimus. Modò satis sit id, quod obseruat Rupert. lib. 1. in Ezech. c. 18. post princ. ad illa verba Ezech. 2. *Vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber & expadit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris. & scripta erāt in eo lamētationes, & carmen, & væ.* Per lamētationes igitur in prima statim facie, limine, & pagina libri scriptas intelligit pœnitētes, dicens. Prius lamētationes, deinde carmen, quia qui semināt in lachrymis, in gaudio metent; qui autem nunc lamētari, idest, pœnitentiam agere nolunt, illis væ, quia mittentur in ignem æternum. Sed adhuc considerandū restat, quod primo loco descripti proponuntur pœnitētes, veluti nobiliores in domo Domini. Qua de re vidēdus Bern. ser. ad milites tēpli c. 5. post med. vbi alludēs ad illud Luc. 15. *Gaudiū erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiā agēte, &c.* ait. Nō miror, si etiā superna illa curia iuxta testimoniū Saluatoris, exultat magis super vno peccatore pœnitentiā agēte, quā super plurimis iustis, qui nō indigēt pœnitentia, dū peccatoris, & maligni tantis proculdubio prosit conuersio, quantis, & prior nouerat conuersatio. Videndus itē Ephræm tract. de pœnit. vbi ostēdit pœnitēti Dauidi neq; cicatricem postea præcedentiū vulnerū, & scelerū remāsisse. De quo argumēto plura habet Athan. lib. de blasph. in Spiritum Sanct. Basil. hom. de pœnitent. eique germanus frater Gregor. Nyss. Orat. Nō esse dolendū ob eorū mortem, qui in fide discesserūt. Chrysost. hom. 41. in Act. Apostol. Cyril. Orat. in Sanctum lauacrum. Orig. ho. 7. in Leuit. & Hieron. epist. ad Rusticum.

Ezech. 2. nu. 9. & 10.

Luc. 15. nu. 10.

Cùm ergo pœnitētia in maiorem multoties gratiā reducat, & reponat animā pœnitentē, quā si nūquā peccasset, & ita medeatur vulnerib. peccati, vt neq; cicatricē relinquat: inde est quod prædicti Reges, quia pœnitentiā egerunt, non peccasse dicātur. Hoc autem quia Ezechias nouerat, sibiq; maximè profuturā pœnitentiā, ideo de ablata vita, quā ad illā agēdā destinauerat, iure dolet, & meritò lacrymatur. Hoc intelligetur melius, si memoria recolamus, cur Dauid sibi vitā longiorē precaretur Ps. 118. Cū dicebat: *Retribue seruo tuo viuifica me*; seu vt aliqui ex Hebræo verūt, *vt viuā & custodiā sermones tuos.* Vbi notādum est verbū illud, *retribue*, nō vsurpari semper pro præmij redditione, pœnævè solutione, sed interdū pro liberali collatione alicuius doni. Nā Ps. 114. ibi, *Quia Dominus benefecit tibi*, habetur idē verbū Hebręū *Gamaa*, quod hoc in loco ponitur, sicut accuratè tractat Bilius ad Orat. 4. Nazian.

Ps. 118. nu. 17.

Ps. 114. nu. 17.

Sensus

Sẽsus proinde est. Tribue mihi Dñe, & cõcede,vt viuã,& custodiã sermones tuos,quasi dicat,ad hoc enim vitã postulo,& exopto,vt custodiã,seu obseruem (vt legit Hilar.) sermones tuos,quos superiori versu nõ obliturũ promiserat:non custodit autẽ Dei sermones, sicut hîc aduertit D. Aug. nisi qui prędirus est fide per dilectionẽ operãte;quod intelligẽdum est de custodia ad meritũ,vel quamuis sermones,seu mãdata sunt de charitate, vel recapitulantur,& instaurantur in pręceptis charitatis; alioqui certũ est posse varia præcepta absq; charitate seruari,sicut ostẽdit D.Th.1.2.q.110. art.10.ad 2.Custodia igitur sermonũ est perfecta, & meritoria obseruatio mãdatorum,ad quã vult, & precatur Dauid vitam , & pronepos eius Ezechias de more Sãctorũ,qui ad hoc tãtũ volũt diutiùs in hac vita remorari,vt totũ tẽpus in Dei cultũ,& obsequiũ expendant. Quod bene attigit Bern.Ser.de nostro Cãt.ad illa verba: *Quæsiui residuũ annorũ meorũ*,vbi Ezechiæ nomine ita ait: quæsiui residuũ annorũ,vt iam mihi viuere inciperẽ, qui cõtra me vixerã vsq; adhuc.Idem enim est sibi viuere quempiam, atq; in Dei obsequium vitam expendere.

Sed quonã pacto intelligẽdũ est id, quod ait:*Dũ adhuc ordirer?*Sanè sicut peccata sua habent exordia,initia, & incremẽta:sicut docuit Iacob in c. 1. cũ ait:*Vnusquisq; tẽtatur à cõcupiscẽtia suæ;deinde cõcupiscẽtia cũ cõceperit,parit peccatũ,peccatũ verò cũ consũmatũ fuerit, generat mortẽ*; vbi pro maiori intelligẽtia videnda sunt,quæ ibi diximus: sic etiã virtus sua habet exordia, initia,incremẽta,& perfectionem:quod bene notauit Greg.11.moral.c.24.in princ.vbi ait.Sciendum,quia sicut in corpore,ita sunt etiã incremẽta ætatis in mente,quod intelligẽdũ est secũdũ virtutẽ, proindeq; cõsiderãdũ, quod dũ mente statuimus,firmiterq;

Iacob. 1. num. 14.

diffinimus rectè viuere,in exordio,in cõceptioneq; virtutis sumus,quia verò nihil magis proportionatũ est homini,quã virtus,sicut ostẽdũt Theologi Scholastici in materia de peccatis;nihil enim naturæ rationali congruẽtiùs, quã operari secũdùm rectã rationẽ.Vnde Greg.8.moral.c.6.post med.ait.Per peccatũ factã esse naturã nostrã extra naturã suam.Vt enim ita dixerim,inquit ille,culpę suę pœnaliter subdita, ipsa iã nostra natura facta est extra naturã,& remissa vsq; ad peruersa opera ducitur:per expressionem actionis illicitæ carnẽ putredo afficit:per leuitatẽ verò cogitationis improbę,quasi ante oculos puluis surgit:consentiendo vitiis putredine atterimur;vitiorum verò imagines in corde tolerãdo sordibus pulueris fœdamur:ait ergo S.Iob : *Induta est caro mea putredine,& sordibus pulueris*,&c.

Cum ergo extra naturam nostram, imò etiã cõtra illã sint peccata;virtutes verò ècõtra accõmodatæ maximè sint menti nostrę,animæq; libẽter,& facilè adhæreãt, nisi alioquin deprauata sit : vnde Ambr.de Off.c.7.post prin.ait:Popularis,& grata est omnibus bonitas, nihilq; quod tam facilè illabatur humanis sensibus.Sicut autem natura in nostris,& conuenientibus sibi operationibus delectationẽ posuit,sic & in virtute , quæ naturæ maximè congruit, gaudium & delectationẽ etiam posuit : vnde Plato in Mænone,fine de Virtute dixit virtutẽ nihil aliud esse , quàm gaudere de pulchris,idest,de rectè factis:& Plur. lib.de Profectib.virtutũ sẽtiẽdis pro magno signo in profectu virtutis,dixit:Si quis ita de virtute gauderet, vt seipso cõtẽtus esset,tanquã satis idoneo teste,& spectatore. Et Philo lib. 1. legis allegor. loquens de paradiso terrestri ait:Propius paradiso Edem, idest, delitiæ, virtuti enim conuenit pax,voluptas, gaudiũ. Pluraq; habet

E e Bern.

Bern. super ea verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, cũ adducit verba illa Psal. 118. *In via testimoniorũ tuorũ delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.* Cùm ergo virtus tam nostræ naturæ cõueniat, & adaptetur, tãtumq; secũ ferat gaudij, dolet meritò Ezechias, quod de sectãdis virtutibus, & initiãda via salutis tandiu cogitauerit, non illicò apprehẽderit, eamq́, ingressus fuerit, & hoc sanè dolẽdum est, ea maximè ratione, quòd lõgè aliter sese res habeat in vitiis, quę facillimo negotio sectamur, eisq; nos ipsos nulla præuia meditatione committimus. Sicut etiam docet Senec. Epist. 98. in med. in hunc modum: Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse: & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non pronũ est iter tãtùm, sed præceps, & quod plerosque inemendabiles facit, omniũ aliarum artiũ peccata artificibus pudori sunt, offenduntq; deerrantem; peccata delectãt, non gaudet nauigio gubernator euerso, non gaudet ęgro medicus elato, non gaudet orator si patroni culpa reus cecidit: at contrà omnibus crimen suum voluptati est, &c. Prosequitur hoc ipsum Clem. Alex. Orat. ad Gent. vbi inuehitur in eos, qui vt se Deo consecrent, & virtutes prosequãtur, lõgas trahũt moras, & multas præmittũt consultationes, cũ tamen, vt diabolo sese deuoueant, & vitiis se tradãt, nullã interponãt aut moram, aut difficultatem, nihil priùs præmeditẽtur: Inebriamini, inquit, priusquã consideraueritis, & an iniuria sit facienda non valde estote solliciti, sed quamprimũ iniuriam facitis, solùm autẽ, an Deus sit colẽdus, quæritis, & an Christus sit sequendus, hoc considerandũ, & consultandũ cẽsetis, &c.

Psal. 118. num. 14.

Optima sunt in hâc sententiã, quę habet Hieron. Epist. ad Heliod. cùm ita scribit. Quid facis in domo paterna delicate miles? vbi vallũ, vbi fossa, vbi hyems acta sub pellibus? Recordare tyrocinij tui, diem, quo Christo in baptismate consepultus, in Sacramenti verba iurasti pro nomine eius, non te patri parciturũ esse, non matri. Huc aduersarius in pectore tuo Christum occidere conatur. Huc donatiuum, quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirãt. Licèt paruulus ex collo pendeat nepos: licèt sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, si vis, oculis ad vexillum crucis euola: solùm pietatis genus est in hac re esse crudelem.

Imitãdus profectò, & proponẽdus nobis erit Paul. ad Galat. 1. vbi ait: *Cũ placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret filiũ suũ in me, cõtinuò non acquieui sanguini, & carni*, &c. vbi Apost. ex mente Hieron. loquitur de principiis virtutũ, ac fidei seminibus, quæ in Paulo erãt, quibus statim sese credidit Paul. vbi primùm Deus eadem illi reuelauit. De eo igitur meritò gloriatur, quòd scilicet post diuinã vocationẽ, deq; modo exequendi, nec in consiliũ adhibuerit cõsanguineos, aut quempiam alterũ. Text. Syriac. habet: *Non patefeci carni, & sanguini.* Textus verò Græcus indicat cõsilia, & arcana non cõmunicasse, & in sinũ amicorũ effudisse, vt illi quasi consiliarij, aut iudices probarent, improbarẽtve, adderẽt, demerẽt, suaderẽt, aut dissuaderẽt, prout eis videretur, sicut intelligunt Hiero. Chrysost. & Theoph. Vult itaque Paul. ostẽdere se nullam omnino morã interposuisse, sed illico absque vlla dilatione, & consultatione Dei vocationi adhæsisse. Neque est, quod nobis quis obiiciat id, quod Paul. nu. 18. addit; Venisse, scilicet, Hierosolymam, & cum Petro Euangelium contulisse, vt patet ex eadem Epist. ad Galat. cap. 2. Contulit enim cum Petro, non quasi dubius

Galat. 1. num. 16.

Galat. 1. num. 18.

Galat. 2. num. 2.

dubius aut nõ satis instructus, vt pleniùs, aut certiùs instrueretur: sed vt apud fideles omnes, quos docebat, cõstaret, cũ in fide, & doctrina cõmunicare, & consentire cũ Petro, aliisq; Apostolis: nõ enim cõsultationes expectauit, aut quęsiuit, qui cõtinuò acquieuit, & se totũ Deo vocãti cõmisit.

Sic similiter fecit Petrus, & Andreas. Matth. 4. qui vocati à Christo Dño dicẽte: *Venite post me, cõtinuo relictis retibus sequuti sunt eum.* Vbi Bern. Serm. 2. de S. And pōst pr. ait. Illi continuò nihil diiudicantes, aut hęsitantes, non solliciti vnde viuerent, non considerantes quonam modo rudes homines, & sine literis prædicatores fieri possent; nihil deniq; interrogantes, sine omni mora, relictis retibus, & naui secuti sunt eũ. Agnoscite fratres quoniã propter vos scripta sunt hęc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur. Similia sunt quę habet idem Bern. in Declamationibus super, *Ecce nos reliquimus omnia,* ante med. contra eos, qui in præconcepta virtute detinentur, ne prosiliant, ita ait. Quãtos mundi sapiẽtia maledicta supplãtat, & cõceptũ in eis extinguit spiritũ, quẽ voluerat Dominus vehementer accẽdi. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu cõsidera, diligentiùs intuere. Magnum est illud, quod proponis, & opus habes multa deliberatione, experire quid possis, amicos cõsule, ne post factũ pœnitere cõtingat. Hæc sapientia mũdi terrena, suffocatrix vitæ, mater trepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare. Caue tibi, ait, vt quid enim? Cùm Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilij Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisve sapientior illo? Deduc me, & deducar, fortior esto, & inualesce, noui ego quænam sunt, quæ oportet fieri citò. Ab ore putei gehennæ eripior, & inducias, petã, & retardabor, & cunctabor exire, si fortè interim fiat aliquid? Abscondi ignẽ in sinu meo, & exusto iam latere, iam mundatis visceribus, iam sanie diffluente, diu mihi & deliberãdum est, an expergiscar, an excutiã, an abiiciã illũ? Magnum omnino est, quod offertur, sed eo vtiq; libentiùs, & festinãtiùs suscipiẽdũ, & obuiis arripiendũ manib. cum feruore, & hilaritate. Amicos consulam, qui nōn legi: *Inimici hominis domestici eius.* In Euangelio legimus promittenti cuidã sequi Dominum, sed defunctũ priùs patrẽ sepelire volẽti responsum à Christo, vt sineret mortuos sepelire mortuos suos. Matt. 8. Alteri quoque suis tantũ, qui in domo erant, valedicere cupienti: *Nemo,* inquit, *mittẽs manum ad aratrũ, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Luc. 9 Sed qui audierat priùs? *Magister* ait, *volo te sequi quocũque ieris.* Cui respõdet Dñs: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidum: filius autem hominis nõ habet, vbi caput suum reclinet.* Prudentiam carnis in fouea vulpis in nido volueris arguẽ co dis elationem, &c. Facit item in hãc sententiam Aug. in Psal. 102. ibi, *Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors.* Deus, inquit ille, te longanimitate sua parcendo ad pœnitẽtiam adducit, tu autem quotidie dicis: finitur hodiernus dies, & sic ero crastino die. Fratres non tardetis cõuerti ad Dominũ, sunt enim qui pręparant conuersionem, & differunt & fit in illis vox coruina, cras, cras. Coruus de arca missus non est reuersus; non quærit Deus dilationem in voce coruina, sed conuersionem in gemitu columbino. Quandiu cras? &c.

Hoc igitur meritò dolebat Ezechias, quod in proposito virtutũ tandiu hæreret, cùm non sit diutiùs pręstolandũ ea maximè ratione, quã tetigimus, quod sc. virtutes statim animo nostro adhæreãt, & quã citissimè

Marginal notes: Matth. 4. num. 30. — Matth. 8. num. 22. — Luc. 9. num. 62.

Deo dāte adoleſcāt, quod dilucidabitur ex c.7. Mich.n.1. vbi ſic habetur: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui collegit in Autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendū, præcoces ficus deſiderat anima mea*: vbi ſtatim occurrit, quomodo ſi Deus proponitur in Autumno eſſe, cur præcoces ficus deſideret, qui fructus non niſi verno, vel ad multum æſtiuo tempore matureſcūt? Ratio in promptu eſt pro re præſenti, quod voluit Deus oſtēdere diſcrimē inter fructus agrorū, & animorū, de quib. ſub illa metaphora loquebatur, nā fructus bonorū operū nō ſic proueniūt, ſicut fructus arborū: hi enim certo anni tēpore dūtaxat proferuntur: illi verò quolibet tēpore debēt, & poſſunt diuina adiuuante gratia prouenire, imò tota vita noſtra debet eſſe frugifera, neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia, & ſtatim atq; animā pulſat, & illuſtrat. Voluntas noſtra, ſi aſſenſum præbeat, & cooperetur, fructus virtutū profert, neque enim indiget acceſſu Solis, qui aliquādo abeſt, ſed fœcūdatur diuina gratia, quæ nūquā deeſt, quod poſſumus explicare ex illo loco. Marc.11. vbi Chriſtus Dñs vt vidiſſet à longè ficū habētē folia, *Venit ſi quid fortè inueniret in ea, & cū veniſſet nihil inuenit præter folia, nō enim erat tēpus ficorū: & reſpōdēs dixit ei: Iā nō ampliùs in æternū ex te fructū quiſquā māducet.* Addit verò Matt.21. *Et areſacta eſt cōtinuò ficulnea.* Rē verò explicat Aug.Ser.44. de Verb.Dñi, ant.med. in hūc modū. Nō erat illius pomi tēpus ſicut Euāgeliſta teſtatur, & tamen eſuriens poma quæſiuit in arbore Chriſtus, neſciebat quod ruſticus ſciebat? Quod nouerat arboris cultor, non nouerat arboris creator? Cū ergo eſuriēs poma quæſiuit in arbore, ſignificauit aliquid eſurire, & aliquid aliud quærere, & arborem illā ſine fructu foliis plenā reperit, & maledixit, & aruit. Quid arbor fecerat fructū nō afferēdo? Quę culpa arboris infœcūditas? Sed ſūt qui fructum volūtate dare poſſunt. Illorum eſt culpa ſterilitas, quorū fœcunditas eſt volūtas. Sic ille. Si ergo fœcūditas virtutū à voluntate noſtra dependet, quę quolibet tēpore fructus proferre potuit, ea, quæ diu in exordio, conceptione, ac propoſito fructificādi verſata eſt, nec tamē fructū protulit, meritò dolere debet ſi in eo ſtatu morte corripiatur, ipſi enim meritò imputabitur defectus, quæ ſolo ſenſu poſſet à propoſito in effectum tranſire, ſicut bene aduertit Bern. in declamationibus ſuper *Ecce nos reliquimus*, ante med. his verbis: Vis peruenire? Incipe tranſilire. Alioquin proripieris miſer in deſiderio terrenorum, & à ſummo bono eò longiùs inuenieris, quo te ampliùs dederis caducis rebus, & tranſitoriis appetendis.

Hoc adhuc illuſtro ex celebri, & difficili loco Gen.12. quādo Deus dixit ad Abrahā: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terrā, quam monſtrauero tibi.* Conſtat autē ex ſup.c.11.n.31. quòd eo tēpore iam Thare pater Abraham tulerat filiū ſuū, & Loth filiū filij, & eduxerat eos de Hur Chaldæorū, vt irent in terram Canaan. Quinimò, & Stephan. Act.7. ait: *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cū eſſet in Meſopotamia, & dixit ad illum: Egredere de terra tua, & cognatione tua, & veni in terrā, quā monſtrauero tibi.* Huius difficultatis cardo in eo verſatur, quòd poſtquam ipſe exierat de terra ſua, ſc. de Hur Chaldæorū, inde præcipitur egredi, quaſi nondum exierat: cuius difficultatis nodus facilè ſoluitur, nō quidē dicēdo, ſicut Theod. Hiero. & alij, quod Abrahā bis fuerat vocatus à Deo, primò in Hur Chaldæorum, ſecūdò cùm eſſet in Harā: ſed dicēdo eandē eſſe vocationē, de qua Moyſes Gen.12. & eam, de qua Steph. Act.7.

Mich.1. Marc.11. num.13. Matt.21. num.19. Gen.12. num.1. Actor.6. num.2.

Factamque

Factámque fuisse in Hur Chaldæorum, id non asserit Stephanus dicto loco, eadémque vtrobique sunt verba. Ita D. August. 16. de Ciuit. cap. 15. Vnde dicto loco. Genes. 11. prolepsis continetur, siue anticipatio, voluit enim ibi Moyses vitam simul, & morte Thare texere, ideóque omnia simul adiunxit, & ideo in cap. 12. ait. *Dixit autem Dominus ad Abraham egredere de terra tua, &c.* Intelligendum est, dixerat autem scilicet iam ante cùm versaretur Abraham in Hur Chaldæorum.

Neque officit si quis obiiciat Stephanum dicere vocatum Abraham, cùm esset in Mesopotamia, vnde videtur consequens nō fuisse vocatum in Hur Chaldæorum. Respondetur enim Stephanum latè sumpsisse Mesopotamiam, vt complectitur etiam vicinam Chaldæam, sicut patet ex eo, quod statim addit Stephanus: *Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan, neque hoc absonum est.* Nam Plin. lib. 6. cap. 26. Babylonem, quæ est metropolis Chaldæorum, Mesopotamiæ annumerauit, hoc igitur supposito, quia in morali argumento sumus, aliam solutionem ad moralem sensum accommodatam habemus, stando in ea sententia, quæ duplicem vocationem admittit, alteram factam Abrahæ in Hur Chaldæorum, alteram in Mesopotamia extra Chaldæam.

Quia verò statim posset quis obiicere, cur egredi præcipiatur de terra sua ille, qui iam extra eam factus fuerat? Respondet D. Thom. ibi, qui egressus est corpore exeat spiritu. Qua de re multa ibi habet Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 1. & 2. Vt sit sensus, quod licet Abrahā esset iam extra Hur Chaldæorum, mente tamē adhuc ibi detinebatur, & affectu, & ideo inde egredi præcipitur. Hoc enim maximè requiritur ad profectum virtutis, si illam scilicet non tantum voto, desiderio, externo sermone, ac corpore videamur amplecti, sed potius mente, & puro corde eam prosequamur.

Hic quadrat locus ille. Cant. 6. vbi Sponsus ait: *Descendit in hortū meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica.* Vbi illico obseruandum occurrit, quod cū poma non eodem tempore proueniant, quo florent vineæ, vt apertè constat, de virtutibus intelligendus est locus cum grauioribus Interpretibus: iam verò virtutibus nullum determinatum tempus est necessarium: quando verò aliæ in flore sunt, aliæ ad maturitatē perueniunt, & quæ modò tātum florent, statim fructus proferunt, cùm totum pendeat à volūtate nostra, cui præsto semper adest diuina gratia: proindéque nobis iure à Deo imputatur, si adhuc acerbæ, & immaturæ, ac veluti in initio, & exordio tantum sint, in statu Deo admodum displicent, eò quòd per nos stet quo minus ad perfectionem non perueniunt. *Cant. 6. n. 10.*

Hinc est quod Leuit. 2. dicitur: *Si obtuleris munus primitiarū frugū tuarū Domino de spicis adhuc virētibus, torrebis eas igni, & confringes in morē farris, & sic offeres primitias Domino, fundes super ea oleū, & thus imponēs, quia oblatio Domini est.* Vbi Interlinealis per spicas virides, initia bonorū operum accipit, & Isych. eos, qui non se statim virtuti credunt, interpretatur. Sicut autem virentes spicæ ad cibum minimè aptæ sunt, sic & virtutes, dū ab exordio non progrediuntur, minimè nobis prosunt. Prouide, inquit Isych. quemadmodum fructus humidos, necdū molæ aptos, vt fiāt farina, vel similia igni confringentes, paleas separemus, sic illi spiritus, sc. igne indigent, quo scilicet ad maturitatem perueniāt, & omnem inscitiam, *Leuit. 2. n. 14.*

& dubietatem excludantur: & quia hæc virtutum virilitas ex defectu deuotionis oritur; thus adhibendum præcipitur per quod deuotio designatur, sicut aduertit Lyran.

Dum itaque anima in exordio, & veluti prima conceptione virtutis est, minimè Deo placet quod multum virilitatis & indigestionis mũdialis habet, quæ omnino Deo displicet, & si decocta nõ fuerit diuini amoris igne, in æternum comburenda tradetur, nunquam tamen maturescenda. Ideo Ambr. lib. 2. de Abel, & Cain, cap. 6. post princip. ait: Si offeres sacrificium de primitiuis ouibus frixum in igne, frixum pingue, offeres sacrificium primitiuorum; sicut scriptum est, quod significat fidem tuam veluti igne purgatã esse debere, & Sanctorum feruere spiritũ. Vtatur verbo Domini sicut igne virtus animæ tuæ. Vide iustũ Ioseph,
Ps. 104. nu. 20. sicut scriptum est Ps. 104. *Eloquium Domini inflammauit eum.* Torreatur fides tua sicut spicæ messium. Tunc in maturitatem fructuum præferunt, cùm eas primo Solis processu tempora æstiua torruerint. Illi, qui succincti lumbos non crudum, neque coctum aqua, sed assum igne caput agni edere iubebantur, sicut habes
Exod. 12. nu. 9. in Exod. 12. Forti ac fideli animo pedestri itinere maria trãsfretarunt; & cætera, quæ prosequitur in hanc sentẽtiam. In quam etiam facit Bernard. Serm. 2. de Purific. ad med. vbi de Cãdelarum processione loquens, ait: Opera nostra in feruore agenda sunt, & in desiderio cordis, vt sint lucernę ardentes in manibus nostris.
Luc. 12. nu. 35. Luc. 12. Alioquin timendum est, ne fortè tepidos nos euomere incipiat, qui in Euangelio loquitur, dicens:
Luc. 12. nu. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt ardeat?* Luc. 12. Hic plane sacer, & benedictus est ignis, quẽ Pater sanctificauit, & misit in mundum. Habet enim etiam aduersarius noster, vtpote peruersus diuinorum operum æmulator; habet, inquam, ignem suum & ipse ignem concupiscentiæ carnalis, ignem inuidiæ, & ambitionis, quem Saluator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in diuino offerre præsumpserit sacrificio, etiamsi patrem habeat Aaron morietur in iniquitate sua.

Adhuc hoc clariùs innotescet ex Gregor. Nyssen. ex illa Orat. 5. in Cant. ad illa verba. Cant. 2. *Ficus protulit grossos suos*: vbi ait. Quod de ficu dicitur protulisse illam grossos suos, hac ratione facilè percipiemus. Est enim omnino ficus ob calorem magna vis in attrahendo ab imo humore, cumque magna iam in meatibus interioribus collecta est humomoris copia, necesse est fluxione quadam idem, quod terrestre: ac nullius est vsus, ex eius ramis excerni, atque hoc fit sæpenumero donec suo tempore ficus eas humoris partes protrudat; quæ synceræ, & ad nutriendum idoneæ sint ab omni inutili qualitate repurgata. Quod igitur ante dulcem maturúmque fructum à ficu protruditur, & ipsum quandam fructus speciem habens grossus appellatur. Verùm non ipse fructus est, sed illius quoddam quasi proœmium. Ea verò si quis videt, omnino ipsum etiam fructum expectat, cùm tamẽ fructus impediát, &c. Cant. 2. nu. 13.

Sunt igitur grossus veluti præcursores fructuum, sicut ibi dixit Philo Carpath. Vnde iam constabit quidnam laudauerit Sponsus in ea ficu, & anima quæ ipsi placuit, longè aliter ac illa quæ fructum non habebat: & ideo arefacta est, scilicet quod inutiles grossos terrestres & inutiles proferendo abieceris adhoc, vt fructus afferret, & à se abiecerit quidquid speciem fructus tantummodò

referebat. Similia sunt quæ habet Hieron. in cap.7. Mich. ad illa verba, *Præcoquas ficus desiderauit anima mea:* quo in loco per grossos ficorũ intelligit prioris arboris ficos immaturos acerbósque, & ineptos ad vescendum, qui plerumque spontè decidunt ab arbore; præsertim flante vento aliquo vehementi, iuxta illud Apocal. 6. vbi Ioab per comparationem & amplificationem, ita loquitur: *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos.* In eo igitur sensu desiderat Deus præcoces ficus, idest, inutilium abiectionem, vel vtilium prouentum, qui succedit proiectis illis primis, immaturísque grossibus. Et Ambros. lib. de Isaac, & Anima, cap.4. referens prædicta verba Sponsi, *Ficus protulit grossos suos*, ait. Quid dubitas quia grossos dixit, priores discutit, vt posteriores meliores afferat. Similia sunt quæ habet D. Prosp. in lib. dimidij, cap.17.

Mich. 7. nu. 1.

Apoc. 6. nu. 17.

Debet igitur pia, & iusta anima quæ acerba, immatura, & viridia sunt, vel à se proiicere tanquam inutilia vel calore spiritus decoquere, & apta reddere, vt possint Deo offerri eique placere. Pro qua doctrina videndus est Origen. lib.4. hom. in Cant. hom.4. vbi per grossos intelligit initia ipsa seu primitias virtutũ, quibus meliora propè diem speramus tanquam fructus ac ficos quosdam meliores, maturiores, & dulciores. Theodoret. verò prorsus in rem nostram per grossos intelligit præcoces quosdam fidei fructus, idest, opera quædam imperfecta, & quasi inchoata, de quibus nobis hoc in loco est sermo, qualia cernere est in his, qui viam virtutis, & pietatis ingredi constituunt, quæ veluti ficus imperfectos permittunt, vt tandem perfectos, maturos, & stabiles proferant. *Ficus*, inquit Theodoret. *protulit grossos suos*, idest, præcocem fidei fructum, per quem, & alter operum fructus firmus, ac stabilis gignitur, qui non decidit sed maturescit, & iucundissimus euadit. Debet itaque ea anima, quæ medium virtutis assequi vult imperfecta initia, virides, ac immaturas cogitationes protrudere, & à se repellere, vt veræ, & perfectæ virtutis fructum possit afferre, alioqui sub initio tantum delitescens imperfectè se habebit, & damnationem facilè incurret, quod videtur deplorasse, Rex pius in verbis nostri textus quod adhuc melius intelligemus si cum Gregor. interpretemur verba illa. Psalm. 101. *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*, vbi per dimidium dierum imperfectam, & immaturam virtutem intelligit, quæ adhuc sub initio & proposito tantum continetur, de qua in præsenti agimus. Sic verò ille habet in 5. Psalm. dictum pœnitentialem. Per dimidium dierum imperfectionem vitæ accipimus, in qua se fidelis quisque non reuocari de mundi huius exoret exilio, ne si in die exitus sui transitoriæ adhuc vitæ amore occupatus fuerit, ad illam æternitatis vitam transire minus possit. Sancti viri etsi sunt mortali carne circundati, nequaquam sunt in dimidio dierum; quia perfecti desiderij amore à terrenis suspensi, illa beatæ vitæ æternitate iam in spe perfruuntur. Sic ille ostendit quàm periculosæ sunt huiusmodi virtutum conceptiones, & initia; quæ adhuc à maturitate, & perfectione longè distant.

Ps. 101. nu. 24.

Hinc est quod Deus. Leuit. 19. pro immundis præcepit haberi ea poma, quæ prioribus annis arbores proferrent; sic enim habet sacer Textus: *quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera auferetis præputia eorum: Poma, quæ germinant*

Leuit. 19. nu. 23. & 24.

nant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis, quarto autē anno fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Vbi Interlinealis Glossa, per poma illa noua, quæ germinant, intelligit opera, quæ incipiunt. Oleast. verò accipit opera iuuentutis, quæ vt plurimum vitiosa, imperfecta, & imminuta sunt quod melius percipiemus, si ad superiùs dicta recurrentes, primæ virtutis conceptionem, seu ætatis reminiscamur, quando quis adhuc in exordio est, & veluti in primordiali proposito institiæ hæret. Quod eleganter prosequitur Gregor. 8. moral. c. 35. ad med. vbi prædictum locum sic interpretatur. Ligna pomifera sunt opera virtutibus fœcunda: præputia itaque lignorum auferimus, cùm de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem, quæ germinant, immunda, ducimus, nostrísque vsibus non aptamus, quia cùm primordia boni laudatur operis, dignum est, vt hoc animum non pascat operantis, ne dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intempestiuè comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudem receperit, quasi plantati ligni, ante tempus pomum comedet, at non in horto suo hi germen protulerant, de quibus Veritas

Matt. 23. nu. 6. dicebat. Matt. 23. *Amant primos discubitus in conuiuiis, & primas cathedras in Synagogis, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Pro eo enim, quod bene agere incipiunt, quia honorem consequi ab hominibus conantur: quasi scirpi more ab ortu suo cum germine exurgunt: hi nimirum, cùm recta operari appetunt, prius mente sollicita, eiusdem operis sui testes, quærunt, & tacita cogitatione pertractant, si sunt, quæ gerenda videant, si dignè hæc eloqui, qui viderint, possint. Sic ille ostendit quomodo immundæ sunt virtutum inchoationes, quæ scilicet, vel ad opus non progrediuntur, vel in malum finem diriguntur, & ideo ab illo vitiantur. Vtrumque enim malum, veluti in æquilibrio consistit. In quarto verò anno poma approbantur, dum scilicet mens in quadro posita est, inquit Rodulph. citatus à Cornel. à lapid. & solidata, vt firmissimè teneat totum virtutis complementum, & in actiones vndique perfectas prodeat.

Neque omittendus hoc in loco Arnold. Tractat. de Septem Verbis Domini, ad fin. vbi aduertit proptereà panes propositionis è conspectu Domini auferri, vt apponerentur panes calidi, quia frigida virtutis opera, nec calore spiritus fota Deo displicent, proindéque ab illius conspectu, & sacrificio repellenda sunt. Mutabantur, inquit, panes propositionis per singula Sabbata, appositísque calidis, frigidi tollebantur, quia veteres oblationes, quasi frigidas, & calorem spiritus non habentes, repudiandas tempore gratiæ, ipsa panum mutatio intimabat.

Illud item aduertendum hîc erit, quòd periculosæ sunt admodum dictæ virtutum initiales cogitationes, ea maximè ratione, quòd sicut Pharao masculos infantes Israëlitarum iussit occidi, *Si masculus,* inquit, *fuerit, interficite eum, si fœmina, reseruate.* Exod. 1. nu. 16.
Exod. 1. Vbi per masculum virtutem robustam interpretatur Interlinealis Glossa. Pluraque in eandem sententiam habet citatus ibi Isidor. & Ambros. lib. 1. de Cain, & Abel. cap. 10. in fin. & Lactant. Firmian. lib. de Opificio Dei, cap. 12. vbi ait. Vir dicitur ex eo, quòd maior vis est in eo, quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit. Et Hierony. in cap. 2. Ecclesiast. per fœminam, inquit, fragilior

fragilior sexus, & materia significatur. Nullus Sanctorum, nisi perrarò, fœminas genuisse narratur, solusque Salphaa qui in peccatis mortuus est, omnes filios genuit, Iacob inter duodecim filios vnius filiæ, putà Dinæ, pater ob ipsam periclitatur. Dum igitur anima concipit, & intendit virtutem perfectam, & virilem, nisi statim in actum prodeat, & per consequentiam virtutem exequatur, diabolicus Pharao in vtero adhuc animæ sanctum desiderium sopire, & extinguere curat, ne ad exitum nascendo prodeat, & in actu oriatur, ac executione, conualescat. Pharao, idest diabolus, inquit Origen. Cyrill. August. & Rupert. maximè mares, idest, heroës & perfectos conatur euertere, per duas obstetrices, idest, per carnem, & mundum, putà per voluptates carnis, & per mundanas opes, & honores, & qui adhuc sunt imperfecti, neque virilem fortitudinem concipere facilè, vel spe, & honoris, & lucri, vel metu damni, & dedecoris suffocantur, ac veluti in ipsa conceptione extinguuntur. Et Ambros. loco citato ait. Sicut fœminis dedit vuluam natura, in qua vniuscuiusque animantis corpus generatur, & per menstruas formatur ætates: ita est, quod virtus animæ, quæ velut quædam vuluæ genitales secreta cogitationum nostrarum suscepit semina, conceptus fouere partus solet edere. Neque aliter diceret Isai. cap. 26. *In vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis*, nisi vuluam animæ nouisset. Harum generationum, quædam fœmineæ sunt, malitia, petulantia, luxuries, aliaque huiusmodi vitia, quibus animi nostri quædam eneruatur viriditas. Masculinæ sunt castitas, patientia, prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia, quibus mens nostra, & caro ipsa firmatur, & ad obeunda impigrè munia virtutis erigitur. Post partus venter ille propheticus parturiuit, & ideò ait, in vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis. Masculum igitur, & parturiuit, & peperit, qui spiritum salutis effudit, neque diutiùs dubitando, & propellando retineri promisit; hoc enim cùm videt diabolus Pharao, extinguere nititur, & suffocare procurat, antequam ad perfectionem, & exitum perueniat.

Isai. 26. num. 18.

Hoc ipsum argumentum deducimus ex eo, quod monuit Sponsus. Cant. 2. cùm dixit. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, maximè si eorum sequamur sententiam, qui vocem, paruulas non vulpibus adiungunt, sed vineis; vt sit sensus: Capite nobis vulpes, quæ paruas idest tenetas vineas, demoliuntur. Quæ verba ita diuidere, exponereque videntur Ambr. Serm. 11. in Psalm. 118. vers. 8. Hieronym. in illud Ezechiel. cap. 13. *Quasi vulpes in desertis*; dum dicunt arcendas esse vulpes à vineis, quandiu teneræ sunt: id, quod apertè tenet Philo Carpath. eodem loco. Vinea itaque est sancta anima, seu virtutes in anima, quæ florere incipiunt, quando primò in ea virtutum signa prognostica, initia, ac indicia sese aperiunt, sicut autem quando aliquid est in flore, tenerum, quidem, & molle reperitur, & vel à vento excussum, vel gelu exustum vim amittit vbertatis suæ, sic etiam in anima, vbi tener est adhuc virtutis flos, necesse est cura adhibeatur assidua, & diligens, proinde teneræ, & nunc primò germinantis vineæ sator, & custos Deus, monet vitandas, capiendas, & occidendas vulpes diabolicas, quæ maximè insidiantur nascentibus virtutibus: proindeque non immorandum sub initiis, neque tandiu flores retinendi, qui fructum tantùm promittant, ad illud tamen non per-

Cant 2. num. 15.

trepidant, sed statim toto conatu pro perfectione virtutis enitendum, & laborandum. Quod cohærenter prosequitur Nazianz. Orat. 40. quæ est in sanctum Baptisma, vbi apposita similitudine, & adducto exemplo rem aperit. Etenim sicut ferrum ignitum quandiu calet, in aquam inicitur, vt temperetur: non enim cum refrixit, temperari, atque exacui potest: eodem modo nos quandiu gratia, animique feruor non tepuit, neque refrixit, debemus virtutem prosequi, & ad exitum perducere sanctam, & piam cogitationem. Et quemadmodum Æthiopis ille eunuchus, cuius fit mentio in Actibus Apostolorum, posteaquam Euangelici regni doctrinam à Philippo hausit, protinus fidem corde accepit, nec spiritus signaculum distulit, verùm simul atque obiecta ipsorum oculis aqua est, mira animi lætitia perfusus dixit: *Ecce aqua*: Sic & tu, qui virtutem animo concepisti, haudquaquam differre debes, sed sanctum propositum ad exitum deducere, antequam animo excidat, & diabolicæ vulpes rapiant: verba Nazianz. sunt: Nihil progressum tuum inhibeat, nihil animi alacritatem reprimat, quandiu vehemens est desiderium, id, quod desideras, arripe. Quādiu calet ferrum, frigida obduretur; nequid interim accidat, quod animi cupiditatem infringat. Philippus sum: Esto Candaces. Dic ipse quoque, *Ecce aqua, quid me prohibet baptizari*: Act. 8. temporis occasionem arripe, &c. Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Masius in c. 4. Iosuë ad illa verba: *Sacerdotes sustinentes arcam stabant intus in Iordane: Populus verò festinarant, & transierāt.* Sic ergo ille habet: Nos quam citissimè properamus fratres, neque improbo, aut diffidenti animo obsistamus, sed exhortemur, incitemúsque nos mutuum, dum durat dies hodiernus, quo patet via tantisper, videlicet, dum nos expectat intra huius mundi alueum arca illa, in qua abditur ipsa Diuinitas corporaliter.

Act. 8. num. 36.

Iosuë 4. num. 10.

Cùm itaque animi nostri conceptiones, veluti illius progenies considerandæ sint, non debent sub infantia diu delitescere, & pro libito versari, quin Deo consecrentur, sed statim Deo mancipari, & in illius obsequium, & cultum consecrari. Quod optimè prosequitur Chrysost. hom. 21. in Epist. ad Ephes. post med. In Anna matre Samuëlis, de qua 1. Reg. 2. dicitur; quòd postquam peperit Samuëlem, non ascendit in templum, dixit enim viro suo: *Non vadā donec ablactetur infans, & ducam eum, & duxit eum secum postquam ablactauerat*, &c. Ait verò Chrysost. neque dixit: Expectabo dum crescat infans vt vtar rebus, quæ ad hanc vitam pertinent. Concedam, vt ipse parum versetur in ætate puerili: sed his omnibus propulsatis, in hoc solùm fuit, quomodo ab initio, imago spiritualis Deo dedicaretur. Reuereantur viri mulieris Philosophiam; cum Deo obtulit, & illic finit. Hoc etiam confirmatur ex eo, quod Isaïas audiens à Deo: *Quem mittam, & quis ibi nobis?* Illicò sese illi obtulit dicens: *Ecce ego, mitte me.* Isai. 6. Obseruat autem D. Ambros. Serm. 14. in Psalm. 118. ibi; *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine*, cur Deus non miserit Prophetam, sed expectauerit, donec sese Domino obtulerit mittendum? Idque factum asserit, ne Isaïam fraudaret meritò, quod posset consequi, si se Domino quàm citissimè, & tota celeritate offerret, quòd cùm maximè placeat Deo, ipse cumulatissimè remunerare solet. Vtique seruulo suo, inquit Ambros. poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat, sed maluit eum spontaneæ

1. Reg. 1. num. 22.

Isai. 6. num. 8.

taneæ oblationis non fraudare mercede., qui vt ipse se offerre præstolatus est, & quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam. Sic Ambros. probat quantum ad gratiam conducat, si quis diuinæ vocationi, etiam non propalatæ, quàm citissimè respondeat, neque vllam interponat moram, vt vocantem interiùs Deum tota velocitate sequatur.

Quærit optimè D. Ambros. libr. 3. de Virginib. ante med. cur Deus sustinuerit immolari sibi à Patre filiam Iephte, Iudic. 11. Qui prohibuit per Angelum suum Abrahamo, ne offerret filium, quem immolare præceperat. Genes. 22. Idque non aliunde factum asserit, nisi quia Iephte sacrificium conceptum, destinatum & promissum diu distulerit; Abraham verò de nocte consurgens, summa celeritate, pro adimplenda diuina iussione maturauerit; placet enim admodum Deo conceptas, & destinatas virtutes opere adimplere quàm citissimè, nullamque moram in illarum executione interponere. Dicet aliquis, inquit Ambros. qua ratione illic non permisit Deus parricidium filij, hic sit passus impleri? Nunquid acceptor personarum Deus? non, sed meritorum, atque virtutum. Certè dum consilium esset ambiguum, signare debuit oraculum, qui ad precem facto, & in reliquum conuenerit exemplo: aut fortasse, quia non vna forma meritorum, ideò non vna forma factorum. Pater doluit, fleuit filia, vterque de Dei miseratione dubitauit. Non doluit Abraham, nec consuluit partiens affectum, vbi audiuit Diuinitatis Oraculum, non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium. Non dubitauit Isaac, cùm imparibus sequeretur patrem passibus; non fleuit, vt ligaretur, non dilationem poposcit, cùm offerretur, & ideo misericordia largior, vbi fides promptior. Pro qua deuotionis exustione ouis pro illo iussa est immolari, quia ipse non distulerat immolandum, nec de Dei miseratione ambiguus, nec de sui deuotione sollicitus. Nemo inuentus est, qui tam cruentum patris reuocaret affectum, &c.

Iudic. 11. num. 39.

Gen. 22. num. 12.

Hoc etiam videre est in eo, quod dicitur Genes. 22. *Die autem tertio eleuatis oculis, vidit locum procul*: In quo, scilicet, iussus erat à Deo sacrificare filium suum, in eo autem, quod sacer textus refert Abrahamum à longè vidisse locum sacrificij, voluit nobis innuere quali desiderio flagraret accedendi ad eum locum, vt quia pedibus nō poterat votum consequi, nec ea celeritate peruenire, quò iam voluntate peruenerat, vt præceptum sibi sacrificium adimpleret, voluerit saltem eò peruenire, & accedere oculis, deferentibus secum animum, quò senio pergrauatū corpus peruenire non poterat. Sic enim pulchrè explicat hunc locum Ambr. libr. 1. de Abraham, cap. 8. ad med. vbi ita habet: Respiciens Abraham, vidit locum à longè. Sollicitè explorat, qui properat implere: quamuis senilem studio celeraret gladio, tamen hoc serum putans, præcedebat oculis. Sic ille ostendit quanto animi ardore, & deuotionis alacritate ad peragendum sacrificium properaret, sciens vberiores quidem fructus habere celeratam deuotionem. Hoc etiam prosequitur Chrysostom. homil. 59. ad populum, ad fin. vbi de eodem Abrahamo, ait: Abraham licèt admirabilem haberet vxorem, filium oblaturus latuit, quamuis futurum ignoraret, sed omnino se credens occisurum. Quid igitur dixisset, si fuisset vnus de multis? Quis est hic talia faciens? nónne crudelitatis, & rusticitatis eum accusasset?

Gen. 22. num. 4.

Neque suum videre filium vxor habita digna est, neque supremam vocem audire, sed tanquam captiuum sumens, sic abducebat. Sed horum nihil ille iustus cogitauit, ebrius desiderio: nihil enim aliud intuebatur, nisi quomodo mandatum impleret. Ita per omnia purum offerre sacrificium studebat, non lacrymis, non contradictione polluere: & statim reddens rationem, cur quando Isaac interrogauit: *Ecce ligna, & ignis, vbi est victima holocausti?* Responderit; *Deus prouidebit sibi victimam filii mi.* Ait: quid ipsum celas? Dic immolandum. Profectò, inquit, timeo ne langueat, timeo ne non indignus inueniatur; Vides qualiter omnia cum diligentia gerebat? Ita Chrysostom. ostendit quomodo Abraham omnia remouerit, quæ ipsum à peragendo sacrificio, omni animi diligentia, & feruore posset retardare, sciens sacrificium illud Deo placere, quod non differtur, cámque virtutem acceptissimam diuinæ bonitati, quæ minimè moratur, & protrahitur. Quod bene prosequitur Ambros. libr. 1. de Abel, & Cain, cap. 7. in princ. vbi recitat verba illa. Genes. 4. *Factum est,* Genes. 4. num. 3. *vt post multos dies offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, in hunc modum. Duplex culpa; vna quod post dies obtulit, altera, quod ex fructibus, non ex primis fructibus; sacrificium autem, & celeritate commendatur, & gratia. Et cap. 8. eiusdem libr. ita incipit Ambros. Prima voti gratia est celeritas solutionis. Denique Abraham filium suum ad holocaustum iussus offerre, non post dies, vt Cain, obtulit, sed exurgens manè strauit asinam suam. Primò aduerte immolantis studium maturum, atque festinum, vt mora expectationis non esset, nisi donec audiretur Oraculum, deinde vt sterneret asinam suam, obsequium omne ipse susciperet. Adhuc cognosce studium deuotionis. *Cucurrit*, inquit, *& accepit vitulum vnum tenerum, & dedit puero, & festinauit facere eum.* Genes. 18. n. 7. Gen. 18. num. 7. Vbique impigra deuotio, & ideò fuit munus eius acceptum. Habes in Euangelio dicentem Dominum Iesum, *Zachæe festinans descende*, & *Ille festinans descendit, & accepit illum gaudens*, &c. Luc. 19. n. 6. Et ideò pro- Luc. 19. num. 6. bauit Dominus eius affectum, & cum celeri remuneratione donauit, dicens, *Quia hodie salus huic domui facta est.* Festinauit enim & Dominus ad beneficium, & ideò non expectauit vt promitteret, & impleret omnia, sed antè fecit, postea declarauit: Dixit enim, facta est salus, quod vtique præuenienti seruit, non promittenti. Iustus ergo votum suum celeritate commendat, & ideò Patres nostri festinantes manducabant Pascha succincti lumbos, & pedes suorum calceamentorum exuentes vinculis, & tanquam onus corporeum deponentes, vt essent parati ad transitum: Pascha enim Domini transitus est à passionibus ad exercitia virtutis, &c. Qui enim transire vult à peccato ad virtutem, à terrenis ad spiritualia, non diu hîc præmeditari debet, exordiri, & differre, sed tota velocitate impedimenta soluere, & ad Deum conuolare.

Similia prorsus sunt, quæ habet Bernard. Serm. de Virtute obedient. & eius gradib. ante med. vbi loquens de celeritate, qua dictus Patriarcha Abraham ad immolandum filium suum accesserat, ait: Non à Domino quærit, quare? Non murmurat, non conqueritur, non saltem vultus dolorem ostendit, sed omnium, quæ præcipiuntur ignarus, in mortem filij pia crudelitate festinat; & post multa addit: *Velociter currit sermo Dei.* Psalm. 147. Et velocem habere desi- Psal. 147. num. 15. derat sequentem: *Viam mandatorum*

Ps. 118. nu. 32. tuorum cucurri. Psal. 118. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem, *Zachæe*, inquit, *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, & festinanter descendit, & suscepit illum gaudens.*

Facit in hanc sententiam D. Nilus in Ascetico post med. cùm ponderat feruorem spiritus, quo vocatus Elisæus tulit par boûm, in quibus arabat, & mactauit illud, & in aratro boûm coxit carnes consurgénsque abiit, & sequutus est Eliam vocantem. 3. Reg. 19. Et, inquit ille, promptum ardẽtis animi studiũ declarat; neque enim dixit, vendã instrumenta boûm, & prudenter disponam, neque considerauit, ea si venderentur, emolumentum plus allatura; sed cùm totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tanquam à recto proposito reuocantibus studuit explicare; sciebat enim sæpe procrastinationem pœnitentiæ causam extitisse. Similia sunt, quæ habet Philo. lib. de Abraham, ad illa verba, *Egredere de terra tua, &c.* vbi ait. Iter accelerauit in regionem exteram, rẽ factam se habere putãs si mãdatum exequeretur celeriter, &c. Vbi vides vsque adeò placere Deo celeritatem in exequendis mandatis ipsius, vt pro facto velùti iã habeatur feruor ipse initij, & exordij velocitas.

3. Reg. 19. n. 21.

Annuntiauit gaudium magnum Angelus pastoribus, quod scilicet natus esset Filius Dei in Bethleem; vt tamen discesserunt ab eis Angeli, *Pastores loquebãtur ad inuicem: transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc verbum*; vbi Græcus codex ad verbum apud nos habet: *Proficiscamur iam:* Emphasimque habet particula, *iam*, & denotat cupiditatem, accelerationem, & impatientiam, quod propriè amantium, & cupientium aliquid videre est. Et hoc mihi sonare videtur verbum, *transeamus*, quod noster vulgatus posuit, quasi id maximè torqueret pastores desiderantes infantem maximũ videre, quod scilicet interiectum adhuc esset iter, & non in termino pro velle, & desiderio suo reperirentur. Vnde quia nõ poterant de vno extremo ad aliud transilire nisi traiecto medio, dicitur, quòd venerunt festinantes; vbi Ambr. ait. Vides festinare pastores, nemo cum desidia Christum quærit. Et Beda Festinant pastores, neque enim cum desidia Christi est quærẽda præsentia, & ideo fortè nonnulli quærentes, inuenire non merentur, quia desidiosè Christũ quærunt; & Simon. Cassian. ibidem: Nescit amor tardè moueri, ipsa tarditas ad quærẽdũ, nullius, aut modici amoris argumentum existit.

Luc. 2. nu. 15.

Hinc intelliges cur in sacris literis perfecti, & iusti viri appellentur luces, & lumina, vt Matth. 5. *Vos estis lux mundi.* Et Ephes. 5. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et Philipp. 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria.* Quæ loca intelligenda sunt de illuminata luce, est nãq; aliud lumen illuminatum, aliud illuminans, sicut aduertit August. lib. 2. contra Epist. Parmenian. cap. 19. & 20. Et Epist. ad Honoratum, cap. 3. Sicut enim oculi nostri lumina vocantur, attamen nisi nocte lucerna, & interdiu Sol luceat, nihil proderit, sic & Sancti nisi à Deo illuminentur, cuius tantum est gratiam infundere. Vocantur igitur perfecti in sanctitate lumina, vel luces ex eo, quòd sicut lumen, vt illuminet nullo prorsus indiget tempore, sic & Sancti absque vlla mora, Dei exequuntur mandata.

Matth. 5. n. 14. Ephes. 5. nu. 6. Philip. 2. nu. 15.

Vbi statim occurrit Augustinus lib. 2. de Genes. ad liter. cap. 8. tom. 3. Cùm per lucem à Deo initio orbis creatam intelligit Angelos.

Deinde verò idem August. citatus in Glossa inquirit, cur in creatione lucis breuissimis verbis vsus fuerit Moyses, non sic verò in creatione cæterarum rerũ corporearum? quod totum in rem nostram accommodat in hunc modum. Notandum, inquit ille, quòd prima die, cùm facta est lux, dictum est tantum, *Fiat lux*, & hoc in verbo, *Et facta est lux*, in opere, statímque adhæsit increatæ luci lux creata, vt vicinior, & omni creatura capacior. In secundo die quædam mora, & verborum multiplicatio: fiat, & fecit Deus, & factum est ita: vt intelligamus illas naturas ad deficiendum pronas, & ad obediendum minus aptas. Sic ille ostendit naturas imperfectiores tardiores esse ad obsequium, & ministerium Dei. Perfectiores verò, & sanctiores tota agilitate cieri, & nulla adhibita mora, opera virtutis exequi, atque diuino cultui celerrimè obtemperare. Quod etiam prosequitur Dionys. Areopag. de Cœlesti Hierarch. cap. 15. cùm reddit rationem, quare nudis pedibus, alatíque nobis proponantur Sancti Angeli? Pennatos, inquit ille, Sanctorum Angelorum pedes Theologia finxit, penna enim declarat celeritatem, & quod cœleste est, & quod ab omni terrenarum rerum studio, & cupiditate abhorret: nuditas verò, & calceorum priuatio id, quod solutum est, ac liberum, & omni externa commoditate desertum.

Exod. 26. nu. 1. Exod. 26. Decem cortinæ de bysso retorta, & Hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto variatæ opere plumario fieri præcipiuntur; vbi in Hebr. habetur, *Cherubim opere cogitantis facies eas*: non minima autem est controuersia inter sacros Interpretes, vtrum de facto fuerint Cherubim appositi, & contexti in cortinis, an verò factæ fuerint cortinæ ad modum Cherubinorum, idest, tegentes domũ, quemadmodum Cherubini alis suis Propitiatorium tegebant? Et dato quòd fuerint Cherubini, adhuc lis est, an intelligendi sint Angelici spiritus, qui Cherubini vocantur, an verò secundum sententiam, quam tenet Abenezra, Cherub vniuersale sit nomen ad omnem figuram significandam? Vnde Iosephus in hisce cortinis herbarum, arborum, & aliarũ rerum effigies prætextas fuisse dicit. Attamen Oleast. dicto loco, & Prado Ezechiel. 1. putant hoc opus vocari Cherubin, quia veræ imagines Cherubinorum vario colore expictæ, & intextæ erant dictis cortinis, & easdem expictas fuisse constat in velo, & parietibus templi ex sacro Textu. 2. Paral. 3. nu. 7. & 14. His igitur sic constitutis, si quæras, cur nam Deus non solùm in Propitiatorio, sed in cortinis etiam, velo, templíque parietibus Cherubinos apponi potius præceperit, quàm alias creaturarum effigies? In rem præsentem congruenter respondet Oleast. ibi. Videtur Dominus Cherubinorum figuris, quæ sunt maximæ velocitatis delectari, vt ostendat nobis quantum delectetur in his, qui summa diligentia faciunt verbũ eius, &c. Hos ergo ante oculos suos vult habere, & in eis veluti in seruis maximè dilectis complacere. Quod benè prosequitur Bernar. Ser. 2. de S. Andr. ad med. vbi ait. Desideramus spiritum, qui sic adiuuet infirmitatem nostram; sed inuenire non possumus, nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi vt sedulò, & cum desiderio requiratur, &c.

Desiderauit Dauid aquam de lacu, & cisterna Bethleem, & ait. *O si quis mihi daret potũ aqua de cisterna, quæ est Bethleẽ iuxta portã. Irruperunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquã de cisterna, quæ erat iuxta portam,* 2 Reg. 23 nu. 15.

&

& attulerunt ad Dauid; At ille noluit
2. Reg. 23.n.15. *bibere, sed libauit eam Domino.* 2.Reg. 23. Inter alias huius rei rationes, quas superius iam annotauimus, ea nobis in præsentiarum perplacet, quam reddit D.Ambr. quod scilicet factum hoc viuidæ, & feruentis virtutis fuerit symbolum, dum illico irruperũt, vbi primùm cupientem Regem audierunt: hoc igitur indicat particula, ergo, vt hostiles cuneos minimè veriti ad desiderium Regis implendum conuolauerint: cùm ergo Deo admodùm placeat, siquis voluntatem eius, seu voluntatem signi, vt appellant Theologi hoc est præcepta, summa cura, & diligentia, opere compleat, & perficiat, nullámque moram, & dubitationem interponat, nulla item difficultate superetur, nullóque inimicorum impetu retardetur. Hoc quia vidit Rex Dauid in tribus strenuissimis militibus exaratum, dum concupitam aquam afferunt, noluit eam bibere, sed Deo obtulit, cuius tantummodò voluntas, indubitanter, strenuè, totóque animi feruore exequenda est, eiúsque præceptis obsequendum. Sic verò habet Ambr. in Apolog. Dauid, cap.7. post princ. Rex noluit bibere, & profudit illam Domino: Dignum enim tanto munere fuit, vt quæ erat viuidæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium.

Postquam apparuerunt cacumina montium, & quadraginta dies insuper transacti sunt post pluuiam
Genes. 8. nu.7. diluuij, *Aperiens Noë fenestram arcæ dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur.* Vbi Hebr. Codex, quem bene Delrio cum nostra Vulgat. conciliat, & ab illo Fernand. Sect.2. num. 5. *Exiuit exeundo, & redeundo.* vbi Caietan. pro nostro argumento ait. Egressus corui describitur, tam exigui progressus, vt exitus simul fuit cum reditu: ac si apertiùs dixisset, quod exiuit sic, quod simul exiit, & rediit. Sic ille. Volitabat, inquit Delrio; ad cadauera stimulante gulositate, reuolitabat ad arcæ culmen suadente fatigatione, & huo re, limositatéque telluris illum abigente. Sic ad Noëmum non redibat infidus explorator: fors quod vafrum, & malignum animal nollebat iterum in caueam subire gustata libertate natiua. Sunt plerique, qui è cauea iniquitatis ad virtutem exire, & conuolare proponunt, sed illico desiliunt, & ad carceres impietatis reducuntur, quibus nunquam ad exitum reducunt iustitiæ desiderium, & virtutis propositum, sed instar corui se habent, dum vel cras, & matutino volatu clamant, vel tandem exeunt iterum redeundo, quod neutiquam exire est, sed exordiri, & exitum pensitare, minimè deserendo vitiosum extremum. At qui verè Deo placere intendit, vincula prauitatis abiicit, totóque animi conatu, & feruore virtutem petit, & amplexatur, quod meritò videtur dolere Ezechias, quippe qui exibat, & redibat, ordiebatur, sed non progrediebatur. Hoc enim videntur sonare verba nostri textus, *Dum adhuc ordirer succidit me.* Erat enim in initio virtutis, neque tamen ad propositum desiderium exequendũ progrediebatur. De quo videndus Bernard. lib. de modo benè viuendi ad sororem, cap.20. vbi ait: Soror charissima audi beatum Hieronymum dicentem; non quæruntur in Christianis initia, vel exordia, sed finis, & perseuerantia. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit: laudatur initium Iudæ, sed finis illius condemnatur. Vnde B. Gregor. Virtus boni operis perseuerantia est, in casum bonum agitur, si antè vitæ terminum deseratur. Videnda item sunt, quæ habet lib. de Virtut. obedient. post med.

&

& lib. 5. de Consideterat. c. 14. in med. & lib. de Octo punctis ad perfectionem, in med.

Quantum autem displiceat Deo huiusmodi corui volatus, qui à proposito non progreditur, ostendit locus ille Prouerb. 1. vbi contra eos, qui sæpius à Deo vocantur, neque ab impietate exeunt, vt diuinæ vocationi adhæreant, ita habetur. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo:* quod Aug. Tract. 33. in Ioan. sic legit. *Ego vestræ perditioni superridebo: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me:* vbi L X X. habent: *Quærent me mali, nec inuenient.* Acutè autem obseruat Rodolph. cur Deus, qui hucusque impios in secunda persona fuerat allocutus, mutata iam persona non ipsos inimicè affatur. Quia, inquit, tranfacto pœnitendi tempore, non amplius dignatur eos alloqui: manè consurgent ad me, & non inuenient me, hoc est, diligentissimè me quærent mali; nam ex phrasi Hebræa, manè consurgere, est accuratissimè aliquid inuestigare; sumpta fortasse, vt quidam existimant, ex eo, quod euenire consueuerat his, qui manna de cœlo defluum colligebant, quibus necessarium erat Solis ortum præuenire ad colligendam benedictionem, sicut dicitur Sapient. 16. Aliter tanquam hybernalis glacies tabescebat, & tanquam aqua superuacua disperibat. Inde igitur manè surgere, idem erat, quod diligenter quærere: sensúsque est. Etiamsi ea diligentia, & cura ad me inuestigandum impij surgant, qua multò manè ante Solis ortum surgebant filij Israël pro manna colligendo, minimè me inuenient, seróque illis erit, ac sicut manna disperibat his, qui diluculum non captabant: Sic ego veluti euanescens disparebo.

Prou. 1. nu. 25.

Sap. 16. nu. 28.

Quòd si obiicias illud eiusdé lib. Prouerb. cap. 8. *Qui manè vigilant ad me, inuenient me.* Respondet Salazar eodem loco; quod ibi dicitur primo manè surgere Dominum, quia adolescentes, atque iuniores alloquitur sapientia, qui vitæ suæ quasi manè, & diluculum quoddam agunt; monet autem ne præceptis honestatis posthabitis intemperantiæ, ac libidini habenas remittant, nam fiet quidem, vt morte immatura correpti, pœnas maturè luant: & tunc quidem etiamsi resipiscere velint, & quodammodò manè euigilent in ipsa iuuenture, & vitæ auspicio, tamen non inuenient sapientiam, vt sit sensus: caue iuuenis intemperans, nam nonnunquam sera est etiam resipiscentia in iuuentute.

Prou. 8. nu. 17.

Vel intelligenda est hæc æquiuocatio manè facta ad Deum de accurata diligentia, & magna cura, quæ careat debita intentione finis honesti, & quæ non tam sit suscepta de salute æterna sollicitudo, quàm fuga imminentis mali: hæc autem tantum abest, vt veræ conuersioni inseruiat, quòd potius ad damnationis exitum ferat. Etenim cura ista incessit Antiochum, & Iudam etiam postquam peccauit, de quo Chrysost. relatus à citato Authore ait, Dixit, *Peccaui tradens sanguinem iusti*. sed non potuit vitare peccatum, sic enim de eo ait Spiritus Sanctus, *Et oratio eius fiet in peccatum*, vt in eo, quod pœnitentiæ festinauit ad portum, ibi incideret in æternum, & sine reparatione naufragiũ. Et hom. de Proditore, & Mysteriis Cœnæ, ante med. ait idem Chrysost. Remãsit cũ voce impij traditoris inefficax pœnitudo facinoris:

nec confeſſionis meritum obtinuit, ſed magis ſceleris ſarcina in pœnitentiæ cumulum coniecit,&c.

Vel etiam propoſitum dubium diſpungetur, ſi dicamus impios ſurgere manè, quia ſemper in ſequentem diem protelanr emendationem, & poſteriùs manè futuræ lucis expectant, & propterea non inueniunt, quia ſemper proponunt pœnitentiam, nunquam tamen ad illam perueniunt. Et per antiphraſim illud manè inuocare, idem eſt, ac minimè inuocare, ſed ſine effectu, & veritate inuocationem intendere; quæ eſt ratio cur non exaudiantur. Quòd ſi tandem inuocent, ſerò id contingit, cùm ciriſſimè ſe inuocaturos propoſuerint, qua in re maximè culpabiles ſunt, & digni, qui non exaudiantur. Vnde Saluſt. in Catilinar. ſuo etiam modo hoc conſecutus, dixit. Vbi te ſocordiæ, atque ignauiæ tradideris, nequaquam Deos implores, irati, infenſique ſunt. Videns igitur Ezechias quòd tardiſſimus fuerit in adeundo Deum, & in futurum, ac manè, ſemper reſeruauerit propoſitæ virtutis executionem, id hoc in loco iure deplorat.

Vel fortè etiam dolet, & lacrymatur moram, & tarditatem in virtutis ſequela, quòd cùm eſſet Rex, & primus inter ſuos, proindéq; primas virtutis partes agere teneretur, virtutem tantùm intendebat, nec in opus prodibat; ſunt enim Reges, & Principes viri veluti exemplar cæterorum, in quos oculorum aciem intendunt, vt eos imitentur. Vnde

Gen. 26. num. 26. Geneſ. 26. cum Rege Palæſtinorum dicitur veniſſe Phicol dux militum; vbi Delrio ait. Valde ſuſpicor Phicol (hoc eſt, omnis facies) officij ratione appellariuum fuiſſe nomen, quod nomine ipſo indicarentur omnium militum animi, & oculi in eum conuerſi. Idcóque cunctorum primus in acie ſuos ducere, & præire deberet, ſicut & facies corpus ipſum præcedit. Hoc igitur quod de duce dicitur, hoc in loco dirigente milites ſuos. Debet item intelligi de quolibet ſupremo viro, quod ſcilicet, ſit ſuorum facies, in quem omnium erecti vultus, & oculi intenduntur, vt pro illius actionibus proprias dirigant, & componant, vtque ſuos præcedat, & dirigat in virtutis via. Vnde conſtat quantum eis incumbat greſſus ſuos componere, actiones diſponere, & in exemplum imitandum proponere.

Fame preſſus Dauid Abimelec Sacerdotem conuenit, panéſque petiit, ſi ad manum haberet. 1. Reg. 21. *1. Regum 21. nu. 4.* cui ille reſpondit: *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri maximè à mulieribus.* Cur igitur Sacerdos non interrogat ipſum Dauid de propria munditia, ſed de aliorum puritate inquirit? Caietan. ibi ait: Non interrogat de ipſo Dauid honoris gratia. Alij verò dicunt mundum non dubitabat, quem Regem agnoſcebat: vſque adeò enim decet Principem virtutem, & munditiem ſectari, vt quia Dauidem agnouerat à Deo deſtinatum in Regem, de illius puritate minimè dubitaret.

Hinc eſt quòd Chriſtus Dominus quos Luc. 10. appellauit Reges, *Luc. 10. num. 14.* apud Matth. in cap. 13. appellauerit *Matt. 13. num. 17.* iuſtos: nam priori loco ait: *Dico vobis quòd multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quod vos videtis, & non viderunt:* & poſteriori loco ait: *Amen dico vobis quòd multi Prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt:* vbi pro Regibus apud Lucam, iuſti habentur apud Matth. Licèt verò Maldonat. & Tolet. exiſtiment eſſe diſtinctas perſonas Reges, & iuſtos, & quos alter Euāgeliſta

nominauit, ab altero omitti; tamen Beda expresse in hunc modum ait: quos Luc. Prophetas, & Reges dicit: Matth. apertiùs Prophetas, & iustos appellat. Similia sunt quæ habet Abulens. quæst. 42. in cap. 13. Matth. Vnde constat Reges, principes, proceres, primores, & optimates, primos in virtute, priores in sanctitate, optimos in iustitia esse debere, quandoquidem in sacro sermone idem est Rex, ac iustus. Vnde etiam factum est vt libri Regum inscribantur libri iustorum, & iuxta hunc vsitatum modum locuti sunt Euangelistæ citati.

Hinc est quod Hieronym. Epistol. ad Iulian. post medium, tom. 3. ait: Cur qui in sæculo primus est; non in Christi familia primus sis? idest, inter Sanctos, & familiares Dei. Et Chrysostomus libr. 3. de Sacerdotio, ante medium, ait: Caput valentissimum esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes dispensare, easque ritè, atque ordinatè componere possit. Cùm enim per se caput infirmum est, ac fumorum insultus illos morbificos, repellere minimè potens, tamen fit, vt ipsum etiam infirmum in dies reddatur, cùm autem reliquum corpus secum perdat, &c.

2. Regum 18. n. 18. *Absalon erexit sibi titulum.* 2. Reg. 18. Siue, vt Iosephus 7. Antiquitatum, cap. 7. interpretatur, *Statuam,* dicens: *Non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei.* Difficultas

2. Regum 14. n. 27. est in dicto, cùm constet ex 2. Reg. 14. Absalonem tres filios, & vnam filiam habuisse. Requires igitur cur dixerit filios non habere? Respondet ibi Lyran. quia erant ad regnum inepti. Si vlteriùs roges cur inepti? Respondet Hieronym. in quæst. Hebraic. ad eum locum ex traditione Hebræorum; quia putabat filios suos ob peccatum suum, quod in patrem commiserat, non solùm regno, sed etiam præsenti vita indignos. Vsque adeò non decet Principes impios deprehendi, eorúmque defectus, & peccata adeò innotescunt, vt in filiis etiam conspiciantur, & indignos eos regali throno reddant, quem ascendere non debent, nisi sanctitate præstantes. Ideò citatus Chrysostomus in med. dicti libri, ait: Non possunt Episcoporum vitia dissimulari, sed vel parua, atque exigua confestim manifesta fiunt. Quando & athleta tantisper, dum domi se continet, cùm nemine manus conserens, imbecillitatem, infirmitatemque suam occultare aliis potest: vbi vero nudato corpore in arenam decertaturus descenderit, tamen facilè apparet, quid ille possit. Eadem ratione, qui priuatam hanc, & quietam vitam viuunt homines, solitudinem habent suorum vitiorum, tanquam velamen quoddam: iidem rursus cùm in medium prodierint, solitudinem illam, sicut vestem exuere, ac per externos, aduentitiósque motus, suos animos omnibus nudos exhibere cogûtur. Quemadmodum ergo istorum officia, rectique mores multi vsui sunt, accedúntque ad studij ęmulationem eiusdem, ita & vitia ad virtutis cultum segniores reddunt, præstantque vt cæterorum animi ad bonorum operum labores capessendos torpescant. Quamobrem Sacerdotis anima pulchritudine vndique splendescere oportet, vt oblectare pariter, & illustrare possit illorum animos, qui suos in illum oculos coniiciunt: nam vulgarium hominum delicta, veluti in tenebris commissa, authores suos solos perdunt. Cæterùm hominis illustris, & vulgo cogniti delictum, commune omnibus damnum affert. Præterea ignobilium delicta, si in medium

medium prodierint, neminem insigniter vulnerant, at qui in dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non noti, manifestique sunt; cùm verò si vel tantillum peccauerint, parua eorum peccata aliis magna videntur: neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potiùs dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. Sic ille, qui etiam homil. 22. in Act. Apostol. statim post princip. ait: Sanè propter hoc dignitates positæ sunt, vt maior pietas ostendatur, &c.

Cùm ergo ex tam multis capitibus teneatur vir Princeps, & Rex quemlibet defectum vitare, & omnem amplecti virtutem, noster Rex cùm videret sibi incumbere alios virtute præcedere, eisque iustitiæ antesignanum, & ducem esse, quia sub exordio adhuc erat, & initio virtutis, dolet meritò quod in eo statu moriatur, in quo nondum viam virtutis aperuerit, & ostenderit suis subditis.

Si tamen rem altiùs rimari velimus, & attentiùs expendamus Ezechiæ commendationem superiùs expositam, dum ipse Deo confidenter dixit se corde perfecto ambulasse coram Domino, non imperfectionem virtutis deprehendemus in his verbis, sed illustrem notam summæ perfectionis: etenim se in exordio virtutis adhuc reputare existentem illum, qui corde perfecto hucvsque ambulauerat, denotat quidem inexplebilem sitim, ac famem iustitiæ, & virtutis, quæ à Domino commendatur apud Matth. cap. 5. cùm dixit: *Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Quo in loco licèt plerique nomine iustitiæ peculiarem virtutem, quæ iustitia dicitur, intelligant. Melior tamen sententia iustitię nomine virtutem accipit, constaréque videtur hic sensus ex eo, quòd statim addit Christus Seruator: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*, idest, propter virtutem, & sanctitatem, & in eo, quòd Seruator ait: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis, &c.* Ex quibus probatur nomine iustitiæ virtutem intelligi, quàm sitire, & esurire maxima perfectio est, à Christo Domino laudatur in dictis verbis; vbi Chrysostom. ait: Non dixit Christus, Beati, qui iustitiam seruant, vt non vtique mediocriter, sed cùm omni illam vtilitate teneamus. Et Cromatius. Non facili, inquit, desiderio, nec leui cupiditatis ardore expetendam à nobis esse iustitiam docuit Christus. Siquidem hos beatos esse significat, qui ad eam consequendam esuriendi, ac sitiendi modo interni desiderij cupiditatibus inardescunt. Sic ille.

Matth. 5. num. 6.

Quia verò inter omnes nobis rectè videtur rem illustrasse Gregor. Nyssen. lib. de Beatitudinibus ad dicta verba, ideò illius subiungimus expositionem. Qui medicinæ, inquit, periti sunt, aiunt eos, qui ex stomacho laborant, & cibos fastidiunt, cùm praui quidam succi, & superflui humores ad superiorem ventriculi partem confluxerunt, semper plenos pariter, ac saturos esse sibi ipsis videri, ac idcirco per adulterinam, & prauam repletionem, & satietatem naturali in eis extincto appetitu, vilem cibum respuere, atque auersari: sed si aliqua ab arte medica cura eis adhibita fuerit, per acutorum, & incidentium medicamentorum potionem ablutis, & expurgatis prauis, ac superfluis humoribus, ita tandem accidere, vt id, quod alienum est naturæ, non ampliùs officiat: atque hoc restitutæ sanitatis esse signum, quod non ampliùs coacti, & inuiti, sed cupidè, & cum appetitu

cibum ſumant. Quidnam ergo mihi hoc principium vult? Rectum, ac commodum eſſe opinor, vt expurgata ſatietate, & ingurgitatione animæ, quoad eius fieri poteſt, talis & cibi, & potus beatum nobiſmetipſis appetitum conficiamus, & ingeneremus, &c.

Conſtat igitur perfectionem, & beatitudinem viæ in hoc conſiſtere, quod nunquam quis virtute, & meritò ſatietur, ſed in dies magis, ac magis iuſtitiam acquirendam ſitiat, & eſuriat iuxta illud Apocalyp.22. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Vnde & Eccleſiaſt.24. dicitur: *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Quod bene exponit Gregor. homil.76. in Euangel. vbi ita incipit. Hoc diſtare inter delitias corporis, & cordis ſolet, quòd corporales delitiæ cùm non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt: cùm verò auidè eduntur, comedentem potiùs in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales delitiæ, cùm non habentur in faſtidio ſunt: cùm verò habentur, in deſiderio; tantoq; ampliùs à comedente eſuriuntur, quantò ab eſuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet. In iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat. In iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpirituales delitiæ deſiderium in mente, dum ſatiant; quia quantò magis earum ſapor percipitur, eò amplius cognoſcitur, quod auidiùs ametur.

Apoc.22. num. 11.
Eccl. 24. num. 24.

Proſequitur hoc ipſum argumentum Bernard. Epiſtol.253. poſt princip. vbi ait. Nunquam iuſtus arbitratur ſe comprehendiſſe, nunquam dicit, ſatis eſt, ſed ſemper eſurit, ſititque iuſtitiam, ita vt ſi ſemper viueret, ſemper quantum in ſe eſt, iuſtior eſſe contenderet, ſemperque de bono in meliùs proficere totis viribus conaretur. Itaque proficiendi ſtudium, & iugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quòd ſi ſtudere, perfectioni eſſet perfectum, profectò nolle proficere, deficere eſt. O Monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non potes. Quid enim ſtat in hoc ſæculo? Et certè de homine ſpecialiter dictum eſt: *Fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Iob 14. Ipſe denique hominis, ſæculique Author quandiu in terris viſus eſt, & cùm hominibus conuerſatus eſt, nunquid ſtetit? Et quid prodeſt Chriſtum ſequi, ſi non contingat conſequi? Ideò Paul. aiebat: *Sic currite, vt comprehendatis.* 1. Corint.9. Ibi tu Chriſtiane fige tui curſus, profectúſq; metam, vbi Chriſtus poſuit ſuam. *Factus eſt*, inquit, *obediens vſque ad mortem.* Philipp.2. Quantumlibet ergo occurreris, ſi vſque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis: brauium Chriſtus eſt. Quòd ſi illo currente, tu gradum ſiſtis; non Chriſto appropias, ſed te magis elongas. Timendúmque tibi eſt, quod ait Dauid Pſalm.72. *Ecce qui elongant ſe à te, peribunt.* Itaque ſi proficere currere eſt: vbi proficere, ibi currere deſinis. Vbi verò non currere, ibi deficere incipis. Hinc planè colligitur quia nolle proficere, non niſi deficere eſt. Vidit ſcalam Iacob, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur vniuerſi Geneſ.28. Quamuis palam daretur intelligi, inter profectum, & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inueniri: ſed quomodo

Iob. 14. num.2.
1 Cor 9. num. 24.
Philip.2. num.8.
Pſal.72. num. 27.
Gen. 28. num. 12.

do ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat, aut decrescere: sic necesse sit & spiritum aut proficere semper, aut deficere. Interest tamen quòd nequaquam iuxta ordinem corporalium vicissitudinum etiam spiritus, sua vel incrementa carpit, vel patitur detrimenta: nam semper in robusto,& vegeto corpore debili, & infirmo fortior viget, promptiórque spiritus, quod se vtrique in se expertum contestans Apostolus: *Quando infirmior,* inquit, *tunc fortior sum.* 2. Corinth. 12.

2. Cor. 12. nu. 10.

Similia sunt quæ habet idem Bernard. Serm. de Septem verbis Apocal. cùm exponit illa verba Angeli. Luc. 1. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* Vult enim ideo gratiam inuenisse Beatissimam Virginem, quia minimè cõtenta ea, quam acceperat, adhuc vberiorem de nouo quærebat, & ad maiorem sanctitatem,& perfectionem anhelabat. Sic verò habet Bernard. Denique quod quærebat, inuenit, cui dictum est, *Inuenisti gratiam apud Deum.* Quid? plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono, sed sicut scriptum est, qui bibit adhuc sitiet, petit superfluentiam. Et Serm. de Natiuit. Beatæ Mariæ, qui dicitur de Aquæductu ante med. monens nos, vt secundùm exemplum Virginis Matris maiorem semper gratiam quæramus, ait: Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit, inuenit: quæramus gratiam, sed apud Deum quæramus, nam apud homines gratia fallax; quærant alij meritum, nos inuenire gratiam studeamus. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit, &c.

Luc. 1. nu. 30.

Neque mirum si Bernard. dixerit Beatissimam Virginem quæsiisse gratiam, in eáque profecisse, cùm hoc proprium sit iustæ, & sanctæ animæ, quod ipse probat in Christo Domino, qui cùm non posset vltra ascendere, quandoquidem in culmine totius perfectionis erat constitutus, adhuc tamen modum inuenit, quo proficeret, non quidem ascendendo, sed descendendo. Sic verò habet Bernard. Ser. 2. de Ascens. ante fin. *Nescit homo vtrum amore sit dignus, an odio:* propterea dilectissimi perseuerate in disciplina, quam suscepistis, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis, quia hæc est via,& nõ est alia præter istam Christus contra naturam diuinitatis cùm non haberet quo cresceret, quia vltra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori; propter quod Deus exaltauit illum: quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade & tu fac similiter, neque enim ascendere poteris, nisi descenderis. Et Serm. 2. de S. Andrea, ad med. dicta verba Ecclesiastici sic interpretatur idem Bernard. Quæramus, inquit, vt dona sua multiplicet Deus in nobis, & spiritum suum augeat, qui iam primitias dedit: nullum enim omnino præsentiæ eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dixit: *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Videndus item pro eodem argumento Author operis imperfecti in Matth. hom. 9. in med. cùm explicat dicta verba. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Esurire, inquit ille, & sitire iustitiam, est desiderare iustitiam Dei, vt siue faciant homines iustitiam, siue audiant, non quasi inuiti audiant, vel faciant iustitiam Dei, sed ex desiderio cordis; quoniam omne bonum, quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum

Eccles. 9. nu. 1.

Eccl. 24. nu. 9.

tum est ante Deum. Vnde Dominus per Ioan.cap.7. Non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodò sitientes, dicens: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat, &c.* Vult enim Deus sitibundos ad ipsum accedere, & ad pleniora adhuc fluenta anhelantes; non eos, qui sitim expletam habent, ne vlterius in iustitia progrediantur.

Ioan. 7. nu.37.

Ex qua doctrina intelligetur cur miluus prohibeatur in lege. Leui.11. num.14. Fertur siquidem de hac aue anno primo tantæ audaciæ esse, vt nihil mortuum gustare dignetur, sequenti nihil viuum edere, tertio fame emori. Vel cùm primùm nido egreditur maiores aues venari; vbi adoleuerit, minores, ac debiliores; cùm ad summum ætatis vigorē peruenerit, muscas, culices, lumbricos, & alia insecta, quod ingenium milui degenerantis Ioannes à sancto Geminiano aptè ad eum transfert, qui cùm, vt Apostolus loquitur Galat.3. num.3. *Spiritu caperit, carne consumat,* bonus in iuuentute, initióve conuersionis capiens aues maiores, idest, Sanctorum exempla imitans; sensim posteà deficiens, ita vt vix muscas capiat, hoc est, minima bona curet; tandem verò planè gratiæ iacturam faciens intereat, cùm potiùs deberet semper ad maiorem perfectionem tendere, & vlteriorem gratiam comparare. Hac igitur de causa miluus à Deo reprobatur, quod denotet huiusmodi viros à perfectione deficientes, qui Deo admodum displicent, ei namque grati, & beneplaciti sunt, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.

Leui. 11. nu.14.

Galat. 3. nu.3.

Hinc est quod Paul. monet eos, qui secundùm iustitiam viuebant, vt vberiorem adhuc gratiam, & vlteriorem perfectionem quærerent, & sitirent, quando 1. Corinth. 5. ait: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio:* vbi Theophylact. per vetus fermentum omnia vitia intelligit. Hæc igitur iubet iugiter purganda, & expellenda: deinde addit: *Vt sitis noua conspersio,* idest, quamuis sitis, &c. Nam particula, *vt,* aliquando sumitur pro, *quamuis,* in Latino sermone, atque etiam diuino. Nam Plaut. dixit: Vt illud periculum ingens sit, me tamen non tumefecit. Et Ouid. ad Ruf. *Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas:* quibus in locis particula, *vt,* significat, *quamuis.* Et in sacris literis. Isai.7. *Butyrum, & mel comedet; vt sciat, &c.* Vbi particula, *vt,* nō indicat causam finalem, vt certissimum est, optimáque est expositio, quam innuit Hieron. vt sumatur pro, *quamuis,* & tunc facit dictus locus hunc sensum. Quamuis Emmanuel perfectam habeat in corpore infantili sapientiam, excedátque infinitis spatiis aliorum infantium capacitatem, illorum tamen instar butyro pascetur, & melle. Ita exponunt etiam Haymo. & S. Tho. atque etiam Glossa dum habet, quasi dicat: In pannis infantiæ positus habebit boni, malíque discretionem. His verbis percipimus Saluatoris infantiam diuinam in eo non minuisse sapientiam. Videndus ibi Sanch. qui rectè totam difficultatem loci dispungit. Sensus ergo verborum Pauli est: Expurgate vos ipsos, & quantumuis iusti ac sancti sitis, magis, ac magis adhuc vos sanctificate, hoc enim spectat ad iustos, & sanctos viros, vt in acquirenda iustitia metam, & terminum non inueniant, nisi cum vitæ termino, quod inculcatum ab Apostolo volunt, Bernard. & Theophyl. in eo, quòd non dixit, purgate vetus fermentum, sed expurgate, quod summam curam, & diligentiam in sanctificanda semper vlteriùs anima denotat. Quod etiam assecutus videtur ex parte Plutarch. lib.

1. Cor. 5. nu.7.

Isai. 7. nu.15.

lib. de Profectu morum, cùm dixit. Primum argumentum, quo te sentias in virtutis studio profecisse, est amoris immensitas. Non est contenta Philosophia vt præsentia duntaxat nos amore sui capiant, velut vnguenta, quorum absentia nemo discruciatur, sed inediam quandam, sitímque oportebit concipere sicubi auellimur, talíque argumento intelligere vtique licebit nos verè profecisse, &c.

Meliùs Sapiens in lib. Sapient. cap. 6. Initium sapientiæ diuinæ diffinit esse verissimæ disciplinæ concupiscentiam. Benè igitur se habentis in virtute animæ signum est, si esuriat, & sitiat iustitiam, & semper se in exordio, & initio virtutis esse existimet. Quod benè expendit Hieronym. ad cap. 43. Ezechiel. cùm loquitur de gradibus Propitiatorij sibi ostensi. Propterea inquit ille, graduum numerus incertus relinquitur, vt quantocumque studio ad altiora scandere potuerimus, in inferioribus nos putemus collocatos: & cogitemus illud Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem.*

Sapient. 6. nu. 18.

Psal. 83. nu. 8.

Aduertit pro nostro argumento Gregor. hom. 3. in Ezechiel. ante fin. id, quod Ezechiel de animalibus illis mysteriis vsquequaque plenis refert, cap. 1. *Vnumquodque*, inquit, *eorum coram facie sua ambulabat, nec reuertebantur, cùm ambularent*: quod ad conuersionem nostram, moralémque sensum, sic vertit. Ante nos æterna sunt, post nos temporalia; quia & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes, quasi post dorsum relinquimus. Vnde & magnum illud pennarum animal dicebat, quod vsque ad cœli tertij secreta volauerat: *Vnum verò, quæ retro sunt, oblitus in ea, quæ sunt ante, extendens me sequor ad palmam supernæ vocationis.* Philipp. 3. In anteriora enim extensus eorum, quæ retro sunt, oblitus fuerat, quia temporalia despiciens, sola quæ sunt æterna, quærebat. Ante faciem ergo suam gradiuntur sancta animalia, quia ea, quæ reliquerunt, nullo iam apparatu respiciunt, & in æternis, quę appetunt, sub contemplationis suæ boni operis pedem ponunt: & cętera; quæ prosequitur ostendens quomodo is, qui æterna desiderat, debet quotidie coram facie sua vlteriùs ambulare, & proficere, neque retro aspicere, aut ab vlteriori perfectione cessare, aut deficere.

Ezech. 1. nu. 12.

Philip. 3. nu. 13.

Quoniam verò adductus locus Pauli ex 3. cap. ad Philipp. in re proposita optimus à nobis iudicatur, proinde sigillatim discutiendus est. Sic verò habet: *Fratres ego me non arbitror comprehendisse: vnum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Vbi Paulus prosequitur metaphoram ab illo sæpius vsurpatam ab stadiodromis, qui cursu certabant in stadio. In ea autem vnum, inquit Paulus, & Anselm. ait, supple, est necessarium: melius Chrysost. Theophyl. & alij: Vnum hoc studeo, & ago, vni huic totus intendo: explicans autem hoc vnum, subdit, quæ retro sunt, obliuiscens, &c. Temporalia bona intelligit D. Thom. Erat enim & diues, & nobilis August. in Psalm. 89. Præterita peccata. Vatabl. vitã priorem in Iudaïsmo. At Chrysost. Ambros. Theodoret. Theophyl. & Anselm. pro nostro argumento intelligunt præterita bona opera, labores, & passiones pro Christo, atque adeò priora merita, vt sit sensus: stadiodromi dum currunt in stadio, nõ attendunt quantum spatium emensi fuerint, sed quantum supersit ad metam, eóque toto conatu, & impetu à cursu recto feruntur: ita & ego

præteriti cursus mei obliuiscor, & me adhuc in exordio, & initio esse arbitror, neque respicio quid egerim, cùm totus anhelem ad id, quod mihi superest agendum, & percurrendum; hoc enim solent attendere ij, qui ad perfectionem aspirant: quod benè prosequitur Hieronym. Epist. ad Thesiphontem contra Pelagianos ad med. vbi ait. Cùm me putauero ad calcem peruenisse virtutum, tūc habebo principium. Hæc hominibus sola perfectio, si imperfectos se esse, nouerint: *Et vos*, inquit, *cùm ea feceritis, dicite serui inutiles sumus*. Luc. 17. Si inutilis est, qui fecit omnia, quid de illo dicendum est, qui explere non potuit? Vnde & Apostolus ex parte accepisse, & ex parte comprehendisse se dixit, & necdum esse perfectum, præteritorumque obliuisci, & in futurum se extendere; qui semper præteritorum obliuiscitur, & futura desiderat, ostendit se præsentibus non esse contentum, &c. Et Epist. ad Celantiam ad perfectionem aspirantem post princ. ait. Beati, qui non sibi de præterita iustitia blandientes secundùm Apostolum per dies singulos in virtute renouantur; iustitia enim non proderit ei, à quo die iustus esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ sit, vt peragere possis iustitiam, ne de præterita iustitia confidens, remissior efficiaris; sed sicut ait Apostolus, *Posteriora obliuiscens, ad ea autem quæ sunt anteriora me extendens, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis*. Idcirco age, vt ordines reliquum tempus vitæ tuæ sic, vt possis canere cum Propheta: *Perambulabam in innocentia cordis mei*, quia inchoasse non sufficit, sed profecisse iustitia est.

Luc. 17. nu. 10.

Similia sunt, quæ habet Bernard. Serm. 2. de Purificat. in fin. dicens: Siquis forsitan proficere dissimulat, & proficisci de virtute in virtutem, nouerit, quisquis huiusmodi est, in statione, non in processione se esse, imò verò & in regressione, quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cùm nihil adhuc in eodem statu permaneat. Porrò profectus noster in eo consistit (vt sæpius me dixisse memini) vt nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed extendamur ad interiora incessanter; conemur in melius: vt imperfectum nostrum Dominicæ misericordiæ obtutibus iugiter exponamus, &c.

Est optimus in hanc sententiam locus ille August. tom. 9. lib. de Cant. nouo, cap. 4. vbi ita incipit, Via ista nostra ambulantes quærit. Tria sunt hominum genera, quæ odit, remanentem, retroredeuntem, aberrātem. Ab his tribus generibus malis, Domino adiuuante, mundificetur, & defendatur gressus noster. Iam verò cùm ambulantes sumus, alius tardiùs ambulat, alius celeriùs, ambo tamen ambulant. Excitādi ergo sunt remanētes, retroredeuntes reuocandi, errantes in viam ducendi, tardi exhortandi, celeres imitandi: qui non proficit, remansit in via: qui fortè à meliore proposito declinat ad id, quod deterius reliquerat, reuersus est retro: qui fidem deserit à via errauit: quis est, qui non proficit? Qui se putauerit esse sapientem, qui dixerit, sufficit mihi quòd sum, qui non attenderit eum, qui dixit, *Quæ retro oblitus, in ea, quæ ante sunt, extentus secundùm intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis*. Currentem se dixit, sequentem se dixit, non remansit non retrospexit. Qui sunt retroredeuntes? Qui ex continentia reuertuntur in immunditiam, qui ex sancto, & singulari bono proposito in malum corrumpuntur. Hos increpat Apostolus, dicens: *Melius illis erat non cognoscere viam iustitiæ, quàm* 2. Petr. 2. nu. 21.

cognoscen

cognoſcentes retrorſum conuerti. O malum retroſpicere! Vxor enim Loth, quæ liberata eſt à Sodomis, contra præceptum reſpexit,& in ſtatuam ſalis conuerſa eſt. Ita Auguſt. & Hieron.oſtendunt quomodo cum Apoſtolo pia,& ſancta anima debeat potiora,& meliora adhuc proſequi.

Quòd magis adhuc explicat Apoſtolus,cùm ait: *Ad ea,quæ ſunt priora, extendens me ipſum:* vbi vox Græca, pro qua habemus, *extendens*, magnam emphaſim habet,& ſignificat manus, totumq; corpus protēdere ad ſcopū, vt eū apprehendat,quod faciunt curſores, dū præcipites ad ſcopū ruunt, ad eumq; ſummis manibus apprehēſuri ſe extendūt,ſicut notarūt Chryſoſt.& Theoph. Explicat autem hæc metaphora ſpiritualem extenſionem in curſore Chriſtiano,qui ſemper extenditur ad conſequēda maiora, minimè contentus iis,quę iam aſſequutus eſt.Hanc verò animæ extenſionē, & proficiendi deſiderium optimè explicat Aug.tract.4.in Epiſt.Ioan poſt med.in hunc modū. Tota vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt. Quod autem deſideras,nondū vides, ſed deſiderando capax efficiēris, vt cùm venerit quod videas, implearis. Sicut enim ſi velles aliquē ſinum, & noſti,quā magnum eſt,quod dabitur, extendis ſinum,vel ſacci,vel vtris,vel alicuius rei, noſti quantum miſſurus es, & vides, quia anguſtus eſt ſinus, extendendo facis capaciorem. Deſideremus ergo fratres, quia implendi ſumus. Videte Paulum extendentem ſinum,vt poſſit capere, quod venturum eſſet; *Non quia iam acceperim, aut iam perfectus ſim fratres; Ego me non arbitror cōprehendiſſe.* Quid ergo agis in hac vita, ſi nondum apprehendiſti? In ea quæ ante ſunt, extentus ſecundùm intentionem ſequor ad palmam ſupernæ vocationis.Extenſum ſe dixit, & ſecundùm intentionem ſequi ſe dixit: minorem ſe ſentiebat ad capiendum: Hæc eſt vita noſtra,vt deſiderando exerceamur.

Facit item in hanc ſententiā Hieron.in cap.3.Ezech.ad illa verba: *Aſſumpſit me ſpiritus,& audiui poſt me vocem commotionis magnæ,* ait ergo Hieron.Spiritus Dei erat in eo,quamobrem,& terrena contēnens rapitur ab ſpiritu, & audit poſt ſe vocem commotionis magnę,præteritorum obliuiſcens,& in futurū ſe extendēs, &c. Vbi notanda eſt vox illa, *Commotionis magnæ*, quæ quidem non reuocat, aut retrahit Prophetam ab incepto itinere perfectionis, ſed potiùs vox eſt pungentis,incitantis, & cōmouentis ſpiritus eſt ad hoc,vt vlteriùs progrediatur,& vberiorē iuſtitiā acquirat. *Ezech. 3. num. 12.*

Videndus item idem Hieron. ad cap.43. Ezech.nu.15. cùm ponderat quare Deus ſibi immolari præceperit duos hædos,vel hircos, quod ſcilicet nunquam in aſcendendo, & celſiora petendo quieſcant. Propterea,inquit Hieron.in ſecunda die,vel duo hædi, vel hircus aſſumitur, quia animal eſt ſemper ad excelſa feſtinans, & nihil periculi ſuſtinēs in præcipitiis & ibi inuenit viam,vbi cæteris animalibus interitus eſt. Vnde & in Græco ſermone capratum, & hircorum grex ſublimium conuerſatio dicitur, &c. Neque omittendus Chryſol. Ser.91. ante med. cùm ponderat verba illa. Luc. 1. vbi de parentibus Baptiſtæ, ait: *Erant ambo iuſti ante Deum, incedentes in omnibus mādatis,& iuſtificationibus Domini*; quæ verba Chryſol. ſic exponit. Incedentes dixit, vt eos oſtenderet cucurriſſe virtutibus,non ſtetiſſe, & ambulaſſe in via iuſtitiæ, non ſediſſe.Nec remanſiſſe in itinere mandatorum,ſed ad mandatorū plenitudinem perueniſſe,&c.In hoc,ſc. perfectio vitæ conſiſtit, quod minimè quis in ea perſiſtat, aut exiſtimet ſe iam ad perfectionem, & metam *Ezec.43. num. 15.* *Luc. 1. num.6.*

peruenisse; qui enim in via est, de progressu debet semper cogitare, & minimè permanere, aut commorari, cùm hoc, vel ipsa vox itineris monere videatur: nam sicut optimè dixit D. Prosper. lib. Sententiar. ex August. sententia 104. In hac vita, quæ tota tentatio est, etiam in sublimissimis Sanctis non apprehenditur illa perfectio, cui non supersit accessio contra eos, qui se summè perfectos existimant. Qua de re videndus Fulg. lib. 1. ad Monimum, cùm ait: Nunc diuinorum numerorum non est perfecta perfectio, quod probat ex Paulo

Philip. 3. num. 12. Philipp. 3. *Non quod acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autē si comprehēdā, in quo & cōprehensus sum à Christo Iesu:* vbi Æcumen. & alij aduertunt Apostolum immediatè antea locutū fuisse de perfectione Christiana, & de configuratione, & cōformitate cum Christo cruci affixo, & mortuo, vt sit sensus: licèt hanc configurationem iam inchoarim, multum tamē adhuc ab eius perfectione absum, multum tamen laborandum superest, vt imaginem Christi crucifixi in me perficiam, exprimam, & depingam.

Addunt verò ibi Ambr. & Chrysost. Paulum non tam propter se hoc dicere, quàm propter Philippenses, qui nimium sibi tribuebāt, quasi iam perfectionem Christianismi adepti essent: vt sit sensus: nolite altum sapere, & putare vos apprehendisse culmen perfectionis, cùm ego, qui illi tot annos impensè studui, libenter fatear eam adhuc minimè apprehendisse, & dubitem an eam omni meo cursu, & conatu tādem comprehensurus sim. Quod maximè indicat verbum illud, *sequor*, pro quo Græcè habetur, *persequor*, cuius vim explicant Chrysost. & Theophylact. Non dixit, inquit Theophyl. curro, sed persequor, qui persequitur, scitis quanta contentione persequatur: neminem aspicit, quosuis impedientes magno impetu abiicit, mētem, & oculum, & robur, & animum, & corpus in vnū contrahit, ad nihil aliud, nisi ad solum, quod persequitur, intendens.

Hoc igitur loquendi modo docuit Paulus in præsenti, quomodo ad maiorem semper perfectionem tēderet. Quam doctrinā inculcatam reperit Basil. homil. 11. Hexamer. in illis verbis. Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini;* vbi ait: Anima crescit dum quotidiana propagatione se ad perfectionem promouet. Nob [illegible]. dictum est crescite ratione mira interioris hominis, quo se promouente, rectè ad Deum contendimus. Istiusmodi erat Paulus, qui dum adniteretur, proque virili se extenderet in anteriora, eorum, quæ erant à tergo, obliuiscebatur. Ipsa hęc extensio in hoc sita est, vt ad ampliora iam quæsitis quotidiana propagatione nos extendamus, &c. quæ in hanc sententiam prosequitur, quibus similia, pulchra pariter, & præclara sunt, quæ habet Gregor. homil. 3. in Ezech. Neque omittendus Philo lib. de Abraham, post princ. vbi in rem præsentem eleganter dixit. Ad meliora transitus est propria dos bene natæ animæ, quæ contemptis puerilibus studiis, per solidiora, & magis virilia contendit ad tranquillam cōstitutionem, discurrentem per cogitationes honestissimas, &c. E contrariò verò impiæ, & imperfectissimæ animæ nota est arbitrare se iam ad cumulum perfectionis peruenisse. Vnde Chrysost. homil. 3. de incomprehēsibili Dei Natura arguit Eunomium temerarij erroris, quod diceret se Deum in hac vita comprehendisse.

Genes. 1. num. 22.

Plures solent sacri Interpretes rationes reddere, cur Christus Seruator tantam dignatus sit ostendere beneuolentiam, & benignitatem paruulis, & infantibus; etenim Matt. 19. dixit: *Sinite paruulos venire ad me, &* Matt. 19. num. 14.

Marc.

Marc. 10. Matc. 10. *Offerebant illi paruulos.* Et
num. 13. Matth. 18. *Aduocans paruulum, di-*
Matt. 18. *xit, nisi conuersi fueritis, & efficiamini*
num. 3. *sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Etenim quidam hoc ad simplicitatem, innocentiam, & humilitatem referunt, iuxta illud Pau-
1. Cor. 14. li 1. Corinth. 14. *Nolite pueri effi-*
num. 20. *ci sensibus, sed malitia paruuli estote.* Qua de re videndus Clemens Alexand. 1. Pædag. cap. 15. Et Ambros. Serm. 10. Et Chrysostom. homil. 59. in Matth. vbi tractans illud Matth.
Matt. 18. 18. *Qui susceperit vnum paruulum ta-*
num. 15. *lem in nomine meo*, ait: Ita vehementer humilitate, & moribus, qui procul ab omni simulatione absint, afficior: paruulos quidem hîc simplices homines, atque humiles, quos multi spernunt, appellauit.

Alij verò ob mansuetudinem, & iniuriarum obliuionem adeò placuisse Christo Domino asserunt, & ob alias rationes, quas bene prosequitur Chrysostom. homil. 63. in Matth. ad illa verba: *Sinite paruulos venire ad me*, vbi ait: Si cœlorum hæredes constitui volumus, hanc paruulorum virtutem consequi studeamus: hoc enim supremum Philosophiæ culmen est, vt cùm prudens sis, nihil ficti, nihil simulachri asciscas; ab omnibus enim passionibus anima paruulorum munda est; his qui dolorem intulerunt, nullas vltionis vices reseruant, & quasi nihil actum esset, veluti ad amicos accedunt. Quantò magis à matre vapulant, tantò magis eam quæritant, atque cæteris omnibus eam anteponunt. Nam etsi regina cum diademate, atque purpura sibi offerretur, non præponeret eam matri, etsi pannosa esset, quàm cum sordido luctu aspicere malunt, quàm reginam ornatu aureo deploratam. Non enim suum, aut alienum est, non inopia, & copia rerum, sed quasi Philosophia didicerunt: nec vltra necessitatem aliquid quæritant, sed cum lacte repleti fuerint, statim relinquunt mammillā: non dolent pecuniarum, aliarumque rerum huiusmodi iacturam, sicut grandiores. Ideò dicebat, talium est regnum cœlorum: vt ea nos volentes faciamus, quæ ingenita paruulis, atque insita natura duce facit, &c.

Sed adhuc nos hac in re inuenimus rationem nostro argumento congruam, quod scilicet paruulus ad vlteriorem magnitudinem crescat, & assurgat, maiores in dies acquirat vires, & in perpetuo sit augmento, & incremento. Vnde etiam de Christo Domino dixit. Luc. 2. Luc. 2.
Puer autem crescebat, & confortabatur, num. 40.
idest, crescebat secundùm corpus, & confortabatur membrorum robore: non quasi in gratia Christus creuerit, qui à principio totam, & suam habuit, nec augmentum in eo habuit, sed in operibus exterioribus, maior, ac maior apparebat, & demō-
strabatur, sicut num. 52. dicitur: *Iesus* Luc. 2.
proficiebat sapientia, & ætate apud Deū, num. 52.
& homines. non quòd hominis sapientiæ in se augmentum receperit, sed quòd in dies sapientiora verba proferret, & potiora opera ederet; verba enim, & opera appellat Euangelista sapientiam. Ita grauiores Interpretes, scilicet Origen. hom. 20. in Luc. Theophylact. & Euthym. ibi ex authoritate Nazianz. & Damasc. 3. de Fide, cap. 22.

In hoc ergo sensu vult Christus Dominus nos similes paruulis effici, vt scilicet semper proficiamus in sanctitate, & iustitia, nec stemus in via virtutis, sed per singula proficiamus tempora, & noua semper lucremur incrementa gratiæ, & virtutum. In cuius explicationis confirmationem D. Nilus in Ascet. propè fin. ait:

Quandiu in agendo erimus infantibus imbecilliores? Ab illis saltem discamus ad præstantiora contendere. Nam ipsi ætatem mutantes mutant etiam in rebus ludicris voluntatem, abiiciuntque quam habebant ad res leuiculas propensionem. Nucibus, exempli gratia, & talis, & pila ludunt, his illis se ludis oblectant, & sibi honori ducunt hæc comparare, quoad prudentia sunt imperfecti, at cùm aliquis eorum in virum euaserit, ea abiicit, & ad gerendam Rempublic. omne studium confert. Nos autem in infantia persistentes ludicra, & risu digna suscipimus neglectis melioribus, prudentiam viris conuenientem sumere recusamus, & terrenis in rebus studium, ac delectationem nostram collocantes, risum mouemus iis, qui natura duce rectè iudicant. Sic ille docet cur Christus Dominus tam benignè erga infantes se habuerit, quomodo item imitandi à nobis sint paruuli, qui crescentes ea, quæ paruulorum sunt, euacuant, vt perfectiora magis, ac magis sectentur. Instar enim horum, & nos perfectionem semper plus optare debemus, & vlteriora in
Ephes. 4. num. 13. meliùs prosequi: *Donec occurramus omnes in virum perfectum plenitudinis Christi*. Ephes. 4.

Notandus venit hoc in loco Bernard. Serm. in Rogationib. statim post princip. vbi expendit verba illa.
Luc. 11. num. 5. Luc. 11. Amici ad alterum amicum. *Amice accommoda mihi tres panes*: & intelligit dicta de homine in se reuerso, & conuerso ad Deum per pœnitentiam. Sic verò habet. Ego quidem amicum venientem ad me, non alium intelligo, quàm meipsum, nemo mihi charior, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cùm transitoria deserens,
Isai. 46. num. 8. ad cor redeo, sicut scriptum est: *Redite præuaricatores ad cor*. Isai. 46. Deinde tunc verè sibi quisque amicus est, cùm de via rediit, quoniam *qui diligit iniquitatem odit animam suam*. Psalm. 10. A die itaque conuersionis meæ de via ad me venit amicus. Psal. 10. num. 5.
Venit de regione longinqua, vbi pascere porcos, & ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Luc. 15. Luc. 15. num. 16.
Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus ieiunio, venit necesse habens inuenire amicum, sed heu me pauperem elegit hospitem, & vacuum ingreditur habitaculum, quid faciam huic amico misero, & miserabili? Fateor, amicus est, sed ego mendicus. Festina, discurre, suscita amicum tuum illum magnum, quo maiorem dilectionem nemo habet, sed neque substantiam ampliorem. Quære, pete, pulsa; quia *Omnis, qui quærit, inuenit, & qui petit, accipit, & pulsanti aperietur*. Matth. 7. Matth. 7.
Clama, & dic: *Amice accommoda mihi tres panes*; Qui sunt isti panes fratres? Vtinam mereamur accipere eos: fortè enim & ipsos nemo scit, nisi qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor veniente ad me amico de via, veniente cum vxore, & mancipio, deficit quippe ratio mea (ipsa est enim vir) præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inædia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis; nam & ratio minus intelligit quæ agenda sunt, & voluntas minus diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non quæcumque volumus, illa faciamus, commoda ergo mihi amice tres panes, vt intelligam, vt diligam, vt faciam voluntatem tuam. Sic ille ostendit quomodo reuersa ad se, & conuersa ad Deum anima ab eo debeat postulare, & accipere panes gratiæ, & donorum, num. 8.

non

non vt luto quiescens decumbat, & somno, ac sopori se tradat, sed vt illis reficiatur ad multam conficiendam viam perfectionis, quæ adhuc illi restat. Vnde cùm Elias postquam comedit, & bibit, obdormisset, reuersus est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitque illi: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via:* qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, *& ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem.* Vides ad quid panem Angelus monstrauerit? quorsum Prophetam cibauerit? cur è somno excitauerit? Nempe vt longã viam aggrederetur, nullibi stando, nusquamque quiescendo, sed die, noctéque gradiendo, donec ad montem Dei perueniret. Ea itaque mente accipienda sunt Dei dona, vt viam iustitiæ celerius conficiamus, donec ad montem æternæ beatitudinis perueniamus.

Si autem velis inquirere, cur iustus acceptanda ampliori iustitia minimè cessare debet, imò vlteriùs semper progredi? Ea profectò est petita ex virtutis, & gratiæ perfectione. Enim verò cum gratia quædam participatio diuinæ perfectionis sit, imò, & iuxta illius quantitatem Deus debeat participari à nobis; cùm ille infinitæ perfectionis sit, inde est, quod gratia quandam veluti infinitatem participet in eo, quod nusquam ad satietatem, & fastidium, vltimóque terminatam quisquam illam accipiat, sed quantumuis maximè eam lucretur, multum adhuc illius acquirendum superest, proindéque in maius illius desiderium, semper accendi debet.

Exod. 33. num. 11. & 13. *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Exod. 33. & tamen statim, num. 13. Sic Deum precatur: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos.* Si Dominus loquebatur ad Moysen facie ad faciem, illique innotescebat, sicut amicus ad amicum, quid est, quod denuò postulat sibi Dei faciem reuelari, vt Dei gratiam inueniat, quam prædicta amicitia comparata iam supponit? Quæsito satisfacit Nyssen. in lib. de Vita Moysis dicens; Sic reliquos omnes, quibus diuinum desiderium in penetralibus hæsit, nusquam cupiditas eius cœpit satietas, quod nunquam desiderium participandi Dei fauorem, & gratiam ad terminum, & satietatem peruenit, sed magis, ac magis impleri optat, anhelat, & clamat. Quod etiam dixit Theodoret. Orat. 5. de Charitate, his verbis, Diuinus amor satietatis legum nescius est, &c.

Vnde Dauid, Psalm. 118. dixit: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes in omni tempore.* Hilar. legit, Ps. 118. nu. 20. *Iustitiam tuam:* Quo in loco iuxta mentem Interpretũ Græcorum, Ambrosij, Cassiodori, & aliorum denotatur desiderij ardor erga iustificationes Dei, illiúsque gratiam, qualem experiuntur ij, qui rem, qua carent, magis, magísque concupiscunt, præsertim si eam aliquando habuerint, & valdè amatam amiserint: aut si habet quidem, sed nondum perfectè. Explicant autem Euthym. & Nicephor. ac si diceret: Valdè concupiuit anima mea: quod Ambros. confirmat ex illis verbis Christi Domini. Luc. 22. *Desiderio desideraui;* quę Luc. 22. nu. 5. geminarum innuebat desiderium, & quoniam sicut vita viuere, plus est, nempe beatorum, quàm viuere: sic cócupiscere vt desideremus iustitiam Dei, seu iustificationes Dei per maioré infusioné gratiæ, plus est, quàm eam desiderare, quod Hilar. vocat continentem, & indefessam desiderij

huius concupiſcentiam, quæ nullum otium admittat, & vt Ambroſ. ait. Nullum momentum prætereat bonæ cupiditatis.

Quia igitur amplior ſemper reſtat acquirenda gratia, feruentiori deſiderio à nobis debet optari, & poſtulari à Deo, ita vt non ſolùm deſideremus, & concupiſcamus, ſed concupiſcamus deſiderare, & deſiderio deſideremus perfectiorem iuſtitiam, quæ ſemper adhuc acquirenda ſupereſt. Vbi notanda venit maxima differentia inter virtutem, & vitium, nempe quod in virtute non ſatis ſit incœpiſſe, neque ſufficiat eã quomodolibet aggredi, in vitiis autem idem ſit cœpiſſe, & rem perfeciſſe, ſicut aduertit Tertull. lib. 1. ad Vxorem, in fin. Quod acutè etiam annotauit Philo lib. de Confuſione linguar. poſt med. cùm ponderat id, quod habetur Gen. 11. *Deſcendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Quo in loco LXX. habent, *Quã ædificauerant.* Vbi ſtatim ſeſe offert notandũ, quomodo dicatur iam ædificata turris, quam adhuc ædificabant, huiuſque ſtructura impedita eſt à Deo, ne vlterius progrederetur? Quippe hoc impiorum ingenium, vt ab incœpto, & deſtinato malo minimè quieſcãt, aut deſiſtant, proindéque idem ſit apud iniquos incœpiſſe, & compleſſe malum, quod vtinam in virtute contingeret, quam multoties quis intendit, & concipit, neque tamen vlterius progreditur, etiamſi nullum occurrat impedimentum. Sic verò habet Philo: etiamſi cœptis fruſtratis non potuerunt ad deſtinatum impietatis ſuæ finem peruenire, nihilominus ac ſi cogitatum facinus perpetraſſent, damnandi ſunt. Et hoc eſt, quod ait. Et abſolutam turrim ab eis, quamuis ponderet adhuc, dicens: Dominus deſcendit,

Gen. 11. nu. 5.

vt viſeret ciuitatem, ac turrim, non quam ædificaturi erant, ſed quam ædificauerant: nec effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui conſilium tam immane non dubitarunt aggredi. Certè augurem illum, & prodigioſum procuratorem vanis coniecturis ſtudentem (vanus enim interpretatur Balaam) lex ait populo videnti maledixiſſe, quamuis in verbis eius erat fauſta precatio: mirum ni non reſpectu dictorum eius, quæ diuina prouidentia recudebat in quandam meliorem monetam, ſed mentis ipſius, cui noxia magis obſeruabantur, quàm vtilia, & quamuis aliquis conatus per inſidias alterum interimere fruſtratus eſt. Nihilominus homicidij reus eſt, ſicut decernit ſuper hoc caſu ſcripta lex. *Si quis,* inquit, *conatus fuerit proximum ſuum dolo perdere, & ad altare confugerit, abſtractum afficies ſupplicio.* At qui conatus tantum non interemit: at par eſt maleficum paraſſe cædem, & decreuiſſe, quamobrẽ ne ſupplici quidem venia datur, ſed è ſacrario educi iubetur, qui concepit tam nefarium conſilium. Addit verò Philo ſtatim rationem cur Deus ipſos conatus, & initiã impietatis ſupplicio afficiat; quod ſcilicet, qui ſcelus intendit, ab illo nullatenus deſiſtit, donec compleat, & efficiat, quod longè aliter accidit in virtute: inculcatum autem vult eſſe in eo, quod habetur citato cap. Geneſ. 11. vbi dicitur: *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* O infinitam, inquit Philo, & immenſam miſeriam! Omnia, quæcumque aggreditur mens dementiſſima, ſuccedunt ex ſententia: nec magnus, nec paruus conatus fruſtrabitur vllus, vltro negotiis animæ occurrentibus, & ſeſe præbentibus. Hęc ſunt animæ viduatæ indicia peccantis abſque impedimentis omnibus. Nam quiſ-

Gen. 11. nu. 6.

quis

quis est non prorsus insanabilis, optauit se consilio mentis destitui, vt cum furtum, aut adulterium, aut homicidium, aut sacrilegium, aut aliquid simile tentat committere, successu careat, & innumera inueniat obstacula. Nam cohibitio maximum morbum arcet iniustitiam, quòd si adsit licentia, ille vitari non poterit. Et adhuc tyrannorum fortunas ô beati suspicitis, quibus procliue est quiduis efficere, quod rabido, esse ratóque animo concupiuit? Imò gemenda est eorum conditio: siquidem inopia, & infirmitas malis prodest; bonis verò potentia cum opibus. Sic Philo ostendit iniquum impiorum ingenium, qui nisi diuinitus impediantur, ad exitum tandem deducent præconceptum, & intentum malum.

Vnde apud impios idem est nequitiam concepisse, incœpisse vè, & perfecisse, ac ad exitum perduxisse. At verò virtus longè aliter sese habet. In ea enim non satis est cœpisse, si rem ad exitum non perducas, neque vlterius progrediaris: quod benè prosequitur Philo libr. de Agricult. post med. cùm ait: Principium iuxta vetus prouerbium, dimidium totius est: & alto dimidio abest à fine, quod nisi accedat, etiam incœpisse res magnas sæpè obfuit. Nam & scelesti aliquando quod non ferrent cruciatus animi, cœperunt de meliore vitæ ratione cogitare, sed nequicquam. Sic enim vsu venit, vt qui ad finem nõ peruenerunt, obruti occurrentium malorum cumulo, relinquãt bonum illud propositum. Vnde cùm Cain putaret se graues obtulisse victimas, non litasse admonitus est Oraculo, nec sacra, perfectáque immolasse. Est autem Oraculum tale: *Non si rectè obtuleris, sed ni rectè diuiseris, &c.* Et in eod. lib. in fin. ponderat præceptum illud. Deut. 20. *Deut. 20. nu. 6.*

Vbi sacra lex à malitia arcet eos, qui nouam domum ædificarunt, nouam item plantarunt vineam, & nouam desponderunt vxorem, quod præceptum ad rem præsentem conuertens Philo asserit, prohibere initia virtutum hostilibus viribus exponere, ne superentur, & omninò extinguantur, debent siquidem virtutes initiales conseruari, foueri, ac putari, vt adolescant, viresque acquirant eundo semper in melius. Consultum est, inquit ille, ne huiusmodi certaminibus se committant, qui discere incipiunt, cùm imperiti sint: similiter & proficientes, cùm imperfecti sint; nec enim, qui tunc primum proficiuntur, quia perfectionem suam adhuc ignorant. Quòd si non paret huic consilio, alius inquit, homo domum eius habitabit, vineam possidebit, vxorem ducet. Proinde si quis virtutis amicus est, optet in se plantari bona omnia, & existere in sua anima, & concessas sibi diuinitus gratias in tuto reponere potius, quã obiicere hostibus auidis, ceu prædam paratissimam. Ergo parui vtilitas est principij, quod iusto fine non obsignatur. Sic Philo ostendit non virtutis initium, sed progressum vsque in finem prodesse ad salutem, perfectionémque sortiri.

Hoc benè prosequitur Basil. ad illa verba. Psalm. 1. *In lege Domini voluntas eius:* vbi ostendit necessariam omnino nobis esse voluntatem proficiendi & in melius semper progrediendi ascendendo è terrenis ad spiritualia, è temporalibus ad cœlestia. Ego, inquit ille, pietatis exercitationem scalæ à Iacob visæ rectè comparauerim: cuius pars terram attingebat, pars altera ipsi supereminens in cœlũ vsque porrigebatur. Ex quo eos admonere opus est, qui ad virtutem instituuntur; primùm vt primis admoueant gradibus vestigium *Psalm. 1. nu. 2.* *Gen. 29. nu. 12.*

&

& inde paulatim aſcendendo, progrediendóque ad comprehenſibilem humanæ naturæ altitudinem ſenſim, ac paulatim promouentes perueniant. Quemadmodum igitur in gradu ſcalari prima eſt aſcenſio ab humo receſſus: ſic in exercitatione diuinæ conuerſationis, principium profectus eſt diſceſſus à malo. Atqui diliges proximum tuum, ſicut te ipſum, & vende ſubſtantiam tuam, & da pauperibus, & ſi quis te adegerit ad milliare vnum, vade cum illo tuo, actiones ſunt athlethis competentis ſtrenuò, ac forti animo ad præſtandum opus habentes. Ex quo illius admirare ſapientiam, qui nos ad perfectionem per res faciliores, & comprehenſu aptiores deducit, &c. Similia ſunt, quæ habet Hieron. Epiſt. ad Ruſticum, cùm de Loth ita loquitur. Neque Gomorræ quondam habitator ſtatim ad meridiem poterat peruenire, in quo Abraham amicus Domini cum Angelis Deum ſuſcepit, &c. Hunc autem ordinem gradatim proficiendi voluit ſibi indicari, & doceri à Deo Sponſa, Cant. 1.
Cant. 1 nu. 7. cùm dixit: *Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum:* vbi Origen. lib. Duarum homil. in Cant. homil. 1. & lib. Quatuor Homil. homil. 2. per meridiei vocabulum putat denotari illa cordis ſecreta, quibus clariorem ſcientiæ lucem à verbo Dei anima conſequitur. Cùm enim meridianum tempus, inquit ille, ſit illud, quo Sol excelſiorem curſus ſui verticem tenet; ideo quando Sol iuſtitiæ Chriſtus Eccleſiæ ſuæ excelſa, & ardua virtutum ſuarum ſecreta manifeſtat, amœna ea paſcua, cubiláque meridiana videtur edocere, &c. Vult igitur ſponſa inſtrui ab ſponſo ſuo tanquam à magiſtro, quomodo ad perfectionem cognitionis, & dilectionis illius tandem poſſit peruenire aſcendendo, & deſerendo imperfectiora, minime contenta diuinum ſponſum quouis modo agnoſcere, aut diligere.

Proſequitur hanc doctrinā Chryſoſt. hom. 10. in Matt. ad fin. vbi inter alia ſic habet. Neque vulnerator ſufficit ad ſalutem tantummodò ſpicula de corpore euellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Doce me etiam bonum facere, inquit Chryſoſt. qui malum vitare docuiſti, &c. Similia habet idem Chryſoſt. hom. 46. in Matt. & homil. 16. in Epiſt. ad Epheſ. Videndúſque erit Hieronym. in Epiſt. ad Lucin. vbi expendit illud Pſalm. 38. *Aduena ego ſum apud te, & peregrinus,* vt ſit ſenſus: Minimè ego Pſal. 38. nu. 13. quieſco, aut domicilium, & quietem quæro in via perfectionis; quinimò ex vna virtute in aliam iugiter tranſeo, donec tandem ad montem Dei perueniam.

Cùm ergo & nota ſit, ac ſignum perfectæ animæ ad maiorem ſemper tendere gratiam, & vlteriorem ſciſcitari iuſtitiam, neque ſatis ſit illam inchoare, niſi qui initium dedit, perpetuo ſtudeat incremento; inde eſt quod Ezechias, etiamſi corde perfecto ambulauerit coram Domino, dicat tamen hoc in loco, ſe adhuc in exordio eſſe, doleátque ſibi filum vitæ tam citò intercipi. Sic enim ſolent iuſti, & de ſua iuſtitia humiliter ſentire, & dum acquirendam adhuc contemplantur perfectionem, fateri ſe ſub illius initio, & veſtibulo adhuc degere.

TEX

TEXTVS IV.

Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor vt columba: attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum: Domine vim patior, responde pro me: quid dicam, aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit? *Num. 5.*



OT angustiis pressus, & in tanta pressura constitutus Ezechias, dum se videt lethali morbo correptũ, omnéque naturale, & humanum remedium ipsi minimè posse mederi; ad verum, & potentissimum medicum accurrit, nempe ad Deum, cuius auxilio se posse liberari confidit, cùm nihil aliud ei superfit, in quo possit, vel debeat sperare. Instar igitur pulli hirundinis constituit clamare, & columbæ more gemitus ab imo pectore emittere, oculósque ad Deum leuare, donec illius misereatur Deus, cuius vtique sententiæ, & supplicio, ipse nihil habet, quod respondeat, vnde & ipsum iudicem potiùs interpellat conuictus, & aduocatum, ac patronum inclamat.

Textus igitur Hebræus hoc in loco sic habet; *Su sagur*, quarum prima vox significat gruem, secunda hirundinem, deficitque *Vaph*, idest, coniunctio, & inquit R. Dauid, deficit item nota similitudinis, vt satis vsitatum est in Scriptura. Sensus proindeest. Sicut grus, & hirundo, aut pica, seu varia, inquit Pagnin. aliis est grus: quibusdam verò anser ferus à stridore, vt dicunt. Est ex eorum numero, quæ migrant æstatis temporibus: Instar igitur istarum auium clamabo: Vatabl. ex Hebr. *Garriebam, non aliter, quàm grus, aut hirundo*, quam garrulam appellauit Virgil. *Ante Garrula, quàm tignis nidum suspendat hirundo.*

Gemebam vt columba, Cyrill. & Euseb. apud Theodor. ad gratiarum actionem referunt hæc verba, quasi dicat Ezechias sibi haudquaquam deponendam esse beneficij memoriam; quinimò iugiter eam tanta vocis contentione, & perpetuò clamore celebrandam, & inculcandam, quanta grus, aut hirundo vocalis, & garrula orientem precatur, expectat, celebrátque Solem. Communis tamen sententia dolorem, & gemitum hoc in loco significari asserit, ipsáque contextus series id apertè insinuat, & Paraphrastes Chaldæus sic explicat. Sicut hirundo, quę comprehensa est, garrit. sic garriebam, & rugiebam sicut columba.

Hoc autem secundùm additum de columba explicat illud primum de hirundine: nam garrire aliquando lætitiam indicat, vt patet ex Psal. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum*: vbi August. & alij pro *exercitatus sum*, legunt, *garriui*, quid est, inquit August. *garriui?* Lætatus sum, & exultaui loquendo; garruli enim propriè dicuntur, qui à vulgo verbosi appellantur, accedente lætitia, nec valentes, nec volentes tacere, factus est iste talis, &c. Dum igitur hoc in loco Ezechias *Psal. 76. num 4.*

ait: garrire, ne de garritu festiuo, & læto id dictum intelligeretur, per explicationem subdit columbæ gemitum, & meditationem. Neque enim cantus columbæ hilaritatem agentis gratias, & celebrantis beneficia Dei potest indicare; gemitum enim sonat, & singultum, vnde & à Latinis gemitus dicitur, & Vatabl. ex Hebræo vertit, gemebam vt columba.

Neque etiam gratitudini rectè cohærere potest columba, quæ potiùs impij, ingratique hominis symbolum fuit apud Ægyptios, teste Pierio Valerian. lib. 22. titul. de columba, vbi ait: Ægyptij Sacerdotes impium, ingratúmque hominem, ac in eos, qui de se benemeriti fuerint, perduelem significare si vellent, columbum, inquit Florus, aut pullum eius, facere consueuerunt. Et Hieronym. verba nostri textus sic explicat: in similitudinem hirundinis, & columbæ fletibus, & gemitibus dies, noctésque iungebam; & à Deo solo, qui poterat subuenire, eleuatis in altum oculis, auxilium præstolabar. Sic ille. Et sanè pulli auium clamore conqueruntur, escámque, & auxilium petunt, ideóque licèt hirundo canora sit, neque tantùm gutture, sed toto fermè corpore vocalis, hirundinum pulli in nido constituti, dum cibum expectant, clamant vehementer, suámque famem, & indigentiam, multimoda voce ostendunt.

Hac igitur similitudine voluit Ezechias ostendere vitæ, lucísque desiderium in clamore incitato, & vario pullorum hirundinis, voluit etiam indicare dolorem, quo affligebatur ad mortem, cuius solatium, & medelam à Deo implorabat, & vt probaret se gemebundum, ac lacrymosum id fecisse, ait; meditatum se fuisse, vt columbam. Dicitur verò gemitus columbæ meditatio, quia sicut meditatio non ore tantùm fit, sed imo corde, sic etiam columbæ gemitus, non à gutture solùm, sed ab imo pectore fundi videtur.

Vel etiam meditatio hoc in loco idem est, quòd clamor mente cogitatus, à maximo dolore procedens: nam meditatio non ad cor, & mentem tantùm spectat, sed etiam ad voces, & os, ac linguam. Vnde Psalm. 36. dicitur: *Os iusti meditabitur sapientiam.* Et Psal. 34. *Lingua mea meditabitur iustitiam.* Nam verbum, *Hagah*, significat vehementiorem affectum, motúmque, qui gestu etiam corporis declaratur, vt cùm defixis oculis intentè quid cogitat, loquitúrve; transfertúrque ad frementes, ac rugientes præ fame feras; vt Isai. 31. n. 4. Ad gementésque præ tristitia, ac pullulantes, vt Isai. 16. n. 7. Vnde & nomen deriuatum *Hegheh*, aut *Haghih*, aut *Haghuph*, aut *Heghion*, redditur Latinè non modò meditatio, sed nũc sonus: vt Iob. 37. *Audite auditionem in terrore vocis eius, sonum de ore illius procedentē.* LXX. ibi; *Meditatio de ore eius egredietur.* Et Psal. 5. *Intellige clamorem meum.* Hieron. *Rugitum meum*: propriè *meditationem*: Similísque nostro est ille locus, in hoc Prophetæ Isaiæ, cap. 59. *Rugiemus quasi vrsi; & quasi columbæ meditantes gememus*: quo in loco licèt varient expositores, probabilior sententia, dolorem vehementem intelligit, qualem profectò designat vrsorum rugitus; maximè (sicut ibi Cyrill. habet) cùm ereptos sibi catulos sentiunt. Vel etiam indicat hæc meditatio tristem timorem, iuxta illud Ezechiel. 7. *Quasi columbæ conuallium*; vbi apud L X X. in Complutensibus, & Regiis; (nam in Vaticanis deest) habetur: *Columba meditans.* Tristis igitur timor exprimitur columbarum gemitu, eis enim pro cantico est gemitus, isque familiaris,

Psal. 36. num. 30. *Psal. 34. num. 28.* *Iob. 7. num. 2.* *Psalm. 5. num. 1.* *Isai. 59. num. 11.* *Ezech. 7. num. 16.*

ris, & perpetuus, dicto igitur loco Ezechiel. timor per meditationem exprimitur, sicut ibi legerunt Apollinar. Theodoret. & alij Græci, sed ex Theodotione, qui fortè legit, vt putat Prad. *Maghot*, à voce, *Hagag*, quæ meditari, & mussitare præ timore significat, & ita accipiendum est hoc in loco. Nam sæpe timentium est meditari, & gemere, vt Isaiæ 33. *Cor tuum meditabitur timorem*, idest, muscitare, & gemere te coëgi præ timore: & sanè ille, qui sibi timebat, & iam indicabat instare mortem, totus pauidus gemebat, & meditabatur præ timore, idque indicant verba illa: *Meditabor vt columba.*

Isai. 33. num. 18.

Attenuati sunt oculi mei: Hebraïcè, *Eleuati sunt oculi mei ad excelsum.* L X X. *Defecerunt enim oculi mei, vt aspicerem ego in excelsum cœli ad Dominum:* hunc statum iisdem penè verbis expressit Dauid Psalm. 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Et Psal. 87. *Oculi mei languerunt præ inopia*, videlicet spirituum animalium penè exhaustorum. Dum igitur intentus precibus Ezechias ad cœlum oculos eleuatos habet, vnde tantùm recuperandæ salutis spem conceperat, ideò conatu, & perseuerantia à se factum indicat, vt fessos iam, & attenuatos oculos habere videatur. Est autem huiusmodi attentio oculorum hominis enixè deprecantis, & de cœlo præstolantis auxilium. Testatur verò Ezechias affectum animæ suæ per oculos ad cœlum eleuatos: nam sicut dixit Plin. libr. 11. natural. histor. cap. 33. Animus hominis in oculis habitat: Et Pier. Valer. libr. 33. in proœmio ostendens quomodo Ægyptij affectum animi per oculos indicauerint, ait: Oculorum enim tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum explicari, atque vt nostri aiunt, eos nimis argutos, quemadmodum animo affecti sumus, loqui. Polemonis dictum habetur oculos esse tanquam fores animi; per oculos quidem animum emicare videmus, indidémque animum introspici, ex quo nonnulli oculum verum cordis nuntium dictitarunt.

Psal. 37. num. 11.

Psal. 87. num. 10.

Hinc in sacris literis oculus pro intentione sumitur, qua operatur, & oculus simplex est recta intentio; oculus verò nequam, praua intentio, &c. Qua de re videndus Augustin. Serm. 2. de Serm. Domini in monte; & 4. contra Iulian. cap. 4. Gregor. 10. moral. cap. 4. & homil. 6. in Ezechiel. Bernard. Serm. 2. de Angelis. Licèt autem oculos eleuare elationem mentis significet, vt patet ex Psalm. 130. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Et Psalm. 17. *Oculos superborum humiliabis*, de qua oculorum elatione videndus est Hieronym. in cap. 2. Isai. & in cap. 37. & in Iob. cap. 16. Licèt insuper eleuare è terra oculos in cœlum idem sit, quòd animum separare à concupiscentia carnali, atque à desiderio temporalium. Vnde D. Thom. lect. 4. in cap. 4 Ioann. aduertit quòd quoties nos Scriptura iubet oculos leuare, vt Isai. 40. *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis creauit hæc.* Et Ioann. 4. *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem:* aliquid subtile, & altum intuendum, & considerandum proponi; tamen frequentiùs est in honorem Dei, & pro illius auxilio implorando oculos ad cœlum leuare, iuxta illud Psalm. 122. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis: Et* diues epulo *cùm esset in tormentis eleuauit oculos suos, & vidit Abraham de longè, & Lazarum in sinu eius*, statimque leuamen flamma-

Psal. 130. num. 1. Psal. 17. num. 28. Isai. 40. num. 26. Ioann. 4. num. 35. Psal. 122. num. 1.

rum postulauit: vbi Chrysolog. Ser. 66. ait: Gratis respicit modò Lazarum sursum, qui ante Lazarum deorsum videre despexit. Vbi vides eleuationem oculorum sumi pro postulatione auxilij. Vnde Ambros. lib. 2. Hexamer. cap. 4. ait, clausum cœlum dictum temporibus Eliæ, quando Achab, & Iezabel perfida regnabat, cui populus regalis, ac religio deseruierat, eò quòd nemo ad cœlum oculos erigebat, nemo Authorem venerabatur, sed ligna, & lapides.

Ex quibus constat eleuationem oculorum ad cœlos esse Dei venerationem, & habitum implorantis opem diuinam; efficacissimum siquidem orandi genus est habitu miserabili, lacrymoso, ac gemebundo respicere, ac intendere in eum, à quo speres auxilium; continuataque defixio oculorum innuit studium, quo quis Deum precatur, in eum figit totam spem suam. Quod bene expressit Dauid cùm dixit: *Sicut oculi* Psal. 122. num. 2. *ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Pulchréque in hanc sententiam Tertull. in Apologet. cap. 40. irridens inanes gentilium precationes ad falsos Deos effusas, de Christianis ait: Nos verò ieiuniis aridi, & omni continentia aspersi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco, & cinere volutantes, inuidia cœlum tundimus, &c. aspectu scilicet oculorum, cùm nec manibus cœlum possit attrectari, nec voces illuc possint peruenire: ac iugi, & immobili oculorum intuitu cœlum à nobis tunditur, & pulsatur, donec exaudiens nos Deus opem nobis mittere dignetur. Quam defixionem oculorum bene expressit Ezechias in nostro textu, cùm ait: *Attenuati sunt oculi mei. &c.*

Domine vim patior: In Hebr. *Vim fecit mihi*, aut *oppressit me*, scilicet, infirmitas: R. Abraham subaudit, quod præmiserat, scilicet, ægritudo, aut infirmitas: Est enim verbum tertiæ personæ fœminini generis. R. quoque Dauid in libr. Radicum subaudit, infirmitas mea: & sunt, inquit, nonnulli, qui putant esse imperatiuum, & exponunt: Adde mihi super dies meos. R. Salomon, quod non dixisset, si imperatiuum esset velimus, opprime, eripe me vi è manu Angeli mortis. Non desunt qui cum Chamets cathuph nomen faciunt substantiuum; oppressio mihi, id scilicet, priorem verò expositionem sequitur R. Dauid in libr. Radicum, & rectam esse arbitratur. Totum tamen hoc magis elucidat vulgata lectio, aperitque sensum istarum omnium.

Responde pro me. Hebr. *Sponde mihi.* R. Dauid, *Quiescere fac me.* Meliùs R. Salomon: *Sponde pro me*, vel *iucunda me, & dirige me.* Vim autem præsentis, vbi habemus Genes. 43. quando Gen. 43. num. 9. Iudas patri suo Iacob dixit: *Ego suscipio puerum, de manu mea require illum:* Hebr. *Ego fide iubebo pro illo* (vadem prometam, vel me cõstituo pro illo) *de manu mea requires illũ.* Et Psal. 118. Psal. 118. nu. 121. *Suscipe seruum tuum in bonum*; habetur idem verbum, quod R. Abraham vertit, *Fide iube, aut sponde.* Et R. Dauid idem tempus explicat, *Exhilarè oblecta, & dirige placidè, & congruenter compone.* Thargum. *Oblecta seruum tuum in bonum*, propter verbum igitur Hebræum, quod spondere significat: Multi legunt, *Sponde pro me.* Iansen. Forer. Ariasmont. & plures: Quo sensu Ezechias orat Filium Dei Christũ, vt fidem pro se iubeat, quia hoc fuit præcipuum munus Messiæ Seruatoris, & suam causam adorantem suscipiat, vt exponit D. Thom. Haimo, Dionys. & Hugo. Coincidit autem hæc lectio cum nostra: nam

nam respondere pro aliquo munus est fideiussoris, & patroni, & illius, qui opes alterius ad se sumit, & agit. Et ex vsu Scripturæ respondere idem est, quod defendere, seu patrocinari ad quod fideiussor assumitur, & constituitur loco eius, pro quo se vadem constituit.

Cùm verò præmiserit Ezechias verba illa: *Domine vim patior*, quæ quidem forensia sunt, & indicant vim illam, de qua oppressi, vel conqueruntur apud iudicem, vel qua à iudice opprimuntur, & vrgentur, vt delictum quodcumque soluatur, & exigatur, quod ad eum modum fieri apud se indicat Ezechias, vt nulla prorsus euadendi spes, aut exitus superesset, forensi itidem loquendi modo precatur Patronum, vt munere suo fungatur, respondendi scilicet, & in iudicio, ac supplicio subueniendi.

Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit? LXX. Qui eruit me, & abstulit à me dolorem animæ, & ipse fecit. Chald. *Quid laudis loquar, & dicam coram eo? Hac enim multiplicauit benefacere mihi.* Hebr. *& dixit mihi, & ipse fecit*, scilicet quod dixit. Vatab. & Pagnin. *Et dixit mihi, & is idem fecit.* Hebræi sic explicant. Quidquid dicam? Beneficium Dei quomodo potero explicare? Ipse enim dixit, & fecit; ea facilitate fecit, qua dixit, & veritate compleuit, quod dixit, & promisit per Isaiam. Ita etiam Vatabl. At sensus nostræ Vulgatæ est, quasi seipsum corrigat Ezechias, dum vadem precatur eum, & aduocatum, qui itidem iudex erat. Non enim solet iudex aduocari patronus, sed alius est, qui iudicat, alius, qui prò iudicato interpellat. Item alio modo potest esse sensus. Quid dicam, & quid interrogabo, cùm Deum nemo possit interrogare, neque illi dicere, quid ita facis?

ANNOTATIO I.

Iniusta est cuiuscumque afflicti de Deo querimonia.

Audax quidem est dolor, sicut dixit Nazianzen. Orat. 17. ad fin. Audacem me facit dolor, & veluti suo iure liberior in querelas, sicut ait Curtius lib. 5. Vnde, & Senec. Epistol. 71. ad fin. Non deerit, inquit, ad mortem ingenium, cui non defuerit animus. Vides quemadmodum extrema quoque mancipia, vbi illis stimulos adegit dolor, excitentur? Et Atræus in Thyest. apud Senec. Vix dolor frænos capit, &c. Vnde Aristid. Orat. 5. Sacrorum aërem, stellas, & similia incusabat. Et apud Virgil. Æneas in amissione coniugis Creusæ 2. Æneid.

Quem non incusaui amens hominúmque, Deúmque,

Paríque affectu dictum est. Eclog. 5.

Cùm complexa sui corpus miserabile nati,
Atque Deos, atque astra vocat crudelia mater.

Et Liuius lib. 38.

— Deos, hominésque accusans, &c.

Videndus ex nostris Theod. ad illud Ierem. 20. *Maledicta dies, in qua natus sum*, vbi ait. Fatigatus, & dolore nimio confectus, necnon vitam hanc ægrè ferẽs maledicit diei. Qui vehementer anguntur, solent adstantes reprehendere, & manibus reprimere: quandóque premente dolore manus collidere, quod accidit Prophetæ, qui præ nimio dolore, nulla subsistente causa diem redarguebat, &c. Vnde Philosophus Taur. apud. Gell. lib. 12. c. 5. post princip. cùm stipatus

amicis ad inuisendum amicum ægrotum descēderet, cúmque videret doloribus, cruciatibúsque allidi; & febri simul rapida afflictari, gemitúsque ex eo compressos erumpere, spiritúsque, & anhelitus è pectore eius euadere, non dolorem magis indicátes, quàm pugnam aduersus dolorem: reuersus cum amicis ad eos dixit per admirationem. Vidistis non sanè secundùm spectaculum, sed cognitum tamen, vtile, congredientes, compugnantésque Philosophum, & dolorem; faciebat vis illa, & natura morbi, quod erat suum, distractionem, cruciatúmque membrorum: faciebat contra ratio, & natura animi quod erat æquè suum. Perpetiebatur, & cohibebat, coërcebátque intra sese violentias effrænati doloris. Nullos eiulatus, nullas complorationes, nec nullas quidem voces indecoras edebat. Signa tamen quædam (sicuti vidistis) existebant virtutis, & corporis de possessione hominis pugnantium. Sic ille proponit Philosophum cum dolore pugnantem, cuius fortitudinem miratur.

Est siquidem proprium doloris in gemitus, & querelas sese effundere, cuius rei naturalem rationem reddit Aristot. Sect.27. Problem. Probl. 9. dum quærit, quare cùm metus, & dolor quædam sit ægritudo, qui dolent, clamant; qui verò metuunt, silent? Respondet verò dolores, vel omnes, vel certè plurimos calore iuuari, & augeri: calorem autem is auget, & dolorem, qui suum spiritum cohibet, excalefacit enim doloris incitabula contracto intrinsecus calore per spiritum, átque excoquit. Hinc ergo fit, erumpente naturaliter spiritu, clamorem fieri in doloribus, & eodem per vim compresso, crescere, & accendi.

At verò metus, qui frigidus est, spiritu indiget, & calore. Vnde David Psal.38. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* Euthym. explanat, à bonitate; quia Dauid noluerit se, cùm posset, vindicare de Semei: Matthias Redembachi. Sic explicat, vt idem sit, ac suprà quàm bonum erat, videlicet Dauidem significare, in affectione eoúsque se continuisse, vt etiam omnis silentij bonitatem superauerit, quia igitur tanto studuit silentio, qui inde sequutum subiungit. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Chald. incaluit, aut ebulliit cor meum in corpore meo, quæ quidem æstuatio iuuat in clamorem euaporans ad mitigandum dolorem; qui verò cor vi constringens doloris libera non effudit suspiria, nec exæstuat, exhalátque mœrorem, obruitur, ac suffocatur angustiis, aut velut fuligine quadam tristitiæ denigratur etiam exteriùs, quemadmodum caminus non habens fumi spiramentum. Plenum se sermonibus aiebat Iob 32. & coarctatum spiritui gutturis sui, ventrem sibi fuisse, quasi mustum absque spiraculo, quod labunculas nouas disrumpit. Idcircò loqui voluisse, vt respiraret paululum.

Psal. 38. nu.3.

Iob 32. à nu.8.

Cùm ergo adeò naturale sit, & innatum dolori in querulosas voces erūpere, repetitósque clamores edere, non mirùm videtur si Ezechias lethali dolore afflictus, & extremo morbo pressus in clamores tandem diffundatur, & de vi sibi ab ægritudine illata gemebundus conqueratur, nec tamen mente verset à Deo sibi inferri tale supplicium ob vanam ostentationem, & superbiam, imò & in Deum ingratitudinem, & vt in mentem rediret, morbi vi adactus, & dolore reductus; verùm siquidem est quòd mens dolore affecta, nihil nisi triste, & quod magis afflictare possit, cogitatione versare solet; quod

quod eleganti similitudine aperuit Iesus Sirac Eccli.27. dicens: *Sicut in percussura cribri remanebit puluis, sic aporia hominis in cogitatu illius*; idest, sicut cùm concutitur,& agitatur cribrum,farina transeunte,remanent in cribro furfures, qui sunt quasi reiectamenta, & stercus farinæ. Sic frequenter in cogitatione hominis, per quam mens hominis velut cribro agitatur, & commouetur, remanet ipsius hominis aporia, hoc est,angustia, & qualibet molesta res, quæ ipsum torqueat, affligat, & anxium reddat. Quo significatur, inquit ibi Iansen. hominem in afflictione constitutum sine re, vtplurimum, elabi menti suæ bona, quibus fruitur, nec ea attendere, aut in mentem reuocare,sed tantùm præ oculis habere mala,quibus premitur, ea semper cogitatione reuoluendo.

Eccli.27. nu.5.

Quod adhuc alia similitudine possumus exponere, qua vtitur Plutarchus lib. de Tranquillitat. animi; cucurbitæ sc.quarum vsus est in morbis ad extrahendum noxium, & corruptum sanguinem. Sic verò ille habet loquens cum ærumnoso, & afflicto homine. Quemadmodum cucurbitæ medicinales teterrimum sanguinem ex carne eliciunt, sic tu pessima quoque in te congeris. Nihilo illo Chio negotiatore melior, qui cùm vinum optimum venderet, ipse sibi acidum conquirebat.

Afflictus itaque,& pressus animus nihil meminisse solet, quod mœstitiam, & dolorem vtcumque leuare, & minuere possit,sed totum,& tantùm id,quod magis torquere,& contristare valeat, quod etiam apertissimè vidimus in Ezechia, cui in mentem posset venire in maius iustitiæ augmentum cedere morbi supplicium, iustè irem à diuina iustitia inflictum ob vanitatis excessum; totum tamen omittit, & in gemitus, clamores, & querelas dissolutus, & veluti liquefactus, nihil ampliùs recordabatur, quàm eorum, quæ ipsum magis comprimere, & discruciare possent, non eorum, quæ ad tolerandum æquanimiter vires addere.

Posset enim, & deberet aduertere grauissimum morbum, quo laborabat, potiùs medicamentum Dei esse, quo salutem Ezechiæ operabatur. Sic enim à Deo fieri consueuit, vt quos circa virtutem, & salutem animæ laborare nouit,ad salutem reducat, & sanitatem pristinam, adhibitis doloribus, morbis, & ærumnis. Quod benè expendit Hieronymus in illud Isaiæ 51. *Eleuare Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius,vsque ad fundum calicis soporis bibisti, & potasti vsque ad fæces.* Sic verò habet Hieronym. Symmachus craterem interpretatus est, & quem iuxta Genes. librum cap. 44. Ioseph in sacculo fratris Beniamin iussit abscondi: iubetur de ebrietate consurgere, eò quòd biberit, & vacuefecerit. Solent Medici amarissimam antidorum,quæ ex gustu nomen accepit, dare stomacho nauseanti, vt noxios humores euomat, & possit coctos cibos, atque digestos in aluum transmittere, quos flegmatum magnitudo digeri non sinebat. Quibus in verbis Hieronym. interpretatur calicem Domini porrectum Hierosolymitanæ ciuitati fuisse instar salutaris pharmaci, & antidoti pro recuperanda salute,cùm populus ille peccatorum ęgritudine laboraret. Similia sunt,quæ idem Hieronym. habet in cap.23.Ezechiel.in hæc verba. Sicut quædam dant chartarica, vt noxius humor,qui inest corpori,exeratur; sic & Dominus dat calicem tormentorum meracissimum, vt quidquid fellis est auferat à peccatoribus

Isai. 51. nu.17.

Gen. 44. nu.2.

toribus; & pristinæ restituat sanitati, &c.

Si igitur Deus amara quæque epotanda præbet peccatoribus pro eorum euacuandis malis; qua in re etiam notandum venit, quòd calix iræ Domini à Hieronymo similis dicitur illi, quem Ioseph non in alterius sacculo, sed in genuini, & dilectissimi Benjamin iussit abscondi; profectò quò amarior, & acerbior morbus Ezechiæ erat, sibi efficaciorem pro medela debuit reputare, & in maius augmentum, ac perfectiorem salutem à Deo distributum; proindéque non morbum, sed medicamentum, non ægritudinem ad mortem, sed ad salutem pharmacum sibimet persuaderet.

In quam sententiam elegantissima est oratio 15. de plaga grandinis apud Nazianzenum post princip. ibi prosequitur quomodo Deus calicem suppliciorum misericordia condiat, & epotandum tradat iis, quos sanare constituit. Nec enim, inquit ille, bonitas iudicio, ac delectu caret, vtcûque iis aliter visum sit, qui priores in vinea laborarunt, imparem illam videlicet in æqua mercedis solutione rationem haudquaquam intelligentibus, & ira peccatis pro portione respódeat id, quod calix in manu Domini appellatur, & calix ruinæ, qui ebibitur, tametsi alioqui omnibus de merita pœnæ atrocitate aliquid detrahat, atque iræ mera cum benignitate temperet, ita tamen, vt ex seueritate quidem ad lenitatem, & gratiam iis incliner, qui metu erudiuntur, & ex parua calamitate concipiunt, ac morũ correctionem parturiunt. Adhuc lenitas, & benignitas hæc sunt, & blanda castigatio, plagæque elementa puerilem ætatem coërcentis. Adhuc iræ fumus, tormentorum præludium, nondum autem ignis comburens, nec succensi carbones, idest, vltimæ partes supplicij. Æquè nimirùm, & per plagam, & per comminationem nos erudiens, ac pro incredibili quadam bonitatis magnitudine semitæ iræ suæ viam sternens à minoribus quidem incipiens, ne asperioribus vti necesse habeat: ita vt satius sit nunc castigari, ac purgari, quàm ad cruciatum illum transmitti, cùm iam pœnæ tempus erit, non purgationis.

Et ad medium eiusdem orationis proponens vltimum iudicium ait Nazianz. Quonam modo eius expostulationes feremus? Aut quid responsi dabimus? Cùm præter beneficiorum multitudinem, quibus accepris ingrati permansimus, plagas etiã insuper, nobis probro vertet, ac medicinæ gratia, quibus sanati non sumus recensebit. Nósque prolem, verùm impiam vocans, sic alloquetur. Quonam modo, & quanam ratione vos erudiri oportebat, qua non erudierim? An per meliora medicamenta meliùs quidem nobiscum ageretur, si nec huiusmodi purgatione opus haberemus, nec omnino purgati fuissemus, nec per amarum peccati gustum à vitæ ligno excidissemus? Ad illud meliùs, ac præstantiùs est, vt cùm peccamus, in nos animaduertatur, quàm vt labentes minimè castigemur; quem enim amat Dominus castigat, paternæque beneuolentiæ argumentum est increpatio: contra omnis anima, quæ admonitionis, & castigationis expers est, incurabilis manet. Quocirca non graue est plagis affici, sed plagis meliorem non fieri grauissimum, & acerbissimum est: nam cùm Isaiam Sodomorum populo, ac Gomorrhæ Principibus minitantem, vt quid vltra percutiemini addentes præuaricationem? Isaias 1. num. 5. Sceleris, inquit, accessioni, nulla *Isai. 1. nu. 5.*

nulla iam pœnæ accessio excogitari potest.

Similia sunt, quæ in hanc sententiam habet August. tom. 10. lib. 50. Homil. homil. 46. post princip. cùm ponderat verba illa Psal. 88. *Si autem dereliquerint filij tui legem meam, & in præceptis meis non ambulauerint si iustitias meas profanauerint, visitabo in virga facinora eorum; & in flagellis delicta eorum.* Quibus in verbis Deus cogitata metaphora sumpta à medicis, qui eos, quos curant, & quorum saluti incumbunt, & consulunt, visitare dicuntur; minatur plagas, quas delinquētibus erat inflicturus. Tunc August. ait: Hæc sunt remedia, quibus consulit Deus. Hæc est medicina, qua hominum curantur vulnera, his emendantur vtilitatibus, vitia corriguntur, hominum malitia refrænatur. Beneficia hæc sunt diuina, non verbera; nec quid noceant diuinitus irrogantur, quæ ad hoc veniunt, vt hominibus paterna clementia consulant. Gaudeat Christianus in aduersis, quia aut probatur si iustus est, aut si peccator est emendatur. Contristetur sanè, quem flagella diuina corrigere non possunt, gaudeat peccator, si cum iusto in sæculo contristatur, vt post sæculum cum eodem remuneretur, &c.

Psal. 88. num. 3.

Excesserat quidem salutis terminos Elimas Magus opponens se Barnabæ, & Paulo, quærens auertere proconsulem Sergium Paul. à fide, cui Paulus plenus Spiritu Sancto ait: *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns Solem vsque ad tempus.* Actor. 13. Vbi acutè obseruat Chrysost. tom. 3. homil. 28. in acta Apostol. ad med. modum loquendi Pauli, qui de cæcitatis supplicio ad eum modum loquitur, quo de medicis, & chyrurgis erga infirmos dici solet adesse eorum manus in ægrotantium vulnerum, ac morborum medelam, imò & communi, vsitataq; parœmia dici solet manus medici sanitatem secum deportare; iuxta hanc igitur phrasim ait Paul. *Ecce nunc manus Domini super te*, quasi dicat, adest iam tuæ pietatis antidotum, tuæ nequitiæ medicamentum. Vsque ad tempus, inquit Chrysost. non punientis erat verbum, sed admonentis; si enim punientis fuisset verbum, omnino illum fecisset cæcum. Et vt ostendat quod non erant furoris verba, propter hoc præmisit, dicens: plenus Spiritu Sancto, hoc est, efficacia. Et tunc. *Ecce manus Domini super te*, minimè vltio erat, sed sanatio. Sic ille curantis manus demonstrat Dei infligentis cæcitatem, efficaciáque medicaminis in hoc statim apparuit, quod cæcitas Magi oculos statim aperuit Proconsulis. Tunc Proconsul cū vidisset factum, credidit admirās super doctrina Domini. Adeò nam iure operatoria, & efficacia esse solent remedia à Deo prouenientia, vt ad illorum conspectum ij etiam, qui ea intuentur, salutem consequantur. Quod bene expendit Bernard. epistol. 108. & Aug. ad illa verba Psal. 57. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Et Theodoret. Hierem. in cap. 18. in fin ait: Vtinam medicinæ loco nobis sint afflictiones illorum (scilicet Iudæorum) vt aliorum pœnis eruditi vitam legibus diuinis consonam agentes legislatorem propitium habeamus, &c. Quòd si videntibus plagas à Deo inflictas ipsæ in medelam cedere solent, faciliùs quidem proderunt ad salutem ij, quibus non tam infliguntur, quàm applicantur, & accommodantur, vt perfectam sanitatem acquirant.

Act. 13. num. 11.

Psal. 57. num. 11.

Cùm ergo afflictiones, dolores, morbi, cæteraque ærumnæ, medicinæ

cinæ loco nobis à Deo conferantur, quid est, quod Ezechias diuinæ curationis oblitus, & Dei medicaminibus veluti ingratus, conqueratur potiùs, & vociferetur, cùm gratias Deo reddere deberet? Nam sicut dixit Chrysost. libr. 1. de prouident. post med. Nullus vnquam ex his, qui Deo maximè chari, atque acceptabiles fuerunt, sine pressuris fit, etiamsi non nobis ira videatur, &c. Vnde quanto acerbiorem dolorem inferunt, maioris beneficij loco haberi debent, cùm in maiorem etiam vtilitatem, & salutem percussi, & afflicti cedant. Quod bene prosequitur B. Theodorus Studita tom. 2. Auctarij Biblioth. serm. 110. cùm ait: Sin te haud lætari, quin dolere iudicas, an quod cogitas in dies feriri? At signum id quoque est coronæ, neque bello alienum quisquam, sed bellatorem coronat, nec in arenam non progressum, quin egregiè pugna defunctum donatiuo prosequitur. Non videtis, vt vnde tristari dicimus, hinc lætari debeamus. Vnde Deus in eos, quos maximè diligit, acriùs animaduertit, sicut prosequitur Anastas. Nissen. q. 35. in Scripturam. Videndúsque erit Aug. concion. 2. in Psalm. 88. ad illa verba:
Psal. 88. *Si iustitias meas profanauerint, visitabo*
num. 32. *in virga*, &c. vbi ait: Det disciplinam, non auferat misericordiam; cædat contumacem, dum tandem reddat hæreditatem. Tu si promissa Patris bene agnouisti, non timeas flagellari, sed exhæredari, quem enim diligit Dominus, corrigit, &c. Et Hieron. epist. ad Eustoch. inter alia sic habet. Quis sanctorum sine certamine coronatus est, solus in delitiis Salomon, & ideò forsan corruit. Similiá-
Psal. 33. que habet Basil. in Psalm. 33. ibi: *Ex*
num. 5. *omnibus tribulationibus meis eripuit me*, omnis vita iusti in afflictionibus posita est, quemadmodum nullus sine aduersario triumphat, aut coronatur: sic neque probatus pronuntiari, nisi per afflictiones potest. Et ad illa verba: *Multæ tribulationes iustorum*, sic Ibi n. 20. infert. Ex quo si quando in morbis, in corporis mutilatione, orbitatibus, plagis, omni denique rerum inopia, & egestate iustos homines constitutos videris, reminiscere verbi huius, quòd multæ sint tribulationes iustorum. Qui autem dixerit, quod virum planè iustum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quàm athletę non conuenire aduersarium. Athleta minimè certans, quas habebit occasiones sibi coronas comparandi? &c. Vt igitur Deus suos probet, & coronet, ærumnis afficit, & afflictionibus premit, quibus ipsi, & probatiores, & fortiores redduntur.

Hinc est quod percussus in femore Iacob benedictioně postulat, & meretur. Gen. 32. Ille enim, quem Gen. 32.
Dominus in carne percutit, proximus num. 26.
benedictioni fit. Sed quid est, quod carne debilitatus, & percussione claudus Iacob, fortis contra Dominum dicitur: *Si contra Deum fortis* Ibi n. 28.
fuisti? Ibi num. 28. Scio quidem hoc communiter ad orationem referri: sed adhuc pro re nostra potest explicari ex milite illo Romano, qui è castris reiectus est, & in domū redire iussus, quòd claudus repertus fuerit, & à duce reprobatus, quòd nollet sub signis suis debiles, aut claudos, sed omnino strenuos, & nullo membrorum mutilos versari. Institit tamen miles, & pro se respondit, potiùs aptos esse ad bellum eos, quibus nullatenus liceret se subducere, aut ab hostibus fugere, sed eorum impetum sustinere, donec tandem illos superarent. Ad hunc fortassis modum illi strenui, & fortes censentur apud Deum, qui plagas Domini patientes sustinent, vulneráque, & afflictiones æquo animo portant, dum enim in carne vulnerantur, interiùs fortiores

fortiores redduntur spiritu,& coram Domino potentiores. Quod bene expendit Hildebert. Turonens. Episcop. epist.37. vbi loquens de Iacob claudo, ait: In quo notandum puto, quòd percussus in femore Iacob sano pede firmiùs nititur, infirmus autem pes, nec totus hæret terræ, nec à terra totus eleuatur. Post exsiccatas quippe huius, quam circumferimus, mortalitatis illecebras, interior noster homo pedi diuini amoris, qui in eo præualet,totus incumbit, totus hæret. Infirmo autem pede partim Iacob sustentatur, & à terra partim suspenditur; quia languente in nobis rerum sæcularium dilectione, partim in illis innititur pro natura, suspendimur à reliquis pro corona. Sic ille ostendit quomodo infirmitates,afflictiones,& dolores, quibus in hac vita percutimur, fortiorem reddant, & firmiorem diuini amoris pedem,quo meliùs contra afflictionum luctam possimus consistere, & præualere. Vnde etiam Iacob in femore percussus, fortior redditus est.

Hinc iam intelligitur in hanc sententiam locus ille lib. Iob.cap.4. vbi Eliphas ad Iob ait: *Nunc venit super te plaga,& defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Quibus in verbis impatientiæ Iob tribuit illum calamitatum suarum sensum, quem superioribus lamentationibus expresserat: tunc deinde admiratur, cur eisdem calamitatibus non fuerit roboratus, fortiórque constitutus, sicut iustis accidere consueuit,sed eisdem veluti fractus,& superatus cesserit? Vbi Greg. 5.moral.cap.13.post med.ait: Fortitudo non nisi in aduersitate ostenditur, tantò enim quisque se ad fortitudinem profecisse veriùs demonstrat, quantò mala robustiùs tolerat:

Iob 4.nu. 5. & 6.

qui in eo,quod ferre contrarietatem non valet,pusillanimitatis suę gladio cõfossus iacet. Sic ille.Vbi vides fortitudinẽ animi consistere in eo,quòd strenuè ferat ea, quæ aduersa occurrunt, in eáque veluti induratus insurgat. Hæc est ratio cur Abulens. in cap.1.lib.2.Reg.quęst.6.in fin.asserat Saulem ex pusillanimitate quæsiisse ab armigero, vt ipsum interficeret, tandemque sibi necem intulisse,dum super gladium suum irruit,1.Reg.31. Sicut est aliquis,inquit Abulens. pusillanimis,& nimis timidus,qui cedit doloribus,ita est pusillanimis,qui cedit angustiis, & non potest sustinere dedecus, & sic ex defectu virtutis se occidi petebat Saül,&c.Vnde Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 35. ait veluti imbecillos & pusillanimes miseratione prosequendos eos, qui in afflictionibus animum amittunt, & vociferantes lacrymantur, sicut hîc fecisse constat Regem Ezechiam. Horum, inquit ille, qui duriori fortuna conflictantur quisque misericordia, & commiseratione dignus est, cùm calamitates suas deplorat,&c.

1.Regum 31.nu.4.

Hinc est quod Dauid eos, quos Deus ad expeditionem suam,& conuersionem gentium, tanquam fortes elegit, viros nempe Apostolicos (quæ est multorum sententia) bene patientes dixit Psalm. 91. *Bene patientes erunt,vt annuntient.* Quæ verba sic explicat Isich. Qui aduersam fortunam, & corporis incommoda bono,& æquo animo perferunt,apti sunt ad magnalia Dei, &c. Inferior proinde viribus propria confessione deprehenditur Ezech. dum ait: Vim patior,qui non doloribus,morbóque succumbens tremebundus deplorabat,se superatum, & victum confitebatur, cùm tamen iusti vim potiùs inferant morbis,doloribus,& ærumnis.

Psal.91. num. 15.

Magnam vtique vim intulere la-

bores iusto Ioseph, cum falsi crimi-
nis ab hera sua accusatus, quasi vim
intulisset, coniectus est in carcere,&
in ferreos compedes, quorum duri-
tia diuturna dolorem admodum ve-
hementem sensit, vt illo ferro anima
ipsius qnodammodò pertransiretur,
penetraretur, & transuerberaretur.
Psal.104. num. 18. Psal. 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Vbi Græcè habetur. *Ferrum pertransiit anima eius.* Quomodo quoq; legerunt Cassiod. ibi, & Ambrosius epist. 7. ad Simplician. Et licèt hæc lectio facilè cohæreat cum nostra Vulgata, tamen Ambrosius eam in alium sensum declinat præsenti instituto maximè congruum, quasi Ioseph adeò forti, & constanti animo fuerit, vt ipsius anima laboribus indurata, vel ferrum durissimum pertransierit,& perforauerit, ac præualuerit contra ipsa ferrea vincula. Etenim pro fortitudine in laboribus ita exhortatus libr. de interpellatione Dauid post med. Non scindatur, inquit, ferro anima tua, sed vt anima Ioseph, ita anima tua ferrum pertranseat,&c.

Similem item vim videntur passi ab igne fornacis Babylonicæ tres pueri in illam missi. Etenim iussit Nabuchodonosor, vt succenderetur septuplum plusquam consueuerat, quò citiùs eorum corpora in cineres
Dan. 3. num. 19. redigerentur, Daniel. 3. vbi Hieron. eleganter ait: quasi non posset simplex,& solitus ignis trium puerorum consumere corpora;sed furor,& ira, quę insaniæ proxima est, modum tenere non potest: & vult eos multiplicis pœnæ comminatione terrere, quos paratos videbat ad mortẽ, &c.

Similia sunt,quæ habet Zeno Veronensis Episcop. serm. 7. de Daniel. ad med. Ira, inquit, sufflatus Rex solito septies ampliùs caminum iussit incendi, ac ne quid immanitati sæuientis deesse videretur, pice, & stupa armatum citatur incendium, illo præcipitatur incentor,&c. Quomodo igitur tanto furore, ignisque incendio facilè cremanda corpore poterant obsistere? Quis non crederet statim deuorandos? Sed audiamus eundem Zenonem ser. 2. de Daniel. in princ. cùm ait:Tanta vis certaminis fuit,vt eam ipse quoq; ignis horruerit. Et serm. 8. post med. Mors,inquit, refugiens mutat officium, incensores cremantur. Incensis hymnum canentibus flamma blanditur, melioratur vita supplicio. Rex non inuideret pueris, si non eos præcepisset ardere. Sic ille ostendit vim quidem illatam à sanctis pueris insolito,admirabiliq; incendio, tantus enim in pueris extitit animus, tanquam admirandum robur in tenera adhuc ætate, vt qui vim pati videbãtur à Tyranno, & à succenso admodum igni,eisdem vim intulerint,efficaciamque sic dispunxerint,vt ignis, veluti timore correptus, terga verterit pueris, & in ministros,qui eos in fornacem miserant, conuersus desæuierit. Sic enim habet sacer Text.
n. 22. *Porrò viros illos, qui miserant Sydrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Dan. 3. num. 22. Et vt se omnino victum fateretur ignis,pueris obsecutus, eosdem deosculatur,& lambit, insuper & vincula, quibus ligati missi fuerant,illicò consumpsit. Ambulabant enim in medio flammæ,qui colligati missi fuerant, quod bene prosequitur idem Zeno ser. 5. in med. dicens: Vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit, lambunt rosidos flammæ blandientes. Mira res!opacitas intus, incendium foris,intus hymnus canitur,foris vlulatus auditur. Incensores incendio cremati sunt, & qui incensi sunt incendio suo superstites triumphantes de camino procedunt.

Neque

Neque omittendus Chrysost. ad fin. tom. 1. homil. de tribus pueris ad med. vbi ait. Pueri iactantur in flammam, ibat circa innocuos pedes nouo libamine artifex ignis, & tot circumuolans pastus sola consummere vincula laborauit. Circa damnatos suos innocens pœna blanditur, & Azarias aperit os suum in medio ignis, & non audet ignis inuocantis Dominum fauces erumpere, nec nubilo ductu vaporans eloquentis ora conturbat. Innocentis oratione prolata, & quasi facto impetu sermonis tremula flamma subducitur. Furatur pastus alienos incendium, non consumpsit quos propè inuenit, quia ieiunat in suis, custodiam suam vehementer horrescens, ne iam faciat, vel ipso fumo Sanctis iniuriam. Mira ratione vis horrida commutatur in suo loco. Vbi incenditur, illic refrigerat, aut tepescit. Murmure fugitiuo replicabatur incendium, ac veluti amicus ignis Sanctis viris præbebat obsequium. Sic ille superatum ostendit ignem à pueris, dum illius ardore non constringuntur, sed se constanti animo opponunt, neque Regem, neque fornacis incendiũ metuentes. Vnde non sicut Ezechias, gemitus edunt, aut lachrymantur, sed potiùs concinentes laudant canticóque Dei commendationem prædicant, qua in re fortissimi cõprobantur Dei athletæ contra tyrannum, & incendium; pusillanimis verò deprehenditur Ezechias, dum præ timore vociferatur, vímque sibi ab ægritudine illatam confitetur.

Imbecilli insuper, pusillóque animo ostẽditur hic Rex, dum adeò effert dolorem, tantámque vim à morbo pati proclamat, cùm tamẽ verum sit Deum suos iustos leui quidẽ manus suæ tactu percutere, ad cúmque modum se habere, dum illos punit, quo se habet ille, qui semetipsum percutit; quod benè ostẽdit diuinum oraculũ apud Isai. c. 27. cum de sup- *Isai. 27. nu. 7.*
plicio diaboli illato ita ait: *Numquid iuxta plagã percutientis se, percussit eum? Aut, sicut occidit interfectos eius, sic occisus est?* Quibus in verbis vult ostẽdere magnum discrimen inter supplicium à Deo inflictum diabolo, & id, quo suos iustos in corruptionem afficit; hoc enim est ad modum eius, qui seipsum punit, & percutit, dum enim sibi dolorẽ infert percutiẽdo, grauis, sibique hostilis nullatenus esse solet; tali verò plaga Deus suos iustos, & amicos percutit. Non sic verò Leuiathan, seu diabolũ, de quo ibi est sermo. Quem etiam nõ occidit eo modo, quo amicos, & qui in ipso moriũtur interficit. Hic enim aliquãdo resurget, ille verò nunquam non morietur. Ita hunc locum explicat Sanctius. Tali plaga, inquit, Deus percutit amicos suos, quæ (vt humano more loquar, quomodo de Deo sæpè Scriptura loquitur) nõ minùs Deum ipsum vulnerantem, quàm Dei amicum vulneratũ tangit, & cruciat: imò plaga, quæ Dei amicum leuiter tangit, ea grauiter pungit diuinorũ oculorum pupillam, vnde ait. *Qui tetigerit vos, tãgit pupillam oculi mei.* Zach. 2. *Zach. 2. nu. 8.*

Cùm ergo Deus amicum percutit, seipsum percutere videtur, & iuxta plagã percutientis se percutit, quæ leuis admodũ esse solet; nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, proinde, & non totã suam irã exerit, neque ad vltimũ affligit, sed blandè, lenitérque tangit. Etenim Deus ægrè fert de inimicis suis vindictã sumere: quantum vtique magis dolebit, si in amicos per afflictiones desæuiat? Isai. 1. Postquam Deus retulit populo suo nequam, quæ maxima cõmiserat scelera, cũ pro eis puniturus ait. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabo de inimicis meis.* Quæ verba *Isai. 1.*
duplicem sensum sustinent. Primus, *nu. 24.*

ſi per interrogationẽ legantur, ſitque ſenſus, quaſi dicat Deus. Heu quis me in hoſtiũ meorũ plaga, in quam iam habeo intentum gladium, conſolabitur. A mea-ne humanitate impetrare, aut extorquere potero, vt furorẽm iam diu in hoſtes meos inflãmatum effundam, eáque re conſolationẽ accipiam, ſicut in vindictã cõſolari ſolent irati, & offenſi homines? Alius ſenſus per affirmationem erit, qui ſignificet animum ad ignoſcendum, & benè merẽdum pronũ, qui ſi quando cogitur in ſceleratos ſæuire, id omninò inuitus, & veluti à ſe, & à terminis ſuæ benignitatis excedens, facit. Sicut bonus medicus, amánſq; ægroti, cùm videt omninò oportere tabidum, & putrefactum membrum reſecare, aut adurere, id inuitus, dolens, & gemebũdus facit. Et quod in foſſore, latomóque conſpicimus, qui grauiores, durioréſque ictus edituri ipſo veluti gemitu ciẽtur, & ad conatum excitantur; quod etiã de viro forti in Tuſcul. dixit Cicero. Tunc ingemiſcere, quando ſe intendit ad firmitatem. Et hunc poſteriorem ſenſum iuuat maximè verſio LXX. Interpretũ, quæ habet. *Nõ ceſſabit meus furor contra aduerſarios*. Quaſi dicat: Heu quia non ceſſabit: ſed tandem vindictã ſumam. Hoc enim ſignificat, *conſolabor*, ſicut, & Deus dicitur requieſcere, cũ impios punit. Quod benè exponit Cyrill. Alex. ad illud Zachar. 6. *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis*. Sic ergo habet Cyrill. In ipſis fuit requies eius, ideſt, dominantis omnium Dei. Requieuit porrò, quia punitos vidit; & infrà. Requieſcit autem quodammodo inimica malis ira Domini, cũ qui, eũ plurima cõmittẽdo, & effrænatè peccãdo offenderint, pœnas luerint, &c. Zach. 6. nu. 8.

Et hic modus loquendi, vt requies pro vindicta ſumatur, vſitatus eſt in Scriptura. Nam Damaſcus dicitur requies Domini. Zachar. 9. quia eam punitúrus erat. Et Ezechiel. 5. *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis*. Sicut igitur Deus dicitur requieſcere, cùm punit, irámque veluti conceptam euacuat, ſic etiam, & conſolari dicitur pro noſtro captu intelligendi, dum vindictam ſumit, quod tamen inuitus, & dolens facit, quantumcumque puniendi ſupplicium promeruerint. Inde eſt quod ingemiſcit puniturus, ſicut oſtendit citatus locus. Si itaque dolet, gemitúſque edit quando infligit mala malis, magis vtique dolebit, leuiúſque ſe habebit, cùm ſuis mala infligit. Proinde dum eos punit ſi ſic ſe habet, quaſi ſemetipſum percutiat; profectò blandè, leuitérque affliget. Zach. 9. nu. 1. Ezech. 5. nu. 13.

Inde eſt, quod cùm maximè doleat ad illorum percuſſuram, & afflictionem, dũ ab ea abſtinet, ſe conſolari dicitur, ac videtur. Vnde 2. Reg. 24. cùm extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Hieruſalem, vt diſperderet eam, poſtquàm vno die mortui ſunt ex populo ſeptuaginta millia virorum: *Miſertus eſt Dominus ſuper afflictione, & ait Angelo percutienti: Sufficit*. Quo in loco ait Abulenſ. q. 37. poſt med. in Hebræo haberi: *Conſolatus eſt Dominus*. Et refertur, inquit, ad ipſum Deum, ſcilicet, quod ipſe conſolatus eſt in ſe, quaſi Deus puniens omni prorſus caruerit conſolatione, & ſolatio, qui tunc tantummodò veluti conſolari dicitur, dum ſuis beneficia largitur, eóſque rectè habere, & valere cernit. 2. Reg. 24. n. 16.

Hæc eſt ratio, cur iuſtorum mala non ſimpliciter dicantur mala, ſed cum particula minuente, & à ratione malorum extrahente, reddentéque quaſi mala, ſic enim loquitur Paul. 2. Cor. 6. dicens: *Quaſi morientes, & ecce viuimus; vt caſtigati, & non mortificati*. 2. Corinth. 6. n. 9.

cati; quasi tristes, semper autem gaudêtes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Vbi Anselm. aduertit in tristibus hìc addi particulam *quasi*, non verò in prosperis, quia omnis tristitia Sanctorum hîc habet quasi; videtur enim esse quasi vmbra, somnium, & pictura quædam, nec esse tristitia, aut labor, sed quasi labor, & quasi tristitia: gaudium verò non habere quasi, quia solidum est ob spem certam æternæ beatitudinis, contra verò impiorum gaudiũ hîc habet quasi, quia breue, & vmbraticũ videtur somniũ, sed tristitia eorum non habet quasi, quia vera erit, & æterna. Hoc cernere possumus in eo supplicio, quo filius Dei in carne animaduertit in vêdentes oues, & boues, & columbas, & numularios Ioan. 2. Fecit enim quasi flagellum; nam quando tandem ad flagellandum accedit, id quasi flagello facit, vt quasi flagellare videatur potiùs quàm flagella infligere. Vnde Isidor. Pelusiot. lib. 3. epistol. 135. dicit iustorum mala penes nomen versari, non verò, nec vera mala esse. Dedecus, inquit ille, & mors, & paupertas mera quidem apud nos vocabula sunt; res autẽ apud exteros, &c. Hos, scilicet, qui non agnoscunt, qua ratione Deus suos puniat, in quem finem affligat, quo denique præmio laborantes coronet. Qui enim hæc meditantur, secúmque expendunt, profectò mala omnia solam nomenclaturam sortiri censent. Non enim mala, & afflictiones pẽsandæ sunt, & expẽdendæ in se, sed secundùm quod nos torquent, & affligunt, & de illorum afflictione dolemus. Vnde Seneca dixit. Mala si benè tulisti, non tulisti. Clariúsque hoc dixit Saluian. lib. 1. de prouid. post princ. Nemo, inquit, aliorum sensu miser est, sed suo, & ideò non possunt cuiusquam falso iudicio esse miseri, qui sunt verè sua conscientia beati. Humiles sunt religiosi, hoc volunt, pauperes sunt, pauperie delectantur, infirmi sunt, infirmitate delectantur. *Cùm enim*, inquit Apostolus, *infirmor, tunc potens sum.* 2. Corinthior. 12. Nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt, quod volunt, re tamen ipsa: labor, ieiunium, &c. Non omnibus onerosa sunt tolerantibus, sed tolerare nolentibus, &c.

Ioann. 2. nu. 15.

2. Cor. 12. nu. 10.

Similia habet Chrysost. homil. 4. ad popul. ante med. cùm ait. Non tentationum natura, sed tentatorum segnities ruinas efficere solet, quod non grauium incursus casuum; sed mentis nostræ torpor salutẽ nostram subuertat. Audi quid dicat Christus Matth. 7. *Quicumque audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro prudẽti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram.* Et rursum. *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domũ suam super arenam, & descendit pluuia, & venerũt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & erit ruina eius magna.* Vides quod non tentationis inflictus, sed ædificantiũ stultitia ruinã fecit? Etenim illic pluuia, & hîc pluuia, & illic flumina, & hîc flumina, & illic ventorum occursus, & hîc idem. Nõ tentationũ natura, sed ædificantis imprudentia ruinam fecit. Itaque fortem virũ tribulatio fortiorẽ reddit; & sicut firmas arbores ventorum impetus irruens, & vndique iactans non euellit, sed & solidiores, & firmiores his incursibus reddit. Sic & animam sanctã, & piè viuentem tentationum incursus, & tribulationum nõ supplantant, atque etiã ad maiorem patientiã præparant, &c. Ex quibus liquet mala nõ esse existimanda, sed ponderanda ex animo, quo excipiuntur.

Matt. 7. nu. 24.

Matt. 7. nu. 24.

piuntur. Nam qui fortis, strenuus, & robustus est, eis minimè frangitur, aut expugnatur; quinimò superior, & robustior redditur. Vnde mala, & afflictiones quasi mala, & quasi depictas afflictiones reputat. Et qui libenti, ac patienti animo aduersa sustinet, ipsa patiētia minora facit, illorúmq; acerbitatē minuit. Vnde Naziāz in Diffinitionib. appellauit patientiā molestiarum omniū decoctionē. Ea enim, quę acerba, aspera, & dura videbantur, tolerantia ipsa decoquūtur, aptáque redduntur, quæ in cibum animæ, & in meritum corā Deo conuertantur.

Neque verò ea solùm ratione faciliores reddūtur afflictiones, & dolores, quod patientia molliantur, & acrimoniā, vímque suā in decoctione tolerantiæ amittant, sed insuper quia Deus solet gratia, & auxilio suo leuiores reddere, earúmque vim, & efficaciam diluere. Vnde Paul. 2. Cor. 1. dixit: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra.* Quo in loco Apostolus passiones Christi appellat, quas Christus Dominus, vt suas reputat, quales planè sunt iustorum afflictiones, sicut ibi interpretatur Oecumen.

2. Cor. 1. nu. 5.

Aduertit autem Theophyl. dixisse Paulum abundare in nobis passiones Christi, quia Christus plura in membris suis, quàm in seipso passus est. Quod quidem extensiuè verum est, non verò intensiuè. Illud ergo pro re præsenti annotandum cum Theophylact. quòd Apostolus non ait. Ita & per Christum æquatur consolatio passionibus, & afflictionibus, *sed abūdat*, inquit, exuberat, & longè maior est consolatio ipsis afflictionibus, vt qui affligitur eas non patienter tantùm, neque quasi afflictiones ferat, sed lubenter, & hilariter, iisque gaudeat, & dominetur. Vnde Chrysost. sic incipit alloqui afflictum populum Antiochensem homil. 4. Benedictus Deus, qui dolentes animas vestras consolatus est. Quod enim congruam ceperitis consolationem, per studium hoc, & audiendi promptitudinem demonstratis. Non enim datur animam dolentem, & tristitiæ nube pressam cum promptitudine audire. Vos autē video cum multa beneuolētia, & acri studio nobis attendentes, omnibus tristibus excussis. Propterea Deo vobiscū gratias ago, quod disciplinā nostram miseria non redarguit, nec rigorem nostrā timor remisit, nec alacritatem vestrā extinxit tribulatio, nec labefecit zelū vestrum periculi magnitudo, nec superauit in Deum desideriū hominum timor, nec studiū vestrum temporis iniquitas deiecit. Nec tantum non deiecit, sed & aliis suffulsit, nō tātum non remisit, sed intendit, nō tantum non extinxit, sed ampliùs accendit. Sic Chrysost. ostendit qualem, quantámque consolationem Deus afflictis iustis elargiri soleat, quomodoque eorū mala adhibitis fauoribus, multiplicatisque auxiliis minuat, & in lætitiam, solatiúmque conuertat.

Hæc est ratio cur Elias, qui mortem sibi comminatam à Iesabele declinans, fugerat, à manu Domini instanter postulauit, dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* 3. Reg. 19. Ea namque mors, quæ iussu Iesabelis non poterat non esse acerbissima, & penè intolerabilis præ sæuitia, & odio; è manu Domini pro loco, & tempore congruo Eliæ cōcessa, suauissima vtique ipsi repræsentabatur; adeò vt non tam timeretur, quàm exoptaretur, quod adhuc possumus illustrare ex eo, quod 1. Reg. 20. Dauid eā mortem, quam à Saule fugiebat, à Ionata amico enixè precabatur, dicens: *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum me introducas me.* Scilicet tradendo me in manus illius, vt occidat me. Vbi

3. Reg. 19. n. 4.

1. Reg. 20. n. 8.

Vbi Abulens. quæst. 15. in fin. sic explicat. Dixit Dauid quòd Ionathas eum occideret, quia si moriendum foret, eligibiliùs erat Dauid mori manibus Ionathæ, à quo nimis diligebatur, quàm mori manibus Saül, qui eum nimis exosum habebat. Ista enim omnium hominum conditio est quòd præeligant mori manibus amicorum, quàm inimicorum; sic enim patet ex Tragæd. 4. Senec. cui nomen Hyppolitus: nam cùm ibi Hyppolitus simulasset velle occidere Phædram, ipsa dixit: Hoc est, quod nimis opto, amantis mori manibus: causa autem est, quia cùm hostis nimis exosum habeat hostem, nimis crudeliter in eum ageret concessa sæuiendi potestate: Amicus autem, cùm diligit amicum, non sæuiet in eum, sed potiùs malis eius compatitur, ideò si quis manibus amici sui caderet, & hoc per aliquam causam esset simpliciter necessarium, non sæuiret in eum, sed cum lacrymis eum occideret: eligibiliùs ergo est cuique mori manibus amici sui, quàm hostis. Tantùm ille.

Quòd si suauis est mors, plagaque ab homine amico illata, propterea quòd crudelitate careat, & compassione abundet, cur non leuia, imò & suauia censenda erunt mala, quæ ab amico Deo proueniunt, quæ neque vires nostras excedunt, neque sine multis consolationibus admixtis adhibentur? Hoc agnoscens Elias mortem fugiens à crudeli Iezabele inferendam, è manu Domini benignissima libentissimo animo exoptabat, & postulabat.

Quod adhuc videmus adumbratū in eo throno, quem Salomon fecit, de quo 3. Reg. 10. dicitur: *Fecit Rex Salomon de ebore thronum magnum, & duæ manus hinc, & inde tenētes sedile, & duo leones stabant iuxta manus singulas.* Vbi Raban. per thronum Ecclesiam Dei intelligit; per manus autem tenentes sedile auxilia diuinæ gratiæ, & manum Dei protectionem, qua suos patrocinatur, & in tempore opportuno subuenit. Solium Salomonis, inquit ille Ecclesia esse intelligitur, in qua pacificus noster regnans iudicia sua facere dignoscitur. Bene de ebore factum esse memoratur, quoniam Elephas, cuius hæc ossa sunt, inter quadrupedia sensu plurimum valet. Manus tenentes sedile significant solatia diuinæ gratiæ, quæ Ecclesiam ad cœleste regnum prouehunt, &c. Quando igitur sæui dirique leones iniustos insurgunt, vt discerpant, lacerent, & affligant, adsunt profectò manus Dei consolantis, & remouentis ictus, vel curantis vulnera: quantumcumque proinde duo stent aduersarij leones, duæ itidem manus adsunt, quæ illorum ora claudant, dentes retundant, vngues recondant.

3. Regum 10. n. 18.

Crudelis vtique leo aderat ignis deuoraturus fideles pueros, sed vide Dei manus flammas conuoluentis, & ligantis, quod bene prosequitur Chrysostom. homil. 4. ad popul. ad med. dicens: Murus ipsis factus est ignis, & vestis flamma, & fons fornax; ligatos capiens, solutos reddidit: mortalia suscepit corpora, & tanquam immortalibus abstinuit: non agnouit naturam, sed pietati reuerentiam exhibuit. Vinxit pedes Tyrannus, & ignis vinculi pedes vinxerunt. O rem admirabilem! vinctos soluit flamma, & ipsa de reliquo à vinctis vincta. Nescio quomodo dicam miraculum omnem verborum narrationem transcendit: etenim vis erat extincta & nō erat extincta: cùm enim circa Sanctorum illorum corpora versabatur erat extincta. Compedes igitur disrupit, & talos non tetigit. Vinxit Tyrannus, & flamma resoluit, vt & barbari crudelitatem discas, & elementi obedientiam.

Quā verò causa in ignem missurus eos ligauit? Vt miraculum fieret maius, ne putares esse oculorum errorem ea, quæ videbantur; nisi enim ignis ille fuisset, vincula non absumpsisset, &c. Ecce quomodo manus Dei incenso igni occurrit, vt potiùs blādiretur, & deseruiret pueris, quàm in eos desæuiret, quasi immanis leo.

Sed hoc iam in ipsissimet leonibus Dei manibus mansuetis, & ligatis conspiciamus; nam Daniel missus est in lacum leonum, sed sequenti die Dario Regi ipsum iam penè extinctum, & deuoratum existimanti dixit Daniel. 6. *Rex in æternum viue. Deus meus misit Angelum suū, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Vbi August. lib. 2. de mirabilib. sacræ Scripturæ, cap. 32 ait: In hoc tamen insigni facto non natura in leonibus mutatur, sed insita à conditionis initio sua parte per Angelum à Deo gubernatur; blanditiem enim, & lenitatem, quas catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant: sæuitiam verò, & feritatem, quam in prędam faciunt, in deuoratis peccatoribus reuelant. Similia sunt, quæ habet Theodoret. ponderans, quòd cùm leones Danielem minimè tetigissent: *Cùm in lacum missi fuissent, qui Danielem accusauerant ipsi, & filij, & vxores eorum, non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerēt.* Daniel. 6. ait ergo Theodor. Hoc iustitiæ diuinæ opus est, & sapientiæ, ne dicerent propter satietatem leones à Daniele abstinuisse, & inuidia extenuarent factum miraculum: iniecti eò testimonium perhibuerunt leonum crudelitati: quod igitur dignas pœnas persoluerint, iustitiam Dei commendant, quod autem ita facillimè consumpti fuerint à feris, sapientiam indicant, &c. Nónne igitur vides manus Dei leonibus appositas, quæ eorum feritatem domarunt, ora concluserunt, & vngues colligarunt? Sic sanè, sic consueuit Deus manibus suis subuenire afflictionibus iustorum. Vnde Dauid Psalm. 36. ait; *Cùm ceciderit* (scilicet iustus) *non collidetur*: Hieron. *non allidetur*: Felix: *Cùm cœperit cadere, non cadet*: Ambros. August. & alij: *non conturbabitur.* Quis verò est, qui cùm ceciderit, non tantùm non collidatur, sed nec etiam conturbetur, cum vel ipsa casus imaginatio causam conturbationis efficere soleat? Sed inde hoc ortum sit audiamus: *Quia Dominus supponit manum suam*; potentissimam vtique ad tuendum, & eripiendum iustum ab omni prorsus periculo, & conturbatione. Qua de re Bernard. Serm. 12. in Psalm. 90. ad fi. ait: Spirituales sunt manus istæ, & auxilia vtique spiritualia, quæ singulis electorum pro cuiusque discriminis modo obiectæ difficultatis tanquam lapideæ molis quantitate ab his, qui sibi deputati sunt Angelis spiritualiter, & multipliciter exhibentur, &c. Cùm ergo Deus soleat præsto adesse, & afflictionum acerbitatem multiplici auxilio, & fauore manuum suarum lenire, & minuere, paret immeritò conquestum fuisse Ezechiam de vi sibi illata, neque secundùm morem iustorum in doloribus adeò fuisse vociferatum.

Dan. 6. num. 21.

Dan. 6. num. 24.

Psal. 36. num. 14.

Quòd si gemitus, clamores, & lacrymæ Ezechiæ, atque etiam vis illa significat morbi dolorem, & ægritudinis acrimoniam, patientiam superare, & vires ad sustinendam, & portandam tantam angustiam, hac etiam in re proculdubio defuit Rex. Solet namque Deus statera sua librare supplicia, & afflictiones, quas cuique infligit, trutinare: qua ratione suauia, & leuia dicuntur mala, quæ à Deo proficiscuntur, quia præponderat vires nostras, auxiliáque diuina

diuina ærumnis, & laboribus, quibus à Deo premimur, qua ratione iugum Dei nobis impositum, leue, suaueque à Christo Domino prædicatur: sic enim videtur intelligendus Clem. Alexand. libr. 5. Stromat. ante med. cùm de distributiua iustitia, ita ait: Eorum, quæ à Moyse dicta sunt, de iustitia compendium fecit Pythagoras, dicens: stateram non esse transiliendam, hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus honorandam iu-
Matt. 11. num. 29. stitiam. Propterea Dominus, *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos, quoniam benignum est, & leue.* Hæc ille, cuius verba meliùs intelligentur ex eo, quod vox Græca & iugum, & stateram significat. Vnde quadam interpretandi licentia, non pro iugo, sed pro statera Clemens accepisse videtur. Atque interpres, qui Latinum nobis fecit Clem. Alexandrinum, si mentem eius tenuisset, propriùs, & germanius vertisset, tollite stateram meam super vos, quoniam benigna est, & leue onus. Quid tamen est, quod Clemens Dei iugum, de quo propriè loquutus est Christus Dominus, non pro iugo, sed pro statera, vt patet ex serie ipsius, filóque sermonis, accepit? Id enim non alia ratione factum esse existimo, quàm quia supplicia, pœnæ, & afflictiones, quæ ad edomandam, & emolliendam ceruicem nostram, tanquam iugum imponuntur, profectò leuia censenda sunt, & tanquam suauia libenter portanda, cùm Dei statera trutinata fuerint, & cum viribus nostris æqua lance librata, vt eas minimè excedant, imò leuiora sint, quæcumque acerba nobis à Deo imponuntur.

1. Cor. 10. num. 3. Vnde Paul. 1. Corinth. 10. ait: *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Quod sic exponit Ephræm Tract. de patient. in princip. in hunc modum. Non quantum vult malignus tentat, affligitque animam, non quippe Deus quantam subire possit probationem, atque tentationem anima, & tantam quoque permittit: modo ipsa tolleret ad finem vsque, ac non confundatur: sicut enim homines exiguo intellectu, ac mente præditi probare, & discernere norunt, quantum pondus, atque onus singula ferre queant animalia, veluti mulus aut camelus, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerent: & figulus vasa formans, nisi in fornacem ea immiserit, vt igni probata, solida, ac dura reddantur, humanis vsibus seruire nequeant: nouit autem quanto ea tempore oporteat in igne relinquere, donec vtilia efficiantur; neque vicissim ea minus in fornace relinquit, quàm necesse sit, ne dissoluantur, neminíque sint vsui. Si, inquam, in rebus corruptibilibus, & apparentibus tanta consideratione, atque cognitione præditi sunt homines: quantò magis Deus, qui incomprehensibilis est, & ineffabilis scientia, & intellectu, totus sapientia plenus, nouit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibúsque indigeant animæ, &c. Proinde ait Paul. *Non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed facit cum tentatione prouentum*; vbi Ambros. pro nostro argumento congruenter admodum ait: Tribulantibus aderit, nec patietur tantùm irrogari, quod tolerari non possit, sed faciet, vt aut citò cesset tentatio, aut si prolixa fuerit, det tolerandi virtutem, alioquin non dabit, quod promisit, quia vincetur, qui patitur. Quomodo à Deo adiuuatur, si tãtùm permittatur tentari, quantũ potest? Adiuuatur planè dum non plus permittitur ei imponi, quã scit ferre posse, vt quarto die pati non permittatur, qui scitur vltra non

 posse,

posse, quã triduo tolerare. Ita Ambr.

Quòd si adhuc consulamus Græcum textũ, profectò inueniemus pro eo, quod habemus *prouentum*, Græcè potiùs significari progressum, vt mẽs Pauli sit: Deus faciet, vt tentatio adeò vobis non obsit, vt cedat etiam in progressum, idest, in fortitudinis, virtutis, gratiæ, victoriæ, & gloriæ augmentum, vt magis in via virtutis progrediamini, & ad cœlum, & gloriam melius ascendatis. Ita Photius. Vnde & id quod sequitur, *vt possitis sustinere*, idem est Græcè, ac sustinere taliter, vt supersint adhuc vires ad sustinendum, si plus insuper imponeretur: itaque neque tantum ponderis Deus imponit, quod superet, & obruat vires nostras, imò & tunc trutina suæ iustitiæ ponderat ea, quæ grauia, & acerba apponit, leuiora vtique sunt quàm portare valeamus, insuper & tot confert auxilia, quæ leuiora reddant, & faciliora faciãt ea omnia, quibus nos premit, vt in maius meritum, & in meliorem gloriæ coronam cedãt, sicut ibi aduertit Corn. à lapid.

Vtrúmque verò adumbratũ video Threnor. 2. quòd scilicet & Deus expendat vires eorum, quos affligit, & quòd vires superaddat, opemq́ue, & auxilium tribuat pro assequẽdo profectu meritorum, & victoria comparanda, cùm sic ait: *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum.* Hebr. est: *Tetendit lineam*, sicq́ue legit Pagnin. Omnesq́ue ad mensuram supplicij deducunt; plagas enim, & afflictiones Deus metiri solet, non tantùm vt culpis respondeant, sed vt proportionem seruent, & commensurentur viribus, & potentia affligendorum. Vnde etiam in Scriptura supplicium à Deo illatum, pondus dici solet, libratum scilicet, & ponderatum iuxta mensuram virium sustinentium, vt patet ex 4. Regum 21. vbi sic habetur: *Extendam supra Hierusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Hierusalem*; vbi vides supplicium mensuratum dici, & ponderatum.

Thren. 2. num. 8.

4. Regum 21. n. 13.

Metitur itaque Deus, & ponderat vniuscuiusq; vires, & pro earum captu, & qualitate plagas, & supplicia infligit, quod pulchrè prosequitur Greg. hom. 13. super Ezech. post med. cùm interpretatur visionem illam ostensam Ezechieli, de qua statim nobis erit sermo; ponderat enim in templi, & Ecclesię ædificio quosdam lapides tundendos, & abscindendos tradi, quò superflua abiiciantur, alios verò integros, & sine læsione in ædificio Ecclesiæ collocari; quosdã enim homines, quorum virtus Deo probata est, torquendos tradit, alios, vt imperfectiones abscindãtur, tundi permittit, & percuti: alios verò, quorum minima patientia conflictus sustinere non posset, veluti integros admitti facit, sic verò habet Greg. In funiculo comentarij hoc agi solet, vt cognosci æqualitas, vel rectitudo surgentis parietis debeat, vt si lapis intus est, foras eiiciatur; & rursum quæ latère vult, & sui tantummodò curam gerere, si sibi ac multis esse vtilis potest, etiam cum latère desiderat, exterius producatur, vt appareat, sicq́ue fit, vt Sanctorum lapidum ordo teneatur, dum sæpe, & volens ad honorẽ venire repellitur, & honorem fugiens in sacri ordinis arce subleuatur. Habet ergo funiculum, habet in manu calamum mensuræ: qui enim funiculo locum metitur, alibi funiculum trahit, aliũde retrahit, & huc ducit, quem aliũde subducit. Sic nimirum, sic Redemptor noster in collectione hominum facit. In his enim, quos colligere dignatus est, occultæ mensuræ funiculum traxit, & ab his, quos derelinquendos esse iudicauit, quid aliud, nisi funiculum retraxit? Hunc funiculum, & mensuræ

cala

calamum in manu sua Redemptor noster tenuit, cùm Paulum Apostolum per apparentem virum Macedonem admonere dignatus est, ita vt idem Macedo vir diceret; *Transiens adiuua nos.* Actor. 16. Et tamen volentibus Apostolis ad prædicandum ire, non permisit Spiritus Iesu. Quid est, quod Sancti Apostoli, & ibi vocabantur ire, vbi fortasse pergere non cogitabant & illic; vbi desiderabant, pergere prohibebantur? Nisi quia occulti iudicij funiculus, & mẽsuræ calamus tenetur in manu. Sancto quoque Euangelio testante didicimus quòd venit, qui diceret. Luc. 9. *Sequar te quocumq; ieris:* cui responsum est: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Venit alter, qui diceret: *Magister sine me primùm ire, & sepelire patrem meum:* cui dicitur: *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem me sequere, & annuntia regnum Dei.* Quid est, quod ille promittit se ire & deseruit, iste nec ad horæ momentum ab obsequio relaxatur? Interno ergo, occultóque iudicio funiculus & mensuræ calamus dicitur, in quo & iste trahitur, & ille relinquitur, vt cœlestis fabrica non sine pio, & iusto examine construatur. Sic Gregor. probat quomodo Deus cuiusque ingenium ponderet, & examinet iusti iudicij sui trutina, & mensura, quo vocet, & aduocet, probet, & examinet, vel ab examine supersedeat, vnde cum, qui sese obtulit, quia non venerat animo renuntiandi omnibus, quæ habebat sicut oportebat fieri, nec subeundi labores à se non apertè repulit, sed ostendédam suam summam paupertatem, à qua ille longè aberat: illum verò, quem ad se vocauit, qui fortassis hæreditati paternæ se addicturus erat, facultatem nõ tribuit sepeliendi patrem, ne diuitiarum spinis in eo suffocaretur diuina vocatio ad Apostolatũ: is itaque Deus, qui vires nostras expendit, seséque illis pro iusto iudicio suo accõmodat, & cõmittit, dum supplicium infert veluti assumpto funiculo, mensuráque calami librata metitur quid quisque portare valeat, ne supra id quod potest, grauare, aut vim inferre videatur.

Actor. 16. à nu. 7.

Luc. 9. nu. 57.

Dum verò audimus illud, quod habetur apud Hierem. loco citato, *Tetendit funiculum suum,* quod hoc in loco idem est ac cæmentarij perpendiculũ, quo vtitur ad ædificandum, non ad destruendum Zachar. cap. 2. cùm sermo est de Hierosolymitana ciuitate reædificanda, de qua locum intelligo cum plerisque, quorũ nouissimus Sãctius mihi maximè probatur: sic ait Propheta. *Vidi, & ecce vir in manu eius funiculus dimensorum:* vbi citatus Auctor ait. Species hæc est ciuitatis struendæ, & habitus architectorum, qui vbi aliquid ex arte politum, ac firmũ molliri student, prius rem totã metantur, & diffiniunt. Et in eo sensu Ezechiel. c. 40. Ostensus est vir, *Cuius species erat quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius.* Quando igitur Deus destructurus Hierusalem signa ædificãtis assumit ostendit se ea mente, & intẽtione nobis inferre supplicia, pœnásque infligere, vt maius præmiũ per ærumnas assequamur, omniáque mala, quæ patimur, in cumulatiora cedant bona. Iam verò qui eo animo infligit vulnera, nunquam ad mortem perueniet, & qui vt vberiori præmio afficiat, filium verberat, nõn ad vltimũ, quod sustinere valet, perueniet.

Zacha. 2. nu. 1.

Ezechiel. 40. nu. 3.

Metitur itaque Deus vires nostras, potentiam expendit, virtutem librat, ne supra id, quod possumus, laborum onus imponat, ne põdere obruamur. Quod eleganti similitudine explicat Chrysost. homil. 4. ad popul. ad med. dicens: Qui tentationem permisit, ipse

ipſe nouit, & tentationis ſoluendæ tempus. Et ſicut Cytharædus, neque neruum intendit, vt non abrumpat, neque remittit, vltra modum, ne harmoniæ concentum lædat: ſic & Deus agit, neque in remiſſione continua, nec in longa tribulatione noſtram conſtituit animam, ſecundùm ſuam prudentiam vtrumque faciens: non ſinit enim nos continua potiri remiſſione, ne ſegniores fiamus: non autem rurſum ſinit in continua eſſe tribulatione, ne concidamus, nevè deſperemus. Neque ſemper hyems, neque ſemper æſtas, neque ſemper procella, neque ſemper tranquillitas, non ſemper nox, neque ſemper dies: ſic neque ſemper tribulatio; ſed erit remiſſio, ſi tantum in tribulatione Deo gratias ſemper agamus. Sic ille oſtendit quod Deus in inferendis, auferendiſque malis, quid nos poſſimus maximè attendat, & pro viribus, ac poteſtate noſtra afflictiones, & labores infligat, quod eleganter exponit Regius Vates, cùm dixit Pſalm. 10. his
Pſal. 10. nu. 6. verbis: *Pluet ſuper peccatores laqueos, ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum:* vbi ſermo eſt de ſuppliciis à Deo illatis hominibus delinquentibus; vt autem oſtendat Deum hac etiam in re vti menſura, proportione, & trutina; aſſumit metaphoram ab eo, qui præeſt conuiuio, & cuique partitur, proportionaliterque diſtribuit quod edat, & bibat, quem ſympoſiarchum, modiperatorem, ſtrategum, & magiſtrum conuiualem vocant, ad quod videtur alluſiſſe Chriſtus Dominus. Luc.
Luc. 22. nu. 17. 22. cùm dixit: *Accipite, & diuidite inter vos:* Qua de re videndus eſt Plutarch. in ſympoſiacis: & in hoc ſenſu vult Dauid oſtendere Deum ita ſe habere in inferendis ſuppliciis, maliſque irrogandis hominibus, vt cuique pro menſura tantum diſtribuat, & conferat, quantum conſpexerit poſſe ipſum ſuſtinere, ne fortè doloris calice inebrietur, & in deſperationem incidat, poſsitque meritò de diuina iuſtitia conqueri, quod plus porrigat de amaro calice, quam ipſe ſuſtinere valeat.

Vel etiam vtitur Dauid metaphora ſumpta ab hæreditate, cuius portiones in calice iniiciebantur, & ſortito inde extrahebantur, vt ea pars remaneret illi, cui obtigerit. Vnde perditus filius portionem ſubſtantiæ ſibi contingentem, à patre poſtulabat. Luc. 15. Et quidam impij Luc. 15. nu. 12.
dicuntur partes vulpium eſſe. Pſalm. Pſal. 62. nu. 11.
62. Partemque habere cum hypocritis; è contrario dicitur pars Domini eſſe populus eius Deut. 32. vbi Deut. 32. nu. 9.
nos multa hac de re diximus. Hoc igitur in loco pars calicis ſupplicium denotat rectè libratum, & expenſum, vt proportionem habeat cum puniendis, corúmque vires minimè ſuperet, ſicut neque culpas excedit, cùm neque illis coæquetur, & ſemper citra remaneant. Sic verè habet Auguſtin. pro re præſenti ad dicta verba Pſalm. calicem autem propterea puto appellatum, nequid præter modum, atque menſuram, vel in ipſis peccatorum ſuppliciis per diuinam prouidentiam fieri arbitremur; & ideo tanquam rationem reddens quare id fiat, ſubiacet: *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* Sic ille oſtendit quomodo pro pondere, & menſura non ſolùm culparum, ſed etiam virium noſtrarum, & ad noſtram imbecillitatem accommodata nobis inferat Deus mala.

Aduertit autem acutè, pariter & eleganter Auguſt. nomen calicis hoc in loco poſitũ, non tantũ eam menſuram denotare, de qua hucuſque diximus; ſed inſuper indicare interna ſolatia ad cœleſtes conſolatio-

nes,

nes, quibus misericors Deus acerbitatem afflictionum iustis suis condire solet, adhibendo scilicet, & miscendo internos fauores, & spirituale gaudium de calice illo tam præclaro, & inebriante, quo Deus amicos suos potabit in gloria: vt non iam acerbæ videatur ærumnæ à Deo porrectæ, sed dulces, non amaræ afflictiones, sed suaues, vtpote quæ conditæ sint infusione calicis suauissimi: cùm tamen supplicia reproborum infelicissima prorsus, & omni penitus consolatione sint destituta. Hæc est, inquit ille, pars calicis eorum, scilicet impiorum, & damnandorum, sicut iustorum calix tuus inebrians, quàm præclarus est. Psalm. 22. *Inebriabuntur*, enim, *ab vbertate domus tuæ*. Psalm. 35. Habemus igitur ex hoc loco & mensurata esse Dei supplicia, & expensa non solùm cum eo, quod meremur, sed etiam quod possumus. Deinde etiam & amaritudinem pœnarum, quæ à Deo nobis proueniunt, dulcoratam esse per infusionem calicis Dei præclarissimi, & dulcissimi.

Psal. 22. nu. 5. Psal. 35. nu. 9.

Hinc est quod Eliphas ad Iobum afflictum ait. c. 5. *Ipse* (scilicet Deus) *vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt*. hoc sanè mirabile est, quod Deus percutiendo sanet, & vulnerando medeatur, & dolorem inferendo solatium tribuat, gaudiáque immisceat; huius tamen rationem habemus. 2. Machab. 6. vbi dicitur: *Nunquam Deus à nobis misericordiam suam amouet; corripiens verò in aduersis populum suum non derelinquit*. Addit verò idem Eliphas: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septimo non tanget te malum*; quorum verborum facilis sensus est (omissis aliis, quæ ibi Recentiores congerunt) etsi Deus permittat multas tribulationes tibi accidere, ab omnibus te eripiet, siue sex, siue septem fuerint, hoc est, siue pauciores, siue p[...]mæ fuerint, tandem ab omnibus te Deus liberabit, & incolumé seruabit. Vsurpat autem modum finitum pro infinito, & incepto, quemadmodum sæpe aliàs vsurpare consueuit Scriptura, sicut docet R. Moyses lib. 2. Perplexorum, cap. 30. Sex enim, vel septem pro omnibus, quæ homini accidere possunt, accipit: Ita ex Græcis Policron. ex Latinis Lyran. Vatabl. & Brixian.

Iob 5. nu. 18. 2. Mach. 6. nu. 16.

Ad eundémque ferè sensum August. 11. de Ciuit. cap. 31. accipit eum locum. Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus, & resurgit*; idest, quoties in tribulationem inciderit, non peribit, neque demergetur, Dei enim fauore, ac beneficio facile periculũ euadet. Septies igitur accipitur pro multitudine, seu vniuersitate. Leuit. 26. *Percutiam vos septies propter peccata vestra*, idest, multis vicibus, & modis, & Isai. 7. *Septem mulieres*, pro multæ, & plurimæ, & 1. Reg. 2. vbi nos habemus; *Sterilis peperit plurimos*, LXX. iuxta Hebr. & Chaldæum, *Peperit septem*, & Regius Psaltes, Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*, idest, frequenter, & sæpè quotidie te laudare soleo. Deinde subdit, *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij*: quibus in verbis, sicut aduertit Gregor. 6. mor. cap. 15. aptissimè comprehendit, & enumerat præcipua pericula præsentis vitæ, ac pariter adiutoria, seu beneficia Dei. Deus enim, inquit, Origen. ibi, suos à periculis omnibus, & malis liberat. *In vastitate, & fame ridebis*, pro exultabis, atque gaudebis, & lętus eris, sicut exponit Hieronym. quem sequitur Philip. presbyter. Tot enim aderunt in terra consolationes, vt ipsa etiam, quæ hominibus amarissima esse solent, ridendo, & gaudendo sustineas. Crudelissimos inter homines, qui terrori aliis esse solent, minimè formidabis:

Prou. 24. nu. 16. Leuit. 26. nu. 34. Isai. 7. nu. 1. 1. Reg. 2. nu. 5. Ps. 118. nu. 164.

bis sic enim intelligenda sunt verba illa; *Et bestias terræ non formidabis:* quod etiam verum habuit in Paul. 1.Corinth.15.cùm ait: *Secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi,* prout explicant Chrysost. Anselm. Theophylact. Oecumen. D.Thom.& Tertull. vel vt exponit Origen. non solùm hostes tibi subiicientur, sed agri etiam bestiæ, si in solitudine verseris, non solùm tibi non nocebunt, verumetiam pacta tecum inibunt, & te vt dominum suum colent. Tale enim quiddam in Daniele olim Deus ostendit in Babylonia. Ita Origen. *Sed cum lapidibus regionum erit habitatio tua*; quasi dicat, imò lapides ipsi non lædent te, nihil enim est, quod Dei electis nocere possit, non lapides, non terra, non bestiæ, non homines; videtúrque ex hoc loco allusio ad Psalm. 90. indéque descriptus, sicut post alios aduertit Pined. Vnde sicut ibi dicitur nu.12. *In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedẽ tuum,* sic planus sensus, & facilis horum verborum Eliphas esse videtur: nec ad lapidem quidem pedem tuum, vel leuiter offendes; neque enim permittet Deus, non dico, vt grauis aliqua tribulatio, & calamitas, sed ne leuis te tangat angustia; sic enim tecum aget interiùs mouendo, vt nec etiam doleas percussus, sed veluti videaris illæsus, & incolumis, ac seruatus, quasi nec leuiter tactu lapidis tangereris; hoc enim videntur sonare ea, quæ sequuntur in sacro Textu. Cùm ergo hæc ita se habeant, quod Deus non tam grauiter sinat seruos suos premi, & affligi; interiùs fouendo, & exterius custodiendo, immeritò videtur Ezechias conqueri, & vociferari, maximámque sibi vim à malo illatam proclamare.

1.Cor.15. nu.32.

Psal. 90. nu.12.

Mirum item est, quod tam ægrè ferat Ezechias morbi dolores, cum simul dicat intentos in cœlum oculos habere; huiusmodi enim aspectus, & contemplatio, recordatióque posset innuere, quod morbi acerbitas ei proficeret ad cœli coronam præparatam: poterat item dolores minuere, & emollire, quandoquidem & externus etiam cœli aspectus mirificè solet animum recreare. Delectabatur quidem August. simul cum matre cœlum contuens aliquando; sic enim habet lib. 9. Confess. cap. 10. Alloquebamur soli valdè dulciter de cœlesti patria; inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis tui, vt inde pro captu nostro aspersi quoquo modo rem tantam cogitaremus, & dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modicè toto ictu cordis; & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus. Sic ille proponit quantam lætitiam, & solatium afferat vel ipse cœli aspectus. Qua etiam de re audiendus est Cyprian. tract. ad Demetriad. post med. vbi ait. Rectum te Deus fecit, & cùm cætera animalia prona sint, tibi sublimis status ad cœlum, atque ad Deum tuum vultus erectus est. Illuc intuere, illuc oculos tuos dirige, in supernis Deum quære. Vt carere inferis possis, ad alta, & cœlestia suspectum pectus attolle. Sublimitatem serua, qua natus es: cum statu oris, & corporis animum tuum statue.

Et quod cœli aspectus, & contemplatio animum refouere possit, proindéque Ezechias dũ cœlum attendit, maximum inde dolorum leuamen accipere potuerit, probat illa antiquorum sententia, quam etsi Ambr. rideat, ad saniorem reductam sensum in nostrum argumentum aptè possumus conuertere. Eius igitur meminit Ambros. 2. Examer. cap. 3. dicens philosophos extitisse, qui affirmauerint impulsu, & motu cœlestium

cœlestium orbiũ dulcem quendam, & plenum suauitatis atque artis, & gratissimi modulaminis sonum reddi vt omnem supergrediatur musici carminis suauitatem: quod si testimonio nostro, & auditus munere exigamus probari hunc cœlorum concentum, referunt obsorduisse aures nostras, & hebetiorem nobis sensum audiendi factum propter illam à principio nostræ generationis concepti sonitus consuetudinem, & exemplum afferunt, eò quòd Nilus fluuiorum maximus eo videlicet loco, vbi se ex altissimis montibus in Cathadupa illa præcipitat magnitudine frangoris sui aures accolarum obstruat, vt audiendi munere carere dicantur: Addunt præterea ideò sonum hunc non peruenire ad terras, ne capti homines per suauitatẽ eius, atque dulcedinem, quam celerrimus ille cœlorum efficit motus, propria negotia, atque opera derelinquerent, & omnia hic otiosa remanerẽt quodam humanæ ad cœlestem sonum mentis excessu. Hæc Ambros. Et Philo libr. de Somniis, non longè à principio, ait: Cœlum perpetuo concentu, suorum motuum reddit harmoniam suauissimam, quæ si posset ad nostras aures peruenire, in nobis incitaret impotentes amores, & insanum desiderium, quo stimulati rerum ad victum necessariarum obliuiscerentur, non pasti cibo, potúque per fauces demisso, sed quemadmodum immortalitatis candidati consumatæ musicæ diuinis cantibus, quales inde Moyses extra corpus raptus audiuisse fertur per quadraginta dies, totidémque noctes nec panem, nec aquam gustasse. Itaque cœlum instrumentum musicæ archetypum videtur mihi, non propter alia sic elaboratum, quàm vt rerum Patris hymni scitè decantentur, & musicè. Sic ille concentum cœli describit, qui animos audientium oblectare admodum posset. Quę sententia Platonica, vel Pythagorica videtur, eáque ratione verum habet, quòd qui ad cœlum oculos mentis eleuat, animumque erigit, ordinem & distributionem mansionum, concordiam viarum sanctarum cum diuersitate coronarum recolit, non poterit non admirari diuinam iustitiam in distributione, misericordiam, & bonitatem in largienda gratia, qua homines ad tantam fœlicitatem peruenêre, diuinam item liberalitatem, & affluentiam in præmiando vltra condignum, cúmque totius supernæ Hierusalem concentum cogitauerit, maiorem profectò percipiet dulcedinem, quàm qualibet alia harmonia vnquam possit accipi. Cùm item perspexerit ad cœlestes honores non nisi per labores perueniri, magnam delectationem percipiet, dum se ærumnis oppressum, & laboribus afflictatum viderit, dumque mente versauerit quæ intra cœlum recluduntur bona, quæ per afflictiones sperat, externo etiam cœli aspectu mirificè recreabitur, verum etenim habet, quod *Cœli enarrent gloriam Dei*. quę verba expendens Chrysost. homil. 9. ad popul. ait: Dic mihi quomodo narrant gloriam Dei cœli; vocem non habent, os non possident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Et respondens ait: per ipsum aspectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam, tãquam vocem audiens adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit. Tacet cœlum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures docens. Sic ille ostendit quomodo qui in cœlum oculos intendit, intuetur Dei gloriam mala omnia nostra mitigantem.

Clariùs hac de re Tertull. libr. ad Mart. cap. 2. in fine ait: Vagare ſpiritu, ſpatiare ſpiritu, & non ſtadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, ſed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties eam ſpiritu deambulaueris, toties in carcere non eris. Nihil crus ſentit in neruo, cùm animus in cælo eſt. Totum hominem animus circumfert, & quò velit trãſfert. Vbi autem erit cor tuum, ibi erit & theſaurus tuus. Ibi ergo ſit cor noſtrum, vbi volumus habere theſaurum. Sic ille oſtendit, quomodo cœlorum conſpectu, contemplatione, & appetitione æquanimiter perferendæ eſſent vinculorum, ergaſtulorúmque moleſtiæ.

In quam ſententiam etiam facit Aug. cùm explicat illud Pſalm. 121. *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.* Vbi ita habet: Cogita qualis ibi futurus ſis, & quamuis adhuc in via ſis, hoc tibi pone ante oculos, quaſi ibi ſtes, quaſi iam inter Angelos indeficiens gaudeas. Ita Auguſt. Quòd ſi cœli conſpectus afflictis animis tãtùm valet ad ſolatium, & ad cuiuſque afflictionis leuamen, dum attentos in cælum oculos tamdiu habuiſſe Ezechias fatetur, hoc ipſi debuit inſeruire, ne tantam mæſtitiam in ægritudine pateretur, ne tot gemitus ederet, & veluti impatiens vociferaretur.

Pſal. 121. num. 2.

Mira equidem ſunt, & myſteriis hucuſque inexhauſta, quæ 1. cap. ſuarum viſionum Ezechiel refert: illud tamen notatu digniſſimum, quod ipſe ait, num. 22. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, &c.* Itaque cœlum ipſum ſtellis diſtinctum animalium capitibus imminebat; indeque ortum videbatur quod animalia citatiſſimo curſu quocumque ſpiritus dirigeret, veluti fulgura diſcurrebant: ſiue per terram, ſiue per maria, omnia expeditiſſimè conculcabant, & ſuper ea libero vagabantur pede. Nam quicumque cœlum capite gerit, mentemque ad ſuperna erigit, & futura bona ſperat, contemplatur, & cogitatione verſat, facili negotio quæcumque acerba, & amara ſunt conculcat, quæ fœlicia, & proſpera deſpicit. Verùm enim habet illud Auguſt. 13. confeſſ. cap. 9. Amor illuc attollit nos, & Spiritus Domini exaltat: pondus meum amor meus, eò feror, quocumque feror: dono tuo Domine accendimur, & ſurſum ferimur: inardeſcimus, & aſcendimus ad pacem Hieruſalem in domum Domini. Et lib. de bono Viduitatis, cap. 21. Nullo modo ſunt oneroſi labores amantium: in eo enim, quod amatur, aut non laboratur, aut labor ipſe amatur.

Ezech. 1. num. 22.

Eleuatus itaque homo cœlorum conſpectu, deſiderio, & expectatione ſupernorum bonorum, minimè in inferiorib. detinetur, aut ab eis vim, & violentiam patitur, ſicut de ſe fatetur Ezechias, qui ſe verè oculos ad cœlum ſimul cum animo attolleret, doloris, & cruciatus morbi facili negotio ſuperaret, & cõtemneret; inde enim eſt, quod Cyprian. lib. ad Demetrian. poſt med. loquens de communibus plagis, quibus tunc temporis totus penè obruebatur orbis, ait ad Idololatras. Non cõſternamur aduerſis, nec frangimur, nec dolemus, neque in vlla aut rerum clade, aut corporum valetudine muſſitamus, ſpiritu magis, quàm carne viuentes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipſa, quæ nos cruciant, & fatigant, probari, & corroborari nos ſcimus, & confidimus. Putatis nos aduerſa nobiſcum æqualiter perpeti, cùm eadem aduerſa videatis à nobis, & à vobis non æqualiter ſuſtineri? Apud vos impatientia clamoroſa ſemper, & querula eſt; apud nos fortis, & religioſa patiẽtia,

quieta semper, & semper in Deum grata est, nec quicumque isti lætum aut prosperum sibi vendicat, sed mitis, & lenis contra omnes fluctuantis mundi turbines stabilis diuinæ pollicitationis tempus expectat. Non ergo idcirco cópares vobis, & æquales sumus, quia in isto adhuc mundo, & carne constituti, mundi, & carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus. Nam cùm in sensu doloris sit omne, quod punit, manifestum est eum non esse participem pœnę tuæ, quem videas tecum æqualiter non dolere. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas sæuientis ruinas erecta mens, & immobilis virtus, & nunquam nisi læta patientia, & de Deo suo semper anima secura, sicut per Prophetam Spiritus sanctus loquitur, & hortatur, spei, ac fidei nostræ firmitatem cœlesti voce corroborans. *Ficus (inquit Abac.3.) non afferet fructum, & non erit generatio in vineis. Mentietur opus oliuæ, & campi non præstabunt frumento. Deficient ab stabulo oues, & non erunt in præsepibus boues. Ego autem in Domino exultabo, & gaudebo in Deo salutari meo.* Dei hominem, & cultoré, Dei subnixum spei veritate, & fidei stabilitate fundatum negat mundi huius, & sęculi infestationibus commoueri. Vinea licèt fallat, & doleat, decipiat, & herbis siccitatum dormientibus æstuans campus arescat, quid hoc ad Christianos, quid ad Dei seruos, quos paradisus inuitat, quos gratia omnes, & copia regni cœlestis expectat? Exultant semper in Domino, & lætantur, & gaudent in Deo suo; & mala, atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum bona, & prospera futura prospectant. Nam qui exposita natiuitate terrena spiritu recreati, & renati sumus, nec iam mundo, sed Deo viuimus, non nisi cùm ad Deum venerimus, munera, & promissa excipiemus, &c.

Abac. 3. num. 17.

In hoc tamen sensu veniunt in commendationem gemitus, & lacrymæ, vocesque huius Regis, quod à Domino percussus, minimè obduratus, obstinatúsque est redditus, sicut euenire solet peruicacibus, & perfricatę frontis peccatoribus, quales profectò erant Solymitani ciues, qui percussi à vicinis gentibus Syris videlicet, & Samaritis sub Achaz, deinde ab Assyriis, postea grauiùs ab Ægyptiis non tamen doluerunt, neque emollierunt obduratum animum, neque his, aliísque incommodis attriti voluerunt accipere Dei disciplinam; ideóque de eis dicitur Hierem.5. *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas super petram, & noluerunt reuerti.* Vbi Hieronym. aduertit ex hoc loco constare quid Dominus velit, cùm punit, nimirum vt iam spinis obsepiat peccatorum, quo ipse compunctus, & dolens, gradum cohibeat, & reuocet, ad Dominumque reuertatur: quapropter ij, qui nullatenus dolent, neque verberibus compunguntur, flagella potiùs sustinent, vt iam in hac vita initia sint tormentorum. Quæ in æternum patientur, quàm medela vt corrigantur, sicut bene interpretatur hunc locum Hieremiæ Gregor. 18. moral. cap. 13. ante med. vbi ait: Hoc semper electi prouident, vt ante ad iustitiam redeant, quàm se ira Iudicis inextinguibiliter accendat, ne vltimo flagello deprehensis simul eis finiatur vita cum culpa; flagellum namque tunc diluet culpam, cùm mutauerit vitam. Nam cuius mores non mutat, non expiat actiones. Omnis enim diuina percussio, aut purgatio in nobis vitæ præsentis est, aut initium pœnæ sequentis. Propter eos enim, qui ex flagello proficiunt, dictum est:

Hierem. 5. nu. 3.

Psal. 93. num. 21. est: *Qui fingis dolorem in præcepto* Psal. 93. quia dum flagellatur iniquus, & corrigitur: Audire præceptum noluit, audit dolorem. Dolor ergo in præcepto fingitur ei, qui à malis operibus, quasi præcepti vice, dolore cohibetur. De iis verò, quos damnant flagella, & non liberant, dicitur: *Percussisti eos, nec doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* His flagella ab hac vita inchoant, & in æterna percussione perdurant. Sic ille ostendit quomodo nonnulli percussi in bonum doleant, & emendati reuertantur ad Deum. Alij verò etiamsi tundantur, calamitatibus, minimè resipiscant, etsi percutiantur nullatenus doleant, nec reuertantur ad percutientem se, sicut dixit Isai. 9.

Isai. 9. num. 13. Quòd si aliquando corpus dolet, animus minimè frangitur, vel si actu frangitur, id tanquam duro, & indocili saxo contingit, quod frangitur, sed impolitum manet, & rude, cùm non obsequitur diuinæ disciplinæ, neque ex eo artifex tundendo aliud quidpiam referat, quam crepitus, & quasi scintillas, quæ in ipsius oculos è saxo dissultant. Vel ad minus similes sunt Balaam. Num. 22.

Num. 22. num. 29. Corpus enim eorum, velut asina, dolet, ipse verò Balaam, hoc est animus, infractus, & obduratus ad impietatem progreditur. Qua de re videndus Cyprian. tract. 1. contra Demetrian. non longè à principio, vbi citatum Hierem. locum affert, simúlque alium locum adducit, petitum ex 2. cap. eiusdem Prophetæ, num. 30. cùm Deus conqueritur de duritie illius populi, dicens: *Frustra percussi*

Hiere. 2. num. 30. *filios vestros, disciplinam non receperunt.* Postquam igitur Cyprian. enumerat grauissimas plagas, quibus tunc temporis totus ferè orbis terrarum affligebatur, ait: Cùm omnia ista peccatis prouocantibus veniant, & plus exacerbetur Deus, quando nihil talia, & tanta proficiant? Fieri enim ista licet ad disciplinam contumacium vel pœnam malorum declarat in sanctis Scripturis idem Deus dicens: *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt*; & Propheta deuotus, ac dicatus Deo ad hæc eadem respondet, & dicit: *Verberasti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, nec voluerunt credere, nec accipere disciplinam.* Huc irrogantur diuinitus plagæ, & nullus Dei metus est. Huc verbera desuper, & flagella non desunt, & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid si non intercederet rebus humanis, vel ista censura, quanto adhuc maior in omnibus esset audacia facinorum impunitate secuta? Sic ille ostendit quomodo impij, veluti insensibiles facti nec doleant ad inflictionem plagarum, vnde nec eis compunguntur, vt resipiscant; & sanè cùm ipsi mortui sint, quod attinet ad spiritualem vitam videntur corpus mortuum secum deferre, proindéque velut cadauera non dolent, vt conuertantur. Quod bene prosequitur Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel, cap. 9. post med. dicens: Impij etiamsi videantur viuere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam, sicut tumulum, circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam: Quid enim aliud est, quàm sepulta, quæ intra humum voluitur? Ita Ambros. Cùm ergo impij emortuam habeant carnem, & defunctum deferant corpus, inde est, quod à Deo puniti, nec dolent, nec in melius conuertuntur, proinde dum Ezechias tam acerbè dolet, & lacrymatur, ostendit non esse è numero eorum, quibus inflictæ plagæ minimè proficiunt ad medelam.

Sic verò ea mente in excelsum respiciebat, vt inde præstolaretur auxilium

xilium à Messia Seruatore, quem præ omnibus ipse exoptabat, sicut superiùs sumus prosequuti, profectò hæc etiam cogitatio posset ægrotantem lenire; & dolorum ardorem, & acerbitatem quàm citissimè temperare. Pro qua re obseruandus occurrit locus apud Anastas. Synaït. lib. 1. Anagogicarum contempl. in Genes. ante med. vbi de Incarnatione Verbi Domini interpretatur illud exordium.
Genes. 1. nu. 1. Genes. *In principio creauit Deus cœlũ, & terram.* Sic verò ille habet. *Dixit Deus fiat lux*, hæc est Christus, vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; fiat, scilicet veniat ad generationem, effingatur, & corporetur. Vt autem tibi ostenderet magis quam omnia esse necessariam Verbi incarnationem, & propter eam facta esse omnia, sine qua vana sunt, & inania, peccato effecta inutilia, & ad nihilum redeuntia; statim ab initio Scripturæ, & ipsis prooemiis illam tibi tradidit, dicens: *In principio creauit Deus cœlũ, & terram*, seu fecit in principio tẽporali, seu placuit ei, vt fieret cœlum tanquam Deus, & terram propter Iesum hominem. Quando autem ei placuit hæc creatio? Quando cœpit producere sensibilia, non autem ea, quæ cadunt sub intelligentiam. Sciebat enim fore, vt hæc illa parerentur, & malè afficerentur, & corrumperentur à peccato Adæ, & sua benignitate, & clementia præuenit mali, quod passurus, incursionẽ, ante affectionem & vitium, parans remedium. Sic ille ostẽdit ipsa etiam insensibilia audita Verbi incarnatione veluti solatium percepisse, dum damno per peccatum afficerentur.

In quam etiam sententiam facit id, quod obseruat D. Thom. ad illud Apocal. c. 5. vbi Christus Dominus
Apoc. 5. nu. 5. dicitur, *Radix Dauid.* Putat enim ea ratione dici Dauidis radicem, quòd multo antequam nasceretur in terris, creditus tantùm, & speratus, antiquis Patribus gratiam, & bona omnia ministrabat ad eum modum, quo radix humorem, & nutrimentum trunco, ramisque ministrare solet. Si igitur in sensibilibus rebus remedium, & medelam attulit tam antiqua diuinæ Incarnationis memoria, & repræsentatio, vt eadem voluerit Deus passuris, & malè afficiendis rebus occurrere & mederi. Si item hominibus radix erat, quæ credentibus, & sperantibus omne bonum administrabat; mirum sanè si tam doleat, & lacrymetur Ezechias, dum oculos ad cœlum eleuat, vnde iuxta diuinas promissiones certò sciebat venturum Filium Dei omnium infirmitatum, & dolorum verum, & efficacem medicum, ac curatorem.

Vel etiam ea mẽte oculos ad venturum Christum eleuãs debuit consolari, quod ipse etiam Filius Dei in carne felle prius potatus est, quàm mellis fauum gustaret. Quod etiam dixit Petrus 1. Epist. cap. 1. loquens 1. Petr. 1.
de antiquis Patribus. *Scrutantes in* nu. 11.
quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. Vbi Interlinealis ait. Posteriores glorias, idest, post passiones, priùs enim quàm in gloriam suam intraret, oportuit ipsum pati, quod etiam decreuit in hominibus, vt nonnisi post labores, & certamina coronatẽtur, quod benè prosequitur Aug. in Ps. 127. ad illa verba. *Labores manuũ* Ps. 127.
tuarum quia manducabis beatus es. Vbi nu. 2.
LXX. transtulerunt. *Labores fructuum tuorũ manducabis, beatus eris, &c.* Ait ergo Aug. Enarratione in dictum Ps. in med. Quasi peruersè videtur dicere nõ intelligẽtibus, debuit enim dicere, fructum laborũ tuorum mãducabis. Multi enim mãducant fructum laborum suorum, laborant in vinea,

 ipsum

ipsum laborem non manducant, sed quod de labore ipsorũ nascitur, hoc manducant. Laborant circa arbores pomiferas, quis manducet labores? Nemo, inquam, sed quod ipsæ arbores attulerint: fructus laboris, & ipse iucundat agricolam. Quid sibi vult, labores fructuum tuorum manducabis? Modò labores habemus, fructus postea erit. Sed quia & ipsi labores non sunt sine gaudio præter spem, de qua dicitur: *Spe gaudentes in*
Rom. 12. nu. 12. *tribulatione patientes.* Roman. 12. Modò nos ipsi labores iucundant, & lætos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potest iucundare, & manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores suos, qui
Ps. 125. nu. 6. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.* Psalm. 125. Quantò iucundiùs manducabunt fructus laborum, qui venientes venient portantes manipulos suos? Audistis dictum superbis, qui ante Deum volebant surgere, idest, ante Christum, non per humilitatem, qua surrexit Christus, dictum est illis; *Surgite postea quam sederitis*, idest, humiliamini, & inde surgite, quia & ille humiliari venit, qui exaltatus est propter vos. Sic Augustin. docuit nos exemplo Dei prius patientis, deinde ad gloriam, & immortalitatem resurgentis, in laboribus iucundari, & exultare, tum quia ad coronam non peruenitur nisi per meritum, neque ad fructum nisi per labores, tum quia ipsa spes gloriæ nobis per Christi passionem promeritę, & per passiones nostras comparatæ ipsos labores iucundos reddit. Vnde idem Augustin. citato loco præmisit. Sæculi homines infeliciter felices sunt. Martyres autem feliciter infelices. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices. Videnda item sunt in hanc sen-
Isai. 66. nu. 10. tentiam, quæ habet Hieronym. ad illud Isai. 66. *Lætamini cum Hierusalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugetis super eam:* vbi docet eos gauisuros esse cum cœlesti Hierusalem reædificata, qui cum eadem in terra destructa passi sunt, & luxerunt; sic enim diuinæ prouidentiæ ordo exigit, vt ad cœlestia gaudia per labores, & lacrymas perueniatur: quod etiam in filio Dei Christo Domino verum habuit, proindéque Ezechias, qui oculos ad venturum Christum intentos habebat, hoc etiam debuit aduertere, oportere scilicet conformẽ fieri imagini filij Dei exantlantis priùs labores, peruenię̃tis postea ad coronam, & triumphum.

ANNOTATIO II.

Cur Deus tandiu distulerit audire Ezechiam.

NOn est hoc in loco omittendum, quòd tandiu Ezechias, & clamasse, gemitúsque edidisse asserat; & oculos defixos habuisse in cœlo, quasi & Deus longè distaret, cùm vbique adsit, & minimè clamantem audiret, qui vel præparationem cordis audit; quod benè ostendit Chrysost. homil. 55. in Matt. post med. dicens. Militamus non sub illis, qui longè absunt, sed sub illo, qui propè adest. Mortales enim Imperatores non omnes in prętorio, & ad latus suum esse patiuntur. At verò cœlestis omnes propè suam regiam sedẽ esse desiderat. Et quomodo fieri potest, inquies, cœlesti assistere sedi quempiã, cùm in terris cõuersemur? Quia & Paulus cũ in terris esset, vbi Seraphin sunt, ibi cõuersabatur, propius Christo assistens, quàm hastati, & stipatores isti Regi suo assistant. Quare si voluerimus, nos quoque proculdubio poterimus: nam si locorum interuallo disiuncti essemus,

non iniuria illud obiectum esset. Si verò vbique Rex noster est; studenti, atque attento proximus adest, ideo quoque Propheta dicebat Psal. 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et ipse rursum Deus. Hierem. 23. *Deus appropinquans ego sum, & non Deus à longè.* Quare quemadmodum peccata nos ab illo disiungunt, sic virtus nos illi conglutinat. *Adhuc enim te loquente*, ait, *dicet: Ecce adsum.* Isai. 59. Quis enim parens adeò fuit paratus, & erectis continuè auribus adstans, nequando à filiis suis vocaretur? Nemo profectò, non pater, non mater: Deus autem paratus continuè ad suorum vocem seruorum est, nec vnquam, vt oportet, vocatus, obaudiuit. Hac de causa dicit. Adhuc te loquente non expecto, vt orationem finias, sed confestim, cùm incipias, exaudio. Vocemus ergo ipsum, vt vocari desiderat. Quomodo autem vocari vult? *Solue*, ait, *omne vinculum iniustitiæ, dissolue obligationes violentarum cautionum, omnem scripturam iniquam conscinde: Frange panem tuum esurienti, & pauperes, qui sine tecto sunt, in domum tuam inducas; si videris nudum, indue ipsum, & domesticos seminis tui ne despexeris, Tunc erumpet matutinale lumen tuum, & sanitates tuæ tibi orientur, & præibit ante te iustitia tua, & gloria Dei circumamiciet te. Tunc inuocabis me, & ego exaudiam te: Adhuc te loquente, dicam; Adsum.* Et primùm illud videamus, cur non apparebit, inquit, sed erumpet? Vt velocitatem, & copiam dantis exprimeret: vtque hoc verbo intelligamus valdè illum nostræ salutis cupidum esse, quódque muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit, cùm nihil sit, quod ineffabilem eius impetum prohibere possit. Nihil aliud hoc te nomine docet, nisi vt scias,

Psal. 22. nu. 4.
Hier. 23. nu. 23.
Isai. 59. nu. 9.

quòd non posteaquam periculum tentando fecerit, neque postquam afflictiones inuaserint modò, verùm etiam antea præuenire solet. Nam quemadmodum in frugibus matutinalia, quæ citiùs, quàm spetauimus, in maturitatem peruenerunt, appellare soliti sumus: eodem hic sanè pacto, quod, vel ante tempus nobis illuceat, matutinale nuncupauit: quale illud etiam est: Adhuc te loquente, dicam; Ecce adsum. Sic ille demonstrat quàm citissimè nobis orantibus præsto sit, vt exaudiat, qui vbique exauditurus adest; vt constat ex oratione Ionæ in ventre Ceti: de qua miratur Tertullian. lib. de Resurrect. Carnis, cap. 58. quod tam citò exaudita sit Ionæ 2. vbi Theodoret. nomine ipsius Prophetæ ait: Ego, qui quondam tantùm Hierosolymis, Deum cum Prophetis se communicare arbitrabar, eum in ventre Ceti præsentem inueni, & precationibus adhibitis ab eo misericordiam consecutus sum. Similia habet Theophylact. Videndúsque erit Augustin. lib. de Ordine, cap. 8. & Serm. 130. & lib. 1. Demonstrat. Euangelicæ, cap. 1. & 6. & lib. 1. Contra aduersarium legis, & Prophetar. cap. 18. & 19. Præclaráque sunt apud Chrysostom. homil. 79. ad Popul. in med. cùm ait: Etsi non mouens labia, sed mente clamans, ora: nam & tacentes Deus exaudit, non est quærendus locus. Hieremias erat in cœno, & Deum exorauit. Et Iob erat in stercore, & Deum reddidit propitium. Ionas in ventre Ceti, & facilem habuit: licèt in balneo sis, ora, vbicumque sis, ora. Templum es, ne locum quæras. Et tu igitur, cùm ingruerit tentatio, ad Deum confuge, Dominum inuoca. Nunquid enim est homo, vt locum petas?

Ionæ 2. nu. 3.

Deus enim ſemper prope eſt. Adhuc enim loquente te, dicam; Ecce adſum. Nondum orationem feciſti, & ipſe medicinam affert. Si mentem namque mundam habeas ab immundis moribus, licèt in foro ſis, ſiue in via, ſiue in foro conſtitutus, ſiue in mari, ſiue in diuerſorio, ſiue in officina poſitus, ſiue ſis vbicumque, Deo poteris inuocato, petitionem obtinere, &c.

Quid ergo eſt, quod Deus, qui præſens eſt omni loco, cui vbique nos exauditurus prę̨ſto eſt, Ezechiam clamantem in mortali morbo non audit, & deficientes penè oculos in cœlum defixos habentem, non reſpicit? Nam peculiari ratione Deus appropinquat ægrotanti animæ, ſicut aduertit Ambroſ. Serm. 12. in Pſalm. 118. ante med. cùm ponderat illa verba. Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, &c.* Conſidera, inquit ille, quando maximè pulſat animam tuam Deus Verbum; cùm repletum eſt caput eius rore nocturno. In tribulatione enim, & tentationibus poſitos viſitare dignatur, ne quis fortè ſuccumbat victus ærumnis, &c. Eſt optimus in hanc ſententiam locus apud Chryſolog. vbi acutè obſeruat amicum illum (nempe Deum) quem adiit amicus in neceſſitate conſtitutus. Luc. 11. primò audiuiſſe amicum pulſantem ad oſtium, cùm ſerui illius in cubiculo lecto recumberent, quaſi ipſe ad oſtium decumberet, vt pulſantem, & petentem quàm citiſſimè audiret; neque aliter fieri decebat, niſi vt ad oſtium decumberet exauditurus, qui fores noſtras pulſat, vt à nobis audiatur. Sic verò habet Serm. 39. poſt princ. O quàm pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocauit ad ianuam. O quàm negare noluit, qui ſibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, oſtendit. O quàm non ad ianuam Dominus, ſed ipſa ianua Dominus fuit. Ego ſum, inquit, ianua: qui dormientibus ſeruis, pulſantis neceſſitatem ſolus, & primus audiuit, &c. Vt enim oſtenderet quàm præſto adeſt neceſſitatibus noſtris, noſter omnino factus, præ foribus adeſt, nos ſtatim auditurus: quod benè comprobat Nazian. Orat. 17. poſt princ. cùm ait: Ægrota anima Deo propinqua eſt; quam etiam ſententiam habet Epiſt. 1. ad Cæſarium fratrem: Quid ergo non audit eum, qui veluti ad aurem ei loquitur, imò & clamat in neceſſitate poſitus, cùm tamen Deus afflictos ſoleat quamprimum audire?

Cant. 5. nu. 2.

Luc. 11. nu. 7.

Vnde Dauid admodum afflictatus, & tribulatione oppreſſus ait. Pſal. 141. *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.* Chryſoſt. ibi. Inter alia tribulationis commoda, hoc vnum affert; quod ea, inquit, iuſta eſt cauſa, vt audiatur; & ideo non dixit, iuſtitiam meam ante ipſum pronuntio, ſed tribulationem meam, nempe quod ea non parum afferat patrocinium. Quod adhuc maiorem ingerit difficultatem, ſi aduertamus Ezechiam parentem extitiſſe Chriſti Domini, qui ſicut ſuis fidelibus omnia promeruit bona, ſic etiam omnibus antiquis Patribus meritis ſuis omnia aſſequutus eſt dona. Cùm igitur & fidelibus promeruerit exaudire, dum ad Patrem orant, Deum tamen orantem Chriſtum Dominum præ triſtitia mortis ſuæ, non exaudiſſe, ſed veluti deſeruiſſe, cùm tamen in illo, & cum illo eſſet, ne poſtea nos clamantes non exaudiret; hoc enim nobis promeruiſſe videtur Chriſtus Dominus non exauditus à Patre ſuo, vt ſcilicet ab eodem exaudiamur.

Pſ. 141. nu. 3.

Viden

Videndus pro hoc argumento Cyrill. libr. 2. ad Reginas explicans illa verba Christi. Matth. 27. num. 46. *Vt quid dereliquisti me?* ait in persona Christi loquens: *Ob quid dereliquisti me?* Ob id nempe, ne homines tuo auxilio destitueres, &c. Videnda sunt, quæ in hanc sententiam affert Cypr. Serm. de Cœna Domini, ad finem. In eodem, inquit, articulo temporis, cùm iam anima festinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur, nec serum est, quod verum, nec irremissibile, quod voluntarium, & quæcumque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec horæ extremitas excludit à venia. Omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes, idest, ipse Dominus noster derelictorum personam gerens in cruce se quæritur derelictum, & ne desperarent etiam in vltimis constituti, festinans in adiutorium illico adest, & re in arcto posita, non differt beneficium, sed repentè indulgentię sceleris documentum eiusdem statuit, & exemplum, latroni dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso.* In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem, & cætera, quæ prosequitur in eandem sententiam. Cùm ergo & fideles à Deo exaudiantur meritò, & ratione Christi, quid est, quod non exauditur, dum clamat, ille, à quo oriundus erat Christus? Iuuat insuper, & ostendit maiorem difficultatem hac in re, quod ipse recognouit peccata sua, dum dixit: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?* Et ideò dum se confitetur deliquisse, morbúmque animi agnoscit, à morbo corporis meretur liberari, dum ratione illius, hunc maximè dolet, & lamentatur, quo scilicet priuabatur, ne Deum videret in terra viuentium; cùm tamen multoties homines magis solliciti sint de morbo corporis, quàm animi, qua ratione à Deo minimè exaudiuntur.

Matt. 27. num. 46.

Quòd si Deus fletibus flectitur, vt flentis misereatur, quid est, quod tandiu flere, & lacrymari permittit Ezechiam? Nam sicut aduertit Chrysostom. Serm. de pœnitent. post princip. ad illa verba Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & flebo vulnera populi mei?* ait: Sciebat quod Deus fletibus subueniret, & fletibus flectitur: Languentes lætificat, &c. Quo etiam sensu Bernard. Serm. de nostro Cantico explicat hæc verba, in quibus sumus: *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor, vt columba.* Mœrens, inquit, mœrebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Per clamorem enim hirundinum intelligit lætitiam exultantium, ad quam minimè peruenitur, nisi per lacrymas flentium, quæ Deum flectunt, vt subueniat, & lætificet afflictum: nam si lacrymæ hominum ab ipso Deo lacrymas eliciunt, quid non elicient lætitiam, & necessaria beneficia? Aduertit siquidem eleganter Zeno Christum Dominum ad sepulchrum Lazari fuisse lacrymatum, eò quòd plorantes viderit, qui sepulchro aderant, sic enim habet Serm. de Lazaro exsuscitato. Flebat Deus mortalium lacrymis excitatus, & cum Lazarum potestate sua fretus mortis de vinculo reuocaret, præstabat pietatis officium solatio lacrymarum. Flebat Deus quòd sororum fletus temperaret, &c. Quibus coniungenda sunt, quæ habet Ser. de Fide, & Charitate, post med. vbi loquēs de charitate, ait: Tibi oculos nunquam siccos esse, aut misericordia permittit, aut gaudium, &c.

Hierem. 9. num. 1.

Nam charitas lacrymas statim tribuit, compassionis si non fecat tempus, vel occasio remedium tribuere, & subuenire indigenti, eò quòd aliter à Deo prouisum, & prædestinatum est: vel ea celeritate opitulatur, auxiliúmque affert, vt præ lætitia hominis iam liberati ab ærumnis, & laboribus, quibus ante premebantur, lacrymas emittere videatur.

Insuper quomodo potest verum habere id, quod Deus per Isaïam
4. Regum 20. nu. 5. dixit Ezechiæ. 4. Regum 20. *Audiui orationem tuam, & vidi lacryma tuam.* Vbi etsi lacryma pro multis ponatur, vt aduertit Lyran. & Abulens.
Exod. 7. num. 24. sicut dicitur Exod. 7. *Venit musca grauissima*, idest, multæ muscæ. Et
Psal. 77. num. 47. Psalm. 77. *Misit in eos cynomiam*, idest, multas cynomias. Vnde Isai. 38.
Isai. 38. num. 5. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.* Imò & citato loco ex libr. Reg. in multitudine habentur lacrymæ: Tamen non desunt, qui in eo sensu explicent, scilicet non fuisse Ezechiæ necessariam lacrymarum multitudinem, qui à Deo exaudiretur, sed ad vnam tantùm, & primam Deum exaudisse. Hæc sunt, quæ difficultatem ingerunt in hac Ezechiæ querela, dum diu gemitus edidisse asserit: & diu præstolatum fuisse auxilium in mortali morbo, quasi penè illi defecerint oculi attenuati dum iugiter cœlum aspicit, vnde opem expectabat.

Sed iam huius rei rationes afferamus, quæ ad nostram doctrinam, & profectum valeant inseruire. Prima igitur, vt dum differtur exauditio, efficacior reddatur oratio, & ipsa veluti repulsa magis roboratur: dum enim videt animus non accipere à Deo, quæ postulat, vrgente ipsa necessitate, & labore intentiùs enititur, quærit, postulat, & perseuerat, vt in Cananæa patet, quod bene aduertit August. in Psalm. 87. ad illud: *Manè oratio mea præueniet te.* ait: Vt ferueſcat, & exerceatur oratio, quod nobis quantum expediat, nullis vt opinor, verbis explicari potest, differtur bonum, quod in æternùm dabitur; & mala transitoria crebrescunt, ideò sequitur: *vt quid Domine repulisti orationem meam?* vbi ait: Hoc & illis verbis dictum est: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti?* causa cognoscenda proposita est, non tanquam sine causa hoc faceret Dei occulta sapientia; ita & hîc: *Vt quid Domine repulisti orationem meam?* Huius tamen rei causa, si diligenter aduertatur, iam superiùs indicata est. Ad hoc enim oratio Sanctorum dilatione tanti beneficij, & tribulationum aduersitate quasi repellitur, vt tanquam ignis flatu repercussus inflammetur ardentiùs.

Optima sunt, quę habet idem August. Serm. 5. de verbis Domini, dicens: Cum aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulciùs obtinentur: citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta. Petendo, & quærendo crescis, vt capias. Seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, vt tu discas magna magnè desiderare, &c. Quibus similia habet Serm. 27. de verbis Domini. Videndúsque erit Basil. in Constitut. Monasticis, cap. 2. cùm explicat similitudinem illam, qua vsus est Christus Dominus. Luc. 11. Luc. 11. num. 5.
Amici petentis panes media nocte, & perseuerantis donec accepit: Sic enim habet: Exemplum sumit Christus ab homine ad alium hominem; vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te à suscepto proposito desistere, vt videlicet quandocumq; aliquid petieris, neque impetraueris, tandiu perseueres, quoad impetres:

tres: etsi mensis præteriit, etsi annus, etsi triennium, & quadriennium, etsi anni complures; acriter perseuerato tamen, donec impetres, &c. Et quia posset quis rogare quonam modo dicebatur amicus, qui tandiu distulit accommodare necessarios panes, ait D.Thom. ibi; quod differt dare vult, vt ampliùs desideres dilatum, ne vilescat citò datum. Et Caiet. ibi: Vide fructum importunitatis; petierat tres panes mutuò, victus importunitate amicus non mutuat, sed dat, non tres, sed quotquot indiget, &c. Quia verò tantum bonum nobis ipsa perseuerantia importat, statim ab ipso Domino inculcatur: *Ego dico vobis; petite, & dabitur, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Vbi Chrysostom. homil. 24. Petere præcipit, eisque daturum respondit, nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa, vt magna intentione, hoc enim est, quod ait, *quærite*, siquidem ille, qui quærit aliquid, cuncta alia è mente proiiciens, vni illi intentus est, quod quærit, ac præsentium rerum nihil considerat, ab eo verò quod dixit, *pulsate*, cum vehementia, ac mente feruida accedere significauit, &c.

Hac ergo ratione differt Deus amicis suis postulata concedere, quò ipsi contra diffidentiam confidentes, & dilationem fiducia superantes, ac veluti ipsa dilatione extendentes, & capaciores reddentes ipsos animi sinus, vberiora recipiant dona, & largiorem experiantur Dei beneficentiam, ac multò maiora præstet, quàm petatur. Qua de re videndus Chrysostom. homil. 9. de pœnitent. vbi versat eundem locum de amico postulante; & homil. 2. in Epist. ad Roman. ante med. cùm ponderat Paulum diu fuisse deprecatum Deum, vt liceret Romam ire, ciuésque Romanos inuisere & docere, & ex eorum consortio, & fide solatium percipere, & cùm iusta fuerit deprecatio, minimè à Deo exauditum in orationibus adhuc perdurasse: *Semper in orationibus meis obsecrans*, ait Paulus Roman. 1. *Si quomodo tandem prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Vide, ait Chrysostom. quod indesinenter precaretur, quodque voti etiam sui minimè compos, à precibus tamen haudquaquam desisteret: Alibi quidem ter Dominum aduocans non solùm non accepit, sed è contra cùm non accepisset, magni beneficij loco duxit, quod non esset exauditus; sic ille sese ad Deum omnibus in rebus conuertebat: hoc loco accepit quidem, non cùm petiuit, sed serò, ac nec sic quidem moleste tulit. Hæc autem dico, vt non ægrè feramus, cùm non exaudimur, vel cùm serò exaudimur. Neque enim sumus Paulo meliores, qui ob vtrumque gratias agit, & id quidem oppidò quàm conuenienter, &c. Et homil. 10. in Matth. ad fi. ait: Etsi non continuò accepimus, quod rogamus, nihilominùs permaneamus petentes, vt mereamur accipere. Neque enim vult Deus sua dona differre: sed tardiùs dando quod petimus, instantiam nobis orationis indicit. Propterea & aliquandiu annuere precantibus differt, & tribulationis irruere permittit, &c.

Rom. 1.

Facit in hanc sententiam Bernard. dum aduertit bonorum omnium bonum, nempe gloriam, perseuerantiæ respondere, vt inde iam colligamus eum posse à Deo beneficium confidenter expectare, qui in postulando perseuerauerit, censetur siquidem Deus speciali ratione obligatus ei, qui æternitatem Dei perseuerando imitatur. Sic ergo habet Bernard. 5. de Considerat. cap. 14. in medium. Quis sustinet, & perseuerat in amore,

re, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempe æternitatis quandam imaginem perseuerantia præ se fert. Denique sola est, cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino. Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Vel etiam distulit postulata, vt cum tandem consequeretur ea, plurimi faceret salutem, quàm tot effusis lacrymis comparauerat. Talis quippe est humana conditio, vt bona in tantum æstimet, in quantum pro eis laboratum est, & sit conditio maioris æstimationis, maiori quidem labore partum aliquid fuisse, & ad vltimum quidem discrimē peruenisse, quod bene prosequitur Augustin. 8. confess. cap. 3. cùm ita incipit: Deus bone, quid agitur in homine, vt plus gaudeat de salute desperatæ animæ, & de maiori periculo liberatæ, quàm si spes ei semper affuisset, aut periculum minus fuisset? Etenim tu quoque misericors Pater plus gaudes de vno pœnitente, quàm de nonaginta nouem iustis, quibus non est opus pœnitentia: & nos cum magna iucunditate audimus, cùm audimus quàm exultantis pastoris humeris reportetur ouis, quæ errauerat: & drachma refseratur in thesauros tuos, collætantibus vicinis mulieri, quæ inuenit: & lacrymas excutit gaudium solemnitatis domus tuæ, cùm legitur, in domo tua de minore filio, quoniā mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Triumphat victor Imperator, & non vicisset, nisi pugnasset; & quanto maius periculum fuit in prælio, tantò maius gaudium est in triumpho. Iactat tempestas nauigantes, minatúrque naufragium, omnes futura morte pallescunt. Trāquillatur cœlum, & mare, & exultāt nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, & vena eius malum renunciat: omnes, qui eum saluum cupiunt, ægrotant simul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit cum antea saluus, & fortis ambularet. Easque ipsas voluptates humanæ vitæ etiam non inopinatis, & prꝑter voluntatem irruentibus, sed institutis, & voluntariis molestiis homines acquirunt. Edendi, & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi, & sitiendi molestia. Et tandem concludit Augustin. vbique maius gaudium molestia maior præcedit. Sic ille probat gaudiū, & æstimationem rerum desumi ex præcedente tristitia, afflictione, & periculo. Vnde Xenophon. in Cyripæd. ait: Tantò plus afferunt lætitiæ bona, quantò maiore labore præcedente ad ea peruenitur. At absque eo, ne quis indigeat eius, quod consequitur, nihil tam sumptuosè parari potest, vt suaue sit. Et Martial. libr. 1. Epigram. 108.

Pingue solum lassat, sed iuuat ipse labor, &c.

Vel fortè non statim succurrit, sed diu angi, & torqueri morbo permisit, vt disceret patienter sustinere, neque statim omnino animo frangi, nec ab spe omnino excidere, sed sustinere fiducialiter, & confidere permanenter. Iussit Christus Dominus Petrum venire ad ipsum super aquas, dumque ambularet, videns ventum validum timuit, *Et cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac, & continuò Iesus extendens manum apprehendit eum:* Matth. 14. vbi inquirit Victor Antiochenus ad cap. 6. Marci propè finem. Cur non statim occurrit Christus Petro, cur non item subuenit discipulis laborantibus in remigando, & variis fluctibus iactatis, sed expectauit, donec periclitarentur, & ad vltimum peruenirent? Ostendunt hæc, inquit ille, Christia

Matt. 10. num. 22.

Matt. 14. num. 30.

Christianum hominem omnia incommoda, quæcumque tandem Dei permissu euenerint, æquo, fortique animo perferre debere. Nam Christus Dominus discipulos hoc loco, quo patientiam illorum probet, & constantiam exerceat, ad tempus deserit; tempestatéque in medio mari coorta, tota penè nocte cum fluctibus luctari permittit. Occæcatum illorum cor, vt Marcus loquitur, ea re expergefacere, maiúsque sui desiderium, atque diuturniorem miraculi memoriam, eorumdem pectoribus imprimere volens. Per hoc tandem quod laborantibus non statim affuit, discipulos, & nos per illos docere voluit, ne à malis, in quæ forsan incidimus, liberationem è vestigio petamus. Verùm vndecumque illata, forti, infractóque pectore perferamus; animo pertractantes dura, & aspera, ita sæpè secedere, & conquiescere, vt alia nonnunquam difficiliora succedant, vel simul etiam accedant: argumento sint nobis Apostoli, qui ante propter maris procellam perterrefacti propter peregrinum spectaculum, quod se inopinatè in eorum oculos intulit, grauissimè denuò consternantur, & perterrefiunt: neque enim sola tempestas eorum animos turbabat; verùm phātasma quoque insperatum, quòd sese videre existimabant. Quódque maiori admiratione dignum videtur, quòd metus hic crescat, Dominus neque noctis tenebras discutit, neque statim quoque seipsum prodit, sed post certum demum temporis interuallum. Cur ita fecit? Vt hinc edocti, in rebus aduersis animum non facilè despondeamus, præsertim cùm vehementiores tentationes diuturnæ esse plerumque non soleant. Fatendum est tamen, quo maiora lucra obueniant, Deum iustorum certamina interdum extendere, eosdémque priusquam ex vitæ huius palæstra excedant, diu, multúmque nonnunquam exercere. Sic ille ostendit, multis interdum rationibus Deum suos iustos sinere torqueri, & affligi, neque statim eos à malis eripere in ipsorum vtilitatem, & profectum, & vt deinceps recordentur Deo gratias reddere ob liberationem, & beneficia insuper accepta. Vnde Nazianz. Epist. ad Anysium ait: Precare Deum, vt nobis sit beneuolus, largiatúrque è duodus alterutrum: vel vt molestias ipsas prorsus effugiamus, vel vt ipsas constanter toleremus; etenim & hoc abundè satis ipsam imminuet calamitatem, &c.

Et fortassis ea ratione acerbissimum dolebat, & cōquerebatur morbum suum Ezechias, quòd non se conformauerit diuinæ voluntati infligenti eam pœnam in maiorem vtilitatem, & profectum ipsius Ezechiæ: quod pulchrè tractat Guarric. Abb. Serm. 1. de Aduentu Domini in med. vbi loquens hac de re ait: Propterea inquit Isai. 30. *Dominus expectat, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij est, beati omnes, qui expectant illum.* Propterea si sapis, prospicies tibi quomodo dilationis huius induciis vtaris. Vtique, si peccator es, ad pœnitētiam, non ad negligentiam: si Sanctus, vt proficias in sanctitate, non vt deficias à fide. Propterea ne pro dilatione spei fides nostra tepescat, aut æstuet patientia, & incipiamus esse de illis, qui *ad tēpus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, clamat nobis de cœlo, qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat. *Qui crediderit*, inquit Isai. 28. *non festinet.* Sponsæ quoque suæ, quam sibi desponsauit in fide, mandat Deus per Oseam, dicens cap. 3. *Dies multos expectabis me: non fornicaberis, & non eris*

Isai. 30. nu. 18.

Isai. 28. nu. 16.

Osea. 3. nu. 4.

tum viro. Hoc nempe eſt Dominum expectare, ſi fidem eius ſeruemus, vt licèt careamus conſolatione præſentiæ eius, adulterum tamen non ſequamur, ſed pendeamus ad reditum eius. Sic namque Dominus ait in eodem Propheta. *Pendebit populus meus ad reditum meum.* Pulchrè omnino, & propriè pendebit, tanquam inter cœlum, & terram. Vulgò dicitur: Malè expectat qui pendet. Ego autem dico: Feliciter expectat qui ſic pẽdet. Quamobrem *elegit hoc ſuſpendium anima mea*, & in ipſo ſuſpendio mortem oſſa mea: vt perſeueranter in Cruce iſta pendere merear, donec ibi moriar. O Domine Ieſu, cùm animam poteſtate poſiturus eſſes, & quo genere mortis id facere velles, tuo ſubeſſet arbitrio, ſuſpendium elegit anima tua, vt exaltatus à terra nos quoque ad te attraheres, & à terrenis ſuſpenderes, ſed nec ante mortem deponi paſſus es, vt & nos vſque ad mortem in Cruce perſeueremus *Gratias tibi Domine Ieſu:* Ibi ſumus, ibi te expectamus; non Heliam, qui ad deponendum nos veniat, ſed Heli, ideſt, Deum noſtrum, qui nos ſuſcipiat. Sic ille docet quomodo oporteat fidelem animum crucem à Deo datam, quæcumque tandem illa fuerit, patienter ſuſtinere, donec benignus Dominus dignetur patientem deponere; nouit ſiquidem ille oportunum tempus auxiliandi, & qui præ benignitate ſua in noſtrum commodum morbos, & afflictiones permittit, miſericors tandem ſubueniet, & à periculis, ac ſuppliciis, & ærumnis eripiet. Sicque cum Ezechia vſus videtur, dum diu diſtulit ſalutem, quam poſt clamores, ſingultus, & lacrymas libenter conceſſit, docens nos patienter ſuſtinendos labores, neque ſtatim diffidere, aut ægrè ferre, cùm viderimus Deum differre remedium, non deeſſe; & dum differt, in magnum commodum, & meritorum augmentum cedere.

Hoc item præ oculis habendum hac in re, quod plerumque nos ipſi fallimur, dum affligimur, exiſtimantes grauiores, & acerbiores eſſe labores, quibus premimur, quàm aliorum omnium ſint, inſuper & Deum diu differre, ac longo iam nos tempore torqueri, etiamſi breuiſſimum fuerit, quod benè expendit Hieronym. Epiſtol. ad Cyprian. quæ eſt explicatio Pſalmi 89. vbi exponens illud. *Conuertere Domine vſquequo*, ait. *Pſal. 89. nu. 13.*
Hoc eandem intelligentiam habet, quam diximus Pſalmo 12. *Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem?* Qui *Pſal. 12. nu. 1.* enim in anguſtia conſtitutus eſt, ſerum ei videtur Dei auxilium, & propterea impenſiùs deprecatur, vt citiò adiutorem Deum ſentiat, &c. Sic ille oſtendit quomodo torqueatur anima in anguſtia, & afflictione poſita, quandiu remedium præſtolatur, & non illico conſpicitur. Vnde eleganter Chryſoſtom. aſſeruit ea mala, quæ omni prorſus remedio carent, & de eorum ſolatio, & leuamine deſperatur, tolerabiliora eſſe iis, quorũ expectatur in melius tranſmutatio; hæc enim tandiu torquent, quandiu ſperat quis ſe ab iis liberãdum fore, nec tamen re ipſa liberatur, illa verò cùm omnem prorſus auferant ſpem, ſemel tantùm torquent, breuiſque huiuſmodi tortura tranſit. Sic verò ille habet lib. 2. de Prouident. propè fin. loquens de Iacob afflicto, magis dũ fratres ab eo auferunt Benjamin, vt in Ægyptum deportarent, quàm dum fera peſſima deuoratũ nuntiant Ioſeph. Maiori ex huiuſmodi dolore angebatur, quàm ante ex Ioſeph; quippe ea clades, quæ meliorum ſpe, & expectatione caret, ſi vehementiore dolore nos cruciat, ille tamen ipſe dolor protinus lenitur. Dum animo

deſpe

desperatio huiusmodi cladis corrigendæ semper ingeritur: quæ verò suspensa hactenus animum requiescere non sinit futurorum incerto, anxietatem iugiter nobis augens, & renouans, idque ex B. Dauid facilè animaduertere possumus, qui cum adhuc viuente plangeret filio, eo ipso mortuo se à fletu continuit; quod cùm serui mirarentur & causam requirerent, hanc ipsam allegauit, quam ego modo
2. Reg. 12. 2. Reg. 12. &c. Cùm ergo hoc proprium sit eorum, qui laborant, existimare diu torqueri, & à Deo deseri, non est cur statim diffidamus, si illico Deus non adsit opitulator, sed potiùs existimandum ita fieri diuinitus, quia maximè nobis conducit. Et quia ita solet Deus fa-
Prou. 10. nu. 28. cere. Prouerb. 10. dicitur: *Expectatio iustorum lætitia.* Vbi LXX. *Immoratur iustis lætitia.* Licèt enim verum sit, quod iustorum spem lætitia comitetur, tamen hæc lætitia expectata immoratur.

ANNOTATIO III.

Deum pro laboribus, & afflictionibus nostris debemus conuenire, & spem nostram in illo figere.

AFflictus, & oppressus animus Ezechiæ ad Deum confugit, cùmque clamoribus inuocat, fletúque, & gemitibus prouocat. Neque enim potuit alium habere consolatorem veriorem, & oportuniorem auxiliatorem quàm Deum. Vnde
Isai. 8. nu. 11. Isai. 8. *Dominum exercituum ipsum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem.* Vbi Pagnin. vertit: *Erit vobis in palatium*, per allusionem ad palatia regia, ad quæ, si quis à ministris iustitiæ insecutus, vt supplicium de illo sumatur, confugiat, securus ibi delitescit, & commoratur. Vatabl. ex Hebr. & Arias Montan. legit: *Is erit in sanctuarium.* Quòd sic explicat Vatab. Sanctuarium hîc pro asylo, & tutissimo loco ponitur. Ille proinde, qui manus iustitiæ diuinæ euadere vult eum persequentis, & punientis, debet ad ipsum Deum confugere. Nam sicut dixit August. in Psalm. 70. Vis fugere ab ipso? ad ipsum fuge. Non est quò fugiatur ab illo, nisi ad illum. Si vis euadere iratum, fuge ad placatum. Similia habet Psalm. 74. ad illa verba: *Quoniam neque ab Oriente, neque ab Occidente.* Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Psalm. 76. ibi. *In die* Psal. 76. nu. 2.
tribulationis meæ Deũ exquisiui. Si carcer, inquit ille, facit tribulationem, exire de carcere exquiris; si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris, & vis esse transiliens? In die tribulationis Deum exquire, non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum, vt ad hoc Deus remoueat tribulationem, vt securus inhæreas Deo. Et pulchrè in hanc sententiam dixit Clemens Alexand. Orat. ad gent. post med. Pulchrum est periculo ad Deum transfugere. Et quia hoc maximè docuerat Ezechias, dum omnem occasionem abstulit hominibus confugiendi ad terrena auxilia, oportebat vt ipse maximè hoc ipsum opere doceret. Etenim sicut aduertit Anastas. Nicenus, quæst. 39. in Scriptur. in fin. ex Euseb. De prisca historia libros Salomonis, qui scripti erãt de Prouerbiis, & Odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & omni genere animalium, & de curatione omniũ morborum, de medio sustulit Ezechias, propterea quod morborum medelas inde acciperet populus, & nihil facerer

ret à Deo petere curationes. Sic ille ostendit quomodo Ezechias voluerit, & docuerit homines à nullo alio remedium sperare, aut quærere, nisi à Deo, qui sperantibus in se minimè deesse solet, & pollicetur. Cæteri verò medici, & curatores, quantumcumque in eis confidamus, & speremus, desunt, sicut Hieronym. ad cap.
Isai. 16. nu. 14. 16. Isai. notat illud. *Sana me Domine, & sanabor.* Multi medici, inquit Hieronym. in Euangelio, Hæmorrhoussam curauerant, quæ omnem substantiam suam perdiderat in eis, & tamen à nullo curari potuit, nisi ab eo, qui verus est medicus; & cuius sanitas in pennis eius, &c.

Vnde Dauid maximè gloriatur, quod spes ipsius fuerit Deus, vt nos prouocaret ad inquirendum, & sperandum in Deo, & in nulla alia re præter ipsum Deum; sic enim commentatur Bernard. illud Psalm. 90.
Psal. 90. nu. 10. *Tu es Domine spes mea.* Serm. 9. in eundem Psal. post med. Quidquid agendum sit, inquit ille, quidquid declinandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Sperent in aliis alij: hic in scientia literarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat; & cætera, quæ ibi prosequitur, tum deinde addit: quære aliud, in quo speres: planè *non derelinquit sperantes in se, Adiuuabit eos,* ait, *& eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos.* Quare? Quibus meritis? Audi, quòd sequitur, *quia sperauerunt in eo.* Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Quis sperauit in eo, & confusus est? Sic ille: cui suffragatur August. in Psalm. 9. ad illa verba. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum:* vbi ostendit homines vel ipsa experiētia edoctos fixuros spem, & fiduciam suam in Deo, dum ipso vsu discunt nihil aliud in vita superesse, in quo possint securè, & firmiter sperare præter ipsum Deum. Sic verò habet Augustin. Sperent in te, qui cognoscunt nomen tuum, cùm destiterint sperare in diuitiis, & in aliis huius sæculi blandimentis. Quærente quippe anima vbi figat spem, cum ab hoc mundo auellitur, opportunè excipit cognitionem nominis Dei. Dominus dicit ad Moysen. *Ego sum, qui sum.* Exod. 3. Sperent ergo in te, qui cognoscunt nomen tuum, non sperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi erit, & fuit, quoniam quod illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum, & expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quasi nondum sit, aut fuit, quasi iam non sit, sed est tantum id, quod est, &c. Exod. 3. nu. 14.

Hinc est quod Isidor. Pelusiot. lib. 2. Epist. 17. dixerit eum, qui in Deo spem suam collocat, & ad ipsum pro remedio consequendo accurrit, iam partem remedij; ac solarij reperisse ex eo, quod firmissimæ rei confidit, & quæ ipsum frustrare minimè possit, aut fallere, pars autem videtur remedij iam habere, qui certum sibi pollicetur, quantumuis differri sentiat: vnde non tam præstolari dicetur medelam laborum, quàm ipsam iam habere. Qui enim certò nouit habiturum aliquid, id iam suo mōdo habet, & possidet. Vnde Prouerb. 10 dicitur: *Expectatio iustorum lætitia.* Prou. 10. nu. 28.
Hoc namque mirum est in spe, iusti nēpe, quod cùm spes dilata animum angere, & cruciare soleat, tamen hæc expectatio lætitia est, id est, non cruciat, sed oblectat, delinitque animū. Vnde Paul. Roman. 12. *Spe gaudentes.* Rom. 12. nu. 12.
Et Philo citatus à Cornel. ibi. Spem vocauit gaudium ante gaudium. Cuius rei rationem optimā affert Chrysostom. Serm. de Fide, Spe, & Charitate, qui habetur post Comment. in

1. ad Corinth. Certitudo, inquit ille, in causa est: quia spes, quod sperat, iam quodammodo cernit, &c. Aliarum quippe rerum expectatio ideo affligit, & cruciat, quia anceps est, & dubia; at spes in Deo collocata, quia certa, & constans est, delectat adeò, vt hac in re locum habeat illud scitum apud iurisperitos, l.pen.ff.quib. de libertat.prouoc.nempe spes certa, & indubitata adeundæ hæreditatis æquiualet possessioni, aut retentioni: quæ certior autem potest esse spes, quàm illa, quæ in Deo figitur, & collocatur? Spes in Deum, inquit Pelusiot.supr. citatus, firma turris est, non modò rerum grauium, & acerbarum depulsionibus pollicens, verùm ne præsentibus quidem illis animum perturbari sinens. Nam qui à rebus humanis sese exemit, ac spe cœlesti suspensum animum habet, non modò id consequitur, vt rebus molestis, & grauibus quamprimùm liberetur, verùm ne præsentibus quidem illis in tumultu, ac perturbatione versetur, at qui sacræ illius anchoræ expectatione recordetur, & erigatur, &c.

Hinc est quòd Deus conqueritur, & pro maxima culpa exprobrat Israëlitis, quòd ipsum non requisierint afflicti, & oppressi pro auferendis pœnis, quibus affiiciebantur, quod aduertit Nazianz. Orat. 1. num. 117. Sicut eum interpretatur Elias Cretensis. Sic verò habet Nazianz. Deus quidem sacerdotes coarguens his ad eos verbis vtitur: *Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus?* Ipse autem rursum air. Ierem. 10. *Pastores tui te egerunt, & Dominum non quæsierunt.* Ait ergo Elias Cretens. Non dixit non inuenerunt Deum; sed ne quidem quæsierunt, quod quidem ad condemnationem maximi momenti est. Nec enim fieri potest quin is, qui quærit, inueniat. Porrò in tentationibus quoque, ac calamitatibus

Hierem. 10. n. 21.

Deum non quærere, incredibilem quandam improbitatis, & socordiæ eorum, qui in eiusmodi rerum statu ipsum non requirunt, magnitudinem coarguit. Sic ille ostendit magnam impietatem eorum, qui in laboribus, & afflictionibus Deum non quęrũt pro certo remedio, cùm quærentibus & postulantibus certò adsit opem laturus. Hinc meritò deplorat Saluian. libr. 2. ad Ecclesiam longè à fin. miseram hominum cõditionem, qui cùm spe alantur, & sustententur, & acerba omnia perferant, meliora sperando, & demum omnia apud mortales spe constent, id minimè enituntur, vt totam spem, & fiduciã suam in Deo collocent. Sic verò habet. O miseria, ô peruersitas, homini ab homine creditur, & non creditur Deo! Humanis promissionibus spes commodatur, Deo denegatur. Omnia denique in rebus humanis spes agunt, vita quoque ipsa hæc temporaria non nisi spe alitur, ac sustentatur. Ideò enim terris frumenta credimus, vt cum vsuris credita recipiamus, ideò in vineis labor maximus ponitur, quia homines spes vindemiæ consolatur, ideò negotiatores emptionibus vacant. Solus Deus est, de quo desperatur, &c. Statim namq; ac ipsis videtur Deus differre opem, neq; statim pro desiderio subuenire, veluti in desperatione incidentes de Deo conqueruntur, ipsiq; confidere cessant, cùm tamen Deus multoties labores, & afflictiones permittat, quo homines doceat ad ipsum cõfugere, & in eo sperare, sicut bene prosequitur Chrysost. hom. 10. in Matth. ad fi. vbi ait: Propterea Deus tribulationes irruere permittit, vt ad ipsum, & frequentiùs cõfugiamus, & expressiùs: nec ab eo discedamus aliquãdo. Tale aliquid faciunt amantiores filiorum parentes, cùm paruulos suos viderint à se quidem sæpe discedere, æquæuo-

tum autem suorum lusibus detineri: præcipiunt famulis terribilia multa simulare, vt exagitati etiam metu paruuli, ad maternum sinum confugere festinent: ita etiam Deus sæpe numero intentat minas, non vt eas in nos inducat, sed vt nos ad se potiùs adducat. Quòd si quales in tribulatione sumus, tales etiam essemus in requie, nequaquam egeremus afflictionibus erudiri, &c.

Et sanè licèt anima nostra Deum quærat, tanquam Creatorem, sponsum, & gratam illam facientem, tamen multò magis eum dicitur caro desiderare, eò quòd plures sint necessitates, & labores, quibus illa premitur, quique eam adigunt, vt ad Deum accurrat, & confugiat. Vnde
Psal.62. num.2. Dauid dixit: *Sitiuit in te anima mea quàm multipliciter tibi caro mea.* Psalm. 62. quę verba sic explicat Hieronym. Epist. ad Rusticum, ad med. Quanquam sitierit te anima mea, tamen multò te plus carnis meæ labore quæsiui. Sic ille ostendit homines secundùm multitudinem laborum Deum quærere, vnde quia multò plus laborat caro, quàm anima, multipliciter quærit Deum illa, etiamsi hæc illum sinat, & quærat. Solent siquidem nostrę miserię nos ad Deum ducere, vt in illo sperantes medelam omnium hauriamus; nam consueuit Deus pro ratione spei nostræ misericordiam suam nobis elargiri, vnde Dauid gnarus huius consuetudinis talem poscit misericordiam, qualis ipsius fuerat spes, & confidentia. Sic
Psal.31. num.vlt. enim habet Psalm. 31. *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodũ sperauimus in te.* Vbi Basil. ait. Vides quam scitè, ac prudenter orauerit? Proprium adfectum admensus est adimpletioni miserationum Dei. Tantùm, inquit, fiat misericordia tua super nos, quantam in te coniecimus spem præueniendo, &c.

Præclara sunt, quæ in hanc sententiam habet idem Basil. homil. in Psal. 59. in fin. vbi docet totam spem in afflictionibus nostris collocãdam esse in Deo cum lacrymis, suspiriis, & sedula oratione, sicut hoc in loco fecisse videmus Ezechiam. Sic ergo ille habet ad illa verba: *Da nobis auxilium è tribulatione.* Ne à qualicunque robore nostro, aut fortitudine quæramus auxilium. A nulla, inquam, re, quæ quamlibet apud homines præstans sit, & eximia, dignum est, vt ab ea, deposcas tibi impartiri, veluti redemptionem. Da igitur nobis, auxilium è tribulatione, quoniam *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit.* Vides quò te tribulatio tandem deducat? Ad spem, quæ non confundit. Ægrotas? Gaude; quoniam quem diligit Deus, castigat. Pauper es? Lætare: quoniam Lazari bona te excipient. Itaque, fratres, nosmet tentationis tempore hac vna fiducia confirmemus, vt ne ad euanidas hominum spes confugiamus, neque inde auxilia nobis venemur, sed in lacrymis, & suspiriis, & sedula oratione, ac vigiliis acribus, & intentis, vota, precesque effundamus. Is enim auxilium è tribulatione suscipit, qui despecto humano auxilio, eius tantum, qui nos saluos reddere potest, spe firma munitur. Similia habet Augustin. Enarrat. 2. in Psalm. 26. in fin. vbi ostendit eum habere infallibiliter diuinam opem, qui in Deo nouit sperare, & sustinere, dum adhuc differt subuenire. Sic verò habet ad illa verba: *Sustine Dominum.* Non sustinebis mendacem, non eum, qui poterit falli, non eum, qui non est inuenturus, quod det. *Sustine Dominum, viriliter age.* Noli dissolui, ne sis inter eos, quibus dicitur. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Sustine Dominum, habebis

bebis eum, habebis, quem sustinebis. Aliud desidera, si maius, si melius, si suauius inueneris. Miseri prorsus, & infelices, qui in rebus fallacibus, & caducis spem suam collocant. Vnde Augustin. in Psalm. 30. Heu spes caducæ mortalium! Speras in pecunia, speras in honore, & sublimitate aliqua potestatis humanæ, speras in aliquo amico potente. In his omnibus cùm speras, aut tu expiras, aut cùm viuis omnia pereunt, & in spe tua tumetipse deficis, ac cadis. Similia habet in Psalm. 36.

Gen. 40. num. 14. Et Ephræm de Laudibus Ioseph, post med. ponderans illud, quod Ioseph Genes. 40. *Tantùm memento mei, cùm bene tibi fuerit*, ait: O semen electum ac beatissimum, cur à mortali homine auxilium quæris, & omisso Deo hominem interpellas? Et quidem planè in cunctis necessitatibus tuis diuinum expertus es auxilium, vt etiam quando pudicitiæ tuæ tunicam intactam, atq; immaculatam conseruasti. Cur ergo, ô beate, iam despondes animum, cum Deus tibi regnum, & gloriam prouidere, atque donare velit, &c. Imò & quia in homine, & non in Deo spem suam collocauit, in carcere diu detentus est in pœnam istius rei, sicut benè aduertit August. Serm. 81. de tempore. Chrysost. homil. 6. in Epistol. ad Titum, in fin. Et Hieronym. lib. 5. in Isai. cap. 18. Sic enim Deus offenditur, dum in homine speramus, cùm in solo Deo debeamus fiduciam nostram, & spem totam collocare, & figere. Imò & quia nouit miseriam nostram, qui in homine principe, & potentiore, ac ditiore confidimus plerumque, ne occasionem semper puni[illegible]et, disposuit diuina prouid[illegible] do in homine secure possi[illegible] confidere, dum Verbum diuinum factum est homo, vt iam in homine sperantes maledictionem non incurremus, quæ ait: *Maledictus homo, qui confidit in homine* (Hierem. 17.) *& ponit carnem brachium suum.* Hierem. 17. nu. 4. Quę verba sic explicat August. Serm. 25. de verbis Apostoli, post med. Maledictus, qui spem suam ponit in homine. Ideò ergo Deus homo factus, mori, & resurgere voluit, vt & quod futurum esset in hominis carne ostenderetur, & Deo tamen, non homini crederetur, &c. Confidimus proinde iam homini, non tamen, quia homo est, sed quia & Deus est, in quo firma, fixa, & immobiliter radicata debet semper esse spes nostra, tum vt remedium consequamur malorum, tum vt certa expectatione ea, quæ nos infestant, tolerare meliùs possimus.

ANNOTATIO IV.

Lacrymis effusis debemus Deum placare, & deprecari.

QVoniam peccatis nostris diuinæ iustitiæ ignem accendimus, ne magis ac magis denuo peccando flammam excitemus, & congesta materia ampliùs nutriamus, debemus potiùs effusis lacrymis eorum extinguere ignem. Nos cœlestis iræ (inquit Saluian. lib. 8. de prouidentia post princip.) ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus, vt rectè vtique quoties mala ista perferimus, etiam ad nos dici illud propheticum possit. *Ite in flammam ignis, quem accendistis.* Isai. 50. Ac per hoc ipse sibi parat peccator quisque, quod patitur. Nihil est Isai. 50. num. 11. itaque quod de calamitatibus nostris Deo imputare possimus: nos calamitatum nostrarũ auctores sumus. Deus enim pius est, & misericors.

Nihil itaque est nobis crudeliùs nobis. Vtrumque verum est, à Deo punimur, sed ipsi facimus, vt puniamur. Cùm autem punire nos ipsi facimus, cui dubium est, quia ipsi nos nostris criminibus puniamus, quia quicumque dat causam, qua puniatur, ipse punit, secundùm illud Prouer. 5. *Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur*, &c. Quia igitur iustitia diuina in nos sæuit ob delicta nostra, & in nos accenditur, imò nos illam accendimus, veluti flammam, qua cùm deflagemus, inde est, quod maximè requiruntur, & prosunt lacrymæ in suppliciis, quibus à Deo plectimur, cùm & lacrymæ sanguis animæ sint, quem pro iustitia facienda fundimus, & aqua etiam, qua ignem possimus extinguere, ne omnino pereamus.

Prou. 5. num. 22.

Pro maiori autem claritate huius rei aduertendum est proprium motiuum specificum, & proprium pœnitentiæ, vt virtus est, esse diuinum ius. Nam D. Thom. 3. p. q. 85. art. 3. dixit virtutem pœnitentiæ esse quandam iustitiam, & vt cõstat ex eodem Angelico Doctore. 2. 2. q. 57. obiectum iustitiæ est ius. Versatur itaque pœnitentia in recompensanda iniuria Deo facta, quod non fit nisi per satisfactionem, vel propriã, vel qualem exhibere potest is, qui iniuriam intulit. Nam cùm homo Deo recognitionem, & honorem vltimi finis debeat, hanc illi denegat peccator dum peccat; imò quantum est in affectu peccatoris priuat Deum dignitate vltimi finis, & alium constituit, præsertim si peccatum mortale sit, infert vtique magnam, & propriam iniuriam Deo. Hanc verò resarcire, & compensare nititur pœnitentia. Proindeque versatur circa diuinum ius, & iustitia in hoc sensu dicitur. Dum enim peccator apud se iudicium constituit, & seipsum ante se adducit, arguit, & conuincit, ac de peccatis suis dolet, & pœnitet, facit sanè iudicium, & iustitiam: dum verò pro peccatis gemit, & lacrymatur, plectitur vtique ipse peccator, sanguisque effunditur ex præcepto iustitiæ (scilicet pœnitentiæ) recompensare volẽtis, & resarcire diuinam iniuriã: quod bene prosequitur D. August. lib. 50. Homil. hom. 50. cap. 9. in princ. vbi ait: In pœnitentia maiorem vtique in se seueritatem debet exercere, vt à se ipso diiudicatus, non iudicetur à Deo. Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit siue bonum, siue malum. Constituat se ante faciem suam ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam*. Psalm. 49. Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis consciẽtia, carnifex timor. Inde quidem sanguis animæ confitentis per lacrymas profluat. Postremò ab ipsa anima talis sententia proferatur, vt se indignus homo iudicet participatione corporis, & sãguinis Domini, &c. vbi vides sanguinẽ omnino appellari lacrymas, quod etiam dixit Nyssen. Orat. funebri de Placilla, post princ. Vulnerum animi tanquam sanguis lacrymæ sunt. Videndus in eandem sententiam Bern. Serm. 30. in Cantic. post med. vbi ponderat illud Christi Domini. Matth. 16. *Qui amat animam suã, perdet eam*. Tu si propriam, inquit ille, deseras voluntatẽ, si corporis voluptatibus perfectè renũtics, si carnẽ tuam crucifigas cum vitiis, & concupiscentiis, sed & mortifices membra tua, quæ sunt super terram, probabis te Pauli imitatorem, qui non facies animam tuam pretiosiorem te ipso. Probabis & Christi discipulũ illam

Psal. 49. num. 11.

per

perdendo salubriter. Et quidem prudentiùs eam perdis, vt custodias, quàm custodis, vt perdas. Nam *qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam.* Perdet eam dixit, siue ponendo vt martyr, siue affligendo vt pœnitens, quamquam genus martyrij est spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs. Sic ille ostendit pœnitériam martyrium quidem esse, in quo non corporis, sed animi sanguis effunditur, quo non semel iugulatur caput, aut corpus occiditur, sed iugiter, & sensim lacrymando perpetua victima Deo offertur. Postquam Diuinum Oraculum Ioël.2. ad pœnitentiam aduocauit, dicens. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Addit: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Quæ verba, sicut acutè obseruat Rupert. ibi: Non dubietatem continent, sed securitatem, & præsumptionem tollunt. Tam secura enim potest esse anima, quæ ad Deum conuertitur in ieiunio, fletu, & planctu, vt necessarium fuerit, ne præsumptuosè superbiret, & in superbiam efferretur, loqui Prophetam de venia obtenta sub dubio. Notandum, inquit Rupert. quàm diligenter in ipsa pœnitentia cautos esse cupit, & securitatem tollit, cùm dicit: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem?* Sed hæc ipsa verba exponés addit: Quomodo nunc Deus conuerti, & post se benedictionem relinquere dicatur, vel speretur, illo pro exemplo est, quod ipse in Exodo loquitur, c.12. *Erit autẽ sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos.* Denique verbis istis sese ad sanguinis signũ conuerti, & videre sanguinem, ac transire, atque benedictionem, & vitã post se relinquere se profitetur, &c. Cùm ergo Propheta ad planctum, & lacrymas pœnitentiæ vocauerit, cùm modò benedictionem promittit relicturum post se, vbi sanguinem viderit, quid aliud significatur, nisi diuinam adesse benedictioné, vbi Deus sanguinem lacrymarũ effusum videtit. Sicut enim viso in postibus sanguine agni, illæsam dimittebat Angelus percutiens domũ, eámque veluti filiorum Dei esse censebat. Sic & Deus puniturus peccata vbi primum animi sanguinem præ foribus eiusdem animi, nempe in oculis, conspicit; abstinet quidem à supplicio, imò & benedictionem confert.

Ioel. 2. nu. 12.

Exod. 12. nu. 13.

Facit in hanc sententiam Anastas. Nissenus quæst. 8. in scripturam statim post princip. vbi lacrymas dicit similes sanguini Martyrum, & optimam oblationem, quæ Deo offertur ex nostris, & intérnis, quo offensa diuina iustitia placabilis reddatur, effuso, scilicet, sanguine interno animi, qui in lacrymis continetur. Quomodo, inquit ille, omne peccatum, quod facit homo, est extra corpus, qui autem fornicatur, tanquam ex sua carne maligno offert hostiam, nempe suum semen. Ita etiam quæcumque bona faciet homo, sunt extra corpus; lacryma autem Deo offertur ex ipsa nostra essentia, sicut etiam sanguis martyrum, &c.

Et Hieron. ad illud Thren. 2. *Deduc quasi torrentem lacrymas per diẽ, & per noctẽ*, ait. Omni tẽpore lacrymas per compunctionem cordis effundere debemus, sacrificium enim Deo spiritus cõtribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit. Nullum munus Deo acceptabiliùs quàm compunctio cordis prolata ex radice veræ dilectionis. Hinc est illud, quod in Euãgelio Dominus cùm ingressus domũ Pharisæi ad prãdium

discubuit, magis lacrymas mulieris peccatricis, quàm delicias epularum Pharisæi probauit, &c. Etenim qui coram Deo lacrymatur, optimam sui portionem Deo offert, nempe cor lacrymis liquefactum. Sic enim plerique interpretantur illud Ps. 61. *Effundite coram illo corda vestra.* Pulchrè quidem ibi Augustin. Nolite corda vestra retinere intra corda vestra. Effundite coram illo corda vestra. Hugo magis ad rem nostram accedens, ait debere corda effundi vt aquam, vt nec remaneat in signis exterioribus color; nec in verbis odor, nec sapor in affectu. Melius tamen Hieronym. in cap. 2. Threnor. ibi. Consurge lauda in nocte, ait. Effundit sicut aquam cor suum ante conspectum Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lacrymas compunctionis, &c. Cùm enim Deus ignis sit, & charitas sit anima, quæ ipsi appropinquat dolendo, & pœnitendo, & cor, quod nouit amaritudinem peccati, & dulcedinem diuini amoris, continuò liquefit, & per oculos, ac lacrymas effunditur. Si enim de humanis lacrymis dicitur, quòd igne charitatis liquefacta pietas per oculos fluat, sicut videre est apud Bernard. Serm. 2. in Cant. ante med. vbi de Iosepho plorante ad conspectum fratrum. Gen. 45. Et de Samuële lugente Saülem. 1. Reg. 16. ita ait. Ioseph increpatoria verba vultu proferebat irato, sed erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices, sed gratiæ proditrices. Samuel lugebat Saül, qui se quærebat occidere, & ad ignem charitatis incalescente pectore liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos, &c. Si in homines amor ita liquefacit viscera, & corda, quanto magis putandum est ad ignem diuini amoris, imò ad ignem peccata consumentem, nempe Deum, nostra corda emolliri, & liquefieri, vt per oculos in conspectu Domini effundantur? Quapropter illi admodum placent lacrymæ, cùm per eas id, quod potissimum habemus, nempe cor, ipsi offeramus, & amorem protestemur, ac vera desideria propalemus. Sunt siquidem lacrymæ, sicut appellauit Philo lib. de migratione Abrahæ, liquefacta desideria; distillantur enim desideria nostra in lacrymas, per quas ad id, quod maximè quærimus, & optamus, extendimur. Videndus Plin. lib. 11. naturalis histor. cap. 36. ante med. cùm ait. Profectò in oculis animus inhabitat; hos cùm osculamur animum videmur attingere. Hinc fletus, & rigantes ora riui. Quis ille humor est in dolore tam fœcundus, & paratus? At vbi reliquo tempore? Animo autem videmus, animo cernimus. Oculi, seu vasa quædam visibilem eius partem accipiunt, atque transmittunt. Sic ille ostendit quomodo lacrymæ nobis propalent, & proponant ipsam latentem animam, eiúsque affectus. Vnde Augustin. 9. Confess. cap. 12. de morte parentis suæ dixit. Premebam oculos eius, & confluebat in præcordia mea mœstitia ingens, & transfluebat in lacrymas. Similia habet Bernard. Serm. 26. in Cant. ante med. cùm de morte Gerardi fratris sui ait. Viam tandem internum dolorem inuenisse, vt per oculos proderetur, quãtumuis ille reprimere conaretur, quod de Iosepho etiam narrat Scriptura. Genes. 45. *Non se poterat vltra cohibere Ioseph, eleuauitq́, vocem cum fletu, &c.* Quousque, inquit, dissimulo, & ignis, quẽ intra meipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? Clausus latiùs serpit, sæuit acriùs. Quid mihi, & Cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, & indignatio Domini

Marginalia: Psal. 61. nu. 9. — Gen. 45. nu. 1. — 1. Reg. 16. n. 1. — Gen. 45. nu. 1.

Domini ebibit spiritum meum; sed feci vim animo, ac dissimulaui vsque huc, ne affectus fidem vincere videretur. Non potui imperare tristitiæ, qui potui lacrymæ, sed vt scriptum est Psalm.76. *Turbatus sum, & non sum locutus*; at suppressus dolor altiùs introrsum radicauit; eò (vt sentio) acerbior factus; quò non est exire permissus; fateor victus sum. Exeat necesse est foras, quod intus patior, &c.

Videndus in hanc sententiam Gregor. homil. 21. in Ezech. ante fin. cum de Iosepho occultante se coram fratribus, & reprimente animam, quæ ad ipsos amplexandos properabat, ait soluisse tandem lacrymis effusis, quod animæ debuerat volenti pietatem ostendere. Cognouit, inquit Gregor. fratres non cognitus, sed memor culpæ, & remissor iniuriæ, mala fratrum nec reddere studuit, nec sine purgatione laxare. Nam suspecta voce protinus
Gen. 42. nu.14. dixit. Genes.42. *Exploratores estis vos; vt videatis inferiora terræ venistis. Per salutem Pharaonis nō egrediemini hinc.* Inter hæc ducuntur ad carcerem, & post triduum adhuc in eadem asperitate terrentur. Inter hæc tamen Ioseph amore vincitur, secretum petit; soluit flendo, quod pietati debuit. Pietas clausa prorupit ad medium, & excussit charitatis lacrymas de vultu seueritatis, detersa est ira, quæ apparebat, & non erat, & ostensa misericordia, quæ erat, & non apparebat, &c. Videndus etiam Basil. hom. de gratiarum actione, post med. vbi dicit lacrymas non esse continendas, ne vitam interimant, cùm enim secum deferant dolorem, & tristitiam, desideria item, & amorem, quæ exire contendunt, vt animam laborantem ostentent, si cohibeantur, proculdubio veluti suffocantes spiritum intercludent. Quod cernere possis in flamma inquit Basil. quæ introclusione suffocatur proprij fumi, qui cùm liberè egredi non queat, cōmplexam flammam suo opprimit ambitu, &c.

Videndus item Aristot. lib. problem. sect. 27. vbi, quærit cur qui dolent, loquantur, & gemant, qui verò timent, tacent. Respōdet autem, veros dolores, vel omnes, vel saltem plurimos calore iuuari atque augeri, calorem autem auget, qui suum spiritum cohibet. Hinc fit, vt dissoluatur spiritus in gemitus, ac lacrymas, vt dolor minuatur. Et Elias Cretens. in Orat. 11. Nazianz. loquens de lacrymarum origine eam reducit in calorem compressum, ac proinde asserit esse soluendum in lacrymas, ne si spiritus calore accendantur, totus homo ardeat. Quo sensu transtulit Vulgatus interpres illud Iob 10. *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum*, quòd Hebr. habetur. *Vt tantisper refrigerer.* Græcè Iob 10. nu.20.
autem. *Vt tantisper conquiescerem.* Solent enim lacrymæ & refrigerium, & quietem afferre, dum animus per lacrymas manifestatus, & expositus dolorem suum aperit, & affectū prodit dilecto, cui non melius se potest manifestare, quàm per lacrymas, quæ & desideria, & cæteros animi affectus liquefactos reddunt, & proponunt, & ideo a Deo plurimi fiunt lacrymæ, qui cùm interiora spiritus omnimodè agnoscat, gaudet dum ad extra videt, quidquid in animo latet ab ipso cognitum, & externis signis contestatur.

Aduertit autem Seneca lib.1. natural. quæstion. cap. 6. omnia per aquam videntibus longè esse maiora. Literæ, inquit, quamuis minutæ, & obscuræ sint per vitream pilam aqua plenam maiores, clarioresque cernuntur, poma formosiora, quàm sint, videntur, si innatant, &c. Haud-

quaquam

quaquam poteſt diuina ſapientia, & veritas decipi, aut falli, attamen video immenſum, & omnia complentem Deum mirari mulierem lacrymantem, dum ait. *Vides hãc mulierem?* Luc. 7. Video item & multum illius amorem prædicare. *Quoniam dilexit multum.* Vidit vtique illam lacrymis natantem, vidit fletu opertam, ea autem, quæ per aquam videntur, maiora conſpiciuntur, proinde qui magnus voluerit apparere cum virtute, & ſanctitate coram Domino, ipſum conueniat in planctu, & lacrymis, quæ ipſi præ omnibus placent, ſicut
Cant. 5. nu. 2. oſtendit locus ille. Cant. 5. *Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Vbi Chald. paraphraſis habet. *Conuertere ad pœnitentiã, & exulta, & lauda me ſoror mea, quia cõparata es colũbæ in perfectione operũ tuorum, quoniam capilli capitis mei pleni ſunt lacrymis tuis, ſicut vir, cuius cincinni pleni ſunt de rore cœli, & cincinnus cæſariei meæ plenus eſt guttis oculorum tuorum.* Ecce quantum reputet Deus columbinos gemitus, & plorantium lacrymas, cùm eas ſuper caput ſuum collocet, eiſque veluti gemmis, & vnionibus cæſariem adornet, ac veluti coronam capiti adaptet, & imponat: tantùm lacrymarum pretium, vt non in terram cadere, ſed ſuper cincinnos aſſumere videatur. De muliere peccatrice dixit Chryſol. Ser. 93. in med. En mutatur ordo rerum, pluuiam terræ cœlum dat ſemper. Ecce nunc rigat terra cœlum, imò ſuper ethera & vſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum, vt iuxta Pſalmiſtam, & de aquis fletuum
Pſ. 148. nu. 4. cantetur illud. *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Pſal. 148. O quanta vis in lacrymis peccatorum rigant cœlum, &c. Non mirum igitur quòd lacrymæ rigent cœlum, & ſuper æthera collocentur, cùm vel etiam ſuper caput Domini poſitas videamus lacrymas. Quæri ſolet apud ſacros Interpretes, cur ſecundo natus Abel præpoſitus fuerit primogenito Caino, dum Geneſ. 4. Prius de Abele dicitur, *Fuit Abel paſtor* Geneſ. 4. nu. 2. *ouium* &c. Etenim Abel iuxta multorum interpretationem luctũ ſignificat, iam verò lacrymæ apud Deum præcipuum locum obtinent, nempe caput, cùm ſuper illud collocentur, tanquam præclariores, quod eleganter proſequitur Guarric. Serm. 2. de Pentecoſt. à med. dicens. Vos ipſi fratres ſi æmulari meliora chariſmata didiciſtis, optate gemitus ab ſpiritu vobis infundi. Neſcio ſi ſit in donis ſpiritus aliud conuenientiùs, aut commodiùs his, qui ſunt infirmitate, & miſeria circumdati; neſcio ſi Spiritui Sancto, qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, & planctu noſtro. Puto quia nec in Apoſtolis hodie locum inueniſſet Paracleti conſolatio, niſi quia lugebant ſe deſolatos, quia non poterant nõ lugere filij Sponſi, cùm Sponſus ſublatus eſſet ab eis luctus prius, atque religioſus in doctrina Spiritus, & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus: quippe cùm ſit ſumma ſapiẽtia Sanctorum, cuſtodia iuſtorum, ſobrietas modeſtorum, prima incipientium virtus, proficientium ſtimulus, perfectorum cumulus, pereuntium ſalus, periclitantium portus, promiſſionem denique habens conſolationum, quæ nunc ſunt, & gaudiorum, quæ futura ſunt. Sic ille oſtendit quomodo præcipuas partes ſortiantur lacrymæ in ordine ſpiritus, vnde quia & Deus ſpiritus eſt, eis potiſſimum locum tribuit. Vnde Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 39. ait. A Creatore noſtro cum magno gemitu quærenda eſt lacrymarum gratia.

Videndus in hanc ſententiam Albinus

binus Flaccus in Pſalm. 50. ibi: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* quod ille ſic explicat. Iſtud damus ſacrificium Deo ſpiritum confeſſionis humilitate mactatum; vnde non ſanguis egreditur, ſed lacrymarum flumina decurrũt, &c. Quo in loco non reiicit à ratione ſanguinis lacrymas, ſed longè nobiliores in effectu eſſe innuit, vt non ſolùm veluti effuſus ſanguis diuinam iuſtitiam ſibi concilient, & reddant beneuolam, ſed etiam abluant, vt mundam reddant animam, & irrigent, ac fœcundent, vt cumulatiores, & vberiores fructus proferat.

Quòd igitur lacrymæ abluant, & purificent probat Chryſoſt. homil. 5. de pœnitent. cùm expendit verba illa *Pſalm. 6. num. 7.* Pſalm. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratũ meum rigabo.* Vbi ait: Etſi lacrymarum vbertatem voluiſſet oſtendere, ſatis fuerat dixiſſe, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Quare ergo præuenit lauabo? Vt oſtenderet lauacrum, & purgatorium peccati lacrymas eſſe. Nullã olim incendebatur Deo in altari hoſtia, quæ priùs abluta non eſſet, nec modò placere poteſt oblatio peccatoris, qui priùs ſordes lacrymarum aquis non mundauerit. *3. Regum 18. n. 34.* Elias 3. Reg. 18. Holocauſtum Deo offerendum non ſemel, ſed iterum, ac tertiò aqua iubet perfundi; perfuſum verò cœleſtis incendit ignis. *Implete*, inquit ille, *quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumq́; dixit. Etiam ſecundò hoc facite. Qui cùm feciſſent ſecundò, ait: Etiam tertio idipſum facite. Cecidit autem ignis de cœlo,* &c. Vides igitur ignem de cœlo incendiſſe aquâ delibutam hoſtiam, vt agnoſcas placitam Deo eſſe eam oblationem, quę aqua lacrymarum fuerit delibuta, neque id tantùm ſemel, ſed bis, ac tertiò, atque adeò multoties.

Et hæc ſanè erat poſtulatio illa Dauid. Pſalm. 50. cùm dicebat. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Ampliùs, hoc eſt, ſecundò, ac tertiò, vberiuſque, & copioſiùs; copioſiore enim lotione opus eſt, vbi prior non ſufficit, ſicut ait Genebrard & ſic perfundendum lacrymis holocauſtum; vbi rectè Ambr. ait: Grandis ſqualor, ac macula non exiguo, ſed multò aufertur lauacro. Sic igitur perfuſam victimam, ita charitas inflammat, vt facilè poſtea non poſſit extingui. Videndus Cæſarius Arelat. Epiſcop. homil. 10. vbi inter alia, ait: Oportet vnumquemque ſuper ſeipſum quaſi ſuper mortuum conclamare, & magnos ſuper extinctam animam dare planctus. Et quomodo ſolet mater ſuper mortuum vnicum filium lamentari: ſic oportet ſuper vnicam animam noſtram criminis gladio interfectam totum pondus doloris effundi, &c.

D. Cyprian. in lib. de lapſis, ait: Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter, & fleres; facie inculta, & veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto, indicia mœroris oſtenderes. Animam tuam miſerè perdidiſti, ſpiritaliter mortuam ſuperuiuere hic tibi, & ipſe ambulans funus tuum portare cœpiſti, & non acriter plangis? Non iugiter ingemiſtis? &c.

Quòd ſi verearis ne fons deſit, vnde aquam haurire poſſis, non longè ea tibi petenda eſt, domi namque, & in pectore habes. Cor ipſum tuum fons eſt, quod per oculos aquas emittit, vnde Ioël. cap. 2. ait: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Et Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit*; deſpicit autem cor durum, in ſcelere obfirmatum, quódque cùm omnibus deflendum

Pp ſit

sit lacrymis, infcitum tamen est lacrymarum, iuxta illud Ambros. in Psalm. 118. Octon. 7. vers. 7. vbi ait: Nescit flere, qui flenda committit, & cùm sit ipse lacrymabilis, non habet culpæ lacrymas suæ. At ille, qui castigat corpus suum, & sui sollicitus gubernator est, atque ingemiscens, & dolens, lapsus superioris offensam quærit; quomodo abluat fletibus pœnitentiæ, hic lauat per singulas noctes lectum suum, &c. Ex iis sane erant illi, de quibus idem Ambros. libr. 1. de pœnitent. cap. 16. sic scribit: Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus calcandum omnibus; ieiuno ore semper, & pallido, mortis speciem spiranti in corpore prætulisse, &c. O beatum pœnitentiæ aratrum, fletibus genas exarans! O beatos vultus sulcos! O beatam lacrymarum pluuiam! Vberrimam sanè gloriæ segetem huiusmodi sulci proferent. Prostratum corpus extolletur, ieiunium satiabitur, pallidum decorabitur, mortis speciem præferens, æterna vita perfruetur.

Videndus in hanc sententiam Chrysostom. homil. 9. de pœnitent. ad finem, vbi vocat lacrymas secundum baptisma, propter virtutem abluendi, quam habent ad purificandas animas, sic enim ait de Petro amarè flente. Christus respiciens Petrum, vocem dimisit per ipsum intuitum; non enim ore locutus est, ne ipsum fortè inter Iudæos redarguat, & proprium confundat discipulum, sed per oculum dimittens vocem: quasi diceret; quod dixi factum est. Tum Petrus sentiens cœpit flere, & non fleuit solùm, sed amarè, secundum baptisma per lacrymas ex oculis ostendens. Similia sunt quæ habet Chrysolog. Serm. 107. vbi ait lacrymas peccata baptizare, & abluere. Similia habet Chrysost. hom. 14. in Matc. quæ est vltima, vbi loquens de Magdalena ait: Videtur quidem pedes lauare lacrymis Saluatori, sed magis lauit peccata sua.

Facit in hanc sententiam Elias Cretens. in Orat. 11. Nazianz. nu. 16. vbi Nazianz. laudat sororem suam, quòd lacrymis profusis animi labes expiauerit. Fluminis instar, inquit Elias Cretens. ex oculis lacrymas emittebat, quibus animæ sordes eluuntur: quæ quidem nisi diuinitus hominibus datæ fuissét, quemadmodum ait Sanctus vir, ac diuina sapientia præditus Ioannes Climacus, pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur. Etenim baptismus pristina quidem vitia expurgat: lacrymæ autem ea, quæ sequuntur: atque illum quidem, cùm nos omnes tenera ætate accipiamus, postea inficimus: per has autem illum etiam repurgamus, &c. Prosequitur hoc argumentum Gregor. 9. moral. cap. 35. vbi inter alia ait: Quidquid in nobis polluerunt opera, diluant lamenta, &c.

Neque mirum si lacrymæ habeant virtutem abluendi propria peccata, quando & virtutem habent diluendi aliena, vnde de lacrymis Christi Domini nascentis dixit Ambros. Luc. 2. ad illa verba: *Impleti sunt dies, vt pareret.* Meum, inquit, paupertas illius patrimonium est, me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ delicta lauerũt. Plus igitur Domine iniuriis tuis debeo, quòd redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum. Et Paul. ponderat Hebr. 5. Christum lacrymas simul, & sanguinem in cruce effudisse, vt nos pariter cum sanguine, & lacrymis abluisse ostenderet; quod aduertit Bernard. Serm. 3. in Dominica palmarum paulò ante fin. cùm ait: Christus non contentus fuit lacrymis

Luc. 2.

Hebr. 5. num. 7.

crymis

crymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra flere, & lauare voluit.

Quòd verò lacrymæ lauent, irrigent, fœcundent, & rigando vberiores faciant reddere prouentus probat Chrysostom. homil. 6. in Matth. post medium, vbi interpretatur illud Pauli: *Gaudete in Domino semper*; de voluptate lacrymarum Paulus ait: *Gaudete in Domino semper*. Philipp. 4. dixit hoc quidem, sed eam proculdubio, quæ ex lacrymis nascitur, significans voluptatem, secundùm Dominum lacrymæ iugem pariunt, certamque lætitiam. Illa in Euangelio meretrix virgines quoque ipsas voluptate superauit, & incredibilis in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lacrymarum fonte purgata. Sicut post vehementes imbres, mundus aër, ac purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas, omnísque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissoluitur. Et sicut ex aqua, & spiritu, sic rursus ex lacrymis, & confessione purgamur. Lacrymę Annę emittebant ad Deum vocem omni buccina clariorem, quando *labia eius mouebantur; vox autem eius non audiebatur*. 1. Reg. 1. Et idcircò sterilitatem eius infœcunditatem Deus mutauit, & quasi è duro quodam saxo agrum fertilem reddidit.

Philip. 4. num. 4.

1. Reg. 1. num. 13.

Similia sunt quæ habet Theodor. quæst. 5. in 1. Reg. Et Chrysost. hom. 4 ad popul post princip. ait: Non sic sciruna delatus imber germinare, & crescere facit, vt pietatis semen excitat, & vernare facit ex lacrymis ruens imber; hic animam detergit, irrigat mentem, &c.

Nouerat fructuosas lacrymas Dauid, qui maximè verebatur, ne sine imbre lacrymarum sterilis omnino redderetur anima, veluti petra arida, vel sicut petra, in qua semen præ inopia humoris omnino aruit, sic enim interpretatur Bernar. Serm. de fallacia præsentis vitæ, post princip. illud Psalm. 146. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi*. De se ipso (inquit Bernard. de Dauide) miserabiliter conquerens ait: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Siquidem aquæ inopia non modò aridum, sed & sordidum facit, dum non est quo laueris: & humanum cor lacrymas nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est. *Lauabo*, ait, *per singulas noctes lectum meum*, vt conscientiæ maculas diluam, *Lacrymis meis stratum meum rigabo*. Psal. 6. Ne in me quoque fiat, quod scriptum est de semine. Luc. 8. quod *cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebit humorem*.

Psal. 146. num. 6.

Psalm. 6. num. 7.

Luc. 8. num. 6.

Sed nullus melior fructus lacrymarum potest assignari, quàm quod Deum inueniant, & plorantes oculi auxilium, cum fletu inquirentes approximantem, & subuenientem cernant Deum, quod bene expendit Hieronym. ad illud Oseæ 12. *Inualuit ad Angelum, & confortatus est; fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus est nobiscum*. Ait ergo ibi Hieronym. Si quis igitur flet, & agit pœnitentiam, & Dominum deprecatur, inueniet eum in dolore cordis sui. Et cùm eum inuocauerit, sibi audiet respondentem, &c. Facit in hanc sententiam Bernard. Serm. de conuersione ad Clericos, vbi asserit oculos lacrymantes aperiri, & corroborari, vt inaccessibilem lucem diuinitatis vbique existentem intueri possint, & veluti inuenire, quam caligans peccato oculus conspicere non valebat; inde enim est, quod plorans Deum inueniet, quem antea minimè experiebatur præsentem. Curatur, inquit Bernard. lacrymis oculus

Oseæ 12. num. 4.

oculus ante caligans, & acuitur visus, vt intendere possit in serenissimi luminis claritatem, &c. Est optimus in hanc sententiam locus apud Nazianz. Orat. 17. post princip. vbi ex Græco affert textum Ezechiel. 18.

Ezec. 18. *Si conuersus ad Dominum ingemueris, saluus eris.* Videtis, inquit Nazianz. quemadmodum salus cum gemitu coniuncta sit? Et adhuc te loquente dicet: Ecce adsum, &c. Quibus ostendit, quàm citò anima plorans Deum inueniat.

Suffragatur huic sententiæ Chrysost. homil. 6. in Matth. vbi describit vitam hominis probi, quales profectò erant primi Christiani in hunc modum. Iste talis ea, quæ videntur, cuncta despiciens, in compulsione continua perseuerat, largo assiduè fluens fonte lacrymarum, multamq; hinc capiens voluptatē. Nihil quippe ita conglutinat, atque vnit Deo, vt illæ lacrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. Quod etiam agnoscens Ecclesia Catholica in officio feriali feriæ tertiæ ait: *Iesum cieamus vocibus.* Vocatur enim, attrahitur, & conglutinatur Deus lacrymis nostris. Vnde Gregor. 3. Dialogor. cap. 34. ait magnis lacrymis quærendas à Deo esse, & postulandas lacrymas, vt eisdem Deum quæramus, vocemus, & possideamus. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non splendidæ, & eximiæ gemmæ, non cætera, quibus hominum mentes ad lenitatem, & clementiam inflectuntur, &c.

Nihil itaque tantùm valet apud Deum, quantum lacrymæ nostræ ante ipsum effusæ, quæ proinde valent, & gehennæ ignem extinguere, & flammam diuinæ iræ à peccatis nostris succensam, & excitatam comprimere, ac sopire. Ideò namq; Chrysolog. Serm. 93. post med. ait: O quanta vis in lacrymis peccatorum! Rigant cœlum, terram diluunt, extingunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam.

Prosequitur hoc argumentum Bernard. Serm. in illud Iob. *In sex tribulationibus liberabit te,* &c. post med. vbi ait: Per ignem nobis transeundum est, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi reuelabitur vniuersa impuritas, ibi veritas ipsa accepta tempore iustitias iudicabit. Quidquid nunc paruipendendo transibimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quantò illic cruciatu vindex flamma consumet? Vtinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lacrymarum? Fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset.

Videnda in eandem sententiam sunt, quæ habet idem Bernard. Serm. 16. in Cant. in med. dicens: Paueo gehennam, paueo iudicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus: contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, & ignem rodentem, fumum, & vaporem, & sulphur. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* Præueniam fletibus fletum, & pondus catenarū prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium.

Et Chrysostom. homil. 20. ad pop. ante med. ait: Luge ante tempus, ne illic audias. Nunc pœnitentiam agis,

cum

cùm non est tempus pœnitentiæ. Lugeamus pro his, quæ peccauimus, distillemus lacrymam in genas, & pectus tundamus, vt illic dentium stridorem effugiamus, lugeamus, vt beatificemur, vt expectatam fugiamus pœnam. Venite præoccupemus faciem Domini in confessione. Quòd verò virtutem habeant lacrymæ ad extinguendam sententiam latam, potest deduci ex illo Pauli Coloss. 2. cùm de Christo crucifixo ait: *Delens quod aduersus nos erat chirographũ, quod erat contrarium nobis:* Vbi per chirographum decreti intelligitur obligatio ad pœnam æternam iuxta decretum Dei, & sententiam damnationis in Adamum, & posteros eius peccantes latam; quod benè exponit D. Thom. ibi his verbis. Dicitur decretum, eò quòd peccatum non tantùm manet in memoria, sed etiam in decreto Dei, quo decreuit illud punire. Cùm verò Deus illud remittit, non remittit sic, vt faciat quod non peccaueris, sed sic, vt peccatum admissum deleat, quasi de sua memoria, & decreto, in quo illud reseruabat ad vindicandum, & puniendum, simúlque facit, vt peccatum non maneat in memoria dæmonis ad accusandum. Sic ille.

Coloss. 2. nu. 14.

Alij explicant, vt chirographum sit obligatio ad pœnã æternam, quam sponte peccando quasi manu nostra subscripsimus, nósque diabolo, quasi vindici, hac obligatione obligauimus. Estque allusio (secundùm hanc sententiam) ad syngraphas creditorum, & debitorũ, per quos metonymicè accipit ipsum debitum, quod solent syngraphæ continere. Chirographum ergo non est aliud, quàm obligatio reatus, & debitum pœnæ æternæ, ita certum, & liquidum, ac si chirographo & manu nostra consignatum extaret. Ita August. in Psalm. 68. Gagnæus, & alij. Declaratúrque ex illis verbis Origen. homi. 13. in Genes. vbi ait: Quisque dum peccat, peccati sui literas scribit. Hoc igitur chirographum sanguine suo effuso, deleuit Christus Dominus affigens illud cruci, idest, cassauit illud, & aboleuit sua cruce, ac morte. Ita etiam Theodoret.

Ad hoc igitur Christi factum alludens Chrysolog. vt virtutem lacrymarum ostendat, dicit ipsas delere quantamcumque contra quoduis facinus latam sententiam, vt liber euadat, qui plorat, & peccata extinguat, viuus verò remaneat, qua in re recolendum est, quod dixit Nazian. Orat. 1. contra Iulianum, scilicet, lacrymas esse peccati diluuium, & mundi piamentum. Licèt enim primum diluuium peccatores extinxerit, non tamen extinxit chirographum, imò iuxta illud, perpetuæ damnationi traditi sunt, at peccatum extinctum est, quia vlteriùs non potuerunt illi ipsi peccare: at in diluuio lacrymarum, peccatorum chirographum abolitum est, & extinctum, peccatores verò, collata gratia, rediuiui ad iustitiam redditi sunt.

Damnauerat diuina iustitia impium Achab per præconem Eliam ob morte Naboth 3. Reg. 21. *Occidisti insuper, & possedisti. Hæc dicit Dominus, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambẽt quoque sanguinem tuum, &c. Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq́; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite, & factus est sermo Domini ad Eliam dicens: Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Hanc igitur pœnitentiam Achab cum lacrymis fuisse factum asserit Chrysostomus qui item expendit lacrymis de-

3. Reg. 21. n. 19.

leuisse sententiam, quam Dominus contra ipsum tulerat, homil.22. ad popul. post princip. Non lætari, sed plangere conuenit,& credere di-
Ps.4.n.5. centi: *Quæ dicitis in cordibus vestris,& in cubilibus vestris compungimini.* Psal. 4. vt quæ in die fecimus, in nocte meditati gemamus. Ita compunctus Achab vestem scidit, & indutus est sacco, & plorauit:& quid Dominus? Non inducam malum,inquit in diebus ipsius.Propterea & Saluator ait:
Matth.5. *Beati qui lugent,* Matt.5.non mortui, non iacturam, sed peccatum; vt dicam, sicut Dauid inquit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis*
Ps.6.n.7. *meis stratum meum rigabo.* Psalm.6.&
Ps. 118. rursum. *Exitus aquarum deduxerunt*
nu.136. *oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Psal.118. Ablue lacrymis peccatorum sordes, frontem verbera, pulsa pectus, in sensum veni eorum, quæ peccasti,&c.

Et Theodoret.q.60. in lib.Reg.in med. ait:Bonitatis abyssus Dominus Deus propter cædem quidem minatus est exitium: propter lamentationem, quam fecit ob metum largitus est dilationem supplicij. Et Tertull. lib.4. contra Marcionem,cap.10.ait. Lego Achab Regem reum idololatriæ, & sanguinis Nabothæ veniam meruisse pœnitentiæ nomine,&c.Et Hieron. epist.ad Oceanum, tractans illud,*Nónne vidisti Achab humiliatum coram me?*ait. O fœlix pœnitẽtia,quæ ad se Dei trahit oculos,quæ furẽtem sententiam Dei cõfesso ore mutauit.

Vnde Greg.homil.10.in Ezechiel. Procop. Lyran. & Carthusian. atque etiam Theodoret. q.citata in li. Reg. Rupert. in cap. 5. Oseæ existimant nunquam verè pœnituisse, licèt oppositum teneat Hieron. in epitaphio Fabiolæ, & in epist.ad Rusticum, & Aug. ser 58. de tempore, qui tamen addit non perseuerasse in pœnitentia. Et citatus Gregor.aduertit,quod spontanea pro culpis afflictio placet etiam in eis,qui displicent,&c.Quod non ineptè colligi potest ex eo, quod Dominus dixit ad Eliam Thesbitem: *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me?* Notanter enim de præterito ait: *Nónne vidisti?* quasi ægrè ferens, statim atque pœnitere hominem peccati cœpit,non statim spectari,& prædicari ab vniuersis mortalibus eius pœnitentiam, quæ Deo tantopere placet, quam etiam statim sui decreti, & minarum intentarum à Propheta, quasi pœnitentiæ temperatione prosequitur benignissimus Deus,dicens: *Quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Quid igitur non poterunt veræ pœnitentis lacrymæ, quomodo non abolebunt chirographum,& sententiam cõtra peccatorem latam quando fictæ, vel temporaliter effusæ, sic. inuertunt iratum iudicem, & timore profusus fletus sic flectit districtum brachium,& gladium?

Hoc etiam prosequitur Ephræm tract.de pœnitentia ad fin.vbi expendit,quomodo pœnitens transgrediatur murum, quo peccator separatur à Deo, & prohibetur ei accedere, vt sententiam latam superet, vincat, & deleat. Sic enim interpretatur illud Ps.17.*In Deo meo transgrediar murum.* Psal. 17.
In pœnitentia, inquit ille, nam lex nu.30.
veluti murus impium vetat ad Deum accedere: at pœnitentia alias ei præbens efficit,vt altiùs euolet vsque ad conspectum Dei,superat sententiam Dei,&c.

Cùm ergo tanta sit lacrymarum vis,quæ & peccata abluit,& sententiam contra peccatorem latam delet, & flammam diuinæ iræ, imò ignem diuinæ iustitiæ extinguit, vnde Ambr.ser.15.inter alia ait.Vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniuriis, sed lacrymis exorando, non blasphe

blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo, & dolendo, ô beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur. Aggredimur in itinere Dominum & more latronum suis eum spoliare nitimur; cupimus illi auferre regnum, & thesauros: sed ille tam diues, & largus est, vt non resistat, & cùm omnia dederit, omnia possideat, &c.

Cùm itaque tanta sit lacrymarum violentia, meritò Ezechias cùm videt Dei iustitiam ob admissam culpam in ipsum desæuire, & lethali morbo correptum ad portas mortis se iam adesse, gemitibus, & fletibus diuinam implorat clementiam, accensum contra se furorem, & flammam extinguit, mortis sententiam latam delet, docẽs nos quid in simili euentu, dum opprimimur, & laboramus, debeamus facere, ídque non aliud esse ostendit, quàm peccata nostra plangendo abluere, diuinam nobis conciliare benignitatem, lacrymis effusis, quæ Deo animam vniunt, & flammam, quam peccando accendimus, ne vlteriùs progrediatur, & in æternum euadat ignem, fletibus extinguere, ac sopire.

ANNOTATIO V.

In supplicijs nobis à Deo illatis nulla nobis subest ratio conquerendi.

VErba illa nostri textus, *Quid dicam, aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit*, quod alij legunt, *cùm ipse fecerim*, duo nobis obseruanda proponunt, scilicet in suppliciis nobis à Deo illatis nullam superesse rationem conquerendi, arguendíve Deum, tum quia iustus Dominus nihil iniustum operatur, nihílque, quod non sit bonum, à bono Domino prouenire potest; tum quia cùm nos impij, & sceleratissimi simus; cùm ob scelera, & impietates nostras plectimur, nobis potiùs imputare possumus, & debemus; quæ patimur, quàm de Deo conqueri, à quo iustissimè corripimur, atque adeò nihil dicere possumus, dum patimur cùm ipse fecerit, qui in recta iustitia, & æquitate omnia facit, & quæ etiam acerba videntur in nostram multoties vtilitatem, profectum, & meritum dirigit, & conuertit; vnde vt taceamus hoc satis est si mente versemus Deum esse, qui pœnas irrogat; nihil item habemus, quod dicamus, dum nos ipsi facimus, & cõmittimus ea ratione quorum à Deo affligimur, & opprimimur dum nos catenas, quibus constringimur, fabricamus, & virgas, quibus cædimur, ministramus. Horum vtrumque supereſt ostendamus.

Primum quidẽ prosequitur Greg. 2. moral. c. 1. vbi ponderat Iobũ audiditis nũciis, qui ad ipsum detulerant, & facultatũ omniũ absumptionem, & filiorum orbitatem, corruentem in terra adorasse, quod ipse nõ ad insensibilitatẽ, sed ad virtutis constantiam refert, dicens. Nonnulli magnæ constantiæ philosophiam putant, si disciplinæ asperitate correpti ictus, verberúmque dolores non sentiant; nõnulli verò tã minis percussionum flagella sentiunt, vt immoderato dolore commoti, etiam in excessu linguæ dilabantur. B. Iob, quia veræ philosophiæ regulam tenuit, contra vtraque mira se æquitatis arte reseruauit: vt nec, quasi dolorem non sentiens, flagella spetneret: nec rursum vltra modũ dolorem sentiens, cõtra iudiciũ flagellantis insaniret. Cũctis enim rebus perditis, cunctis liberis amissis, surrexit: *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruẽs in terrã adorauit.*

Quòd

Quòd vestimenta scidit, quòd tonso capite in terram corruit; monstrat nimirum, quia flagelli dolorem sensit. Quod verò additur adorauit: apertè ostenditur, quia in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit, &c.

Clariùs adhuc locutus est idem Gregor. cap. 13. eiusdem lib. cùm explicat id, quod addidit B. Iob afflictus, & rebus omnibus spoliatus: *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Sic verò habet. Fortasse fuerat dolendum, si quod Dominus dedit, hostis abstulisset, at postquam non abstulit nisi ipse, qui dedit, sua respicit, non nostra abstulit. Cùm in hac vita ea, quæ nolumus patimur, necesse est, vt ad eum, qui iniustum velle nihil potest, studia nostræ voluntatis inclinemus. Magna quippe est consolatio in eo, quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta Deo placere scimus: pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus, iusta sunt cuncta, quæ patimur, & valdè iniustum est, si de iusta passione murmuramus, &c.

Optima sunt in hanc sententiam quæ habet Chrysost. hom. 40. in Gen. in med. vbi ait. Vniuersorum Deus nostri curam agens, non semper in aduersis nos manere relinquit; vt non opprimatur nostra infirmitas, sed celeriter & ipse opitulatur, firmans nostrã alacritatem, & mentem excitãs. Neque semper in prosperitate nos esse relinquit, vt ne fiamus negligentiores, & in vitiorum partes trãsfugiamus. Humana enim natura quando multũ prosperè ei succedit, suæ obliuiscitur nobilitatis, neque intra suos limites subsistit, idcirco quasi clemẽtissimus Pater aliquando nobis indulget, aliquãdo castigat, vt variis viis nostræ animæ salutem curet. Quoniam & medicus quãdo infirmũm curat, neque semper in fame detinet, neque semper larga mensa frui sinit, vt nõ voracitas febrium patiẽs augeat morbum: fames verò infirmiorẽ eum efficiat: sed coniectans apud se quantę sint ægrotantis vires, & diligenter vtens arte, omnia sua in medium affert. Similiter & misericors Deus, &c. tum deinde cõcludit. Ideo obsecro cùm sciamus potentiam, & sapientiã medici animarum nostrarum, nũquam curiosè eius dispensationes inquiramus. Enimverò cùm eas neque mens nostra comprehẽdere valeat, magis obstupescamus, & glorificemus Deum pro omnibus, quòd talem habemus Dominũ, cuius dispensationem, neque mens nostra, neque humanæ naturæ ratio capere potest, neque enim tam benè scimus quid nobis expediat, quàm scit ipse, qui mentis nostræ captũ excedit. Itaque etsi præditi virtute in tẽtationes incidãt, ne turbẽtur, sed hinc meliorem spẽ concipiant: quia afflictiones, & tentamenta præmiorũ eis sunt materia. Quòd si in peccatis fuerint, & aduersa eis eueniant, ne propterea grauatim ferant, sciẽtes quia semper peccatores purificãtur aduersis, modo grato animo suscipiamus ea, quæ eueniunt. Grati enim famuli est non solùm gratum esse Domino quando vbertim pro sententia omnia succedũt; sed & vt in aduersis candẽ gratitudinẽ declarat. Sic ille probat quomodo occultis, mirisque, sed iustis modis nos Deus aliquãdo prosperis eueh at, deinde aduersis deprimat; nũquam verò taliter, vt illi quod dicere possimus, cũ ipse iustè omnia faciat, & prout maximè conuenire nouit. Vnde Ezechias lethali morbo correptus, ait, *Quid dicã, aut quid respõdebo, cùm ipse fecerit?* Quæ verba possumus aperire ex illo Paul. Rom. 9. *O homo tu quis es, qui respõdeas Deo? Nunquid dicit figmentũ ei, qui se fecit: quid me fecisti sic?* Roma. 9. nu. 20.

Quæ

Quę verba sic expendit Chrysostom. libr. 1. de Prouident. ad fin. in hunc modum Certè cùm medicus contraria his, quæ nobis salubria videntur, præcepit, siue algens membrum profluo fonti subiicere iubeat, siue alia huiusmodi efficere, nonnunquam reluctamur: sed cùm nobis antea persuaserimus artis illum ratione cuncta facere, prompte, ac libéter credimus, idque cùm ille sæpius fallatur: Deum verò, cuius viæ in omnibus incredibiliter à nobis distant, qui est ipsa sapientia, qui nunquam falli potest, puniemda curiositate perscrutabimur. Si omnia, quę fiunt causa, & ratione cognita, ita demum Deo paremus, non magni meriti esset, neque fidei ostensio ea res videretur. Cùm verò nihil horum penitus noscentes, ita quoque summa affectione mandatis eius omnibus cedimus, ex legitima obedientia, fideque integertima, maxima animabus nostris emolumenta conquirimus. Hoc solum nobis persuadere debemus, omnia nobis vtiliter à Deo inferri, non iam dudum inquirétes, neque huius ignorationes grauiter, vel cũ mœrore ferentes. Quòd si parentibus nostris, qui nobiscum eiusdem naturæ sunt, ita promptè, ita liberè obtemperamus, neque vlla ratione indignamur: Deo indignabimur, aut grauiter feremus, quod non illius omnia nobis explorata sunt, qui tanta excellétia hominibus præcellit, quantum ipsi capere non possumus? Et quid hac impietate grauius excogitari possit? Aduersus huiusmodi sanè B. Paulus indignans dicebat. Alioquin, *O homo, tu quis es, qui Deo respondeas? Nunquid dicit figmentũ factori suo, cur me ita fecisti?* Sicut enim lutum quocumque manus se formãtis duxerit, sequitur: ita hominem quæcumque Deus iusserit, ea sequi, & quæ ille intulerit, grato animo perferre conuenit: nihil omnino reluctando, vel curiosè addiscere curando. Sic ille ostendit quomodo minimè cuilibet liceat respondere Deo facienti, & percutienti, quod bene facto suo probat Ezechias, cum ait se nihil dicere, responderéve posse, cùm Deus intulerit morbum, & periculum induxerit.

Hoc etiam prosequitur Nazianz. Orat. 3. quæ est prima contra Iulian. ante med. cùm loquens de impio illo Imperatore suscipiente expeditionem contra Maxentium ait: Nec mirentur, qui Dei rationum, quibus omnia reguntur, altitudinem omni coniectura sublimiorem non assequuntur, nec opifici gubernatione cedere sustinent, nobis quidem certè sapientiori, suáque & quò, & quà vult ratione ducenti, non dubium autem quin ad id, quod meliùs est, atque ad morborum sanationem: quãtumuis ij, quibus medicina fit, indignentur, &c. Quæ verba sic explicat Elias Cretens. Hoc dicere coactus est, vt pudorem iis incuteret, qui de Dei iudiciis, quę, vt est apud diuinum Apostolum, inscrutabilia sunt. Rom. 11. Sententiã ferre cupiunt, atque cur hoc, aut illud ita, non autem aliter contigerit, curiosè inquirunt: cùm contra ipsi permittendum sit pro suo arbitratũ res nostras gubernare, ac ducere, iuxta incomprehensibilia sua iudicia, proculdubio autem in melius, atque ad animarum nostrarum sanationem, quamuis nos, qui castigamur, molestè feramus. Neq; enim fieri potest, vt qui bonus est, ad bonum nos non inducat, &c.

Quid ergo dicere, aut respondere poterit homo insipiens, cùm ipse fecerit, qui sapiẽtissimus Dominus est. Quid peccator, & iniustus mortalis, cùm iustus, bonúsque Dominus non nisi pro bono omnia faciat, qui, & quæ ipse, non facit, nec potest facere mala, ad bonum dirigat, & reducat?

Videndus in hanc sententiam Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 8. vbi totus est in ostendendo quomodo Deus creaturas suas diligat. Longè autem plusquam alia in re hominem diligere qui est pulcherrimum animal eorum, quæ ab ipso effecta sunt, pietateque, ac religione præditum: qui autem aliquid diligit, ei vult prodesse. Deinde etiam ostendit & Dei iustitiam, ac æquitatem, vt concludat Deum, cùm homines punit, ex iustitia, & æquitate, atque etiam ex amore punire, vt plectendo prosit potiùs, quàm noceat: tum deinde subiungit Deus non ex ira irrogat supplicium, sed, quod iustum est, considerat, nempe quòd non expediat propter nos prętermitti id, quod iustum; quos laus non mouet, incitat vituperatio: & quos tanquam mortuos vituperatio non excitauit ad salutem, eos ad veritatem expergefacit maledictum. *Flagella enim, & maledicta in omni tempore Sapientia.* Ecclesiast. 22. Eccle. 22. num. 6.

Cùm ergo Deus nobis inferat supplicia, quia iustus est, & nos illa mereamur propter ea, quæ fecimus, nihil profectò est, quod dicere possimus, imò æquum, & iustum est, vt tacentes patiamur; vnde Gregor. 10. moral. cap. 4. in fin. in hunc sensum interpretatur illud Paul. 1. Corin. 13. *Charitas patiens est*; quia illata mala æquanimiter tolerat. Si autem culpas perpendimus, profectò æquanimiter flagella toleramus: nec ex dolore charitas ad impatientiam proruit, cum suo iudicio conscientia addicit. Similia habet Cyprian. lib. de lapsis. Vnusquisque consideret, quod pati ipse mereatur, &c. Clariùs hoc prosequitur libr. contra Demetrianum, ante med. cùm ait: Indignatur ecce Dominus, & irascitur, & quòd ad Deum non conuertamini comminatur, & tu miraris, aut quæreris in hac obstinatione, & contemptu vestro, si rara desuper pluuia descendat, si terra situ pulueris squaleat, si vix ieiunas & pallidas herbas sterilis gleba producat, si vineam debilitet grando cadens, fieri ista, vel ad disciplinam contumacium, vel pœnam malorum declarat in Scripturis Sanctis idem Deus, dicens: *Sine causa percussi filios vestros, disciplinam non exceperunt.* Et Propheta dicit: *Verberasti eos, nec doluerunt, flagellasti eos, nec voluerunt credere, nec accipere disciplinam.* Ecce irrogantur diuinitus plagæ, & nullus Dei metus est. Quæreris quòd minus nũc tibi vberes fontes, & auræ salubres, & frequens pluuia, & fertilis terra obsequium præbeant, quòd non ita vtilitatibus tuis, & voluptatibus elemẽta deseruiunt? Tu famularis illi, cuius nutu vniuersa famulantur? Inter ipsa aduersa, quibus vix coarctata, & conclusa anima respirat, vacat malos esse, & in periculis tantis non de se magis, quàm de altero iudicare. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni malè viuendo mereamini, quasi non omnia ista, quæ accidunt, minora adhuc sint, & leuiora peccatis vestris? Qui alios iudicas, aliquando esto & tibi iudex, conscientiæ tuæ latebras intuere. Imò (quia nullus iam delinquendi vel pudor est, & sic peccatur, quasi magis pro ipsis peccatis placeatur) qui perspicuus, & nudus videris à cunctis, & ipse te respice. Aut enim superbia inflatus es, aut auaritia rapax, aut iracundia sæuus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut liuore inuidus, aut libidine incestus, aut crudelitate violentus, & miraris in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie quod puniatur? De sterilitate autem fame quæreris, quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat,

Margin notes: 1. Cor. 13. num. 4. — Hierem. 2. nu. 30. — Hierem. 5. nu. 3.

faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ concrescat ardor. Quæreris cludi imbribus cœlum, cùm sic horrea cludantur in terris. Pestem, & luem criminaris, cum peste ipsa, & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum, &c. & post multa in hanc sententiam, quibus ostendit mala illa, quæ tum temporis grassabantur, propterea venisse, in diesque augeri, quia peccata ingrauescebant, tandem concludit. Peccata itaque, & delicta reputentur conscientiæ, vulnera cogitentur, & desinet vnusquisque de Domino, & de nobis conqueri, si quod patitur, intelligat se mereri. Sic ille ostendit propterea homines aliquando de Deo puniente, deq; plagis, & ærumnis, quibus affliguntur conqueri, quia non recordantur peccatorum, quorum causa iustè à Deo plectuntur, hæc enim si mente versarent, cùm Ezechia ad querelas muti potiùs dicerent: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim?*

Quod etiam facere consueuere iusti, & in sanam mētem redacti, imò & propriam confitentes impietatem, Deum iustum, imò & benignum pleno ore prædicant. Dum namque verè expendunt, & inueniunt multò leuiora esse supplicia à Deo inflicta, quàm grauitas peccatorum, & scelerum admissorum exigat, cum Daniele dicunt. cap. 9. *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei. sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Hierusalem, & omni Israel: his, qui propè sunt, & his, qui procul in vniuersis terris, ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te. Domine nobis cōfusio faciei: Regibus nostris, Principibus nostris, & Patribus nostris, qui peccauerūt. Tibi Domine misericordia, & propitiatio, quia recessimus à te: & non audiuimus vocem Domini Dei nostri: & omnis Israël præuaricati sunt legē tuam, & declinauerunt, ne audirent legē tuam: & distillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in lege Moysi serui Dei; quia peccauimus ei,* &c. Super quę verba ita habet Hieronym. Non totam in nos effudisti iram, quam ferre non poteramus, sed stillam furoris tui, &c. Vbi aduertit propterea dixisse Prophetam maledictionem super eos stillasse, quia cùm ipsi ob multiplicem impietatem mererentur vt Deus super eos plueret laqueos, & sulphur, & flammas, præ misericordia tamen sua, quam ideò maximè ibi commendat Propheta, Deus solùm stillauit, & minimam inflixit portionem eorum, quibus satis dignè, & iustè affici meruerant.

Dan. 9. num. 9.

Vnde Eliud apud Iob 33. loquens de homine à Deo percusso, ait: *Respiciet homines, & dicet. Peccaui, & verè deliqui: & vt eram dignus, non recepi.* LXX. habent. *Non dignè in me inquisiuit pro his, quæ peccaui.* Quod in Hebr. breuiùs, sed significantiùs habetur. *Non fuit mihi æquale, seu, non fuit mihi æquū,* scilicet, supplicium, atque sceleribus meis commerueram, sed multò minus, leuiùs, & mitiùs mihi à Deo accidit. Vbi eleganter Hieronym. Magna res est, Deoque plurimùm acceptabilis, vt homo errores suos confiteri non erubescat, præsertim si pro eis se intelligat castigari: & ita se humiliet, vt quidquid castigationis sustinuerit, pro meritis suis parum se passum pronuntiet. Ita Hieronym. ostendit magnam esse Dei commendationem, si punitus à Deo peccator se promerita fateatur sustinere supplicia, atque leuiora, & multò minora esse, quàm quæ pro sceleribus suis commeruerit.

Iob 33. num. 27.

Nam si in honorem terrenorum Regum, & Principum cedit, si de eis dicatur adeò benignos esse, vt mitiora irrogent supplicia, & de pro-

meritis pœnis admodum detrahant; vnde Diodor. lib. 2. cap. 3. ait: Sacerdos olim Ægyptiorum Rege iuxta aram hostiis deductus astante, prædicare solebat, magna videlicet voce, audiente populo, Regis virtutes in Deos pietatem, ac Religionem, in homines humanitatem seruantis; tum illum continentem dicere, iustum, magnique animi, veracem, liberalem, omnésque frænantem cupiditates: pœnas insuper mitiores, quàm postularent errantis crimina, exigentem; reddentem verò gratiam meritis ampliorem, &c.

Si ergo in gloriam cedebat terrenorum Regum quòd mitiores pœnas exigerent à delinquentibus, quàm ipsorum scelera exigerent, & maiora præmia, & honores conferrent, quàm merita postularent: id sanè admodum placet, & debetur longè ampliori iure Omnipotenti, & misericordi Deo, qui pœnas citra condignum irrogat, & præmia vltra merita confert. Quod optimè ostendit Salomon. Sapient. 12. cùm ait:
Sap. 12. num. 18. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis.* Quorum verborum sensus est. Tu dominator Dominus, cui non dominatur ira, odium, aut amor: cum tranquillitate iudicas, ac punis; iudicare enim punire est, vt postea dicemus in hac annotatione. Græcè, *in æquitate* idest, non summo iure, nec potestate, nec præcipiti sententia, sed sedato, pacatoque animo, omnis perturbationis, & iræ potissimum libero, & proniori ad piam iuris, ac legis interpretationem; quod vox Græca significat: *Et cum magna reuerentia disponis.* Græcè, *Cum multa parsimonia, parsimonia, indulgentia, venia.* Maximè parcens, inquit Isid. Clar. gubernas nos, etiam quantum ad pœnas, in quibus valde parcus esse soles. Vbi rectè Cantacuzenus rem illustrat exemplo illius, qui cautè seruat vitrum, ne labatur, aut duriori cuipiam rei illisum pereat: præterea eius, qui tractat exile quid, & admodum imbecillum, qualis aranearum tela. Instar igitur horum se habet Deus, dum in nos animaduertit, vt non totam iram exerat, non pro demeritis pœnam infligat, non pro culpis durè percutiat, sed pœnam attemperat pro sua benignitate, non pro nostra malitia, ne interitum infligat, ne in desperationem irritet, sed in virga nostrorum. Hebr. imbecillium. 2. Reg. 7. quibus manus tre- 2. Reg. 7. num. 14.
mere videntur, nouit siquidem figmentum necessarium. Psalm. 102. Et Psal. 102. num. 14.
fictilia vasa nostra. 2. Corinth. 4. vnde 2. Cor. 4. num. 7.
contracta manu percutit leni percussione, tangit potiùs, quàm vulnerat. Qua de re videndus Hierony. in cap. 3. Ionæ. Quod profectò recolere debent ij, qui à Deo puniuntur, non solùm vt nihil contra Deum dicere audeant, cùm ipsi fecerint, sed multa pro Dei misericordia commendanda prædicent, cùm ad id summo iure teneantur; quod bene agnouit Dauid, quando diuinam misericordiam inuocabat, vt ab ea remissione donatus, & gratia affectus, doceret deinceps peccatores & propria confiteri peccata quæ multò grauia supplicia merebantur, & diuinam prædicare clementiam, à qua leuiora acceperat supplicia, quàm iustitia ipsa exigeret. *Docebo*, inquit Psal. 50. *Vias tuas: & impij ad te conuertentur.* Psal. 50. num. 15.
Vbi Theodor. Tuam benignitatem assequens, pœnitentiæ exemplar ero, & tuæ bonitatis præco, atque impios commonefaciam, vt ad tuas preces confugiant, &c. Ex eo enim, quod improbi viderent Deum facilè pepercisse adultero, & homicidæ, animum conciperent veniam consequendi, & multa bona comparandi etiam in mediis afflictionibus, &

sup

supplicijs. Optimè hac de re locutus contra eos, qui eùm multa mala fecerint, inter mala, quæ patiuntur, audent contra Dominum loqui, sic ait Euseb. Emyssen. homil. in Litanias, post princip. Exoraturi sumus, vt Dominus infirmitatibus, plagis, tribulationibus interdicat: malum pestilentiæ, hostilitates, grandines, siccitates repellat: cœli temperiem pro salute corporum, pro terrarum fœcunditate componat, peccata dimittat, flagella submoueat. Plusquam seruilis nequitia est inter ictus verberum rebellare, & pro eo, quod cum tali animo maiora merueris, misericordiâ parcentis, arguere, & libram diuinæ seueritatis cur non totū pondus exercuerit, accusare. Ita dum contra Deum superbo corde audemus hæc dicere, digna nos ostendimus pertulisse. Interrogemus conscientias nostras, si aliquem in nobis Deus perfectum post castigationem primæ hostilitatis inuenerit, si maiorem in nobis postmodum tenuit religio solicitudinem: si nihil in nobis postmodū iniquitas vulnerauit. Quòd si his omnibus nos reos pro passionum diuersitate cognoscimus, hinc forsitā diuinæ possumus imputare iustitiæ, quod minora pertulimus, quam ratio postulabat offensæ. Ecce omnis terra ad potentissimæ gentis fremitum contremiscit, & tamē Romano ad te animo venit, qui barbarus putabatur. Quæ hoc manus agit, quod magnificus Dominus rerum, cùm à nobis ad iracundiam visibiliter prouocatur, inuisibiliter ad clementiam temperatur? Quis hoc miseris tribuit, quod furor nescit irasci, & nouo genere scit victor sine intercessione misereri? Inter ista miraris te peccatis exigentibus flagellari, cur potiùs innocentiam gladij, & patientiam non miraris armari? Aduerte circa te indulgentiam singularem Domini Dei tui. Sub tantis malis non crudeliter derelictus, sed salubriter humiliatus es. Nemo se à Deo æstimet deseri, cùm traditur tentationi, &c.

Debet itaque quisque à Deo afflictus propriorum scelerum meminisse, & cū plagis, quas sustinet conferre; inde enim fiet, vt nec de iustitia Dei coqueratur cum nec verbum proferat, nisi in laudem benignissimi Domini, qui tanta benignitate vtitur, & tam lenia infligit supplicia illi, qui grauissima merebatur. Quæ est ratio cur Dauid dicat, neminem fere quantumuis punitū posse agnoscere potestatem iræ Dei, qui nusquam punit, & distringit iram suam, vt desæuiat pro demeritis, & peccatis, ac tantum supplicij inferat, quantum peccata meruere. *Quis nouit* in- *Psal. 89.* quit Dauid, *potestatem iræ tuæ?* Ps. 89. *nu. 11.* vbi optimè August. ait. Valdè paucorum hominum est nosse iræ tuæ (ô Deus) potestatem, quia plerisque ita magis, cū parcis, irasceris, vt non ad irā, sed potius ad mansuetudinem tuam pertinere intelligatur labor, & dolor, quo corripis, erudísque: ad irā suam pertinet, quod nonnullis, quibus plus irasceris, parcere videaris. Iuuat autem maximè ad hoc præstandum, si memoria recolamus innocentes pueros in fornacem missos propter fidē, & Religionē veri Dei, adhuc Dei iustitiam prædicasse, cùm dicunt Daniel. 3. *Iustus es in omnibus,* *Daniel.* *quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua* *3. n. 27.* *vera, &c.* Vbi Maldonat. ait. Tantum abest, vt noui erga se miraculi magnitudine Azarias efferatur, vt nouo potius Dei beneficio prouocatus sua, suæq; gēris peccata cōfiteatur, seque meritò à Deo punitus esse dicat: quāquam, vt ait Hierony. cùm ipse puer Babylonem ductus esset, non poterat suis peccatis captiuitatem meruisse, sed loquitur suscepta persona populi

fui.Sed clariùs ad rem noſtram Hieron.ibi. Quando diuerſis premimur anguſtiis ex toto cordis hoc loquamur affectu: & quidquid vobis acciderit, iuſtè nos ſuſtinere fateamur, vt cópleatur in vobis illud quod ſcri-
Pſal. 96. nu.8. ptum eſt.Pſ.96. *Exultauerũt,& lætatæ sũt in omnibus iudicijs tuis Domine,&c.*

Si ergo etiam qui innocentes patiuntur captiuitatem,& quæ inſecuta ſunt tormenta, diuinam prædicant iuſtitiam, rectã, & veram aſſerunt, cur in afflictionibus poſiti ſaltem non tacebunt impij, cùm ipſi fecerint grauiora peccata,quàm ſunt ſupplicia, quæ patiuntur? Et hæc ſanè eſt ratio cur Deus,& ſupplicia ſua appellet, & appellari velit iudicia, ne quis ea abſque iudicio, pondere, & multa ratione illata poſſit cauſari,cur etiam & aliquando nobis permittat peccata ad eum ſtatum deuenire, vnde apertè conſtet Deum iuſtiſſimè in ea iram ſuam, & iuſtitiam diſtringere, cùm ipſamet peccata Deum prouocent, & vindictam diuinam ad ſe videantur allicere; tunc enim iam nulla ſubeſt ratio impiis conquerendi de Dei iuſtitia, & bonitate.

Punitur us Deus Hieruſalem,& in arctiſſimas anguſtias obſidione adducturus,imò in captiuitatem tradi-turus ſub Sedechia, præcepit Eze-
Ezech.4. nu.1. chieli Prophetæ,cap.4. vt ſumat ſibi laterem, & coram ſe ponat, & in eo deſcribat Hieruſalem,& ordinet aduerſus eam obſidionem, & ædificet munitiones, comportet aggerem, & det contra eam caſtra,ac ponat arietes in gyro.Philoſophantur multa de iſto latere Hebræi, cur ſcilicet iubeat Deus Ezechielem laterẽ ſumere potiùs, quàm tabulam,cùm in tabula, non in lateribus homines ſoleant depingere? Mitto illorum reſpóſa,cùm pro omnibus,ac præ omnibus ſit Hierony. qui ita ibi habet. Poſſumus laterem, & in ſugillationem accipere:quòd in luto, & latere ſeruierit Pharaoni. Sic ille: cuius aperienda ſunt verba,vt indicent voluiſſe Deum ob oculos proponere ciuibus Hieroſolymitanis quãta cum ratione obſidione premendi eſſent, atque in Babylonem deducendi, vtpote qui in manu forti, & brachio extenſo Dei erepti fuerint de Pharaonis imperio,& ſeruitute,de duro, & immundo onere fabricandi latera, & iugiter in luto verſandi, & in optimam terrã deducti,vbi iam non fabricando lateri pro mœniis ciuitatum Pharaonis conſtruendis inſudarent, ſed optimis ciuitatibus præficerentur, regiámque, & pulcherrimam haberent Ciuitatem Hieruſalem, vnde tot beneficiis affecti potiùs deberent iuges gratias Deo referre, quàm in eum ſuperbire, & inſurgere peccando. Ea igitur mente & laterẽ aſſumi iubet, & ciuitatem deſcribi, vt puniendis Hebræis conſtet de iniuſta ingratitudine, & impietate, atque de iuſto ſupplicio à Deo infligendo,ac proinde nihil habeant, quod contra Deum punientem poſſint proferre: quod adhuc magis conſtat ex eo,quod ſtatim additur: *Et tu ſume tibi ſartaginẽ ferream: & pones eam murũ ferreum inter te, & inter ciuitatem,& obfirmabis faciẽ tuam ad eam: & erit in obſidionem,&c.* Vbi Hieron.& Theodoret.ferream ſartaginem putant deſignare iram Dei contra Hieruſalem, quòd cùm natura ſua mollis ſit,ac miſericors,Iudæorum peccatis ferreus quodammodo factus ſit. Sartago ferrea,inquit Hieron. quæ inſtar muri inter Prophetam, & murum ponitur, grandem iram demõſtrat Dei; quæ nullis precibus fatigetur, nec flectatur ad miſericordiam. Sicut enim omnia metalla ferrum domat, nihilque eo durius eſt: ſic incredibilia ſcelera Hie-

rusalem Deum naturâ mollem suo vitio fecerunt esse durissimum. Sic ille describit induratum Deum, & veluti ferreum redditum ob ingratitudinem illius gentis, quam è tam vili statu ad tantam gloriam euexerat. Sed quia scio R. Dauid, & alios per sartaginem duritiem Iudæorum intelligere, adhuc facilis erit pro nostro argumento explicatio, si & ingratitudo Iudæorum, eorúmque dura ceruix in causa fuerit, cur ciuitas obsessa, captáque fuerit, & ciues in captiuitatem abducti, atque adeò vt ipsis constaret non aliunde causam fuisse mutuatã, sed ab ipsis oblatam Deo, ideo & later in Symbolum ingratitudinis, & sartago ferrea assumpta est à Propheta, & proposita Hierosolymitanis, vt nihil haberét, quod dicerent, cùm ipsi talia fecerint.

Videndus in hanc sententiam Ierem. cap. 13. vbi diuinum Oraculum os obstruit Iudæis traditurus illos Chaldæis, vt nihil omnino habeant, quod respódeant, cùm viderint propriis peccatis meruisse durum supplicium infligendum. *Leuate*, inquit, *oculos vestros, & videte qui venitis ab Aquilone: vbi est grex, qui datus est tibi, pecus tuum inclytum?* Quorum verborum sensus est. O Iudæi, præcipuè qui ab Aquilonari plaga redeuntes propiores estis Babyloniæ, prospicite, & videte quid actũ sit de grege vestro, inclyto quondam, & eximio. Tunc addit: *Quid dices cùm visitauerit te? Tu enim docuisti eos aduersum te, & erudisti in caput tuũ: nunquid non dolores apprehendent te quasi mulierem parturiẽtem? Quòd si dixeris in corde tuo: quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua. Hæc sors tua, parsq́; mensuræ tuæ à me dicit Dominus: quia oblita es mei, & confisa es in mendacio:* Vt igitur Hierusalem nihil haberet, quod diceret, proponit illi quæ fecit. Quid

Ierem. 13. nu. 10.

igitur dices Hierusalem, cùm te Dominus per Chaldeos visitauerit? Quos tu, dum cum illis commercia, negotiationémque coniungis, nimísque cum eis familiariter agis, docuisti vias, per quas facilè; ac tutò in tuos sese fines effunderent. Dedi tibi inter alias tribus ô Iuda præclaram sortem, sed nunc quando mendaciis, ac idolorum ludificationibus, & nugis delusa, & decepta à me defecisti, aliam tibi sortem & alium funiculum assignabo: pro regia nempe dignitate in terra tua, longam, & duram seruitutem in aliena; pro rerum abundantia, summísque deliciis, famem, nuditatem, ignominiam, & ex dolore, atque squallore tabem, & illuuiem. Vt infesta sors respondeat felici inter alias tribus sorti, quam accepisti, & conspicias quàm iustè, & pro meritis in te desæuierim.

Similis itẽ locus est apud Isai. 15. Vbi missurus Dominus Moabitas in captiuitatem ob commissa crimina ait: *Secundùm magnitudinem operis, & visitatio eorum: ad torrentem salicum ducent eos*, idest, pro mensura, operum sic erit, & plagarum magnitudo. Vt enim Moabitæ in omnem voluptatem soluti in agro à torrentibus aquis Nimrim amœno, atque vbere deliciabantur, sic ad torrentes salicum, idest, ad flumina Babylonis, iuxta quorum ripas salices erant, ex quibus filij Israël sua suspenderunt organa; captiui ipsi quoque ducentur, à torrentibus, nempe voluptatibus, ad torrentes angustiæ, atque doloris abducti: idque patientur iustissimè, cùm videant pœnam correspondere culpæ, & supplicium peccato. Vbi Hieron. ait: Iuxta morbi magnitudinem erit visitatio. Visitatio pro supplicio sumitur, &c.

Isai. 15. nu. 7.

Neque verò poterit conqueri de diuina iustitia, dum ab illa videt in

latere deſcriptam culpam, & pœnam;& ob oculos iuſtam menſuram, & correſpondentem erratis afflictionem. Similia habet Hieron. in c.34. Iſai. & in cap.2. Threnor.& Aug. in Pſal. 10.ibi:*Ignis,& ſulphur,& ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Vbi in hoc ſenſu ait.Calicem propterea puto appellatum, ne quid præter modum, atque menſuram, vel in ipſis peccatorum ſuppliciis per diuinam prouidentiam fieri arbitremur: & ideo tanquam rationem reddens quare id fiat,ſubiecit: *Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit,æquitatem vidit vultus eius. &c.*

Facit in eandem ſententiam Chryſoſt. in Pſalm.95.vbi ponderat illud Daniel. *Appenſus eſt in ſtatera*;atque: Cùm punit Deus, trutinat vltionem vt congruens ſit commiſſis,&c. Hoc etiam notauit Saluian. in eo, quòd Deus dixerit Gen.18.*Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Deſcendam,& videbo,&c.* Sic verò habet lib.1. de Prouid. poſt med. Oſtendit quàm inuitus puniat etiam grauiſſimos peccatores,dicens;quod clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit;hoc eſt dicere, miſericordia quidem mea,mihi ſuadet vt parcam,ſed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam. Cùm Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit, quod etiã malos puniret inuitus,ſcilicet,vt cùm legeremus quæ à Sodomitis Angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem, probaret vtique nobis Deus, quod ipſe eos noluerit perdere,ſed ipſi extorſerint, vt perirẽt,&c. Magna vtique ſupplicij à Deo inflicti iuſtificatio,& comprobatio, dum ſuam propalat bonitatem,& promeritam conuincit pœnam, vt qui vident iuſtitiam Dei laudent, & qui perpetiuntur nihil

Daniel. 7.n.5.

Gen. 18. nu.10.

Ezech.4 nu.1.

habeant, quod contra iuſtum iudicem proferre poſſint, &c. Aduertit optimè in hanc ſententiam Chryſoſtom.Deum adeò clementer ſe habuiſſe cum Caino, vt ipſum liuore, & inuidia correptum non punierit,ſicut ille merebatur,ſed prius admonuerit leniter, antequàm plecteret,ne quid ipſe, cæterivè impij contra Deum poſſent allegare, aut dicere, cùm viderint benignitatem præmiſſam, & iuſtam deinde pœnam inflictam. Sic ergo ille habet lib.1. de Prouident.ante med. Non pœnitentiæ erat illa confuſio, vultúſque deiectio,ſed zeli,ac liuoris, quod rei exitus docet Nam Deo quodammodo iraſcebatur,quod iniuriis affectus non ſe honoraret, quod moderato intemperantem non præferret. Verùm cũ hæc illius ſcelera vehementiſſima animaduerſione puniẽda eſſent, longè clementiùs quàm merebatur, delinquente vtitur, timentéſque animos illius comprimere nititur. Erat enim indignatione plena illa deiectio; idcircò loquitur ad illum: *Quieſce.* Hoc autem cùm diceret, ſciebat quidem quò progreſſus eſſet zelatus, cæterùm ingratis occaſionem omnẽ amputare volebat. Si enim ab initio ille punitus eſſet; huiuſmodi multi plurima dixiſſent. Nõ poterat admonere verbis,ac corripere, & terrere prius,atque tũc demùm ſi perſeueraſſet in malis iraſci, & ſupplicium inferre? Ingentis crudelitatis eſt iſte cruciatus. Igitur ſuas æquanimiter iniurias tolerat, vt vna & illorum obſtruat os, & ipſius Cain, parẽtem quoque ſola bonitate ſe corripuiſſe oſtendat, prætereáque vt eiuſmodi benignitatis exemplo cæteros ad pœnitentiam prouocet. Poſteà verò quàm ſecundũ duritiem ſuã,& cor impœnitens theſaurizauit ſibi iram; ille tunc iam vleiſcitur in criminoſum. Si verò poſt ſcelus homicidij

micidij mãsisset impunitus, etiam ad aliud, maiusque flagitium progressus esset. Et quidem Dei benignitatem nõ ex eo solùm manifestari dixerim, quòd mitiorem pœnam tanto sceleri adhibuit: sed ex eo maximè, quòd in ipsa pœna lucrum haud spernendum in se habere videatur, &c.

Antequàm filij Israël Dei ordinatione Hierico ingrederentur, & omnia, quæ in ea reperirent, abolerent, *Iosuë 6. num. 17.* iuxta illud Iosuë 6. *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino,* &c. Iussit, Deus, vt circumirent vrbem semel per diem omnes bellatores: & sic fecerunt sex diebus, septimo autem die Sacerdotes tollerent duas buccinas, septiesque circumirent ciuitatem Iosuë 6. *Iosuë 6. num. 3.* Quæ igitur fuit ratio, cur ingressum illius ciuitatis, atque illius deuastationem præuenerit Deus huiusmodi circuitione tot diebus repetita? Id quidem ea mente factum asserit Procop. ne quid postea contra Deum subitò, & nulla præmissa monitione, punientem dicere possent. Qui totam mundi fabricam, inquit ille, sex diebus perfecit, lentè ad vnius ciuitatis euersionem, bonitate impeditus aggreditur. Non enim virium imbecillitate esse putes, Propheta testatur Psalm. 67. *Psal. 67.* Si cœlum patefeceris, montes tremor tui inuadet. Sed quemadmodum Niniuitæ triduum resipiscentiæ dedit, ita his quoque septem dies. Vtique illi Ionam preconem habuerunt, ita Raab habent, &c. Consueuit enim Deus in plectendis peccatoribus sic se habere, vt nulla supersit ratio conquerendi, sed obstruatur illis os, vt nil habeant, quod respondeant, cùm ipsi malè fecerint, iustè verò Deus animaduerterit.

Hoc etiam videre est in ea flagellatione, qua mansuetissimus agnus excanduit, cùm de eo tamen dixerit Tertul. lib. de pudicitia c. 21. Non decebat eum seuire, qui pati venerat; similiáque dixit Chrysost. homil. 2. de Iuda proditore. Mira, inquit, patientia Petrus condemnat Ananiam mentientem, Saluator patienter sustinet proditorem vendentem. Verè tamen neque vitiosè iratus est ex D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 7. clariusque 3. p. q. 15. art. 9. ira pariter cum mansuetudine, & benignitate potuit adesse, quod eleganter dixit Bernar. serm. 5. in die Paschatis. Agnus, inquit, occisus est, & leo vicit de tribu Iuda, dignus est Agnus accipere fortitudinem, & non amittere mansuetudinē, ita vt Agnus maneat, & leo appareat, qua etiam de re videndus erit idem Bernard. serm. 23. in Cant. Sed meliùs August. 9. de Ciuit. cap. 4. & 5. & 7. contra Faust. cap. 8. D. Thom. 3. p. q. 15. art. 7. qui omnes docent omnes passiones secutas fuisse in Christo Domino imperium rationis. Iratus igitur nec indecorè iratus contra vendentes in templo, quod domum orationis facerent domum negotiationis, quando nullam inter se conuenientiam habent oratio, & negotiatio. Sacrilegium namque est domum orationis domum mercatus reddere, quod Basil. dixit in quæstion. fusius disputatis q. 40. vbi ait ad Ecclesiam non oportere accedere propter negotia secularia, sed causa orationis. Et August. epistol. 109. In oratorio nemo aliud agat, nisi id, ad quod factum est, & vnde nomen accepit. Facitq; ea querela Ierem. 11. *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* *Ierem. 11. n. 15.* Vbi Hebraïcus textus quem nũc habemus. *Quid est dilecto meo negotij in domo mea?* Vt scelera multa; quæ noster Vulgatus refert, referantur ad negotia profana, & secularia, quæ in templo Dei tractabantur.

Deseuiit igitur ira Christi Saluatoris, sed ne ipsam flagellati possent carpere, aut de flagellatione conque- *Ioann. 2. num. 16.*

ri, os illis obstruxit obiiciendo profanationem sacrilegam, vnde & qui miracula mordebant, & contra illa indignabantur blasphemando, & obloquendo, nihil percussi, & flagellati dicunt; quid enim dicerent, aut quid responderent, cùm ipsi fecerint ea, ratione quorum percutiebantur? Aduertit hoc acutè in rem præsentem Bernard. lib. 1. de Consideràt. c. 11. in princ. vbi ait: Non parat aures, vt audiat, sed flagellum, quo feriat. Verba nec facit, nec recipit; nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniés. Caussam tamen non tacet, quod videlicet, domum orationis, negotiationis fecissent. Ergo & tu fac similiter, &c. Qui enim vult omne prorsus motiuum conquerendi abscindere, debet sicut Deus, puniendis proponere ea, quæ fecerunt, vt cùm ipsi agnouerint quæ fecerunt, nihil habeant, quod respondeant, dum iustè conspiciunt sustinere quæ merentur.

Hinc iam intelligetur, cur in diuinis literis Deus iudicare dicatur, cùm punit, & supplicia ipsa testes, quæ aduersum nos ferunt testimonium, dum ostendunt nos illa promeruisse, quæ patimur. Verùm quidem est, quòd Deus nec semper vt Iudex punit, idque mihi probat locus ille obscurus. Iob 19. *Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me:* Iob 19. num. 6. Vbi Vatabl. optimè exponit. Deus egit contra me insolito sibi more, idest, deuiat ab ordinaria, & consueta norma, & rectitudine sui iudicij, in quo innocentes non puniuntur. At D. Thom. Titelm. & Caiet. explicant in hunc modum. Si Deus pro peccatis dumtaxat affligit, non est æquum illius iudicium, quo me non grauiter peccantem tam grauiter afflixit. Alij vt Gregor. quem sequitur Hugo, & Dionys. sic explicant. Beatus Iob, inquit Gregor. vitam suam attenderat, & videbat æquum non esse, vt ad talem vitam, talia flagella reciperet, &c.

Confert itaque Iob mala, quæ patiebatur cum vita sua, proindéque inuenit Deum non punisse ipsum ex iudicio. Vbi enim neque meriti, neque delicti ratio attenditur, non pro iudicio infligitur pœna, sed pro voluntate, bona tamen quando Dei voluntas est, & in bonum puniri cedit. At communiter non solet Deus punire, nisi vt iudex, vnde iudicare idem est, ac affligere, & plectere, & iudicia dicuntur supplicia. Hinc Ezechiel. 7. *Mittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas*: idest, puniam te pro meritis tuis, ait Maldonat. Ezech. 7. num. 3. Qui locus duplicem continet hebraïsmum; alter iudicare pro punire, sicut etiam Paulus 1. Corinth. 11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Cùm iudicamur autem à Domino, corripimur.* 1. Cor. 11. num. 31. & 32. Vbi licèt aliqui de examine, & discussione intelligant, alij verò, nempe Græci, de condemnatione; tamen Latini de punitione intelligunt. Et sanè illud: *Dum iudicamur autem à Domino, corripimur:* Intelligitur de supplicio morborum in præsēti vita. Alter hebraïsmus dicti loci est: *Iuxta vias suas.* Via namque in Scriptura pro moribus, & actionibus sumitur, vt Prouerb. 1. *Comedent igitur fructus viæ suæ, & ponam contra te omnes abominationes tuas.* Prouer. 1. num. 31. Vbi L X X. *Sua ipsorum impietate implebuntur.* Sensus ergo dicti loci: Iudicabo te iuxta vias tuas, est idem, quod statim sequenti versu additur: *Vias tuas ponam super te.*

Iudicare igitur idem est, quod punire, iuxta quem loquendi modum Hieron. in c. 3. Ion. in med. ait: Deus sic parcit, vt iudicet, sic iudicat, vt misereatur. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: iustitia, & pax osculatæ sunt.* Aduertitq; ad citatum Ezech. locum idem

idem Hieron. qua ratione puniturus Deus dicat se iudicaturum in hunc modum. Ad terram Israël sermo dirigitur: quòd venerit super eam finis, & consummatio, & mittat Dominus furorem suum in eam: non iniustum, & tantùm de indignatione venienté. Sed plenum æquitatis, atq; rationis: vt iudicet eam secundùm vias suas: & ostendat illi omnes abominationes suas: vt recordetur operum suorum, & intelligat quid mali gesserit, &c.

Similia habet idem Hieron. in c. 5.
Ezech. 5. num. 7. Ezech. ad illa verba: *Faciã in medio tui iudicia.* Dicés, iudicia, inquit Hieron. ostendit sententiæ veritatem, ne ira mẽsuram pœnarũ videatur excedere. Similia habet in c. 3. Oseæ, ibi. Iudicium Domini cum habitatorib. terræ. In eo igitur sensu dicitur iudicare, & facere iudicium, cùm punit, quia non nisi post multa patrata crimina punit; atque etiam conuictis reis, & ad eum statutum adductis, vt nihil omnino habeant, quod respondere possint rectissimo iudici. Qua etiam ratione aliquando in Scriptura ea mala, quæ impiis infligit, dicitur
Psal. 149. num. 9. scribere, vnde Psalm. 149. loquens Propheta de supplicio sumendo de principe mundi, eiusq; sectatoribus Angelis, & cultoribus eius hominibus, ait: *Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Vbi Chrysostomus, iudicium certum, & euidens. Hæc autem iudicij conscripti executio maximo erit decori, & gloriæ omnibus Sanctis. Quæres igitur cur iudicium conscriptum dicatur, cur item futurum sit in decorem, & gloriam Sanctis? Inde existimo gloriosum, quia conscriptum, idest, taliter dispositum, & tanto fundamento, & æquitate constitutum, vt omnibus constare possit rectitudo integerrimi tribunalis, & iudicis. Ea enim sententia, quæ à iudice scribitur, & fundamenta habet iuris, & pœnas refert, ac normam æquitatis continet, vt omnibus conspicua sit ratio puniendi, nec odio, aut ira videatur prolata. Quod bene habet Greg. 11. Moral. cap. 24. ad illa verba Iob 13. *Scribis contra me* Iob 13.
amaritudines. Vbi ait: Deus non lo- num. 26.
qui, sed scribere amaritudines dicitur, quia quod scribitur, præmeditatur, & per ordinem exaratur, &c. Sic igitur per ordinem iudicia, & supplicia infligenda scribit, vt omnis prorsus passionis expers censeatur. Sic item causam iustam, & sententiam rectam ostendit, vt nihil habeat impius, quod dicat, cùm conspiciat quæ ipse fecerit, & quantò adhuc grauiora meruerit supplicia. Quod totum habemus Threnor. 3.
vbi dicitur: *Vt peruerteret in iudicio* Thren. 3.
hominem, Dominus ignorauit. Idest. num. 36.
Nescit Deus deuiare à rectitudine cùm iudicat, & peruertere in iudicio, idest, per iudicium hominis iustitiam, & à recto deuiare. Nam illud: *Dominus ignorauit*, significat, quòd Deus nescit facere iniuriam, sicut Psalm. 34. *Quæ ignorabam, in-* Psal. 34.
terrogabant me: idest, quæ non fece- num. 11.
ram: & in hoc sensu 2. Corinth. 5.
Eum, qui non nouerat peccatum, pro no- 2. Cor. 5.
bis peccatum fecit. Idest, eum, qui non num. 21.
fecerat peccatum, imò impeccabilis erat, fecit peccati hostiam: tum deinde addit Ierem. *Quid murmu-* Thren. 3.
rauit homo viuens, vir pro peccatis suis? num. 39.
Vbi Nauarr. Vir pro peccatis suis (supple) hæc patitur mala, de se ipso conqueratur, si aduersa sustinet, quia peccata peccatis addit, dictaque factis recipit; siquidem iustus est Deus. Vel pro peccatis suis, idem est, quòd pro peccatorum supplicio, sicut frequenter sumitur peccatum in Scriptura. Vbi necessariò venit obseruandus modus loquendi Prophetæ. *Quid murmurauit homo viuens?* Dum enim homo

 viuit,

viuit, non est cur ægrè ferat vexari se & duris exerceri suppliciis, quando sic inolitæ expiantur sordes, in posterum emendatur vita, & copiosa fit sementis meritorum: ast pati vita functû, sine vlla vtilitate cruciatus, quibus nullus vnquam statuetur aut finis, aut modus, id verè horrẽdum est. Pagnin. legit: *Cur dolet homo viuens?* Nam si ipse homo vulnerat se peccatis, si dolent vulnera, cur gemit, cùm ipse sit causa plagarum? LXX. habẽt. *Sanctum quid murmurauit homo viuens?* Idest, Deum sanctum, & iustum quomodo accusabit de iniustitia in puniendo homo peccator, qui dum viuit mille committit, additq; crimina. Deo se subiiciat, & sileat, ne in iudicio è lite cadat. In Hebr. est: *Quid mentitur homo?* idest, contra Deum non nisi mendacia afferre potest, & si de illo conqueratur, mendax sanè deprehendetur, cùm Deus iustus, & verax sit. Proinde subdit Propheta. *Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.* Sensus est: vultis apertè videre quàm immeritò de Deo cõqueratur homo, scrutetur quilibet, dum à Deo punitur, conscientiam suam, & quærat apud se causas suppliciorum. Inde enim consequetur non solùm vt patienter sustineat, sed vt ad Dominum iustè plectentem, & pœnas pro salute infligentem conuertatur, & tam iustitiam illius prædicet, quàm misericordiam deinde inuocet.

Hinc etiam constabit cur pœnæ, & supplicia testes Dei dicantur: testantur enim diuinã iustitiam meritò desæuire, & multa præcessisse peccata, quæ pœnas promeruerint. Quo sensu intelligitur illud Iob 10. *Instauras testes tuos contra me.* V bi Aug. dolores ipsos, & cruciatus testes esse dicit, legit enim: *Instauras in me armenta mea.* Sicq; exponunt Græci, & pleriq; Rabbinorum. Vatabl. Eugubin. Brixian. & Caiet. apud quem Heb. vertit pro testibus plagam. Satis sit Hier. in comment. dicti loci, vbi ait: Hoc dicit Iob, quia castigationes, & pœnæ nostræ testes sunt diuinæ iustitiæ.

Iob 10. num. 17.

In hoc, igitur, sensu testes Dei sunt, quòd diuinam testentur iustitiam ob patrata crimina pœnas infligere, imò neq; totam pœnam adhibere, quàm pro flagitiis posset iustè imponere, quod nobis rectè exposuit Saluian. lib. 4. de prouid. longè à princ. in hæc verba: Quid miraris si cædimur, quid miraris si castigamur, si in ius hostiû tradimur, si infirmiores omnibus sumus? Siue miseriæ nostræ, siue infirmitates, siue euersiones, siue captiuitates, & penè improbæ seruitutes testimonia sunt mali serui, & boni Dei. Quomodo mali serui? Quia patior, scilicet, ex parte quod mereor. Quomodo boni Dei? Quia ostendit quid mereamur: etsi non irrogat quæ mereamur, clementissima enim, ac benignissima castigatione mauult nos corrigere, quàm perire. Nos siquidem quantû ad crimina nostra pertinet, lethalibus suppliciis digni sumus. Sed ille plus misericordię, quàm seueritati tribuens, maluit nos clemẽtis censurę temperamento emendare, quàm plaga iustę coërcitionis occidere. Ingratû nobis esse quod cædimur, satis certus sum. Sed quid miramur, si peccantes nos Deus verberat, cùm ipsi peccantes seruulos verberemus? Iniusti iudices sumus: homunculos non flagellari à Deo uolumus, cû ipsi cõditionis nostrę homines flagellemus. Sed nec miror, quòd tã iniqui in hac re sumus, natura in nobis, & nequitia seruilis est: volumus delinquere, & nolumus verberari: ipsi in nobis mores sût, qui in seruulis nostris, omnes volumus impunè peccare. Denique si mentior, cunctos consulo. Nego vllum esse quantumlibet magni criminis reum, qui se acquiescat debere torque

torqueri. Hinc ergo cognosci potest, quã iniqui, & praui sumus: aliis seuerissimi sumus, nobis indulgẽtissimi: in eodem crimine punimus alios, nos absoluimus. Intolerabilis prorsus, & contumaciæ, & præsumptionis, nec agnoscere volumus in nobis reatũ, & audem⁹ de aliis vsurpare iudiciũ, &c.

Dum igitur iustissimus Dominus rectam profert sententiam, veluti testes adhibet ærũnas, & pœnas, neq; enim fieri potest, vt à recto discedat, qui iustissimè punit; vnde neque fieri potest, vt instè cõqueratur de Deo, qui ab illo punitur, sed potiùs cum Heli; quando à Deo percepit sententiã, dicere 1. Reg. 3. *Dominus est: quod bonũ est in oculis suis faciat.* Vbi Theod. q. 12. ait. Laude dignã emisit vocem. Dominus faciat quod in oculis suis placuerit, &c. Non enim Deo placet, nisi quod iustũ, & æquũ est; vnde & qui ab illo pœna afficitur, nihil potest habere, quod dicat, cùm ille, iustissimus scilicet Dominus, fecerit, cũ item ipse scelestus, & iniustus homo fecerit impietatem, & satis meruerit pœnã. Vnde vim facit peccator Deo, quod ipsum nolens puniat, sicut elegãter prosequitur Saluian. 5. de Prouid. longe à fin. dicens. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi nos iram diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciscendas criminum nostrorum immanitates nolẽtem Dominũ, &c. Atque adeò ipsæ vltiones, & supplicia, & testes sunt benignitatis diuinæ, quam ad nos puniendos adducimus, & peccatorum nostrorum, quibus diuinam iustitiam excitamus.

1. Reg. 3. nu. 18.

Nec est etiam cur conqueramur, dũ à Deo affligimur, cùm ipse fecerit, qui mala omnia in bonũ nostrum cõuertit, & adducit, vt aliquãdo potiùs, & lætari, atq; gratias Deo agere debeamus, quã quidquã cõtra illum iniquè loqui. Debet siquidem fidelis anima potiùs attẽdere ad bonũ, quod ex afflictionibus lucratur, quàm ad pœnã, quã afflictus perpetitur, quod etiã fecisse legimus iustũ Iosephum à fratribus venditũ, sicut aduertunt D. Chrysost. hom. 64. & Ambros. lib. de Ioseph c. 12. vbi põderat id, quod Ioseph dixit Genes. 45. *Nolite pauere, neque dnrũ vobis videatur, quod vẽdidistis me in his regionibus; pro salute enim vestra misit me Deus.* Nõ enim tam attẽdit Ioseph, quòd à fratribus fuisset missus ad mortẽ, quàm quod à Deo missus fuisset ad vitam. Agnouit hoc Aug. 9. confess. c. 8. in fin. cum ait. Tu Domine Rector cœlitũ, & terrenorũ ad vsus tuos contorquens profunda torrentis, fluxũ sæculorũ ordinans, turbulentum etiã de alterius animæ insania sanasti altera, &c. Multoties enim euenit, vt in nos collimentur sagittæ, quas minimè sagittantibus meremur, vt inde proficiamus, proindéque vulnerũ dolorẽ debemus patienter sustinere, ea maximè ratione, quod nobis maximũ afferunt emolumentum; quantò magis proinde debemus æquanimiter tolerare, quæ meruimus, dũ cernimus in nostrum profectũ dirigi à iustissimo Domino.

Gen. 45. nu. 5.

Admiratur Isaias subitum casum Babylonis, postquàm viderat instructas copias persico apparatu, & stupefactus subita mutatione clamat. *Cecidit, cecidit Babylõ, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram.* Isai. 21. Sed statim inuertit sermonẽ alloquens populum suum, qui ex incredibili multitudine ad paucos redactus sub Chaldæorum iugo variis fuerat exercitatus, & quasi excussus laboribus, nõ secùs atque frumentũ, quod ex magno frugũ aceruo, qui ex messione comportatur in aream, in exiguam quantitatem purũ à stipula reducitur. Ait ergo: *Tritura mea, tritura mea, & filij area mea, quæ audiui à Domino exercituũ Deo Israël, annũtiaui vobis.* Hoc est, vobis quidem aliter

Isai. 21. nu. 9.

Isai. 21. nu. 12.

contingit, atque Babyloniis, ſic enim cecidit Babylon, vt contrita ſit, ſic concuſſa, afflicta, ac conculcata, vt ex ea concuſſum gramen nõ ſit ad horreum, ſed tanquam inutiles ſtipulæ in cineres conuerſæ. Non ſic verò populus meus, quem triturauit Dominus per Syriæ, atque Samariæ vi-
2. *Paral. nu.*28. res, vt patet 2. Paralip. ac per Aſſyrios à Senacheribo, ad extremũ per Chaldæos in obſidione, & graui captiuitate, longóque exilio, nõ vt contereret, ac perderet, ſed vt purgaret, & in horreum ſuum recõderet. Hinc collige, ait Sanctius in Comment. quò ſpectet tribulatio iuſtorum, quæ à nobis fieri debeat, cùm à paleis purget, quę igni debẽtur, & horreis præparet frumentum à ſtipula purgatum. Sanè poſt trituram Babylonis à Cyro auditur. *Cecidit Babylon*. poſt trituram Hieruſalem auditur à Deo. *Tritura mea, & filij areæ meæ, &c.*

Videndus Gregor. hom. 1. in Ezechiel. propè fin. vbi agens de captiuitate Babylonica, qua filij Iſraël deteinebantur, ait. Egit diuina miſericordia, vt ex vna, eadémq; re, ex qua carnalibus dat flagellum, ex ea ſpiritalibus virtutis præſtet incrementum. Quis iſta tanta pietate pietatis viſcera penſare ſufficiat? Quod & culpas populi Dominus ſine vindicta non deſerit, & tamen delinquentem populum à ſe funditus non repellit. Sic plerumque paruulo filio delinquenti iraſcitur mater, reprehẽdit, increpat, verberat: ſed ſi hunc in præceps ire conſpexerit, vbi in mortis periculum ruat, manum tẽdit, & retinet: & quæ ſic iratè verberauerat, ac ſi non diligeret, ſic diligenter retinet, ac ſi irata non verberaſſet, &c. Eſt optimus in hanc ſententiam locus apud Nazianzenum Orat. 1. Apologet. non multo ante fin. vbi ponderet ſupplicium illatum à Deo fugitiuo Ionæ Prophetæ ipſum duxiſſe ad Dei obſequium, & præceptum exequendum. Fugiebat, inquit, Ionas à facie Domini, aut potiùs fugere putabat: verùm à mari, & tempeſtate, ac ſorte, cætíque ventre, atque triduana ſepultura maioris myſterij figuram gerente, comprehenſus eſt, &c.

Videndus in hanc ſententiã Hieronym. in cap. 24. Ezechiel. vbi Propheta in nomine Domini refert ſupplicia, quæ inflicturus erat Hieruſalem, tunc ait Hierony. In hoc quoque oſtendam clementiam meã inſtar medici, qui putridis non parcit carnibus, vt ſana membra ſaluentur, non parcit, vt parcat, crudelis eſt, vt miſereatur, nec conſiderat patientis dolorem, ſed vulneris ſanitatem, magis volens vnum perire membrum, quàm totum corpus interfici, &c. Pſalm. 2. de modo gubernandi, atque etiam puniendi filij Dei dicitur, *reges eos in virga ferrea*, ideſt, firmiſſima, *Pſalm.* 2. *nu.* 9.
non duriſſima, vt aliqui volũt; neque officiunt ſequentia verba. *Tanquàm vas figuli confringes eos.* Nam quomodo confringeret eos, quos acceperat in hæreditatem ſuam, &c. Si diceret ſolùm confringes, poſſet eſſe aliqua dubitatio, ſed quando addidit, tanquàm vas figuli confringes eos, non relinquitur dubitationi locus, quinimò debemus intelligere dictum fuiſſe, tanquam vas figuli cõfringes eos, vt reparationem, renouationemque in melius in fractione illa intelligamus, ideſt, reparabis eos; eſt enim vas figuli reformabile. Sic ferè Hilar cui ſuffragatur Chryſoſt. homil. ad baptizãdos poſt med. tom. 5. vbi ait, *reges eos in virga ferrea*, non graui, ſed forti. *Sicut vas figuli confringes eos.* Non dicit vaſa fictilia: ſed ſicut vas figuli. Et ideò attendamus, & diligentiùs audiamus. Nam confracta vaſa fictilia iam nulla emendatione corriguntur, ſemel figuram per flammas ſortita. Vaſa autem figuli non ſunt fictilia,

lia, sed argilla composita. Inde etsi quo fuerint casu peruersa, facilè ad figuram pristinā artificis reformantur industria. Et ideò quādo calamitatem sine remedio dicit, non vas fictile nominat. Nam quando Propheta monstrabat Iudæos cum ciuitate suppliciis extremis traditos, & nullū eis remedium promittebat, iussit accipi vas fictile, & ante omnem confringere populum, & dicit, quia ita
Ierem. 19. nu. 11. ciuitas peribit Ierem. 19. Quādo autem spē eius pollicetur, Prophetam ad figuli vas adduxit: & illi nō ostendit vas fictile, sed argillam ei in manibus positam demonstrat artificis, quæ etsi ceciderit, reformatur tamen
Ierem. 18. nu. 4. Ierem. 18. *Si iste figulus ait, hec vas lapsum iterùm renouat, non multò magis vos potero lapsos corrigere?* Sic Chrysost.

Ex cuius iam doctrina nostrum argumentum confirmatur. Quòd scilicet Deus, dum virga cædit, & suos affligit, ac punit, tanquam vasa figuli confringet, vt renouet, & in melius reducat, ac perfectiores reddat; proindéque sicut vas non potest dicere figulo, cur me ita facis? Ita nec potest dicere, cur me cædis? Cùm ipse faciat, qui tanquam vas figuli confringit, vt clariori forma renouet, & nobiliori figura illustret. Vnde Nazianz. Orat. 3. contra Iulian. ante med. loquens de Dei iudiciis, ait. Nec tamen mirentur, qui Dei rationum, quibus omnia reguntur, altitudinem omni coniectura subliminorem non assequuntur, nec opifici gubernatione cedere sustinent: non dubium autem quin ad id, quod melius est, atque ad morborum sanationem: quantumuis ij, quibus medicina fit, indignentur, &c.

Clariùs adhuc Basil. lib. Constit. monast. cap. 35. seu vlt. post med. loquitur in hunc modum. Illud cum primis in animo defixum habeamus Deum bonum esse, & bonorum omnium authorem, mali autem nullius, nullo modo: licet nos ita postulante valetudinis nostrę vsu, acriores inter-dum medicinas degustemus. Etenim Deus cùm medicus sit humanorum animorum pro natura morborum, medicamentorum etiam ad singulos ipsos appositam temperat vim, quæ, quando opus sit, intimum etiam penetrans vitium perpurgare queat. Proinde cùm hoc ita se habere planissimè intelligamus, à gratiarum actione nunquam desistamus, estodum à negligentiis, aut malitiis nostris perpurgamur, acriorem aliquando medicinam experiamur. Sic ille.

Hinc Dauid Deo recognoscit, & reputat beneficium, ab illo fuisse humiliatum, & afflictum, cum ait Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me.* Psal. 118. nu. 71. Quæ verba ponderans Augustin. in Ps. 38. ait. Et pœna est, & gratia est; quid seruat post pœnam, qui per gratiam exhibet pœnam? &c.

Hoc sanè à nobis recolendum est in pœnis. Quòd si dum Deus punit, adhuc gratiam confert, medelámque, & meritum nostrum operatur, quanto maius erit bonorum gratia, & beneficium, ad quod, dum curamur, deducimur?

Recolendū vtique in hāc sententiam erit id, quòd Deus puniturus Hierusalem ob impietatem Regis sacrilegi Manasses, ait 4. Reg. 21. *Ecce ego inducam malū super Hierusalem, &* 4. Reg. 21. n. 13 *Iudam, vt quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius: & delebo Hierusalem, sicut deleri solēt tabulæ: delens vertā, &c.* Non se confracturum tabulas, sed deleturum minatur, quod maximè notandum est. Nam & olim tabulas à Deo acceptas ob idololatriam proiecit Moyses, & confregit Exod. 32. Exod. 32. nu. 19. Primùm igitur videndum est, de quibusnam tabulis loquatur: qua in re concors extat Interpretum sententia, vt videre est apud Lyran. & Abul.

ibi

ibi q.14.dicentem. Hîc vocantur tabulæ paruæ ceratæ, in quibus cõsuetudo fuit ab antiquo scribere,& quãdo quis volebat alia scribere, planabat tabulas, auferens omnes literas priores, ita vt non maneret aliquod signum præcedentis scripturæ,& ista est perfecta deletio. Sic ille. Cui addendum est literas plerumque in tabula dispungi, vt pulchriores reddantur,& directiores efformentur.

Ea igitur mente minatur se deleturum Hierusalẽ, & punitutum populum illum,tanquam scriptas tabulas, quia ex inflicto supplicio, & captiuitate,cõstituerat pulchriorẽ,illustrioremq; reddere ciuitatẽ, & gentẽ,quàm anteà fuerant.Hoc enim videtur ostẽdere allata similitudo, quã magis adhuc aperio ex alia versione ex Hebr.apud Vatabl. *Deterga Hierusalẽ quemadmodũ quis patinã detergit, & cum absterserit, vertit eam in faciem suam.* Nónne cum cineris,arenæque cõfricatione detergitur patina ex ęre, argentóque confecta, pulchrior, lucidiórque redditur, quàm antea fuerit,ita vt quę antea rubigine obducta erat,postea speculi vice fungatur; & is, qui absterit, propriã speciẽ suam intueatur, & tanquam in speculo se conspiciat? Ita sanè contingit,vt qui peccatis commissis Dei imaginem in se abolcuerat,liceat enim modo cum Ambr. imaginem Dei in nobis gratiã interpretari,sic enim habet tract. de dignitate hominis, cap 3. vbi ait. Qui maior honor potuit homini esse, quàm vt ad similitudinem sui Factoris cõderetur, vt iisdem virtutum vestimẽtis ornaretur,quibus, & Cõditor? Vel quod maius hominis potest esse dedecus, aut infœlicior miseria, quàm vt hac similitudinis gloria sui Cõditoris amissa,ad informẽ, & irrationabilem brutorum iumentorum delabatur similitudinem, iuxta illud. *Homo cum in honore esset, non intellexit,&c.* Et lib.6. Examer.cap.7. Sic hominem alloquitur.Tibi,ô homo,attẽde, & teipsum scito,qualem nimirùm animum,ac mentẽ habeas, cui dixit Deus, Ezechiel.4. *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos.* Illa anima picta est,in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima bene picta est,in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundùm hanc imaginẽ Adam ante peccatum: sed vbi lapsus est, deposuit imaginẽ cœlestis, sumpsit terrestris effigiem. Sic ille ostendit, quomodo peccatis nostris in nobis deleamus imaginem Dei,dùm gratiam,& charitatẽ amittimus. Accedat igitur necesse est perpurgatio,& confricatio,adhibito cinere, ac cilicio pœnitentiæ, sumpta item arena, quæ multitudinem peccatorum nostrorum,dùm refert,purgat, & soluit, vel etiam mediis afflictionibus, ac pressuris delet, abstergit,& aufert omnem immunditiam, vt multo lucidior,& pulchrior appareat anima post supplicia, quàm antea fuerat,dum non peccauerat.

Dum itaque Dominus plectendo, tabulas abstergit, & literas nostræ damnationis delet, pulchriores vtique exarat characteres absolutionis, dùm adhibitis suppliciis, & pœnis, rubiginem peccatorum detergit, ita de munditia afflictæ animæ, déque pulchritudine perpurgatæ,& punitæ delectatur,vt cùm absterserit, vertat eam in faciem suam, dicens. *Vides hanc mulierem? Vel: Nónne vides hunc humiliatum coram me?*

Cùm ergo in tantum proficiant nobis, quæ à Deo proueniunt, calamitates, afflictiones, & pressuræ. Quid habet, quod dicat afflictus peccator, cùm ipse fecerit, qui pro bonitate sua mala infligit,vnde multa inde lucremur bona?

Mirabantur sodales Sponsæ,quòd ipsam decoloratam viderant, & denigratam

nigratam, priori vtique pulchritudine amissa, seu ipsa de nigredine gloriatur, quatenus à Deo processerat, quæ dum imaginem pulchram exteriùs abolere videtur, pulchriorem vtique reddit, simiiliorem Christo pro peccatis nostris denigrato. *Nolite, inquit, me considerare, quod fusca sum, quia decolorauit me Sol.* Cantic. 1. 6. vbi Bernar. serm. 28. post med. Nolite me notare quasi deformem, quia cernitis pro ingruente persecutione minus florentem, minus secundùm gloriam seculi coloratam. Quid exprobratis nigredinem, & quam feruor persecutionis, non conuersationis pudor inuexit, &c. Quasi non sit deformitas quam persecutio affert, & afflictio, sed pulchritudo, quæ nos similes reddit Filio Dei in carne afflicto, & affecto suppliciis.

Cant. 1. num. 6.

Est in hanc doctrinam, quam prosequimur, satis aptus locus ille Psal. 10. vbi de suppliciis inferendis peccatoribus dicitur: *Pluet super peccatores laqueus, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum.* Vbi proponuntur supplicia sub nomine pluuiæ, quæ fœcundare solet terram, vt germinet, florésque, & fructus producat. Sic enim ait Lorinus, exposuisse hunc locum Lyrani, quē ibi non inuenio, vt pluuiam referat ad vtilitatem, fructumq; spiritualem, qui huiusmodi imbre profertur, asseratque creari quodammodo ex peccatis imbres, sicut ex vaporibus. Acuta sanè doctrina, quæ nostrum admodum cōficit institutum, cùm ex peccatis oriatur supplicium, quod tamen à Deo inflictum, veluti pluuia in fructum, profectum, & prouentum animarum conuertitur.

Psal. 10. num. 7.

Hoc etiam dixit Dauid in Psalm. 98. *Domine Deus noster tu exaudiebas eos, tu propitius fuisti eis, & vlciscens omnes adinuentiones eorum.* Poterat quis interrogare quomodo propitius fuit Deus iis, a quibus vindictam sumebat, plectens, ac puniens eos? Sed in promptu erit solutio, quod propitiatio extitit in vltione, quandoquidem pœna inflicta in tantam afflictorum cedebat vtilitatem, & fructum, quasi pluuia iacto semini, & plantatę arbori. Etiam vindicans, inquit August. ibi, propitius fuisti: non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte, fratres mei, quid hic commendauit aduertite: illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Nam qui verè propitius est, non solùm donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum, sed etiam castigat, ne peccare delectet, &c.

Psal. 98. num. 8.

Hoc ipsum prosequitur Philo lib. Quòd deterior potiori insidiari soleat post med. dicens: Quicunque peccatores sumus nobis conscij, precemur Deum, vt puniat nos potius, quàm incastigatos prætereat, prætersitos enim non ipse propitius in seruitutem suam vindicabit, sed inclementis genituræ seruos faciet; quod si vt benigniùs, clementer, lenitérque puniat, errata nostra corriget, sermonem suum castigatorem immittens in vestram animam, per quem pudore admissorum incusso, ipsam insanitatem instituat.

Multa quidem annotare solent sacri Interpretes ad illam virgā ostensam Ierem. 1. vbi Theod. ait: Virgam nuceam demonstrat ei, aut secundùm sermonem Syriacum, & Hebraïcum amygdalinam. Virga porrò amygdalina indicat obscurè celeritatem vindictæ, siquidem floret hęc arbor ante reliquas arbores. At secundùm LXX. ita intelligendum est. Fructus nucis amaram quidem, & asperam corticem habet, sub qua latet, quod est esculentum: ita disciplina præ se ferre videtur acerbitatem, & molestiam, sed quæ sequuntur, sunt perutilia, &c. Vigilat quidem Deus, vt puniat, & dum punit propitius fit punien-

Ierem. 1. num. 11.

dis, licèt quę amara videatur pœna, qui introspicit, rimatur, ac ruminat, internam deprehendit dulcedinem, quæ latet sub duro cortice; nã dulcis vtiq; est Deus, dum velùti rectus Dominus, ac Iudex punit, cum eò intendat pœna, vt auferat vindicando culpam, gratiã largiatur, & ius conferat ad gloriam. Vnde meritò Philo loco supr cit. post med. ait: Arbitror eos, qui omnino sunt expiabiles, optare puniri potiùs, quàm dimitti. Nã hæc missio facile subuertet eos, ceu malè saburatas naues carentes gubernatoris prouidentia, animaduersio verò ad correctionem profuerit. Aut non sũt potiores, qui sub pædagogis educantur, quàm qui peccantes à nullis cohibentur castigatoribus? Non meliores item, qui sub magistris discunt artes, quàm qui quoties aberrant, obiurgantur à nemine, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam. Adeóque verum est Deum nobis plagas pro bono, meritoq; nostro infligere, vt in iudicio sit nobis obiecturus supplicia, quę pro correctione, & reductione nostra intulit, sicut optimè prosequitur Nazianz Orat. 15. ad med. vbi loquens de districto Dei iudicio ait: Videte contemptores, & aspicite, & admiramini, & disperdimini. Quonã modo eius expostulationes feremus? Aut quid responsi dabimus, cùm prçter beneficiorum multitudinem, quibus acceptis ingrati permansimus, plagas etiã insuper nobis probro vertet, ac medicinę genera, quibus sanati non fuimus, recensebit, nosq; prolem quidem, verùm improbam vocans. & filios quidem, cæterùm alienos, & à semitis nostris ob summam vitæ difficultatem, & asperitatẽ claudicãtes, sic alloquetur. Quonã modo, & quanam ratione vos erudiri oportebat, qua non erudierim? A iumentis, & à bobus, & ouibus incepi: ac ratione præditis adhuc parcens, in bruta sola impetum feci. Vos eam calamitatem nihil curastis, verum iis etiam, quæ percussa sunt, stolidiores, atq; à ratione alieniores vos ipsos mihi præbuistis. Pluuiam vobis suspendi, pars vna compluta est: pars autẽ ea, cui pluuiã negauit, exaruit. Grandinẽ vobis immisi, (contraria videlicet plaga vos castigans) vineas vestras, & germina demessui. Nec tamen improbitatem vestram obtriui. Quinetiam ad me quoq; qui ne plagis quidẽ melior fio, fortasse his verbis vtetur. Scio quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua. Qui spernebat, spernit: qui iniquè agebat, iniquè agit. Nihil superna admonitio profuit, nihil flagra. Defecit sufflatoriũ, defecit plumbũ (quod priùs quoque per Hierem. exprobraui) in cassum argẽtum conflat argentarius. Scelera vestra non sunt liquefacta: quem locũ sic explicat Elias Cretens. Defatigatus est, qui cõsilia, & admonitiones profert. Defecit plumbũ, hoc est purgans pœna: quandoquidẽ qui ex argento aliquid efficere moliũtur, ad expurgationem alterius materiæ, quę ignis opera cõficitur, plumbum assumũt. In cassum argentũ conflat argẽtarius, idest, sermo erudiens frustra adhibetur. Nam corporeo quidem plũbo argenti sordes eliquantur, ac purgantur: at spirituali plũbo, idest, purgãte pœna, improbitates, quæ animæ vestræ natura claræ, sordes sunt, haudquaquam eliquatę sunt. Sic ille. Cùm igitur in nostram correctionẽ, profectum, & meritũ supplicia, & castigationes à Deo adhibeantur, nullatenùs licebit indignari, aut cõqueri, dum opprimimur, ac punimur, cũ ipse fecerit, qui nouit mederi prauis affectionibus animi per amaras potiones; nouit torquere, vt coronet, & tundere, vt perficiat. Vnde id agnoscens Ezechias lethali afflictus morbo, ait: *Quid dicam, aut quid respondebit, cum ipse fecerit?*

TEX

TEXTVS V.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.



AGNA hoc in loco extat cõtrouersia apud sacros Interpretes, quidnam sit intelligendũ per hoc, quòd noster Vulgatus dixit: *Recogitabo.* Alij enim interpretantur: *Reputabo.* Alij: *Vagabor.* Alij: *Meditabor.* Et sanè verbum Hebr. incedere significat. Vnde in Ecclesiaste, incedere animos pro prophetari accipitur, vbi nos habemus,

Ecclef. 6. num. 9. *desiderare quod nescias.* Ecclesiast. 6. Et R. Dauid legit: *Incedam omnibus annis meis cum amaritudine animæ meæ.*

Psal. 41. num. 5. Et ita Psal. 41. vbi idem verbum habetur, vertit noster Interpres: *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domũ Domini.* Rab. Dauid: *Incedam cum eis.* Hieron. *Tacebo.* Incedere igitur, vel perambulare annos, vt aduertit Forer. quid aliud est, quàm recogitare, ac recolere? Et id, quod sequitur: *In amaritudine animæ meæ*, sic explicat. Nihil aliud habeo, quod loquar, neque quod faciã, quàm super amaritudine animę meę, idest: oppressus hoc morbo molestissimo, mente voluam, quot annos vixerim, eósque etiam atque etiam numerando commemorem, & Deo dicam: *Sic viuitur?* &c. Sed adhuc notãdum est quod significat paulatim incedere, & ambulare tardiori incessu, & denotat gestum incedentium in pompa, & maximè capitis, vt quidam volunt, vbi ordine incedit. Vnde Vatabl. vertit: *Mouitando* (scilicet caput, concutiendo corpus) *meditabor omnibus annis meis de amaritudine hac animi mei.* Vnde iam constabit sensus, qui mihi germanior, & proprior videtur. Quandoquidem ego rationibus nequaquam contendere possum cum iustissimo iudice, qui nihil nisi ęquissimè constituit, aut exequitur, agam tandem lacrymis, gemitibus, & pœnitentia, vt quia non possum vitam exordiri, & retexere, recogitando faciam, quod non possum operando. Oportebat quidem, inquit Bernard. in hoc Cant. si fieri posset, reuiuere me, vt ita loquar, denuò quòd malè vixi, sed quia hoc non possum, faciam recogitando, quod reoperando non possum, &c. Similia sunt quę habet August. tom. 4. lib. de Vera, & falsa pœn. c. 8. ad med. Qui se, inquit, cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, vt totam vitam suam plorent tota vita sua. Atque ita videntur hæc verba, quod non tam dicta fuerint ab Ezechia post recuperatam sanitatem, quàm ab eodem repetita, quæ secum cogitarat, deliberaratque priùs, cùm morbo vexaretur incurabili. Hieron. quem Haymo sequitur, & Adamus, existimat id docere Ezechiam expertum, quod Ecclesiast. 11. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Ac si dicat: superiotis ætatis fœlicitatem, ac delicias nihil sibi afferre ad præsentem dolorem lenimenti: imò potiùs illas cum amaritudine in memoriam redire. Glossa: præsens tribulatio nihil boni præteriti sentit. Ecclef. 11. num. 29.

Aliquando Hebræi dictum verbum: *Eddadde*, dicũt significare horrorem, ac tremorem illum, qui persuadit hominem, cùm malum aliquod terribile secum animo versat, atque

commemorat, vt ſit ſenſus: horrebo, & contremiſcam per omnes vitæ meæ dies, commemorans quanto in dolore, ac periculo fuerit anima mea, qua amaritudine tuo beneficio ſum leuatus. His accedit Vatabl. explicans, leniter incedam omnibus annis meis ob ægritudinem animæ meæ, quaſi dicat, quoties memor ero grauitatis morbi mei incedam leniter more eorum, qui morbo graui laborant: quoad viuam memor ero morbi mei. Brixianus verò ait: Non aliud habeo, quàm vt perpetuò memor amaritudinis huius animæ ſim, à qua beneficio illius liberatus ſum. Alij etiam ex Hebræis: *Senothai*, non annos, ſed ſomnum meum ſignificare putãt, vt ſit ſenſus. Expellam ſomnum meum ſuper amaritudine animæ meæ. Omnem, inquit, ſoporem expellam, vt te laudem ſuper amaritudine animæ meæ, qua me liberaſti. Et LXX. teſte Agell. Videntur horum Hebræorum, qui de ſomno interpretantur, probare ſententiam.

Prior tamen ex cæteris præponenda eſt, quæ clariùs textui quadrat; neque omittenda ea, quam affert Sanctius, dicens annos iſtos non eſſe intelligendos, quos ante morbum exegerat, ſed illos quindecim, qui ad ſuperiorem ætatem acceſſerunt, quaſi dicat. Rex poſtquam ad mortis præſentiam cohorruit, cùm à Propheta audiuit, cras morieris, quod reliquum eſt ætatis, illud ſine dolore, & amaritudine, etiamſi cætera proſperè contingant, tranſigi non poſſe. Mortis enim, cuius iam ſentire cœperat aculeos, acerba recordatio non finit aliquod eſſe ſolidum gaudium, atque à felle purum: ſatis namque eſt ipſa obiectæ mortis recordatio, vt omnia bona amaricare faciat, & acerba reddat.

Ex hoc loco deſumitur communis ſententia Theologorum aſſerentium per ſe neceſſarium eſſe, vt homo interiùs recogitet diſtinctè omnia peccata, quæ commiſit, tam quoad ſpecies ſingulas, quàm quoad numerum eorum, & ita de illis doleat, vt videre eſt apud D. Thom. 3. p. q. 87. art. 1. & 1. 2. q. 113. art. 5. & in 4. diſt. 17. q. 2. vbi plerique ex ſcholaſticis. Eandémq; ſententiam habet Chryſoſt. hom. 9. ad Hebr. dicens: Si quis recognoſcat ſe peccaſſe, & non ad ſingulas ſpecies deſcendat, non ceſſabit. Similem doctrinam habet homil. 41. ad pop. & hom. 46. & hom. 4. de Lazaro, & diuite, & lib. 1. compunct. cordis. Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 17. Gregor. 4. Moral. cap. 15. & lib. 8. c. 11. Ambroſ. in Præfat. ad Pſalm. 37. Bernard. ſerm. 58. in Cant. vbi ait: Scrutemur iuxta Prophetam Threnor. 3. *Vias noſtras, & ſtudia noſtra*, &c. Quomodo autem hoc ſit intelligendum explicat Suar. diſp. 4. de pœnit. ſect. 7.

ANNOTATIO I.

Proponitur interna pœnitentia peccatoris.

Videtur hoc in loco deſcripſiſſe Ezechias pœnitẽtis animæ ſtatum, quæ omnia commiſſa peccata mente recurrit, & verſat maximo dolore, & intima cordis amaritudine propter Deum offenſum, cuius bonitati debebat potiùs per charitatem adhærere, & in omnibus placere. Hoc ſanè docuit Ierem. Threnor. 3. cùm dixit: *Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum.* Threm. 3. num. 40. Hebr. *Diſcutiamus, & diligenter examinemus opera noſtra: & perueſtigemus, ac perſcrutemur ea, quæ iniquè geſſimus, vt de omnibus pœnitentiam agamus.* Sic enim poterimus iterum ad

ad Deum reuerti, & denuò cum illo nouam contrahere amicitiam: etenim Ezechiel. 18. dicitur. *Cùm auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam: ipse animam suam viuificabit.* In eodem sensu Dauid Psal. 55. ait. *Deus vitam meam annuntiaui tibi.* August. *enuntiaui.* Expendit autem Graueus hunc locum de confessione Deo facta, & in annuntiandi verbo proponit planam, & apertam confessionem abiecto noxio pudore: & quod vitam meam dicat Dauid, ne quis aliena potiùs exponat, quàm sua peccata, culpam quasi reiiciendo in alium. Et Ambros. in Psalm. 37. expendens hæc verba, ait. Non quasi innocentem vitam annuntiat, vbi lacrymæ funduntur (de quibus sequenti versu) quæ solent legationem suscipere pro delictis, &c. Imo ideo confidenter annuntiat, quia lacrymis confessionem comitatur.

Ezechiel. 18. n. 27.

Scrutandæ itaque sunt viæ, actiones, & studia ab illo, qui ad Deum vult accedere. Ideóque Bernard. ser. 58. in Cant. sic concludit. Scrutemur (iuxta Prophetã) vias nostras, & studia nostra, & in eo se quisque iudicet profecisse, non cùm inuenerit quod reprehendat, sed cùm, quod inuenerit, reprehendet. Tunc re non frustra scrutatus es, si rursum opus esse scrutinio aduertisti: & toties non te fefellit inquisitio tua, quoties intereũdum putaueris. Sin autẽ semper hoc, cũ opus est, facis, semper facis. Hæc deinde recogitatio continet actum iustitiæ, quæ in pœnitẽtia repetitur, vnde in Psalm. 4. dicitur pœnitentia ipsa sacrificium iustitiæ, quia iustum profectò est, vt qui contra Deum deliquit, de seipso vindictam sumat ea omnia recogitando, & dolendo, in quibus Deum offenderat. Nõ absurde, inquit August. ad dictum Psalm. hic accipitur ipsum esse sacrificium iustitiæ, quod fit per pœnitentiam; quid enim iustiùs, quàm vt suis vnusquisque peccatis, quàm alienis potiùs irascatur, séque ipsum puniens mactet Deo? Et in Psalm. 84. ait idem Augustin. Iustus esse debes in te, vt punias te: ipsa prima est hominis iustitia, vt punias te malum, & faciat te Deus bonum: quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa fit via Deo, vt veniat ad te Deus, ibi illi fac viam in confessione peccatorum, ideo & Ioannes cùm baptizaret in aqua pœnitentiæ, & vellet ad se venire pœnitentes de suis prioribus factis, dicebat hoc; *Parate viam Domino, rectas facite semitas eius:* placebas tibi in peccatis tuis ô homo: displiceat tibi quod eras, vt possis esse quod non eras. Confitere vitam, & aperi viam, & veniat Christus, & ponet in via gressus tuos. Sic Augustin. ostendit peccatorem, qui à Deo longè recesserat, recogitet, & doleat, mentéque pertranseat dolendo, & lugendo.

Psalm. 4. nu. 6.

Pro qua re videndus locus ille Ieremiæ 31. vbi monetur populus Hebræorum vt cùm in captiuitatem duceretur, poneret in via speculas, & signa, quibus postea viam recognosceret; eadem quippe via, qua in Chaldæam ibat, in patriam reuersurus erat. *Statue tibi speculum, pone tibi amaritudines. Dirige cor tuum in viam rectam, in quo ambulasti. Reuertere virgo Israël, reuertere ad ciuitates tuas istas.* Iubet Deus, vt erectis ibi titulis, seu viarum indicibus notata relinquat loca, per quæ in patriam, à qua nunc flentes recedebant, reuertendum esset. Ita D. Thomas, Castro, Maldonatus, & quidam ex Hebræis; qui tamen locus ad spiritualem sensum, nostrúmque argumentum ita deducit Sanctius. Mihi dubium non est, inquit,

Iere. 31. nu. 21.

quod hæc de reditu è Babylone accipi possint, in quibus conuersionem à spirituali exilio, idest, reditum ad gratiam tãquam in symbolo spectare licet: quod symbolũ proponi multis modis, atque exponi potest. Primum, vt Deus probet populi pœnitentiam, & quem traxit ruborem ex peccatorum memoria, ostendátque quomodo in eo studio, atque cõsilio pergere, ac promoueri valeat. Id verò fit si speculã ascendat, & inde superioris vitæ commissa recognoscat: quòd tunc prudenter, atque vtiliter facit, cùm supra humana, ac peritura mentem attollit: neque enim semper peccatorum apparet vilitas, & deformitas, cùm illis aliqua se cõmoditas humana cõmunicat, atque implicat. Facit enim vtilitatis species, tãquam fucus quidam allitus, ne tanta appareat scelerum turpitudo: imò & quæ fœdissima sunt, honestissima interdũ iudicētur. Quare oportet, vt speculã ascendas, cõtemnas humana, & nihil in operum tuorum examine præter diuina, atque cœlestia cõsideres. Hæc põdus habeãt, reliqua stipulæ, ac fumi, imò & nihil in eo rerũ examine instar obtineant; de his doleas, & ad hæc anheles. Postquã verò ex specula, idest, consideratione supra sensus, & humanas rationes eleuata quisquam actiones suas expendit, cõsequens est, vt amaritudines ponat, idest, statuat, & collocet apud se, pœnas de erratis exigendas esse: & quantum de immoderato rerũ vsu voluptatis cœpit, tantum subeundum esse doloris. Vbi occurrit Aug. in Psal. 50. ad illa verba; *A peccato meo munda me.* Quo meritò? inquit Aug. medicus est, offer mercedẽ. Deus est, offer sacrificium. Quid dabis vt munderis? Vide enim quem inuoces. Iustum inuocas, odit peccata si iustus est, vindicat in peccata: si iustus est, vtique non poteris auferre à Domino Deo iustitiã eius.

Psal. 50.

Implora misericordiam, sed attende iustitiã. Misericordia est, vt ignoscat peccanti, iustitia est, vt puniat peccatũ. Quid ergo? quæris misericordiã, peccatũ impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respõdeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiã mereantur sicut Dauid, & dicãt, Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Noui iustitiã eius, cuius quæro misericordiam. Nõ impunitum erit: sed ideo nolo vt tu me punias, quia ego peccatũ meum punio. Ideo peto vt ignoscas, quia ego agnosco, &c. Similia habet ser. 35. in Luc. cùm pulchrè interpretatur illud Ps. 4. *Irascimini, & nolite peccare*, & ser. 36. in Luc. cùm de Publicano dixit fuisse sibi iratum, & propterea pectus suum percussisse, & pœnas de semetipso exigẽdo veniam, & iustificationem meruisse. Optimáque in hanc sententiam habet in Ps. 44. ibi. *Dilexisti iustitiã, & odisti iniquitatem.* Est in te iniquitas? Odit illam Deus, oderis & tu, & vnã rem ambo oderitis. Eris enim Deo amicus, si odisti, quod odit. Ita & amabis, quod amat. Displiceat in teipso tibi iniquitas tua, & placeat tibi creatura ipsius. Peccatũ puniturus est, quia virga directionis est virga regni ipsius. Puniendum est peccatũ, si puniendum non esset, non peccatum esset. Præueni illum, non vis vt ipse puniat, tu puni. Ideò enim ad hoc ipse parcit differt, tenet manum, differt manum à peccatis nostris, tu noli differre. Conuerte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat. Iudex quod punit, animaduertere dicitur, idest, animum illuc vertere, intendere vtique ad puniẽdum, quia iudex est, sic est & iudex Deus. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Tu ab ipsis faciem noli auertere, si vis vt Deus

ab

ab ipsis auertat faciem suam. Vide quomodo hoc offert Deo in ipso Psalmo. *Facinus meum ego*, inquit, *agnosco, & peccatum meum ante me est semper.* Hoc nō vult esse ante Deum, quod vult esse ante se. Similia sunt quæ habet ad illud Psal.49. *Arguam te,& statuam contra faciem tuam.* Vbi ait. Modò tu fac quod tibi facere minatur Deus. Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis dissimulatus à factis, & constitue te ante te, ascende tribunal mentis tuæ, Esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat à te confessio, & dic Deo; quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper.

Facit in hanc sententiam Bernar. de interiori domo c.24. vbi de peccatore ait. Se culparum ante se afflictum, se reum se iudicem seuerum, se impium ante se ad pœnitentiā reuersum proponat, se ante se decernat quid à se faciendum sit de se: iustè in se iniusto infligat, iusta flagella, &c.

Præclara sunt, quæ pro recogitatione amara pœnitētis habet Euseb. Emiss. homil. de pœnit. Niniuit. post med. vbi ex eo, quòd Deus non iudicat, neque punit bis idipsum, infert nullatenus puniturum Deum peccatum illius, qui suum priùs nouit punire peccatum apud semetipsum, & de illo verè pœnitere. Valdè, inquit ille, diuina seueritas innititur, quādo videt aliquem fœdas peccatorū notas, & veteres maculas, infimis animæ visceribus impressas, satisfactionis lacrymis, & pœnitentiæ remediis abluentem, quando videt aliquē delicta sua præoccupato iudice voluntaria districtione, & animaduersione damnantem, & tanquam inimicum dico, qui nullus nobis tam occultus inimicus est, quàm caro nostra. Beatus, qui hîc mala sua deflere, qui hîc debita sua festinat euoluere: & innocentiam, quam iam non potest reparare per Baptismum, recuperare studeat per summū pœnitētiæ fructum. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodāmodo sub priuatæ cognitionis sententia & testis, & accusator, & iudex est. Ad tales meritò ipse Dominus loquitur. Non iudicabo bis in idipsum, idest, quod tu in te seuerus agnoscis ego propitius ignoscam: quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam: quod tu recordaris in publicum, ego obliuiscar in æternum: & quia per pœnitentiam tuam præuenisti sententiam meam, recondam gladium meum, ac me tibi ad remunerationum tempora reseruabo. Ergo, charissimi, vnusquisque respiciens se arguat intra se gesta improba, & ante se cōstituat peccata sua, pronūtians cum Propheta: *& delictum meum contra me est semper.* Ante vos sit, vt contra vos esse non possit. Ita illud conuersatio obliuiscatur, vt compūctio recordetur. Ita illud reatus confessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat. Ita viuat in conscientia, vt moriatur in vita. Sic ille concludit dictam homiliam.

Hinc intelligetur cur Psal.40. qui est de pœnitentia Dauidis, & internum dolorem cordis Dauidis indicat, vnde melius inter Psalmos pœnitentiales, veluti eorum cor, collocatur, meritò, inscriptus est, *in finem*, quod Hieronym. ex Hebræ. transfert, *ad victoriam*; quoniam Dauid proponendo ante se peccata sua, & recogitando facta sua in amaritudine cordis, victor tādem euasit, lacrymísque ligauit. Omnipotentem, & pœnitentia placauit, ac iratus sibi, & de se victo, ac macerato triumphans victoriā indulgentiæ obtinuit. Chaldæus vertit, *in laudē*; quia singularem laudē meruit obtinere à iudice, quia pœnitentiam egit ille, qui damnationem debebat incurrere, nisi sui acerrimus iudex fieret. Nonne & idem

identmet Christus Dominus pœnitentem laudauit, dum excusauit imò excusando laudauit; grandis namque commendatio delinquenti habetur iudicis ipsa excusatio, quòd dixerim, quia videor mihi videre Dei excusationem in contristatis pœnitentibus
2. Cor. 7 nu. 11. apud Paulum 2. Cor. 7. cùm ait. *Ecce enim secundùm Deum contristari vos, quatam in vobis operatur solicitudinem, & defensionem, sed defensionem,* idest, imò defensionem: Ambros. legit *excusationem*; vnde elucidans Theophylact. ait. Excusati enim apud me estis, quoniam resipuistis. Imò posset dicere; apud Deum excusati estis cùm & ipse excuset vos, & excusantis officio fungatur pro pœnitentibus. Vnde de
Eccl. 47. nu. 13. Dauid pœnitête ait Ecclesiast. *Dominus purgauit peccata ipsius.* Quod cùm ex Græco deberet propriè reddi, *abstulit*; Vulgatus tamen verbo purgandi vsus est, quod & forense est, & ad delicti excusationem, & dilutionem refertur, vt culpa non existimetur, & non solùm pœna temperetur, sed penitus remittatur. Et Cicero ad Attic. lib. 1. Quintus frater purgat se mihi per literas. Et pro Sexto Roscio. Seruos ipsos neque arguo, neque purgo. Et Terent. in Eunuch. Sed heus tu purgo, ne ego me de isthac Thaide, &c. Purgat igitur Deus non solùm abluendo, & delendo peccata, sed insuper excusando.

3. Reg. 1. nu. 2. Vnde aperitur magis ille locus 3. Reg. 1. cum Bethsabee sollicita de Adoniæ ambitu, nec non de Salomonis filij salute, & futura Regni hæreditate dixit ad Dauidê fore, vt post illius obitû censerentur ipsa, & filius eius Salomon peccatores. Qui locus multipliciter exponitur; nempe, vel quod sibi timeret ab Adonia, si occuparet regnum, fore vt tanquam scelerati mulctarentur exilio, vt volunt Chaldæus, & post illum Iosephus 7. antiquit. cap. 11. Aut vt afficerentur morte tanquam legitimi regni hostes, sicut ait Vatabl. Aut fore vt reputaretur Salomon regno indignus propter occultiorem aliquam improbitatem, vel suam, vel ipsius matris, vt indicant Clarius, & lectio Tygurina: *Futurum est, vt ego, & filius meus peccatores reputemur*; nimirum à te, vt etiam addunt Pagninus, & alij. Aut vt tanquam improbi, qui pane, & aqua interdicuntur, egestate, & fame conficiamur, quod affert Abulens. Aut vt tanquam peccatores, idest, quasi ab scopo aberrantes, cadamus spe obtinendi regnum. Clarior tamen expositio est. Nisi filius meus Salomon in regno succedat, videbitur adhuc recens in Dei, & tui memoria meum peccatum, tuum etiam ô Rex. Ego namque semper reputabor adultera, Salomon verò ex scorto natus, proindéque regno indignus. Quod tamen immeritò nobis accidet, quippe meum peccatum simul cum tuo per legitimam pœnitentiam deletû, expurgatû, excusatúmque à Deo, nihil mihi nocere iam poterit, aut Salomoni ex legitimis nuptiis suscepto: imò quia peccatû per pœnitentiam tuam tibi cessit in laudem, & à Deo purgatum, excusatúmque est, oportet vt modò nobis non officiat, de quo victoriâ, & laudem reportasti. Vsque adeò enim verum est pœnitentiâ de peccatis reportare victoriam, & dolorem cordis maculas delere, vt pro impossibili assumat Bethsabee si iterum in memoriam veniant. Quo sensu intelligendus est ille locus Ecclesiast. 8. *Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei,* Eccli. 8. nu. 6. quasi dicat, non exprobrandû peccatori scelus, quáuis grauissimû, quod pœnitentia elutum fuerit, quin potius summo honori, & laudi habendum: Illa enim negatio, *ne despicias*, per extenuationem significat singularem

larem honorem peccatori pœnitenti deferendum propter insignem animi virtutem, & fortitudinem animum suum frenandi,& retrorsum ab incepto cursu conuertendi: etenim ideò peccator conuersus dicitur, quia reuersus iam à via sua praua auertit se omnino à peccato, cui terga vertit. Quod bene prosequitur Ambros.lib. 2.in lib.Reg.cap.3.post med. vbi ait: Vera conuersio in ore non accipitur sed in corde. Conuerti enim verti est. Conuersio itaq; peccatoris vera tūc est,cùm ad Creatoris nostri beneplacitum vterque noster homo reducitur, cū & caro nostra per iniquitatis odium prohibetur à perpetratione facinoris,& per amorē iustitiæ mens se extendit ad intētionem bonæ operationis Psalmistę voce correpti pœnitentis pronuntians dicit: *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Psalm.35. Viæ enim vitæ sunt afflictiones pœnitētiæ,quibus à damnationis suę barathro peccator ad supernā patriā ducitur, &c.

Psal.35. num.6.

Nemo nescit Babylonem figuram peccati sortiri, vnde conuersus peccator ad Deum per pœnitentiam regreditur. Permittit igitur Deus peccatorem ad Babylonem vsque peruenire,vt visa fœditate peccati,& conspecto supplicio, quod illi superest, quàm citissimè, & quàm celerrimè conuertatur, & iterum ad Deum redeat pœnitendo;qui ab illo recesserat delinquendo, quod optimè aduertit Gregor. ad illa verba Mich. 4. *Dole, & satage filia Sion, quia nunc egredieris de ciuitate, & venies vsque Babylonem, & ibi liberaberis.* Sic enim habet hom. 10.in Ezechiel.ad med. Quid Hierusalem, nisi visio pacis? Quid Babylonia,nisi confusio vocatur? Quisquis verò à rectis operibus in peruersis actibus cadit, quoniā à bono studio ad vitia defluit, quasi ab Hierusalem ad Babyloniæ ciuitatem venit. Vnde Psalmista,ne à visione pacis, idest, à bonis actibus captiuus ad Babyloniā emigraret,Domino supplicans dicit: *Adiutor meus non emigrabo.* Psalm.61. n.7.Si enim in se confideret,à iustitię operibus migrasset. Sed neque hi,qui à statu rectitudinis in prauam actionem ceciderunt, desperandi sunt; quia ecce Propheta ad transmigrationem Babyloniæ mittitur; & per Prophetam alium Dominus dicit: *Et venies vsque Babylonem, & ibi liberaberis.* Sæpè enim quis postquam in vitiorum confusionem ceciderit, erubescens mala quę perpetrauit,ad pœnitentiam redit;seque à suis lapsibus bene viuendo erigit. Quid ergo iste nisi vsque ad Babylonem venit,& ibi liberatus est? Qui postquam cōfusus mente peruersa perpetrauit,hæc ipsa erubescens mala,quæ fecit, se contra se erigit,& bene operando ad statum rectitudinis redit. In Babylonem itaque veniens liberatus est,qui per diuinam gratiam ostenditur etiam de confusione saluatus,&c.

Mich 4. num.10.

Psal.61. num.7.

Olim Leuit.25.tale pręceptum reperimus. *Qui vendiderit domum intra vrbis muros,habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus.* Quis nescit peccatorem seipsum vendere, vt faciat iniquitatem, & astrictum pœnæ æternæ veluti alieno ære pressum remanere; qui igitur vendiderit domum suam,ius scilicet,ad æterna tabernacula, quæ domus nostra ratione gratiæ dici possunt,qui hîc ciuitatem, & domum permanentem non habemus,intra annum redimere poterit Isich. in glossa ait: Annus omnes horas in se habet,& dies,& menses,& circuitus omnes perfectionem significat. Peccatū autem perfectum & diuturnum non nisi perfecta pœnitentia emēdatur, in qua ieiunium, oratio,ciliciū, eleemosyna, & lacrymę peragūtur;per hęc enim plena remissio acquiritur, &c. Alij per annū huius vitæ tempus interpretantur;

Leuit.25. num.9.

domum verò charitatem & gratiam. Hanc igitur poteſt quis redimere pretio pœnitentiæ, quam ſi omittat, in futuro redimere minimè poterit; proindeque hic curandum maximè eſt, vt redimatur charitas, & amicitia cum Deo, idque perfecta pœnitentia, & conuerſione peracta.

Neque verò ſola veſtigia attendenda ſunt, per quæ ad Babylonē deſcendimus, vt ad Hieruſalem reuertamur, ſed lacrymis, doloreque abolenda, ne iterum ad impietatem redeamus, & hoc ſanè recogitare eſt in amaritudine animę tranſactam vitā, quod bene proſequitur Ephræm Tract. de Pœnitentia, multò ante med. dicens: Dicam tibi quomodo quis in pœnitentia reddatur perfectus: vt ratione percepta excuſationem non habeas, quare auſculta. De veneficio, atque incantatione te pœnitet? Omne eius veſtigium extermina. Deſiiſti occidere homines? Etiam linguam tuam cohibe, ne calumnietur quempiam, nec maledictis inceſſat, neque ſeſe implicet. De idololatria pœnitētiam agis? Fuge diuinationes, auguria, obſeruationes, atq; vaticinationes cùm & iſtæ ſint partes idololatrię, quippe in quibus coniecturaliter vaticinia, atque vaticinationes exercentur. Caue attendas Aſtrologis, Mathematicis, ac prodigiorum interpretationibus. De fornicatione doles? Totam eam contemne, ac damna: quoniam omnem ea laſciuiam generat. Abſtine à riſu, à ſcurrilitate, à turpiloquio, à gula, à crapula: nam iſta viam ad fornicationem ſternunt. De iniuſtitia pœnitentiam agis? Omnem eam repelle, atque propulſa: nam omnem hæc auaritiæ exceſſum, ac ſuperfluitatem producit: & poſtquam per cætera vitia ſimiliter diſcurrit, tandem ſubdit. Tu teipſum per pœnitentiam conflas ac liquefacis, qui peccaſti. Tu teipſum ex mortuis reſuſcitas. Si ergo ex dimidio quid egeris, teipſum iniuria afficis: nam ſi quod propemodum, & paulò minus fit, habetur mutilum, & imperfectum: quantò magis dimidium: Niſi enim in integrū, atq; perfectum reſipiſcas; ex dimidietate tantùm es iuſtus. Nihil verò profuerit porcū pro dimidio duntaxat eſſe mundum, cùm vngulas non ſolidas, ſed ſciſſas habeat, nam omnem abiecit munditiē. Et tu niſi perfectè conuerſus fueris, inſtar ſuis, & leporis eris: nam is quoque dimidia ex parte mundus eſt. Ipſe enim ruminat quidem, ſed vngulas nō habet ſciſſas Sus verò ſciſſas quidē habet vngulas, verùm nō ruminat; & ambo ſunt ſimiliter immundi. Ait porrò Saluator, *Nolite ſancta proijcere canibus, neque margaritas ante porcos*: vt oſtendat ex dimidietate accedentes, eſſe velut porcos, & ad peccatum reuertentes tanquam canes: quippe qui ad proprium vomitum reuerti ſolent. Plenè igitur & perfectè omnem abs te repelle malitiam, &c. quæ proſequitur, oſtendens quomodo qui per pœnitentiam reuertitur, omne peccati veſtigium debeat abolere, vt perfectam conuerſionem faciat, ac verè dicatur conuerſus, & curſū omnino mutaſſe, quod videtur dixiſſe Dauid Pſal. 83. cùm ait: *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.* Hieron. vertit, *Beatus homo, cuius in te eſt fortitudo*, vt ſcilicet, poſſit præualere contra prophanos mores, & inueteratas vitiorū conſuetudines. Idem Hieron. ex Hebr. *Semitæ in corde ſuo*, ideſt, Beatus qui in corde ſuo habuit ſemitas adeundi, ſeu quibus adire poſſit ad Deum, à quo per peccatum diſceſſit: hic enim per ſemitas gradiendo, ſingulis in locis, in quibus veſtigium peccati deprehenderit, depreſſus, & humiliatus recogitatione ipſa peccatorum fontem lacrymarum

Matth. 7. num. 6.

Pſal. 83. num. 6.

rum ponet plorantibus oculis, quibus delere possit sordes, & maculas repertas. Paraphrasis Chald. habet *Peccatores, qui transeunt per profundum gehennæ flentes fletus, sicut fontem ponent illud.* Hoc est pœnitentes in hac vita deducent exitus aquarum, quia non custodierunt legem Dei, cùm mente, atque cogitatione per peccata sua transierint, quæ gehennam ipsam merentur, idque recogitabunt, vt ad Dominum conuertantur; est enim perfecta conuersio, quando quis ad quamlibet offensam dolet, & lacrymatur.

Hoc bene prosequitur Chrysost. tom. 3. homil. de B. Philogonio, vbi quærit, qua tandem via ad tantam euaserit perfectionem ea mulier peccatrix, cuius meminit Luc. in cap. 7. quam etiam pictor ille cœlestis Lucas in Ecclesia Dei pro typo, & exemplari pœnitentiæ depinxit, vt in ea disceremus detestari peccata, & nouam induere perfectionem. Quoniam, inquit, feruenti animo, flagranti corde, ardenti fide accessit, & sanctos illos, ac sacros pedes attigit solutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emissis, vnguento perfuso; etenim per quæ deceperat homines, per eadem parauit remedia pœnitentiæ; per quæ auocauerat oculos intemperantium, per hæc emisit lacrymas; per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Iesu, vnguento multos velut visco inescauerat per hoc pedes illius lauit. Per oculos itaque, per crines, per vnguentum recesserat à Deo, per eadem omnino Deum petit, illique adhæret. Iuxta illud Pauli Roman. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Tertull. lib. de Resurrect. carnis, cap. 47. legit:

Rom. 6. num. 19.

Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ, ita exhibete membra vestra famula, &c. Super quæ verba optimè ad rem nostram Origen. ait: Pudorem hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, vt hoc saltem obsequij impendant iustitiæ, quod priùs impenderunt iniquitati. Currebant priùs pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus priùs, vt aliena diriperent, nunc protendantur, vt propria largiantur. Circunspiciebāt priùs oculi alienum ad concupiscendum, nunc circunspiciant pauperes ad miserendum, & vniuscuiusque membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, & actum, quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc, sanctitatemque conuertat.

Meliùs Chrysost. hom. 11. in eandem epistol. sic incipit. Posteaquam magnam vitę curam, diligentiamque postulauit, iubens mundo, ac malitiæ mortui vt simus, atque ad peccatorum opus immobiles permaneamus: visusque est magnum quiddam, atque onerosum dixisse ac tale, quod humanum transcenderit ingenium, ostendere volens nullum se postulare onus, quod humeris nostris incapax sit, sed admodum moderatum, & leue id ipsum: humanum quiddam dico, ac si diceret, ab humanis cogitationibus, ab iis, quæ in consuetudinem cadunt. *Sicut præbuistis membra vestra*, &c. Quanquam magno inter se Domini ipsi interuallo dissident, tamen parem, inquit, seruitutis modum flagito. Oportebat quidem multò etiam amplius adferre, ac tantò etiam amplius, quantò ipsa hęc seruitus dominatur illo, tum maior, tum melior est: sed tamen nihil ego ampliùs deposco. Dices, quis tandem eò vsq; miser, eò vsque infelici sydere natus esse queat, vt

ne ſtudij quidem tantundem Chriſti, quantum peccati, ac diaboli ſeruituti impendat? Igitur audi quæ ſequuntur, atque apertè intelliges, ne iſtud quidem puſillum vos impendere: quandoquidem enim prolatum hoc ſic ſimpliciter nec credibile eſſe, nec acceptabile videbatur, nec audire quiſquam ſuſtinuiſſet, ſe Christo tantundem non deſeruire, quantum diabolo deſeruiſſet, per ea, quæ inſequuntur ipſum, hoc adſtruit, ac credibile facit illam ſeruitutem in medium afferens, ac dicens, quo pacto illi ſeruiere. *Cùm enim eſſetis ſerui peccati, liberi eratis iuſtitiæ.* Quod autem ait, hunc habet ſenſum. Dum in malitia viueretis, in iniuſtitia, in ſummis malis, tanta cum obedientia viuebatis, vt prorſus boni nihil ageretis. Hoc enim ſignificant verba hæc, *Liberi eratis iuſtitiæ*, hoc eſt, non eratis illi ſubditi, ſed alienati ab ea prorſus: neque enim ſeruitutis modum diſtribuebatis, partim iuſtitię, partim peccato, ſed ipſos vos totos debebatis malitiæ. Igitur & nunc quoque poſteaquam ad iuſtitiæ cultum vos traduxiſtis, ipſos vos totos ad virtutem date, nullum prorſus vitio locum relinquentes, vt in eo vel æqualem ſaltem modum ſeruare vos oſtendatis: quanquam non ipſius dominij ſolùm, ſed & ſeruitutis quoque magnum adeò ſit diſcrimen. Sic ille oſtendit quomodo Paulus voluerit fieri conuerſionem omnimodam, vt quidquid Deo deliquerat, totum Deo deſeruiat, nouóque obſequio Deo ſoluat, quidquid vitiis impenderat.

Id bene habet Ephræm de Pœnitent. ante med. in hunc modum. Dic mihi, quando fornicationem committebas, nónne anima ſimul cum corpore ad actionem concurrebat? & quomodo nunc corpore dumtaxat vis reſipiſcere, & caſtè te gerere? Quando furabaris, mens tua cum carne admittebatur, & quo pacto nunc dicis, & vis ſolo habitu conſtantiam probare? Leges non iudicant, niſi opus coarguatur, & conuincatur: neque puniunt eos, qui habitu ſolo ſint homicidæ: ſic & Deus non amplectitur pœnitentiam, niſi ea opus firmum, ſolidúmque demonſtret. Multi Regum greſſus, atque inceſſus imitantur; alij tyrannorum actiones: & non tamen ob id tanquam tyranni cenſentur, ac iudicantur, aut illi velut Reges adorantur: & pœnitentes niſi firmiter, atque conſtanter pœnitentiam egerint, tanquam ſimulatores æſtimabuntur. Eſto vas firmum, & ad omne opus bonum perfectus, atque aptatus, vt inter ſanctos theſauros recondaris, &c. quæ in eandem ſententiam proſequitur, oſtendens quomodo perfecta pœnitentia totum comprehendat hominem, & ad omnes illius operationes ſe extendat.

Optima ſunt quæ pro hac re habet Chryſoſtom. homil. 12. in cap. 3. Matth. vbi dicit optimum modum agendi pœnitentiam eſſe, ſi vtique peccatis præteritis aduerſa faciamus. Verbi gratia, aliena rapuit aliquis, incipiat donare ſua propria. Si quis longo tempore diſſolutus eſt, vt etiam à propria vxore cõtinens, &c. affertque elegantem ſimilitudinem. Nec enim vulneratis ſufficit à corpore ſpiculum euellere, ſed oportet remedia adhibere, &c. Et homil. 22. ad popul. poſt princip. adhortatur ad pœnitentiam in hunc modum. Ablue lacrymis peccatorum ſordes, frontem verbera, pulſa pectus, in ſenſum veni eorum, quæ peccaſti: ſi per oculos captus es, ſicut olim Dauid malè apertis feneſtris: ſi contra animam tuam oculi tui fuerunt, concludo in gemitu oculum, quem malè in laſciuia reſeraſti. Vnam noctem

(scilicet Dauid) in iniquitate duxit, & per singulas lugebat noctes, penitus talia confitens. Dedisti mihi oculos, vt videam lucem tuam, ego autem his malè prospexi. Erraui aliquando malè intuitus, malè fenestras aperui, proptereà lacrymis ipsas abluo. Sic igitur oportet lugere, & oculum malè conspicatum lauare. Et tu vulnus nosti, agnouisti medicinam, animæ tuæ ianuas munire festina. Non oculum tantum, verùm & aures, & os. Istæ enim sunt fenestræ, per quas pro sententia vel bona prodeunt, vel mala. Vide ne mors subeat tibi per fenestras tuas, sed sint tibi semper in oculis honestatis mandata. In auribus Dei præceptorum testamenta, in ore laudum cantica, & antiqui, nouíque testamenti meditatio. Has fenestras Deo quidem aperire, sed peccato occludere debemus. Per singulas horas glorifica Dominum, non tantùm sermone, verùm & opere. Dauid quoque Deũ in sæculum, & in sæculum sæculi exaltat: non diem, non mensem, non annum, non lustrum, sed omni vitæ tempore. Sic ille docet quomodo in omnibus, & per omnia, atque etiam omni tempore Deo debeamus satisfacere pœnitendo, & ea omnia ad Deum, illiúsque obsequium dirigendo, & conuertendo, per quæ in ipsum deliquimus.

Videndus in hanc sententiam Rupert. cùm ponderat Iacobum ascensurum cum vniuersa familia sua de Mesopotamia in Samariam. ad Bethel conuocata omni domo dixisse; *Abijcite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mũdamini, ac mutate vestimenta vestra, Surgite, & ascendamus in Bethel, &c.* Hoc igitur totum versat Rupert. in animam pœnitentem lib. 8. in Genes. c. 12. dicens. Planè hoc ordine, & his profectibus ascendendum est in Bethel, idest, in domum Dei, quæ nõ est alia, quàm Ecclesia Christi. Primum est pristinos abdicare errores, ac deinceps ambulare in nouitate vitæ, quod est vestimenta mutare. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum. Inaures habebant viri more cæterorum orientalium, quod mollis & effœminati erat animi instrumentum; significant autem inaures falsæ doctrinæ phalaras, sermone nitidas, sed sensu veritatis vacuas esse. At ille infodit eas sub terebinthum, quæ est post vrbem Sichem. Terebinthus arbor resinam generans pretiosissimam, lignum Crucis, quod virtutis est optimæ, significat; subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, vt eorum vltra nullum vestigium reperiatur. Sic ille docet quomodo verè pœnitens anima à se debeat abdicare pristinos errores, alioqui fieri non potest, vt benè conuertatur ad Dominum ille, qui secum defert comitatum voluptatum.

Gen. 35. nu. 2.

In quam sententiam videndus est Philo lib. 2. leg. allegor. vbi põderat id, quod olim dixerat Eua in sui defensionem. *Serpens decepit me*; existimat enim serpẽtem voluptatem esse intelligendam; per mulierem autem quasuis externas, & inordinatas appetitiones, quæ in animam introducunt earum rerum imagines, quas fucata voluptas Adamo, hoc est rationi repræsentat. Has igitur sensationes, quæ animam perturbare solent, recusare debet anima posita in via redeundi ad Deum, neque rationis comites esse pati, pulchrè autem aduertit idem Philo ad ea verba, quæ noster Vulgatus legit: *Mulier, quam dedisti mihi*; legenda potiùs esse; *Mulier, quam dedisti mecum*, quasi velit hasce appetitiones non sibi datas esse, sed secum datas esse, quasi non dominus earum fuerit, sed comes.

Huiusmodi igitur comites recusare debet quantum potuerit qui ad Deum conuertitur, ne si eos permittat redeuntem perdant, sibique addicant.

Pro qua re videndus Philo lib. de congressu quærend. erudit. gratia, cùm ait has comites semper habere animam, quandiu à Deo relegata exulat. Nam, inquit ille, Deus impiam, & iniustam animam fucatam à seipso longissimè dissipat in locum voluptatum, concupiscentiarum, & facinorum, postquam voluptas impia animam nostram occupauit, potiorem amorem ab ea expulit.

Similia habet idē Philo lib. quod merces meretricis non est recipienda in sacrarium, ex quibus constat eam animam, quæ recedit à profana vita, & per pœnitentiam ad Deum conuertitur, debere à se abiicere quascumque veteres, inordinatásque appetitiones. In quam etiam sententiam facit ea allegoria, siue similitudo, qua vtitur idem Philo lib. de temulentia, cùm asserit duas filias Loth genitas esse à matre, quæ postea in saxum mutata est, quam non aberrauerit siquis appellet consuetudinem inimicam veritati suopte ingenio, & quoties ab aliquo deducitur à tergo resistentem, respectantémque antiquas sodales, & in morem inanimæ statuæ remanentem. consistere in medio earum; filiarum autem senior vocabatur consilium, iunior vero assensio; nam consilium comes est assensio: post assensionem autem nemo consultat vlteriùs. Mens igitur sedens in suo consistorió solicitare filias solet, & cum grandiori quidem consilio considerat, atque scrutatur singula; cum iuniori verò assensione facilè quibusvis annuit; vt infesta pro amicis complectatur, si modò voluptatis esca inuitet vel minima. Has igitur duas filias, quas improba voluptas genuerat, anima posita in via redeundi ad Deum à se repellere debet, ne pœnitentem detineant, quidlibet enim vitiosum, si adhæreat, comprehendit.

Vnde Hierony. sicut refert Euseb. in lib. de eius vita, dicebat: Cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam pertimescebam, & mihimetipsi vehementer iratus solus deserta petebam, &c.

Nulla verò maior sarcina poterit adesse confugientibus ad Deū, quàm proprius appetitus, quem exuere oporter pro viribus, ne præ onere deficiat in via conuersa anima, sicut benè aduertit Cardin. Petr. Damian. ser. de S. Benedicto, in quam sententiam quemadmodum refert Iustus Lipsius lib. de constantia c. 2. rogatus Socrates à quodam, cur sibi peregrinatio non profuisset, eleganter respondit, quia non re deseruisti.

Facit etiam ea similitudo, qua vtitur Poëta in 4. Æneid. cùm introducit Didonem furentem profano amore, quem neque fuga, neque peregrinatione, neque quauis mutatione loci temperare poterat, sic enim eleganter ait.

Vritur infelix Dido, totaq́ vagatur
Vrbe furens, qualis coniecta cerua sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor, agens telis liquit volatile ferrum
Nescius, illa fuga syluas, saltusq́ pererrat
Ethæos, hæret lateri lethalis arundo:
Nunc media Æneam secum per mœnia ducit.

Similisque locus est apud Senecam de amante Phædra, cùm ait.

Amorq́

Amorq; torret, intima sæuus volat,
Penitus medullas, atque per venas meat,
Visceribus ignis mersus, & venis latens,
Vt agiles altas flamma percurrit trabes.

Etenim prauis affectibus confixa anima non illos exuit, sed transfert peregrinando; vnde August. in Ps. 51. ait. Minaris ei (scilicet peccatori) & tu cùm ei minaris, quò eum vis mittere? dimitte illum in se, vt mutum sæuias, subiecturus es eum bestiis, in seipso peior es bestiis; bestia enim lacerare corpus eius potest, ipse cor suum sanum relinquere non potest, interiùs in seipsum sæuit, quod pulchrè dixit Seneca Tragic. in Med. act. 2. Cùm abire facit à sua anima omnes furias, ipsam satis sibi furiam esse dicens. Debet igitur ea anima, quæ ad Deum conuertitur adeò omnimodè conuerti, vt non solùm deserat externa, quæ ipsam retardare possent, sed interna etiam, quæ in memoriam pristinorum scelerum possent inseruire, qua de re plura habet Philo lib. de migrat. Abrah. cum explicat verba illa Genes. 12. *Egredere de terra tua*, & lib. quis sit hæres diuinarum rerum.

Leuit. 4. nu. 28. Leuit. 4. nu. 28. præcipitur, vt ille, qui peccauit postquam intellexerit peccatum suum, offerat ostiam Domino capram immaculatam. Quo in loco Isych. & Rodulph. pœnitentiam intelligunt, & Glossa interlinealis, quæ aduertit pœnitentiã oriri ex notitia peccati, aliter enim, inquit, non pœnitet; aduertit etiam capram debere esse immaculatam. Immaculatam, inquit, oportet esse pœnitentiam, idest, sine peccato, cuius pœnitet, ne vel voto, vel facto se ad aliud inclinet. Aduertit autem. Incognitus in Psalm. 50. cùm præceperit Deus offerri in sacrificio pœnitentiæ capram. Offerat, inquit, se admodum capræ, quæ secundum Physicos carnes habet siccas, sic efficiatur per pœnitentiam, & ieiunium, pilos asperos, sic in veste: per vias asperas pœnitentiæ graditur.

Sed adhuc possumus huic expositioni addere, quòd capra peculiare hoc habet, nempe caput aliquoties retro conuertere, dum aufugit; nam pœnitens anima dum peccata fugit, & ad Deum confugit, seséque illi offert, debet ad transactam vitam, & præterita peccata se conuertere, vt ea detestetur, lugeat, & caueat, & pœnitendo soluat, vnde Bernard. ser. 3. de S. Andrea ait. Transi ad pœnitentiam vltricem vitiorum, altricem virtutum, &c. Fieri verò non potest, vt virtutes assequatur, qui peccata non detestatur. Defectus cuiquam posset videri alicui in eo, quod anima ad Deum conuersa, adhuc tamen conuertatur in via conuersionis ad aliqnid, oculósque, & vultũ auertat à Deo quem quærit. Est siquidem vera pœnitentia, perfecta, & omnimoda ad Deum conuersio: at à Deo auerti aliquando, vt præterita lugeamus mala, transactámque, & iniquam viam detestemur, hoc sanè perfectæ conuersionis indicium est: perfectè ad Deum conuersa fuerat Magdalena, cui multa, omnia vtique peccata dimissa fuerãt, quia multum dilexerat; adhuc tamen conuersa retrorsum asseritur post resurrectionem, & in tali conuersione Christum Dominum vidisse Ioan. 20. Dixerant illi Angeli, *Mulier quid ploras? dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem.* *Ioan. 20. nu. 14.*

Pulchrè sanè ad rem præsentem hoc deducit Rupert. lib. 14. coment. in Ioan. dicens. Mirum quod mulieri

visione Angelica præoccupata vacarit conuerti retrorsum, nisi quia & in hoc mysterium est, dum non conuersa est retrorsum, ita vt vnde, & qua venerat, rediret, sed ita vt Iesum stantem videret, & paulatim agnosceret. Sic denique Gentilitas Saluatore cognito retrorsum conuersa, idest, præteritas iniquitates confessa est, & sic eas pœnitendo respiciens in eum, cui dorsum verterat, suam conuertit faciem. Sic ille proponit quomodo melius Deum agnoscat, qui sua nouit recogitare delicta, quomodo item oculus propria intuens scelera, dum ea luget, perpurgetur, perspicaciórque reddatur, vt Deum conspicere, & contemplari valeat.

Vnde Beda in lib. 1. Reg. adnotauit congruenter ea verba 1. Reg. 17. *Porrò Saül, & viri Israël venerunt in vallem Terebinthi.* Terebinthus, inquit ille, arbor est lacrymas, & resinam præstantissimam manans, quæ dissoluta quæque coniungit, & scissa conglutinat: talis autem est ea anima, quæ peccatorum memor, eadem detestatur, profusisque lacrymis soluit, hæc arctiùs Deo coniungitur, & conglutinatur.

1. Reg. 17. nu. 2.

Quæ fuit ratio, sicut ponderat Theodoret. q. 40. in Genes. cur Adamus post peccatum è regione paradisi positus fuerit, vt pristinã vitam dolore carentem in memoriam reuocãs odio prosequeretur peccatum, quod ei in causam fuerat tot laborum. Videndus in hanc sententiam Chrysost. homil. 12. ad popul. post princip. vbi pōderat id, quod Paulus dixit 1. Timot. 1. *Fidelem me existimauit, ponens in ministerio: qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.* Ait ergo Chrysost. Etsi peccaueris, & tibi peccata Deus remiserit, veniam quidem suscipe, & gratias age: peccati verò ne obliuiscere, non vt teipsum cogitatione consumas, sed vt animam doceas non lasciuire, neque rursum in ea relabi, sic & Paulus fecit, cùm ait; qui prius fui blasphemus, &c. Traducatur, inquit, vita serui, vt appareat humanitas Domini. Etsi enim peccatorum veniam accepi, non tamen eiicio peccatorum memoriam. Nec hoc solùm Domini benignitatem demonstrabat, sed & illum clariorem faciebat. Cùm enim didiceris, quis priùs fuerit, tum ipsum magis admiraberis: & cùm videris ex quo quis factus fuerit, tunc ipsum magis acceptabis, &c.

1. Timot. 1. n. 13.

Suffragatur huic doctrinæ August. 11. confess. cap. 9. vbi ita incipit. Nunquid Domine cùm tua sit æternitas ignoras quæ tibi dico? Cur ego tibi tot narrationes digero? Non vtique vt per me noueris ea, sed affectum meum excito in te, & eorum, qui hæc legunt, vt dicamus omnes. Magnus Dominus, & laudabilis valdè. Iam dixi, & dicam, amore amoris tui facio istud. Affectum ergo nostrum patefaciamus in te, confitendo tibi miserias nostras, & misericordias tuas super nos. Narraui multa, quæ potui, & quæ volui, quoniam tu prior voluisti, vt confiterer tibi Domino Deo meo, quoniam bonus es, quoniam in sæculum misericordia tua, &c. Et Author lib. de vera, & falsa pœnitent. apud August. tom. 4. qui liber etiamsi constet ex cap. 17. non esse August. totus tamen transcriptus est in decreta, & sententias, hic igitur cap. 13. loquens de pœnitente ait. Omnes fructus suæ pœnitentiæ partios habeat, nũquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccauit, erubescat, dolorem cum vita finiat. Nam si Apostolus etiam peccata per Baptismum remissa continuè plorat, nobis etiam super fundamentum Apostolorum positis, quid

præter

præter plorare restat? Quid, nisi semper dolere in vita? vbi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia. Tandiu enim gaudeat, & speret de gratia, quandiu sustentatur à pœnitentia. Dixit enim Dominus Ioan. 5. *Vade, & amplius iam noli peccare*. Non dixit, nec pecces: sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur! Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, si cõtigerit, semper doleat, & non semper doluisse doleat. Et cap. 8. ostendit, cur pœnitens ad Deum conuersus adhuc ad peccata sua debeat conuerti; ex eo enim, quod misericordissimum contemplatur Deum, fiet vt grauiora reputet peccata ad hoc, vt magis de illis doleat, & pœniteat. Nullum, inquit, peccatum adeò paruum, quod non crescat neglectum. Non enim considerandum est quod fecerit, sed quem offenderit: quàm bonus est, quàm pius, quàm propitius, &c. Talem Patrem offendere, contra ius voluntatem aliquid committere, animaduertentibus, ac se non ignorantibus quàm est crudele? Vnde qui se cognoscũt, sicut semper peccant, ita semper plorant, vt totam vitã suã, quæ est tẽtatio super terram, plorent tota vita sua. Et c. 17. in med. Peccator debet dolere de crimine, & de omni eius varietate. Ezechiel. 33. *Quacunque hora peccator ingemuerit, & conuersus fuerit, vita viuet*. Dixit conuersum, non tantùm versum vita viuere. Versum quidem puto, qui dolet de crimine, conuersum, qui dolet de omni eius varietate. Vertitur à peccato, qui iam vult dimittere peccatum: conuertitur, qui iam totus; & omnino vertitur, qui iam non tantùm pœnas non timet, sed ad bonum Domini contendere festinat.

Ioann. 5. num. 14.

Quæ conuersio si contigerit alicui etiam in fine vitæ, desperandum non est de eius remissione, &c.

Vt igitur vera conuersio contingat, debet peccator & ad Deum conuerti, & ad peccata sua, vt illum amet pro bonitate, illa detestetur pro malitia, quam habent. Facit etiam in hanc sentẽtiam id quod notauit August. in Psalm. 50. in omnibus scilicet versibus illius Psalmi suorum delictorum memoriam proponere, eademque Deo confiteri, quasi ob oculos deferens, ne ei vnquam placere possint, vt ad eadem redeat, qui eadem semper dolet, & lacrymatur: Nam sicut dixit Isidor. 2. de summo bono. Irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Et August. in soliloq. Inanis est, inquit, pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata, nihil valet à malis veniam poscere, & mala de nouo iterare.

Hinc intelligetur, cur adeò placuerit Deo pœnitens publicanus, qui descendit iustificatus in domum suam, quod pectus suũ tundes propitiationem Dei inclamauerit. Luc. 18. quod bene exposuit Hieron. in vita Hilar. vbi ait. Iratus itaque sibi, & pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus possit excludere, &c. Tundendo itaq; pectus quasi pugnis volebat impias cogitationes, & peccata per assẽsum cõmissa è domo pectoris sui reiicere nitebatur; sic enim & malè moratũ puerũ herus è domo sua tædio tandem affectus proiicit.

Sed hęc Hieronymi locutio altius aliquid mihi continere videtur, idque vt explicem, assumo locum ex Ephræm tract. de pœnitent. ante fin. vbi asserit mentem, animamque nostram non alia manu ad se attrahere, & amplecti scelera quàm volun-

tatis assensu; est siquidem voluntas
Ioan. 10. manus, iuxta illud Ioan. 10. *Nemo*
num. 28. *rapiet eos de manu mea*, idest, ex decreto voluntatis diuinæ nemo prædestinatorum excidet. Et Act. 4. *Quæ*
Actor. 4. num. 28. *manus tua, & consilium tuum decreuerat fieri.* Vbi etiam manus pro voluntate diuina supponit. Ait ergo Ephræm. Consensus mentis, ac cogitationis est manus: Exempli gratia: Inuidia manu non fit, verùm animo perficitur. Considera igitur, & pœnitentiam in similibus fieri delictis. Hæc ille.

Sicut igitur & voluntas consentiendo delicta amplexatur, & ad se attrahit; sic & eadem voluntas detestando peccata eadem à se expellit; idque vt exteriori etiam actu videatur facere, manibus quidem ipsis corporeis pectus tundens ostendit à se quidem maximis iniuriis affecta velle repellere scelera omnia è domo pectoris sui.

In quam sententiam videndus Cęsarius Arelat. Episc. homil. 34. Vbi loquens de eodem publicano ait: Pectus suum tundebat, & peccata intus inclusa, quasi iudex seuerissimus verberabat. Et Zeno Veronens. Episcop. serm. 1. in Psalm. 129. ait: Publicanus pectus crebrò percutiens quodammodo cor suum manu verecundè castigat, &c. Deprehendit hostes etiam sibi infensissimos assensus eos, quibus peccatis annuerat, eosdem igitur velut inimicos verberat, & tanquam impios delinquentes apud se punit, plagisque afficit, ac tandem necem infert; tundere pectus, ait August. serm. 8. de verbis Domini, est arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum. Et serm. 36. Percutiebat pectus suum, pœnas à se ipso exigebat. Euthym. propterea publicanum percussisse pectus, quod plagis dignus esset. Theophylact. verò ait: Percutit cor publicanus vt excitet quod dormierat, &c. Dormit in peccatis cor; excitandum est ad pœnitentiam, idque fit, cùm verberatur, & tunditur, vt euigilet, oculósque aperiat, ac consideret, & agnoscat infelicem statum, in quo iacet.

Sed adhuc mihi videtur, & ipsa tunsio peccatoris significare contritionem peccatorum, quibus in cineres, & in puluerem rediguntur. Pro qua re recolendus est locus apud August. in Psalm. 73 vbi ex illo dicti
Psal. 73. *Tu confregisti capita draconum:* Psal. 73. num. 14.
dedisti ea escam populis Æthyopum, at
que ex illo loco Exod. 32. Quando Exod. 32. num. 20.
Moyses arripiens vitulum combussit, & contriuit vsque ad puluerem, docet conterenda esse peccata. O ira prophetica, inquit August. & animus non turbatus, sed illuminatus Quid egit? Mitte in ignem, vt forma ipsa priùs confundatur, minutatim comminue, vt paulatim consummatur.
Et dictum erat Petro Actor. 10. *Ma-* Act. 10.
cta, & manduca. Quid est macta, & num. 13.
manduca? Occide quod sunt, & fac quod est, &c. Est pœnitens homo iratus sibi, sicut dixit idem August. serm. 35. de verbis Domini secundùm Luc. cùm interpretatur ea verba Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Volo vos irasci, sed non vt peccetis; vt autem non peccetis, quibus debetis irasci, nisi vobis? Quid est enim homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? Vt accipiat veniam, de se ipso exigit pœnam. Similia habet serm. 36. etiam super Luc. cùm de Publicano dixit iratum fuisse contra se ipsum, & de se ipso percutiendo pectus suum pœnas exigisse.

Cùm ergo verè pœnitẽs iratus sibi sit proinde apud se pugnis conterit, & cõminuit scelera ipsa pectore inclusa, & in puluerem redigit, quò faciliùs qualibet aura dispareant, &

in aëra ferantur: nam si puluis à facie terræ vento ipso proiicitur, contusa quidem, & contrita peccata iteratis tunsionibus à facie Dei auolant, ne iterum imputentur peccatori verè pœnitentes, & conterenti cor, & pectus suum, vbi fons est, & sedes peccatorum.

Hoc igitur faciendum dicit Ezechias, cùm ait se recogitaturum omnes annos præteritos in amaritudine animæ, & sanè quoniam, sicut dixit Nazianz. orat. 15. post med. omni vitio carere, hominis modulum excedit, soliúsque Dei est (nihil enim de Angelis dico, ne vitiosis affectionibus occasionem demus, atq; improbis affectionibus fenestram aperiamus) perditè autem, & incurabiliter ægrotare, prauæ illius, & aduersariæ naturæ, atque eorum, qui ab ea afflãtur: at verò post peccatum ad meliorem mentem redire, hominum esse, verùm proborum, & qui ex ea classe sint, quę salutẽ consequitur. Hæc ille.

Proinde nos qui cùm homines simus cadimus, & in diuersa scelera incurrimus; eorum correctioni studentes pœnitentiam de illis agamus, & recogitemus in amaritudine cordis omnes animi sordes, & actus vitę nostræ; nam nullum post mortem superest remedium illis, qui modò non conuertuntur. Venturam enim iram tunc fugere peccator non valet, ait Gregor. hom. 20. in Euang. qui nunc ad pœnitentię lamenta non recurrit. Et Chrysolog. serm. 167. ait: Currat pœnitentia, ne pręcurrat sententia; ne iudicemur, iudices nostri simus; demus nobis pœnitentiam, vt possimus nobis auferre sententiam. Ferat amaram pœnitentiæ curã, qui debitam sanitatẽ seruare noluit. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura. Medicus non fit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem, &c. Vide, ait Chrysost. epist. 22. ad popul. quomodo Ierem. 1. primùm virgam videt Propheta, postea ollam semper ardentem, demonstrans, quod non sustinentem virgæ castigationẽ, ignis suscipit, &c.

Ne igitur in æternùm arsurus intres inextinguibilem ollam, suscipe potiùs temporalem virgam, quę licèt plagas inferat, tamen Regiam dignitatem futuram, & coronam gloriæ præmonstrat. Imò ad assumptionem illius virgæ, iustitiæ scilicet de nobis faciendę, iustitia ipsa, & pax osculantur, & associantur, quod bene prosequitur Guarric. ser. 5. de aduentu Domini ante med. in hunc modum. In hac pœnitẽtiæ via grato, atque hilari occursu obuiant sibi, seq; osculantur iustitia, & pax: iustitia scilicet hominis sese punientis, & pax Dei ignoscentis, lætum, ac iucundum celebrãt in osculo sancto fœdus reconciliationis. *Hæc via*, inquit Isai. 35. *sancta vocabitur*, quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumq; salus. *Isai. 35. num. 8.* Quanta verò virtute, ac reuerentia sanctitatis præmineat, inde probat Propheta, *quia non transibit*, inquit, *pollutus per eam*. O mi Isaïa, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam? Imò potiùs huc omnes, huc veniant, hac incedant: immundis enim pręcipuè Christus hanc viam strauit qui venit quęrere, & saluum facere, quod perierat in viis seculi. Quid igitur? transibit pollutus per viam istam sanctam? absit. Veniat quantumlibet pollutus, non tamẽ transibit pollutus per eã, quia cũ trãsierit iam pollutus non erit. Admittit quidem via sancta pollutũ, sed statim abluit admissum; quia diluit omne cõmissum, tãquam verè baptismus alter pœnitentiã, &c.

Ecquis erit qui tam sanctam viam ingredi vereatur, quique tam mobiliter in malo persistere audeat, quod propriè ad diabolum pertinet. Vnde diuinũ oraculũ Ier. 8. ait: *Dices ad eos:* *Ierem. 8. num. 4.*

hæc dicit Dominus. Nunquid qui cadit, non resurget? & qui auersus est, nō reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Hierusalem auersione magna? Vbi optimè Sanctius ait: Quia errauit à via, ne omnino deuius in præcipitium ruat, ad semitam veram, quam reliquit, cùm primùm deerrasse se cognoscit, reuertitur. At tu Hierusalē in eo, in quod cecidisti cœno turpiter volutaris, cumque habeas quotidie duces, qui te ad viam à qua digressa es, sine errore reducant, tu tamen errare cæca mauis, quàm certis, & tutis insistere vestigiis. Ne igitur similes simus pertinacibus Iudæis, & cōtentiosis filiis diaboli, cursum sistamus, & reuertamur, ac conuertamur ad Dominum, facilis vtique conuersionis ista via, facilis & pœnitentiæ solutio, atque peccatorum expugnatio. Qua de re videndus erit Ambros. lib. 2. de pœnitent. cap. 8. in fin. cùm ponderat longè faciliorem solutionem habere debita apud Deum, quàm apud homines: apud istos enim non soluit, nisi qui eadem reddit, quæ debet: at apud Deum, sola voluntate, animo, & retractatione fit satis omnibus debitis. Vnde & Ezechias in præsenti, non ait se facturum aliquid externi operis & solutionis, sed tantummodo ait: *Recogitabo tibi:* quæ maior autem facilitas potest reperiri solutionis, quàm voluntate satisfacere debitori, aut quam excusationem habebit apud Deum ille, qui re tam sua, tamque ad manum habita, qualis voluntas est, noluerit soluere. Sic ergo habet Ambros. Plura soluendi habet subsidia, qui Deo, quàm is, qui homini debet. Homo pecuniam pro pecunia reposcit, quæ non semper debitori præsto est: Deus affectum exigit, qui in tua potestate est. Nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit. Et si non habet quæ vendat, habet quæ soluat. Oratio, lacrymæ, ieiunia, debitoris boni census est, multoque vberior, quàm si quis ex pretiis fundorum, pecuniam sine fide deferat. Denique pauper erat Ananias, cùm vendito agro pecuniam deferret ad Apostolos, vnde nec soluere se potuit, sed implicauit Actor. 5. Diues illa vidua, quæ duo æra minuta in gazophylacium misit, de qua dictum est Luc. 21. Hæc vidua paupercula plus omnibus misit; non enim pecuniam Deus, sed fidem quærit. Sic ille.

Cùm ergo sola voluntate, & detestatione animi, debita soluantur, quis prætendere poterit excusationem aliquam, etiamsi multis debitis, & peccatis commissis sit implexus. Latiùs hoc ipsum prosequitur Ephræm tractatu de pœnitent. ante med. vbi ostendit, quàm facilior sit in lege gratiæ peccatorum ablutio per pœnitentiam, quàm olim constiterit legalis mundities per purificationem, & ablutionem in lustrali aqua; tunc enim opus erat sacrificio, & victima offerēda, quæ non tam facilè cuique posset obuenire, maximè si pauper esset; modò verò sine dispēdio, pro volūtate tantùm cuiq; adest pœnitentia, qua verè purgantur, & remittuntur peccata, vnde nemo poterit modo excusari circa ablutionē factam per contritionem, cū præsto semper sit gratia Dei, quæ cū voluntate nostra potiores partes agit, quātumcumque olim posset de impossibilitate causari præ inopia, cùm pretium ad coëmendam victimam non haberet. Sic ergo habet Ephræm loquens de Christo Domino. Ipse pastor noster est, & nunc, & in paradiso deditque pœnitentiam, tanquam aquam purificatiuam. Quare si peccatis delictisque abundemus, in ipsa abluamur: habemus eam pro lauacro, non solùm regenerationis,

verùm etiam reparationis. Si quid peccauerimus, per ipsam abluti, mũdi euadimus. Habuit lex vitulæ cineres (Leuit. 16. n. 30. & Hebr. 13. nu. 11.) in aspergìnem: at nos pœnitentiæ mortificationem habemus. Ibi per cineres purgabantur: nos autem panem, tanquam cineres, comedentes, culpis, atque criminibus liberamur. Lex etiam hyssopum ad purgationem dabat, Leuit. 14. & Num. 19. Euangelium verò herbarum escam ad veniam, per pœnitentiam adnuntiat, Matth. 3. herbis vescens Baptista, seipsum virum perfectum reddidit: quia de pœnitentia prædicans, ipse pœnitẽtibus scopus euasit. Continebat, & aspersio aquam purgationis, quia & apud nos mẽsura, pœnitentes, aquam bibunt. Dei altare est pœnitentia: nam per ipsam peccantes eum placant. Quin & sumptu liberum reddit accedentem: vt quantum sit inter legem, & Euangelium discrimen intelligamus. Frequenter propter sumptus aliqui in lege recusabant sua renuntiare peccata: fiebátque occasio mali, parsimonia sacrificij, victimæ inopia: sed ademit hoc Christus adueniens, dans pœnitentiã, quæ sacrificium est sine sumptu. Arbitror serpentem gaudere solitum ob raritatem sacrificantium: crimen enim reperiebat violatæ legis. Duplici arguebantur malo abstinentes, & quia non confitebantur peccata, & quia legem despiciebant. Vides quãta in nobis contulerit beneficia Saluator? Nam per pœnitentiam virúmque radicitus exterminauit. Multi etiam non auari, non parsimoniæ dediti, verùm pauperes non sacrificabãt: at pœnitentia etiam pauperum prætextum anticipat; si facilè victimam non inuenirent, non sacrificabant: at pœnitentia omnium prætextum, causámque compescit ac reprimit, conscientiæ sacrificium afferens; non enim quærit arietem, sed confessionem; non ouem postulat in sacrificium, sed de conscientia confessionem. Non habes turturem peccator? Ingemisce, & Deus supra turturem hoc tibi computabit. Non habes ouem? Lacrymas funde, & pro sacrificio æstimabitur tibi. Non habes columbã? Adnuntia Deo peccata tua, & fient tibi holocaustomata. Si oraueris, suscipiet Deus tanquam vitulum precationem tuam. Si verè, atque legitimè procideris ei, super tauri victimam computabit studium tuum. O maximam pœnitentiam! O res admirabiles in ea reconditas! quia vna cùm sit, omnia potest. Terra fructus præbet, & armenta lanã: at pœnitentia tanquam terra est, & sicut firmamentum: quia loco fructuum, ac volucrum fit peccatoribus. Cur opus tibi est comparare ouem? Pœnitentia Ecclesiæ armentum est. Quorsum opus habes emere auem? Hominibus pœnitentia est pro volucribus, Deum placans. Cur necesse tibi est coquere similam? Pœnitentia citra fumigatum laborem intercedit pro te apud Deum. O maximam Euangelij gratiam! quoniam totam legem correxit. Ipse sibi populus in Ecclesia quodammodo sacerdos efficitur, quia conscientiam habet pro sese sacrificium offerentem. Ex corde orat, & ipse pro seipso Dominum placat. Non igitur in lege impletur oraculum Moysis: sed in Euangelio consistit. Ait enim ad Israël: *Regale sacerdotiũ, gens sancta.* Similitérque Isaias, *Vos autem*, inquit, *vocabimini sacerdotes Christi, ministri Dei omnes.* Cæterùm nullus ex Iudæorum populo seipsum Deo offert: at in Ecclesia, etiam peccatores pœnitentiam agentes, sacerdotes fiunt: quia seipsos Deo, tanquam victimam offerunt. O efficacẽ pœnitentiæ gratiam! *Exod. 19.* *1. Pet. 2.* *Isai. 61.*

quoniã peccatores Sacerdotes creat. O maximã in ea consolationẽ, quoniam Sacerdotalem pœnitẽtibus dignitatem tribuit. Nondum peccator liberatus est debito:& debitum iam per pœnitentiam superat. Nondum onus deposuit:& per gratiam subleuatus est. Propitiationem, atque remissionem non promittit, sed largitur. Non spe lactat peccatorem: sed suadet ei, vt sola voce liberetur. Dicit ad eum: agnosce quod habes, & non expectes. Sed beneficium adhuc maius. Intellige quod tenes: & persuasum sit tibi de futuris ex concessa tibi gratia. Agnosce diuinam misericordiam; quia libenter te amplectetur accedẽtem ad ipsam;& ostendet tibi benignitatem: quia te ante remissionem Sacerdotem constituit. O diuinã gratiam! Quia antequam accipiat, prior concedit; & cùm exiguum quidpiam cernat, magna donat. Nondum peccator ingemuit, & iam ipsi libertatem loquendi donauit. Nondum lacrymas fũdit: & præueniens, aditum ad ipsum patefecit. Magna pœnitentia, & Deo longè dilectissima: quoniam volũtatem ipsius verè efficit, & Pontificis partes coram eo agit. Nã ecce & Sacerdotes ipsi quotidie creat. Hæc mensa est Domini: quippe per quam hominum est salus. Dicitque Saluator:
Ioan. 4. nu. 34. *Meus cibus est, vt faciam volũtatem Patris mei, qui in cœlis est.* Reuera igitur pœnitentia Dei est panis admirabilis: comedit enim per ipsam confessionem conscientiæ, bibitque per pœnitentiam, lacrymarum affectionem. Fructum boni odoris capit ex ea, verum suspiriorum sensum velut vinum fragrantissimum accipiens. Varia, atque distincta Dei fercula sunt ista: continentia, atque temperantia, ieiunium, vigilia, & precatio prolixa, ac renuntiatio cum humilitate:his quippe lætatur Deus, plusquam aliis victimis. Ait enim in Psalmis: *Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?* Psal. 49. nu. 13. Quid ergo Deus comedit ô Propheta, & quonam potu delectatur? Respondet Dauid, & ait. Cupis vt comedat Deus? Si vis pascere Deum; *Immola Deo sacrificium laudis:* Ibidem. & omnem eiusmodi victimam suscipiet: & redde Altissimo vota tua:offerésque ipsi potũ optimũ, &c.

Quis denique non accedat confidenter ad iratũ, offensũmque Deum, cùm videat qua facilitate eius ira vincatur, & sedetur, quantumuis & nos æternam mortem mereamur, & ille perpetuum minetur interitum. Nónne tibi videtur indictum bellum irato Domino à Niniuitis, c. 3. Cùm *prædicauerunt ieiunium & vestiti sunt saccis à maioribus vsque ad minores.* Ion. 3. n. 5. Hebr. *Clamauerunt ieiunium.* Septuag. *Voce præconis*, id factum legunt: Sic vtique bellum proclamatur præconis voce, qua milites congregantur:vnde Ambros. ibi cõmendat Regis prudentiam, qui non ad vicinas gentes legatos misit ad implorãdum auxilium armatorum militum, sed suos conuocat ad arma pœnitentiæ: quia tamen & alterius generis hoc bellum est, faciliorémque cõgressum sortitur; cùm ad prælium cum hostibus milites eligantur, in hoc cuiuscumque conditionis fuerit miles, admittitur, non solùm siue nobilis, siue ignobilis, siue magistratus, siue priuatus vir, quemadmodũ Theophyl. & Theodor. hũc locum intelligunt, sed cuiuscumque ætatis, sicut Hieron. voluit, senes, viri, iuuenes, infantes, atque etiam, quod maius est, fœminæ. Itaque de more ducis in bello publica præconis voce in aciem vocantur milites, pœnitentes, ieiunantes, & cilicio armari, quod pulchrè notasse videtur Hiero. ad hũc locum cùm asserit quasi in aciem prodiisse

pœni

pœnitentiam suis armis paratam ad victoriam comparandam. Saccus enim, & ieiunium arma sunt pœnitentium: imò & ieiunium vires spirituales ministrare solet; etenim caro de suo proprio incommodo instauratur, sicut dixit Tertull. lib. de Resurrect. carnis cap. 8. & Bernard. ser. 1. in capite ieiunij ait. Mens impinguatur in ieiunio, sicut dictum est in Psal. 32. *Vt alat eos in fame*; pluráque habet ser. 66. in Cant. Videndúsque erit Nyssen. lib. de Virginit. cap. 22. & Gregor. Magn. 4. Moral. cap. 30. & homil. 4. in Ezechiel. & lib. 3. Dialog. c. 24. August. lib. Quęstion. veteris, & noui testam. q. 120. & lib. Quæstion. in Genes. q. 160. Ambros. ser. 40. & Philo lib. cui titulum fecit; Resipuit Noë. Saccum etiam Niniuitæ induerunt in morem militum, qui interdum addere solent ea, quibus vires naturales protegantur, loricam, thoracem, similiáque alia: talis planè est saccus ad pœnitentiam, siue cilicium, sicut docet Amos in

Amos 8. nu. 10. cap. 8. *Inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium*; hoc autem factum esse constat obsidentibus Assyriis Samariam, vt quod alij armis efficere non poterant, cilicio perficerent. Et quod lacrymæ arma sint, quæ inuincibilem vincunt, præter multa, quæ sæpè diximus, deducitur ex illo loco 2. Reg. 1. vbi in morte Saulis, & Ionatæ Dauid præcepit, *Vt docerent filios*

2. Reg. 1. nu. 18. *Iuda arcum*. Vbi per arcum intelligitur lamentationis carmen, & planctus; sicut apud Vatabl. habetur planctus; quia verò & pœnitentium lacrymæ arma esse noverant, inde ad planctum deductum est nomen arcus. Adhúcque locum illustro ex illo

Ierem. 9. nu. 20. alio Ierem. 9. *Docete filias vestras lamentum, & vnaquaque proximam suam planctum.*

Sicut igitur & militare exercitium edoceri solet, quo armis congrediatur cũ hostibus, sic arma pœnitentiæ sumũtur, fletus nempe, quo tanquam arcu Deus flectitur, & vincitur; háncque armaturã sumendam monet Ieremias; videbat enim nullis aliis viribus meliùs potuisse sustentari, ne caderet vrbs Hierosolymitana, quàm lacrymis. Vnde August. lib. Contra aduersarium legis, & Prophetarum asserit ad lacrymas referendam esse orbis stabilitatem; illud enim signũ dedit Deus in principio orbis, quo certi essent homines periturum iam non esse orbem; arcum enim posuit in nubibus cœli, eundémque roridum, adinstar lacrymarum, vt certò noscerent non posse cadere orbem, quem lacrymæ sustentabant. Et Sixtus Senens tom. 2. Bibliot. lib. 5. annotat. 67. inter Patres asserit receptũ esse illud signum datum Caino, ne à quopiam occideretur, cùm vagus, & profugus eiectus est à facie Domini: vt scilicet perpetuò fleret; quis enim occidere auderet lacrymantem hominem, cùm lacrymæ tantum valeant apud Omnipotentem Deum, proinde & apud homines necessariò deberent admodum valere.

Sed iam oportet videamus quinam exitus fuerit pœnitentium bellatorum, & pro qua parte victoria steterit. Ait ergo Ionas c. 4. *Et vidit* Iona 4. nu. 10.
Deus opera eorũ, quia conuersi fuerat de via sua mala, & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat. Ecce victus, ac veluti conuictus Deus, manus dat hostibus, virgámque inflectit in signum beneuolentiæ, qui mortem fuerat, & interitum comminatus. Quis ergo iam peccatorũ multo debito constrictus impossibilẽ censebit solutionem, cùm videat non aliunde subsidium quærendum esse; sed in propria voluntate habere, qua nullus inops, omnes diuites sumus, si dole

si dolere velimus, si in amaritudine recogitare præteritam vitam? Quis non vitam sibi promittet, etiam post mortem comminatam, cùm videat præstò adesse arma, quibus pœnitentia de Deo irato, offenso, nobisque quantumuis infenso pro bonitate sua veluti triumphat?

Vnde Tertull.lib.de Pœnitent. ad pœnitentiam nos hortatur exemplo brutorum dicens. Ceruus transfixus vt ferrum, & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamo medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia Peccator restituendo sibi institutam à Deo exomologesin sciens, præteribit illam? Pœnitentiam tu peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem: hæc te peccatorum fluctibus mersum proleuabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit,&c. Et Hierony.in epitaphio Fabiolæ agens de eius contritione ait. Quæ peccata fletus iste non purget? Quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant? O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos!

Denique Chrysost. ser. de pœnitent.ait. Pœnitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum referas, quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras, vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, reformas vires, gratiámque abundantiorem refundis. O pœnitentia quid de te noui, referam? Omnia ligata tu soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior Sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet! O pœnitentia misericordiæ mater & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos soluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te subitò rapuit latronem Christus ad regnum, per te Dauid post flagitium, felix iterum recepit Spiritum Sãctum,&c. Cùm ergo in multis offendamus omnes, cùm diuinam iram,& offensam meritò incurramus, cùm grauia mereamur supplicia, cùm innumera soluenda habeamus debita, confidenter adeamus Dominum cum nostro Ezechia, & quilibet nostrum ante illum procumbens, multísque profusis lacrymis dicamus, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

ANNOTATIO II.

Pœnitentia prudentem exigit considerationem, cùm & prudentiæ, ac sapientiæ fit sacrificium.

HÆc recogitatio pœnitẽtis Ezechiæ non quamlibet inculcat in pœnitentia attentionem, sed intimam, & attentissimam, vt non semel tantùm, sed iterum, ac sæpiùs peccator suorum peccatorum malitiam consideret, & expendat, sicut enim in peccando è domo mentis suæ, & prudentiæ excessit; vnde peccatum insipientia dicitur, & peccator stultus, & insipiens, vt ostendimus in cap.1. Iacob text.16. §.1. & cap.2. text. 10. & 11. §.1. ita dum conuertitur, in domum mentis redit, & sapientiam multam habeat necesse est; pœnitentibus siquidem dies elucescit, & lucifer oritur in cordibus,

2. Petr. 2. num. 19. cordibus, sicut dixit Petrus 2. epist. cap. 2. n. 19. Quod aliqui de pœnitentibus interpretantur, qui quandiu in peccato volutabantur, in tenebris delitescebant imprudenter. Hugo verò ibi explicat ex fracta apud Gedeonem lagena Iudic. 7. Tunc enim Iudic. 7. num. 19. & lux apparuit; iis enim, qui per contritionem & pectora tundunt, & corpus macerant, atque corda scindunt, lux statim oboritur, vt iam possint agnoscere in quo statu fuerint. *Via siquidem impiorum tenebrosa.* Hebr. *Via impiorum sicut caligo, nesciunt vbi corruant*, idest, ratio viuendi eorum (id enim significat via, vt ostendimus ad Cant. Deut. 32. n. 4.) caligine errorum, & peccatorum obtenebratur. Hi verò, qui in tenebris ambulant, non præuidentes obiecta offendicula impingunt, atque ruunt; ad eundem proinde modum impij nesciunt vbi adsit obex, proindeque corruunt, imò & quò magis delinquunt maiores incurrunt tenebras. Vnde August. in Psalm. 138. ad illa verba eiusdem Psalm. *Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te*, ait: Noli obtenebrare tenebras tuas, quia Deus illas non tenebrat. Qui autem tenebrant tenebras suas, quas Deus non obtenebrat? Homines mali, homines peruersi. Cùm peccant tenebræ sunt, & cùm insuper non confitentur peccata sua, sed ea defendunt, tenebrant tenebras suas. Ergò iam, si peccasti, in tenebris es, sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas: defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis; & quando euades à duplicibus tenebris, qui in simplicibus laboras? Sic ille.

Si ergo miser peccator in tenebris ambulat, & non solùm in tenebris, sed tenebris duris, rudibus, asperis, strigosis, siue callosis, sicut loquitur Chrysost. enarrat. in cap. 5. Isai. vbi alludit ad tenebras palpabiles Ægypti. Et insuper qui peccata sua defendit, easdem tenebras obtenebrat, & obscurat, sanè ille, qui peccata sua confitetur, & de illis dolet, eumque pœnitet, iam in luce ambulat, & qui nec cogitabat de salute sua, iam recogitat, ac prudenter cogitat, eisque lux oboritur, & resipiscentiæ aurora splendescit, & sanè primum pœnitentiæ, & resipiscentiæ exordium aptissimè cum aurora confertur: aurora enim dicitur quasi aura rorans, quia manè primò ros ex aëre demittitur, nec secus oculi lacrymas irrorare solent, cùm pœnitentia cor tangit; nisi fortè aurora dicatur prima diei lux, quòd omnia aurea reddit, quod maximè conuenit perfectæ pœnitentiæ: nam ratione dilectionis Dei super omnia, quam includit, omnia etiam, quæ attingit, meritoria, & magni pretij, velut aurea, reddit. Nam Laurent. Iustinian. charitatem chimicam compositionem appellauit, quia omnia opera, quæ attingit, aurea reddit, & meritoria vitæ æternæ. Et sanè verè pœnitentibus Christus eadem hora nascitur, iuxta illud Psalm. 109. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te*; quæ verba Hieronym. sic extulit. *Ex vtero auroræ tibi ros adolescentiæ tuæ.* Psal. 109. num. 3.

Scio quosdam ad æternam generationem, alij ad temporalem ex Virgine Matre referre, sed in vtraque sententia felicissima, & pacatissima natiuitas Filij Dei describitur. Nam Astronomi, qui natiuitatum momenta obseruant, nullum feliciùs esse aiunt, quàm auroræ. Ea igitur est fœlicitas, imò & dignitas pœnitentium, per quam in eorum animis Christus nascitur, cùm pœnitent, dolent, & lugent, vt eisdem verbis, eademq; similitudine, depingi possit hoc modo. Ex vtero auroræ (tibi ô

Christe) ros adoleſcentiæ, ſeu pueritiæ tuæ, id eſt, tum cum ex pœnitentia in animis hominum naſci tibi libuit, quaſi ex vtero auroræ procedis, tunc fœliciſſimò omine, & auſpicio te naſci putas, & in fœlicitatem maximam pœnitentibus exoriris.

Quid mirum igitur ſi pœnitens nouam ſortiatur lucem, nouum participet, & acquirat lumen. Ad id ſanè ſpectaſſe videtur Chryſoſt. homil. 39. in cap. 21. Matth. ad illa verba: *Manè autem reuertens in ciuitatem eſuriit.* Vbi primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, & ſextum manè illuxiſſe dicit, quoties mundus à ſuis ſceleribus reſipuit, & pietatem inchoauit; eſt ſiquidem reſipiſcentia ipſa à peccatis velut manè, & aurora, quando lux oboritur, & illuſtrat tenebras errorum, vt cognoſcantur, & recogitentur in amaritudine cordis.

Facit item in hanc ſententiam Gregor. in libr. 1. Reg. ad illa verba: *Cras cùm incaluerit Sol, erit vobis ſalus.* Geminum enim conſtituit diem myſticum. Dies, inquit, primus, eſt dies prædicationis, craſtinus diuinæ gratiæ eſt. Addit verò inter vtrumque hunc diem noctem quandam intercedere. Quia etſi diuina auxilia, inquit, ſperantur, adhuc tamen irruentes deſideriorum carnalium tenebræ non diſcedunt. Huic verò nocti ſuccedet manè, quòd tunc primò illuceſcit, cùm fugatis tenebris carnalium pietas inchoatur, &c.

Quoniam igitur pietas inchoatur per pœnitentiam primò lux apparet, & oboritur, vt miſer hucuſque peccator & grauitatem ſuarum impietatum agnoſcat, & verum lumen inquirat, vt non ſolùm cogitet de ſe, ſed ſua omnia peccata recogitet, ad id quidem diuinitus roboratus, & illuſtratus. Quod adhuc magis ex Hieronym. illuſtro; ille namque in cap. 7. Ieremiæ ad illa verba: *Et locutus ſum ad vos manè conſurgens, & loquens,* ait: Manè conſurgit Deus, non quod ei aliquod tempus ſine diluculo ſit, ſed quòd poſt noctis quietem viribus corporis inſtauratis hominum virtus vegetior ſit, ita vt audire, & facere valeat, &c.

Quandiu in tenebris ſedet impius neque audire, neque facere valet quæ illi dicuntur, at vbi manè, reſipiſcentia etiam apparet, audit vtique & vocantem Deum, & dicentem veluti ad Cain: *Vbi es?* Non in quo loco quæro, ſed in quo ſtatu. Surge qui dormis in peccatis, & illuminabit te Chriſtus, qui pœnitentibus in medio pœnitentiæ rore, velut aurora fœliciter adueniens, oritur; vt faciat quæ decent, & recogitet quæ indecenter, inſipienter, & malitiosè fecit, ac deinceps & ſapienter viuat, & ſapientiæ ſacrificium offerat; eſt ſiquidem pœnitentia ſacrificium ſapientis, & in luce, ac ratione conſtituti hominis.

Quidquid olim offerendum erat ſale quidem condiendum erat ex diuino præſcripto. Leuit. 2. Erat autem, ſal ſymbolum ſapientiæ, prudentiæ, & diſcretionis, quæ in omni opere, ſed maximè in pœnitentiæ, & mortificationis, quod ad Dei obſequium fit, requiritur. Vnde Paul. Roman. 12. loquens de ſacrificiis nouæ legis, ad quam præcipuè ſpectat pœnitentia, vnde & ab ea Ioannes Baptiſta præcurſor Chriſti, atque etiam Chriſtus Dominus, exorſus eſt ſuam prædicationem, ait: *Obſecro vos, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem.* Apponit enim Paulus hoc in loco, ſicut interpretatur Chryſoſtom. nouas hoſtias viuentes mortuis hoſtiis, quæ olim Deo offerebantur in templo, quaſi dicat, cùm dico vt corpora veſtra exhibeatis Deo, non intelligo

Leuit. 2. num. 13.

Rom. 12. num. 1.

intelligo sic, vt illa occidi debeant, sicuti hostiæ boum & arietum olim mactabantur, sed vt ex corporibus vestris non occisis, sed viuentibus, at mortificatis, & pœnitentibus, ac contritis faciatis hostiam Deo viuentem; est enim mortificatio, & pœnitentia viua quædam mors.

Et sanè si hostia, & victima dicta est à deuictis hostibus, vt ait Poëta.

Victima, quæ occidit dextra victrice, vocatur.
Hostibus à domitis hostia nomen habet.

Hostes nostri sunt concupiscentiæ carnis: si ergo eas vincamus, & occidamus, hostiam offeremus Deo, si verò & tantùm occidamus refrænando, cohibendo, & mortificando viuens vtique hostia erit. Vnde Origen. ibi ait: Si superbiam corporis tui vincas, & reseces, immolas Deo vitulam; si iracundiam, arietem; si libidinem, hircum; si vagos, & lubricos cogitationum volatus, columbam & turturem.

Hoc igitur sacrificium & viuens hostia rationabile vocat, idest, sacrificium rationis, & sapientiæ, in quo maximè enitet, & lucet prudentia. Vnde Basil. in breuioribus regulis 230. Rationabile, inquit, sit obsequium vestrum, vt scilicet considératè, & circunspectè, &c. Non tibi videntur redolere hæc verba recogitationem hanc Ezechiæ cùm de hostia viuente, sancta, Deo placente, ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Vt scilicet obsequium sit rationabile, & prudentiale, ac multò sapientiæ sale conditum? *Furor Regis*, inquit Salomon Prouer. 16. *Nuntius est mortis: ast vir sapiens placabit illum* Hebr. *vir sapiens expiabit illam.* Chald. *vir sapiens extinguet eam.* Magnam vtique iram Dei incurrit delinquens peccator; sed sa-

Prou. 16. num. 14.

piens pœnitens expiat iram Dei sese offerendo in hostiam viuam Deo placentem: hoc enim significat expiare; vel etiam pœnitendo, & lacrymando delet, iuxta id, quòd superiùs ostendimus, lacrymas scilicet pœnitentium, & ignem gehennæ, & sententiam à Deo latam extinguere. Rogabis vnde constat sapientem hunc, de quo Salomon ait, esse pœnitentem? Ita sanè catena Patrum Græcorum, quæ sic habet. Deus peccatoribus interminatur supplicium: verùm vir sapiens, & pœnitentiam agens denuò placat illum. En sacrificium sapientiæ & obsequium rationabile pœnitentiæ.

Sapiens itidem pœnitens, qui proinde prudenter recogitat: id enim dictum verbum recogitandi significat, vt præter multa alia constat ex Paulo Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit*, &c. Græcè est, *Seriò cogitate, considerate, expendite*; dum enim pœnitens recogitat, considerat, vtiq; expendit, & seriò præterita cogitat, & de futuris præuidet. Quod adhuc illustro ex Clement. Alex. 2. stromat. ante med. vbi pœnitentiam recognitionem vocat, & tardam cognitionem, idest, maturam, & sapientem, ac seriam. Sic verò ille habet de homine resipiscente. Si peccatorum suorum ductus est pœnitétia, si propter ea, in quibus lapsus est, eum remordet conscientia, & errorem recognouit, quod est postea cognouit. Est enim tarda cognitio pœnitentia. Cognitio autem est prima à peccato cessatio. Sic ille. Vbi notandum est clementem appellare pœnitentiam recognitionem, quod est postea cognoscere: at tritum vtique est posteriores cogitationes dici eas quę prudentiores, & sapientiores sunt, quales planè dicendæ sunt omnes cogitationes pœnitentiæ, quæ ideò dicitur non tam cogitare, quàm re-

Hebr. 12. num. 3.

cogitare, ſicut in noſtro textu habemus. Vnde Oſeæ 5. ſubnotat diuinum Oraculum inſipientem populum, qui nolebat agere pœnitentiam de peccatis ſuis, dicens: *Non dabunt cogitationes ſuas, vt reuertantur ad Deum ſuum.* Cæteræ ſiquidem cogitationes imprudentes ſunt, & vanæ, ſola pœnitentiæ cogitatio vera, & ſapiens eſt.

Oſea 5. num. 4.

Loquebatur Chriſtus Dominus de abſcindendis concupiſcentiis, & amputandis iis omnibus per mortificationem, quæ ad perfectionem obeſſe poterant apud Marc. 9. & poſtquam multa dixit de mortificatione adhibenda ſenſibus externis addit num. 49. *Omnis*, ſcilicet victima ſpiritualis, & Deo grata, hoſtia ſcilicet viuens, ſed pœnitens, *igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.* Quid eſt igne ſalietur? Igne ſcilicet tribulationis, & doloris, ac amaritudinis internæ; non tibi videtur igni æſtuari, qui in amaritudine animæ ſuæ recogitat, & præ amoris, & doloris igne lacrymas veluti diſtillatas emittit? Hoc iam ſuperiùs attigimus, alibíque probatum ſupponimus. Sed hæc victima igne ſalita, ſale item conditur, cùm ſit victima pœnitentiæ, quæ & ſapientiæ etiam ſacrificium eſt in ſale adumbratæ. Ita ferè Theodoret. Procop. Beda, Rupert. & Eucher. in cap. 2. Leuit. & Cyrill. libr. 15. de adoratione in ſpiritu.

Marc. 9. num. 49.

Is itaque, qui pœnitentiæ viam ingreditur, quia diuinitus illuſtratur, eique miſericorditer fœlix, diuináque exoritur aurora, tenebras omnino depellat peccati, ſed illorum malitiam, & grauitatem ſapienter recogitet, vt & iram Regis expiet in amaritudine cordis, & Dei bonitatem offenſam attentè expendat, ne iam deinceps delinquat, quinimò præ omnibus in poſterum diligat: ſic enim placentem Deo offert hoſtiam ſapientiæ ſapientiſſimo Domino cum Ezechia dicente: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

ANNOTATIO III.

Placet maximè pœnitens recogitatio, & confeſſio peccatorum.

Magnum diuinæ benignitatis theſaurum nobis aperit in præſenti particula illa, *tibi*, dum enim promittit Ezechias ſe Domino recogitaturum ea, quæ malè geſſerat, oſtendit vtique gratiſſimum eſſe pientiſſimo Deo noſtram reſipiſcentiam, & impietatum correctionem, ac proinde dum de ſceleribus ſuis dolet peccator conuerſus Deo, videtur importare delectationem, & lætitiam maximam: hoc enim vulgariter aſſertum inuenio apud Paul. Coloſſ. 1. cùm ait: *Gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filij dilectionis ſuæ*, quaſi dicat gratias agimus Deo, quod nos adduxit in optimam partem educendo de faucibus diaboli. Etenim Photius, & Æcumen. huiuſmodi tenebras intelligunt non ſolùm de tenebris ignorantiæ, ſed etiam de ipſo diabolo, qui ideo tenebrarum nomenclaturam ſortitur, quoniam cùm infeſtiſſimus, & immaniſſimus hoſtis ſit, imitatur maximè in perſequendo nos ſæuiſſimum animal, quod ſummam crudelitatem oſtentat; ingrediens enim ouium caulam, & arietum gregem, non vno, vel altero occiſo ſe eſurientem paſcere inten

Coloſſ. 1. num. 12.

intendit, quinimò omnes quotquot potest præ immanitate, non præ fame iugulat, & occidit. Maxima autem sæuitia, & detestanda crudelitas in eo cernitur, quòd mansuetas oues occidit, non vt illarum carnibus vescatur, sed vt crudelitatem exerceat detestandam. Quis enim non detestetur immanissimam bestiam soli neci vsquequáque studentem? Etenim Plutarch. lib. de diuitiarum cupiditate dixit nos magis odisse viperas, quàm leones, quia illæ nullum inde emolumentum capiunt. Sicut viperas, inquit, Cantharides, & Phalangia magis vituperamus, & odimus quàm leones, & vrsos, quòd illæ bestiæ homines interficiunt, neque interfectorum vllus iis est vsus, &c. Nam plerumque malum fit intuitu alicuius boni. Vnde Saluian. lib. ad Ecclesiam dixit. Nunquid est vllus hominum, qui non omnia, quæ fecit, vel salutis suæ, vel certè vtilitatis gratia faciat? Nemo opinor: omnes enim ad effectum, atque appetitum vtilitatis suæ naturæ ipsius magisterio, atque compulsione ducuntur, &c. Vnde etiam Seneca in Medæa act. 3. regulam assignauit ad dignoscendum alicuius criminis reum in hunc modum. Cui prodest scelus, is fecit. Est itaque veluti à natura insitũ, vt quis etiam, cùm alicui nocumentum infert, suæ vtilitati studeat. Vnde Saluian. lib. 5. de Prouident. volens ostendere miserum rerum statum, ait. Nouum, & inæstimabile nunc in plurimis malum est. Parum alicui est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix, &c.

Inæstimabilis sanè crudelitas luporum, qui non tam de sua saturitate curant, quàm de ouium infelicitate, & perditione. Incumbit insuper lupus gregũ infestationibus noctu, & in tenebris caulas aggreditur, grassatur, captátque tempus, quo & somnus occupat pastorem gregis, & minùs in eius custodiam vigilant omnes, vt dixit Ambros. in cap. 10. Luc. Quinimò & tunc prædæ se applicant, quia nullæ illis tenebræ videndi facultatem, aut eripiunt, aut hebetant. Vnde Ælian. lib. 10. cap. 17. ait. Lupus acerrimis atque acutissimis præditus est oculis, enimverò intempesta nocte, vel Luna ipsa silente lucis vsura perfruitur; & tametsi omnibus tenebræ offunduntur, non huic tamen lux eripitur. Vnde Virgil. 7. Æneid.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili
Nocte super media, tuti sub matribus agni
Balatum exercent, ille asper, & improbus ira
Seuit in absentes.

Et Propert. lib. 4.

Et sua nocturno fallere terga lupo.

Hinc est quòd Scriptura volens ostendere truculentum hostem, & toto corporis, animique conatu inhiantis ad prædam, lupi vespertini, idest, tenebrarum similitudine vtitur. Ideóque volens significare populum Hebraïcum variè vexandum, lacerandúmque à potentissimo, sitientissimóque Iudaïci sanguinis Nabuchodonosor per Ierem. cap. 5. ait. *Lupus ad vesperam vastauit eos.* Et Abac. 1. loquens de Chaldæis ait. *Velociores lupis vespertinis.* Et Sophonias 3. *Iudices eius lupi vespere, non relinquebant immane.* Neque tantùm in sacris literis huiusmodi similitudo reperitur, vt impetus, & furor inimici denotetur: nam & Statius 1. Thebaid.

Ierem. 5. nu. 6. *Abac. 1. nu. 8.* *Sopho. 3. nu. 3.*

— Rapidi sic agmine misso
Sub noctem coïere lupi.

Et Virgil. 2. Æneid.

——— vnde lupi ceu

Raptores atra in nebula, quos impro-
ba ventris
Exegit cæcos rabies, catulisq; relictis
Faucibus expectant siccis, per tela, per hostes
Vadimus hauddubiam in mortem.

Eadem similitudo reperitur apud Homer. 4. Iliad. & 11. atque etiam 16. Plato etiam 3. de Republ. ait. Si hostis tanquam lupus gregem inuadat. Quia igitur & immanitatem luporum imitatur diabolus, dum non famem propriam replendam spectat, sed solam alienam perniciem, quod benè expendit Chrysolog. serm. 96. ad illa verba. Venit inimicus homo, & superseminauit zizania, vbi ita habet. Nequitiam gratis serere consueuit, non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat: diabolus non quærit hominem, sed hominis interitum quærit. Diabolus non vult hominem habere, sed perdere, & ser. 97. superseminauit zizania. Vt quid? Vt periret Dominica messis. Et hoc ad lucrum quid pertinebat inimici? Nisi quod inuidiæ spiritus hominum damnum suum computat lucrum. Et quod perierit hominibus, hoc se æstimat acquisiisse. Diabolus hoc tenebris celantibus est molitus, vt adulteratæ messis noxa redundaret ad seruos, & hinc pœnam sumerent, vnde sperauerant palmam, &c.

Quia igitur naturam luporum in malo inferendo imitatur diabolus, noctemque incuriæ, & desidiæ, vt lupus quærit, & perpetuis in tenebris versatur, inde dicitur tenebræ, de quarum potestate, quia nos eripuit, gratiæ perpetuò sunt agendæ Deo optimo.

Sed adhuc superest & consecutio huius liberationis, & nostri argumenti inventum. Factum igitur est, vt eripiendo Paulum de potestate lupi infernalis, atque etiam cæteros peccatores quos ad pœnitentiam adducit, eos fecerit in partem sortis Sanctorum. Alludere videtur hoc in loco Paulus ad cibos electos, & magno pretio olim habitos, quales nempe erant, qui conficiebantur ex venatione illa, quæ ab ore, & faucibus luporum eripiebantur: huiusmodi enim obsonia in delitiis reputabantur apud antiquos, iuxta illud Horat. od. 2.

— Vel hædus ereptus lupo.

Et Martial. lib. 10. Epigram. 48. cùm lautissimum parat conuiuium, inter lectissimas dapes hanc enumerat.

Pauus onix vna ponetur cænula mensa
Hædus inhumani raptus ab ore lupi.

Cur autem hædus ereptus ab ore lupi lautissimas cœnas, & præclarissimas mensas ornaret, ostendit Plutar. 2. Symposiac. vbi ait lupum dentibus infixis carni eam tenerrimam reddere, & delicatissimam; cùm enim halitum calidissimum habeat, spiritus quasi ardentissimos carni communicat, & interserit, quibus redditur sapidissima & gustui aptissima.

Hoc quidem deducentes ad spiritualem sensum congruenter apparet Amos in cap. 3. vbi diuinum Oraculum ait. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: Sic eruentur filij Israël.* Sanè pastor ille bonus de ore leonis, ac lupi, & de potestate tenebrarum eruit quotidie eos, qui sese illi totos deuotandos non tradiderunt, sed vel extremam partem auriculæ, scilicet attentionem audiendi verbum Dei adhuc applicandam reseruarunt; paterna enim misericordia ad se trahit. Crura etiam desideria sunt, sicut dicit Gregor. 6. Moral. cap. 11. quibus

Amos 3. num. 12.

bus tanquàm passibus anima ad Deum accedit; in ea proinde anima, in qua adhuc viget salutis desiderium, supersunt quidem crura, quibus apprehensis diuina Bonitas à faucibus tenebrosi lupi eripit sibi ouem statuendam quidem à dextris. Sed (Deus bone) quam gratus cibus, quàm dulcis epula, quàm lautissimũ obsonium, quàm opiparè instructum conuiuium præda ista erepta misericordissimo Domino præparatur, pars vtique sortis Sanctorum, sicut dixit Paulus, quasi dicat, inter Dei electos, & à Domino prædestinatos quasi electissimi sunt, & gratissimi, qui diuina succurrente gratia resipuerunt, & à faucibus truculenti lupi erepti ad mensam Domini appositi sunt. Etenim in Scriptura pars lectissimam epularum portionem, & suauissimam dapum partem significat. Nam Elcana dedit Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes. Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Hebr. partem maximè honorabilem, & præ cæteris selectam. Et Esther 9. dum Iudæi libertatem suam solemniter celebrabant, diem conuiuiorum, & gaudij decreuerunt, ita vt exultarent in eo, & mitterent sibi mutuo partem epularum, & ciborum. Ex quibus constat partem significare optimam epularum portionem, & lectissimam totius epuli partem.

1. Reg. c. 1. num. 5.

Esther 9. num. 19.

Dum igitur Paulus gratulatur se ereptum de faucibus immanissimi lupi, & constitutum partem sortis Sanctorum, profectò ostendit tam dulcem, & suauem esse benignissimo Domino reductam, & pœnitentem animam, ac possit esse conuiuæ pars potissima totius conuiuij: & inter totam sortem Sanctorum, idest, inter prædestinatos ad gloriam esse veluti electissimam partem, & portionem pœnitentem animam, qua Deus delectatur, non aliter atque olim in deliciis, & in conuiuiis præ omnibus magni fiebat hædus è faucibus lupi ereptus.

Fallor equidem dum existimo huc allusisse Christum Dominum Luc. 10. nu. 42. quando Martha agebat de conuiuio parando toto hospiti, ad quod vellet etiam sororem adiutricem; dixitque illi: *Martha optimam partem elegit.* Nihil mihi suauius, nihil dulcius apponi potest in conuiuio, quàm anima erepta de potestate tenebrarum, lupi scilicet rabidissimi. Hæc enim est pars Sanctorum, & mihi itidem pars. Vnde eleganter Bernard. serm. infra octau. Epiphan. post med. arguit inscitiæ Pharisæum, qui Dominum inuitauerat, quod dixerit: *Hic si esset Propheta sciret quæ, & qualis est ista mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Ait ergo Bernar. Veh, veh tibi, ô Pharisæe, cui est odor mortis in mortem, qui times alienis maculari peccatis, cùm te timor proprius deteriùs, fœdiùsque maculet. Nescis quàm suaue redoleat misericordiæ miseræ huius peccatricis miseria. Quàm dulce sapiat pietati confessio pura peccati. Quàm gratum sit illi sacrificium cordis contriti. Sic ille ostendit dulcissimè sapere Creatori pœnitentem animam, vtpote quæ illi dulcissima pars sit, & electissima portio præparata quidem in igne charitatis, & omninò mundo, & sensibus mortua, qualis planè erat Magdalena pœnitens, vnde neque sensit, neque audiuit, neque respondit ad ea, quæ de nobilissima fœmina audacter protulerat Pharisæus, sicut notauit Chrysost. tom. 5. homil. 62. ad popul. & tom. 3. homil. 15. in Act. Apostolorũ. Erat siquidem tota occupata in deplorando peccata sua, & implorando veniam peccatorum suorum

Luc. 10. num. 42.

Luc. 7. num. 39.

ſuorum, ſicut etiam Publicanus, de quo Luc. 18. qui cùm etiam audiret ſimilem contumeliam à Phariſæo, præ compunctione cordis, & amaritudine animæ, qua recogitabat peccata ſua, neque audiuit, neque reſpondit. Quæ enim de ſe hoſtiam viuentem offerebat, viuens mortua erat; quæ etiam ſe in obſonium, & epulum Dei obtulerat, neceſſariò prius mundo debebat emori, vt pars Deo eſſe poſſet.

Luc. 18. nu. 12.

En igitur quàm dulcis ſit pœnitens anima, qua de re videndus Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap. 68. vbi eleganter ſimilitudine oſtendit peccatorem aliquando plus Deo placere, quàm qui innocentes ſemper fuerunt. Similiáque habet lib. 50. hom. 23. Videndúſque erit D. Thom. 3. q. 89. artic. 1. vbi oſtendit fieri poſſe, vt peccator per pœnitentiam tedeat ad maiorem gratiam. Præclara in rem præſentem ſunt, quæ habet Ephræm tract. de pœnitent. ante med. in hunc modum. Multis modis Deum paſcunt Sancti per actionis differentiam, & gratiæ. Omnes ſiquidem paſcunt. Sed plus cunctis pœnitentia feſtum Deo agit. Quoniam & in Euangelio dicitur, quòd magis gaudeat Deus ſuper vno peccatore pœnitentiam agẽte, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis. Feſtum excitat Deo pœnitentia: quoniã & cœlum mouet ad epulas, & Angeli lætantur dum pœnitentia ipſos inuitat ad prãdium: cunctiſque cœleſtes ordines epulantur per pœnitentiam ſeſe recreãtes. Non iis vitulos immolat, non oues: ſed hominum peccatorum ſalutem in exultationem apponit. Peccatores pœnitentia immolat, ſed rurſus eos viuificat. Peccatores eos accipit, & iuſtos eos efficit. Heri alieni, & inimici erant, hodie domeſtici, & amici Deo. Magna fornax eſt pœnitentia, chariſſimi, æs accipit, & illud in aurum cõmutat. Plumbum tollit, & argentũ reddit. Quæ ars? Quod inuentum? Quævè commutationis potentia? Ipſum ſeſe adurit plumbum: quonam pacto? Quoniam ipſi ſibi peccatores efficiuntur fornax. Ligna comburit ignis, & mercenarij à peccatorum recordatione, igneſcunt. Vſque adeò verò ſuſpiria animam incendunt ſpirantia aduerſum corpus, vt in ſeipſis liquefieri, ac ſolui dolore videantur: tãta in ipſis reperitur dulcedo, atque leuatio. Tunc enim ſolui incipiunt malitiæ vincula, quãdo ingemiſcendo fleuerimus, & omiſſum priorem vitæ ſtatum purgauerit pœnitentia: quæ etiam antequàm menti permixta ſit gratia, ex plumbo aurum facit. Vidiſti vitrum quomodo hyacinthini reddatur coloris, & Smaragdini atque Sapphyrini? Non etiam ambiges, quin pœnitentia ex plumbo argentum, & ex ære aurum faciat. Si porrò ars humana nouit naturam commiſcere naturæ, & commutare, quæ prius erant: quantò magis gratia Dei etiam ampliùs efficere poterit? &c. Quibus docet conuerſam animam vſque adeò in melius per pœnitentiam conuerti, vt & aurea & perfecta reddatur, & in tantam euadat perfectionem, vt pars ſit optima Deo, & in deliciis, ac præcipua porrio immenſa Dei.

Videor mihi videre patrem prodigi ore excipientem confeſſionem filij reſipiſcentis non aliter, atque delicatiſſimum cibum, & obſonium. Etenim pater, cùm adhuc filius à longè eſſet, vidit illum, & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Chryſoſt. homil. de patre, & duobus filiis ad prædicta verba ait, occurrens pater filio reuertenti ſuperfunditur collo eius, & in eum lacrymans requieſcit. Oſculatur autem os eius, per quod emiſſa de corde cõfeſſio

fessio pœnitentis exierat, quam pater lætus excepit, &c. Excepit autem pœnitentis confessionem non aliter, ac partem, & portionem optimam conuiuij, quod præbuit filius pœnitens misericordi patri, vnde, & hic excepit etiam filium conuiuio, & saginatum vitulum obtulit, quasi soluens filio debitum, quo illum pœnitendo adstrinxerat.

Quòd si olim in delitiis potissimum locum habebant vnguenta, & fragrantissimi odores, profectò odoriferum vnguentum est pœnitentia, Deoq; summoperè gratum: & fortè vt significaret quid interiùs Deo offerret Magdalena pœnitens, & peccata sua deplorans, semel, & iterùm attulit vnguentum, cuius odore tota domus repleta est. Nam sicut dixit Chrysost. hom. 6. in Marc. post med. Nostra pœnitentia vnguentum Saluatoris est. Vide quanta sit misericordia Saluatoris. Peccata nostra mali odores sunt, putredo sunt: tamen si agamus pœnitentiam, propter peccata, si ploremus peccata nostra putrida vnguentum efficiuntur Domini, &c. Proinde si optimum Domino offertur vnguentum, dum peccata planguntur, & pro eis vera pœnitētia agitur, meritò Ezechias quasi aliquid Deo gratissimum oblaturus, ait: *Recogitabo tibi*. &c.

Neque verò illud, *tibi*. in recognitione, & recogitatione Ezechiæ pœnitentis gaudium tantùm, & lætitiam Deo prouenientem de pœnitēte anima significat, sed etiam gloriam, & honorem: dum enim peccator pristina scelera deplorat, & de illis à Deo veniam supplex postulat, hoc in maximum Dei honorem, & gloriam cedit. Zachar. 6. præcipit Deus Zachariæ, vt sumat è domo Iosiæ filij Sophoniæ, qui ex captiuitate Babylonica redierat, aurum, & argētum, quod ad templi sumptus oblatū fuerat ab Holdai, Tobia, & Idaia. Vnde conflaret coronas imponendas capiti Iesu filij Iosedech Sacerdotis magni, quē ibidem asserit typū existere Summi Sacerdotis Christi filij Dei. Sanè reditus è Babylonica captiuitate conuersionem peccatoris spiritualiter significat: cōtritio igitur peccatorum, lacrymæ pœnitentium, gemitus conuersorum, aurum vtique sunt, & argentum, è quibus conflantur & fabricantur coronæ imponendæ capiti Iesu Christi Filij Dei, vt nouerimus in magnum decorem, gloriā, & honorem Dei redundare peccatorum nostrorum confessionem & pœnitentiā, vnde Hieron. pulchrè in hanc sententiam locum explicat. Captiuitas Iudæorum, idest populi Dominum confitentis, vitia sunt, atq; peccata; quę qui cœperit agere pœnitentiam, & desiderare pristinam Hierusalem, idest, Ecclesiam Christi Babylonem deserit, ac dimittit: & offertur à Principibus captiuorum aurū, & argentum, offertur autem aurum, & argentum ab his, qui & sensu, & sermone Dominum confitentur, & fiunt ex eo, idest, auro, & argento in domo Iosiæ, qui interpretatur saluatus, & est filius visitationis Domini. Visitatur enim à Domino, qui priùs malè ægrotauerat. Imponuntur autem coronæ Iesu filio Iosedech Sacerdoti magno: quia nobis proficiētibus, & reuersis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur: imò nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in singulis coronam accipit, iuxta illud, quod & Paulus loquitur 2. Tim. 4. *De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus Iudex, non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligūt aduentum Domini Saluatoris Iesu Christi*. Vnde à corona iustitiæ, & Pater Domini Saluatoris nomen accepit. Iosedech enim interpretatur Dominus

Zachar. 6. num. 6.

2. Tim. 4. num. 8.

iustitiæ. Sic ille ostendit quomodo pœnitentia lugentium,& dolentium de peccatis suis, corona sit,quæ Deo imponitur,postea nobis largienda in præmium,& coronam.

Vnde Ephræm tract.de Pœnit.ante med.ostendit quomodo pœnitentia pœnitentes etiam in hac vita coronet. Nouit, inquit, pœnitentia etiam Apostolos constituere:hęc Petrum propriæ dignitati restituit, sua negatione collapsum. Hæc Apostolos Apostolico exornauit gradu, aliquando scandalizatos, & retrorsum conuersos. Hæc Paulum Apostolum creauit: quãdo ipsum persecutorem, vt Christi seruus fieret, compunxit. O artificiosam pœnitentiæ gratiam: quoniam obedientibus mox dignitates præbet. Non solùm autem Apostolos facit,sed etiam Reges constituit. Dauidi enim pœnitentiam agenti etiam vt penes eum Regnum permaneret, effecit. Sic ille ostendit quomodo pœnitentia Regni coronas conferuet, & tribuat, sed illud mirum, quòd coronas largiatur etiã Deo,nobis postea imponendas.

Mira sanè commendatio pœnitẽtiæ, quæ non solùm pœnitentem,sed etiam Christum gloriosè coronat. Quemadmodum si studio, atq; opera Iesu filij Iosedech plurimi laxata captiuitate in patriam rediissent,gloriosum esset illi, & instar coronæ:sic quia per Christum homines consequuntur,vt ab iis, quibus tenebãtur, vinculis soluti aditum habeant expeditum in cælum, quicumque beneficio Christi per pœnitentiam captiuus esse desiit, coronam conflat Christo multò splendidiorem,quàm Holdai, & Tobias. Sanè hos, quos Euangelij luce lustrarat Paulus, coronam sibi esse prædicat ad Philip.4.

Philip. 4. num.1. *Gaudium meum,& corona mea.* Placent sanè plurimum eorum dona, qui è Babylonia, idest, è peccatorum vinculis exierunt, quando illa Deus suæ insculpit coronæ,testimonióque publico fatetur se illis coronari. Vnde quasi maximum honorem tribuens, & gloriam Deo afferens,ac quasi coronam imponens, ait: *Recogitabo tibi omnes annos* &c.

Minatur quidem Deus Ierem.13. in cingulo lumbari ad Euphratis ripã putrescenti,& in laguncula redũdanti vino ingentem calamitatem populo Iudaïco;& ne proposita mala incurreret,hortatur, vt institutum maturè mutet, & pœnitentiam de peccatis commissis agat, idque nomine dandi Deo gloriam admonet num.15. *Nolite eleuari,quia Dominus locutus est. Date Domino Deo vestro gloriam,antequam contenebrescant,& antequam offendant pedes vestri ad montes caliginosos.* Ierem.13. num.15. Quasi dicat:Spiritus deponite insolentes, taciteque & attentè vobiscum cogitate, imò recogitate quæ commisistis, & quæ expectant vos; mementote Dei hæc esse, non hominum oracula,quæ suo pondere, atque successu frustrari non possunt. *Date Domino Deo vestro gloriam.*

Scio hęc verba difficultatem continere, posseque explicari ex illo Ioan.9. quando Pharisæi curato cæco dixerunt. *Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.* Ioann.9. num.24. Vbi acutè Maldonat. existimat hanc esse familiarem, & quasi legitimã formam, qua iudex reum, aut testem adigit, vt veritatem fateatur. Quia ille re vera Deum glorificat, qui verum confitetur,cùm ipse veritas sit,& veritatis Pater. Sed vt patet ex contextu, serieque sermonis Prophetæ locus Zachariæ peccatorem,confessionem,& retractionem,ac pœnitẽtiam innuit, imò & prædicat, qua sola ratione Deus etiam latam sententiam reuocaret, antequam illam omnino incurrerent. Quòd verò huiusmodi pœnitentia, & culparum confessio,

ac

ac reuocatio per gloriam datam Deo intelligatur, id nobis probandum restat, fietque si recolamus locum
3. *Esdr. 9. num. 8.* petitum ex 3. Esdræ 9. vbi rem difficillimam quidem, sed prorsus necessariam ad tuendam Religionem, & verum Dei cultum suasurus populo, ait Esdras: *Vos iniquè fecistis, collocantes vobis in matrimonium vxores alienigenas, vt adderetis ad peccata Israël, & nunc date confessionem, & magnificentiam Domino Deo Patrum vestrorum, & perficite voluntatem ipsius, & discedite à gentibus terræ, & ab vxoribus alienigenis.* Varabl. & alij ex Hebr. legunt. *Iam nunc cõfessione tribuite gloriam Domino Deo Patrum vestrorum.* Quæ igitur gloria erat ibi Deo tribuenda? Nulla sanè, vt constat ex sacro textu: nisi peccatorum confessio, nimirum benignissimus Dominus suæ laudi, gloriæ, & honori assumere dignatur, & pro corona reputat quòd homines sua peccata detestantes confiteantur; ideò Esdras hortatur, vt peccantes Israëlitæ peccata sua confiteantur, quo facto & gloriam illi tribuent, & remissionem sibi obtinebunt.

Iosuë 7. num. 19. Quod adhuc clarius fiet ex Iosuë 7. Etenim diuina sorte proditus est Achan, tanquam sacrilegus, qui de anathemate tulerat contra Dei præceptum pallium, & siclos, & auream regulam, & ait Iosuë ad Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israël, & confitere,* &c. Vbi Masius de confessione amarulenta interpretatur. Sed enim ad Dei gloriam, inquit, conducere mortalium confessionem: facer etiam Vates cecinit, cùm diceret
Psal. 49. num. vlt. Psal. 49. *Qui sacrificat confessione, honorat me.* (vbi nos habemus: *Sacrificium laudis honorificabit me*) neque verò aliud syncerius diuinæ laudis sacrificium fieri potest, quàm vt nostrarum sordium ingenua confessione Dei sublimem Maiestatem efferamus, vitia, culpásque nostras detestemur. Illius diuinam iustitiam, simul immensam misericordiam prædicemus, siue meritas pœnas à nobis exigat, siue remittat: sic enim Daniel. cap. 9. post fidei, atque innocentiæ suæ multiplicem gratiam, vt Cypriani verbis vtar serm. de Lapsis, ieiuniis, sacco, cinere, confessione adhuc Deum demulcebat. Quippe cultus nullus absque illiusmodi cõfessionis satis plenus pietatis esse videtur, ac sanctus. Hoc igitur sanctissimo sacrificio Achan Dei gloriam hic illustrat; dum eius iudicium esse rectum; se verò prauum, ac fontem confitetur. Nam vt contumax dissimulatio, inquit Tertull. libr. de Pœnitent. & aduersus Marcio. scelera exaggerat, sic simplex, humilísque confessio releuat. Ex dictis igitur constat verus sensus allati loci ex Ierem. dum enim monet Iudæos ad dandam gloriam Deo, hortatur profectò ad pœnitentiam, & veram peccatorum confessionem, quam Deus suam reputat gloriam & honorem. Cùm enim in condonandis peccatis, & remittendis offensis maximè eluceat diuina Pietas, peccator veniam postulans, & materiam indulgentiæ offerens & coronam videtur Deo imponere, & maximam gloriam tribuere.

Quod adhuc illustrandum censeo ex eo, quòd Philistæi remissuri arcam Domini in terram Israël, in hoc conueniunt, quòd non vacua remittatur, sed aiunt 1. Reg. 6. *Facietis similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram: & dabitis Deo Israël gloriam.* *1. Reg. 6. num. 5.* Huiusmodi oblationem Deo factam apud arcam referunt ad pœnitẽtiam peccatorum Abulens. q. 10. ad illa verba: *Reddite ei pro peccato,* inquiens: Peccastis in Deum Israël: ideò reddite aliquid ei, tanquam in emendatio

dationem offensæ. Clariùs adhuc Rabanus Maurus. Quinque anni aurei, & quinque mures, quos fecerunt Philistæi post plagam suam, & attulerunt ad arcam, significant, quia carnales quinque sensibus corporis dediti, cùm à Domino fuerint correpti, scelera sua propria agnoscentes, iustè se percussos esse confitentur, & licèt coacti, in meliùs commutantur, &c.

Cùm ergo illa oblatio negotium pœnitentiæ extiterit, symbolumque confitentium delicta sua, eáque detestantium, rectè dicitur quod datur Deo gloria: ipse siquidem pro gloria, & corona decoris reputat peccatorum confessionem, & scelerum detestationem. Cùm hoc Deo ansam tribuat maximam gloriam comparandi, & honorem.

Gloriabatur olim Dauid, quòd & leonem, & vrsum occidebat, & arietem de ore eorum eruebat, sic enim
1.Reg.17. num.34. apud Saulem dicebat 1.Reg.17. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq́, de ore eorum, & suffocabam, interficiebamq́, eos.* Rem totam ad pœnitentiam deducit Ephræm tract. de Pœnitent. ante med. dicens: Pœnitentia tantopere humano parcit generi, vt etiam bestias captas tandem saluet; quod in Dauide ostenditur: quia arietem de ore vrsi eruit, vt diuina in eo demonstretur Bonitas. At quisnam hic vrsus? Iniquitas: & quis aries? Latro in cruce propter iniquitatem affixus; qui ex iniquo conuersus est, quique stimulatus à conscientia confessus est impietatem: agnouit Regem gloriæ, & credidit ipsius Diuinitati, qui cùm solum verbum loqueretur; sicut Dauid arietem, ita & Christus ex mortis faucibus latronem exemit, atque liberauit. Non ergo fas est, fratres, salutem desperare, quibus mater adest pœnitentia. Non licet charissimi desperatam spem salutis habere sub eiusmodi matre nos adhortante, ac consolante. A bestiis captos in paradisum ad Deum adduxit, & nos auersabitur? &c.

Cùm ergo & gloriosum fuerit Dauidi arietem à dentibus vrsi, ac leonis eripere, gloriosum itidem erit Filio Dauidis oues proprias à dentibus leonis eruere, & in gloriam transferre, ideóque Augustin. iam à nobis citatus ait: Honor paradisi est talem habere Dominum, qui etiam latronem dignum facere possit paradisi delitiarum. Proinde qui Deo offert occasionem compatandi huiusmodi gloriam, in honorem Dei cedit, quod bene agnoscens Ezechias, quasi præstantissimum obsequium Deo oblaturus, ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Vel etiam illud, *tibi*, in hoc honorem Deo conciliat, quòd cùm hominis proprium sit peccata abscódere, iuxta illud Iob 31. *Si abscondi, vt homo, peccatum meum.* Vbi Gregor. 22. moral. cap. 9. ita incipit. Iob 31. num.33. Hæc sunt veræ humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemquam cognoscere, & cognita, voce confessionis aperire. At contra vsitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Sic namque ille dum lignum vetitum contigisset, abscondit se à facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione, scilicet, quia Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur. Qui cùm argueretur à Domino, quod de ligno vetito

tito comedisset, illico respondit. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi.* Genes. 3. Ipsa quoque mulier inquisita respondit, dicens. *Serpens decepit me, & comedi.* Ad hoc quippe requisiti fuerant, vt peccatum, quod transgrediẽdo commiserant, confitendo delerent. Vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaque homo vbi esset, vt perpetrator culpam respiceret, & confitẽdo cognosceret quàm longè à Conditoris sui facie abesset. Sed adhibere sibimet vtrique defensionis solatia, quàm confessionis elegerunt. Cúmque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpã, quam tueri conati sunt. Sic ille ostendit quomodo proprium sit peccatorum, & malum iam diu hæreditariũ propria scelera abscondere, ac celare, cùm potiùs aperire deberent. Ideóque Iob dixit se non esse, sicut cæteri sunt peccatores, peccatá sua occultantes. Ideóque Hebr. ibi habetur. *Si abscondi, vt Adam, peccatum meum.* Potéstque nomen Adam primum hominem, à quo omnes deinde posteri hoc malum acceperunt significare.

Genes. 3. nu. 12. Ibid. n. 13.

At qui Deũ misericordem agnoscit, ipsi peccata sua aperit, tanquam potentissimo Domino, qui solus potest ea delere, & pristinam, ac maiorem gratiam restituere. Lazarum è sepulchro rediuiuum redditus Dominus Ioan. 11. Clamat, *Lazare veni foras*, oportet siquidem peccatorem nõ excusationum frondibus, aut negationum ramis se occultare, sed Deo conscientiam suam recogitando aperire. Ideóque Greg. loco citato ait. Lazaro nequaquam dicitur reuiuisce; sed veni foras; ex qua resurrectione signatur qualiter resuscitemur in corde. Cùm videlicet mortuo dicitur; veni foras: vt nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis iam sepultus, qui intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam; à semetipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim, veni foras, dicitur, vt ab excusatione, atque occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire prouocetur. Vnde Dauid ab illa tanti mole facinoris reminiscens, ad vocem Domini quasi foras exiit, dum per Nathan correptus, quod fecerat, accusauit. Sic ille, cui suffragatur Ambros. lib. 2. de Pœnitent. cap. 7. cùm dicta verba sic explicat. Veni foras, hoc est, qui iaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exire foras, delictum proprium prode, vt iustificeris; ore enim confessio fit ad salutem.

Ioan. 11. nu. 43.

Videndus in hanc sententiam Basil. in Psalm. 37. ad illa verba; *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*; vbi ostendit hoc esse sceleratissimorum hominũ ingenium, vt peccata & abscondant, & animo recondant; at proborum, vt si quando delinquant, quàm citissimè Deo aperiant. Quemadmodum, inquit ille, in febri, quæ si intro, altiúsve serpat, morbum longè validiorem facit: si verò in apertum se promouerit spem remissionis, veluti indice promittit. Sic & animæ contingit. Qui inexorabilis, & obduratus fuerit, *Secundùm duritiam suam, impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ*, adiungens peccatum peccato, & propria adaugens mala. Etenim peccator cùm in profundum malorum venerit, contemnit. Contrà, qui probæ est mentis, si interim, vel semel per diaboli surreptionem offenderit, eius conscientia maximopere grauatur, vt quod admisit tacere, aut

occultare nequeat,&c. Ex his igitur se esse Ezechias testatur dum nullatenùs suum peccatum occultaturum esse profitetur, sed potiùs Deo aperiendum.

Videndus in hanc sententiã Anast. Nicen. q.6. in Scriptur. vbi ait. Qui aperit peccata sua, ei condonabitur in confessu; & qui tegit suam impietatem, non rectè ei cedet: quia autem exponit, & arguit, diligetur. Peccatorum confessio eandem habet rationem, quam ostensio morborum corporis. Quomodo ergo morbi corporis non aperiuntur omnibus hominibus, ne quæ quibuslibet,&c. & statim ex Isidoro in hunc modum affert. Quanam de causa Cain, & Lamech, cùm cædem fecerunt, non eodem modo sunt puniti? Nam ille quidem pœnas dedit, hic veniam est consecutus. Quoniam ille quidem, cũ argueretur, negauit: hic verò etiã cùm non argueretur, est confessus. Igitur maximè quidem demus operam, vt non peccemus; si autem peccauerimus; ne per negationem, & morbi occultationem, causam nostram reddamus grauiorem,&c.

Vbi recolenda sunt quæ habet August. conc. 2. in Psal. 31. vbi expendit propterea publicanum iustificatum è templo discessisse, è contrà verò Pharisæum damnatũ, quòd ille morbum peccati Deo exposuerit, & proposuerit, hic verò occultauerit. Sic verò de Pharisæo ait: In statione medici curandus aderat, sed sana membra ostendebat, prædicãdo, non sum sicut cæteri, &c. vulnera tegebat. Deus ergo tegat vulnera, noli tu; nam si tu tegere volueris erubescens medicus non curabit, medicus tegat, & curet emplastro; sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus.

Similia sunt quæ habet Gregor. in expositione 2. Psal. pœnitentialis ad illa verba; *Quorum tecta sunt peccata*; vbi ait. Si tegit infirmus vulnera, quomodo illi à medico adhibebitur medicina, nónne si celare vulnus ceperit, latiùs extensum introrsus putrescit, sic & peccatum nisi per confessionem detegatur, lethaliter in imis dilatatur, & sicut vulnus non ostensum etiam sanam carnem putredine inficit, ita peccatum nisi confitendo reueletur, etiamsi qua ibi sunt bona, corrumpit. Tegit medicus vulnus sanando medicamine, tegit Deus peccatum ea, quæ multitudinem peccatorum operit, charitate: siquis ergo peccata sua tecta esse desiderat Deo ea ostendat,&c.

Alia adhuc similitudine hoc explicat Origen. ad illa verba Psal. 37. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Vide, inquit, quid docet nos Scriptura, quia oportet peccata nõ celare intrinsecus. Fortassis enim sicut hi, qui habent inclusam escam indigestam aut humoris, vel phlegmatis stomacho grauiter, & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: etiam ij, qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intra se peccatum, intrinsecùs vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse peccator sui accusator fiat, dum accusat seipsum, & confitetur, simul euomit delictum atque omnem morbi digerit causam,&c.

Magnum quidem incurrit supplicium Cain, dum suum celare voluit peccatum Deo percunctanti, & ad confessionem allicienti, imò sicut aliqui dicunt, Cain perterrefactum suppliciis ærumnosæ vitæ, quam erat subiturus, petiisse à Deo, & peroptauisse ab aliquo statim occidi, quò per mortem vitæ molestias citiùs, & meliùs euaderet: contrà verò Dominum respondisse. Non morieris, vt cupis, nec tam breui supplicio parricidium

cidium tuum lues. Quod benè expendens Ambrosf.2. de Cain, cap. vlt. ait. Ergo & ista Cain longæuitas indulta vindicta est, eò quòd vixit in metu, & prolixum spatium multo cucurrit, & infructuoso labore, qua pœna nihil grauius, quàm, vt quis ipse sibi maiorum causa pœnarum sit. Similiáque habet Procop. idem supplicium ponderans in hunc modũ. Noluit (scilicet Deus) vt Cainus continuò capitali afficeretur supplicio. Nam his qui supplicio afficiendi sunt mors lucro est. Deus autem extendit pœnas ad vitæ spatium, pro merito expetens pœnas, &c. Erat autem Caini pœna gehennæ cruciatus adumbrans, rerum enim naturę valedicent (sicut alibi ait August.) morituræ vitæ, & morte sine fine victuri. Iugem itaque Cain viuebat mortem, & eam degebat vitam, quæ æternam damnatorum mortem super terram referret; mors enim depascebat Cainum & vermis eius non moriebatur, fœcunda ad plures mortes prorogabatur vita, & in diuturnum dilatabatur, ac æternum supplicium. Vnde Basil. supplicium Caini exponens asserit in grauiora semper supplicia productam misero fratricidæ vitam.

Si huius rei rationem quæras, ea optima apud Tertull. censetur, dum 2. contra Marcion. cap. 25. ait. Cain maledixit (scilicet Deus) & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit; vt præter admissum, negationis etiam exemplo oneratũ. Quibus in verbis Tertull. ostendit quantum nocumẽtum attulerit Caino negare patratum scelus Deo sciscitanti, cùm potiùs deberet aperire medico pro sanitate; & Domino pro venia inuitanti, innuit item aliqualem illam Adæ, & Euæ confessionem ei admodum profuisse, quos (vt ille ait) ideo Dominus nõ maledixit, vtpote confessione releuatos: veniam enim, ac vitam sibi conciliat, qui scelera sua Deo recogitando aperit. Quo sensu Prouerb. 10. *Vena vitæ os iusti: os autem impiorum aperit iniquitatem:* vbi Lyra. Hugo Card. & insinuat etiam Beda dicta verba ad confessionem delictorum referunt. Vitæ enim vena os iusti, nimirum quòd sua non celat, sed aperit, effundítque delicta. Pulchra autem est similitudo venæ, aut fontis, sicut habetur Hebr. apud LXX. & Symmachum. Primò, quia sicut fons aquam, quæ in ipsis terræ penetralibus, & montium cauernis ex vaporibus, atque halitibus humentibus gignitur, per suas venas, atque elices foras emittit, ac reddit. Sic etiam os verè, integrè, & completè confitentis peccata sua, culpas quaslibet, etiam eas, quæ in arcanis, ac secretissimis locis perpetrauit, & quas in ipsius cordis penitissimis latibus per solam consensionem admisit, emittit foras, ac palam facit, vt vitam spiritus per veniam, & iustificationem consequatur.

Prou. 10. nu. 11.

Sed adhuc clariùs reddendum erit quidnam sit fons viuus, aut vitæ, qui in ore confitentis reperitur, proinde ob oculos statuendum est fontem viuum dici perennem, iugem, perpetuóque manantem. Id sanè interest iuges inter, & non iuges fontes, quod iuges omni tempore fluunt, æstate scilicet hyeme, & reliquis anni temporibus. Qui verò iuges non sunt, hyeme quidem, cùm pluuiæ frequentiores terram infundunt, vbertim manant: æstate autem siccantur, & exhauriuntur. Non aliter quosdam videre licet, quorum ex ore confessionis aqua, ex oculis item doloris lacrymæ hyeme solum perstillant, & bruma vrgente: cùm scilicet ingẽtes labores, & grauiores morbi (liceat sic dicere) compluunt, & inundant, aut cùm mors instat

vrgétque.

vrgétque. Cùm verò salus, fortuna, & robur, tanquam placida veri tempestas redit, statim exsiccantur, & exhauriuntur: & nec semel quidem vnius anni curriculo peccata sua Sacerdoti aperiunt, nec lacrymis eadem prosequuntur. Aliter iustus, & pius homo, cuius os vena vitæ, idest, per omne scilicet anni tempus manat iugiter, fusis lacrymis, atque iteratis, repetitísque confessionibus non modò per singulas anni tempestates, sed etiam singulis mensibus, & hebdomadibus singulis, imò frequentiùs, id enim satis est, vt confessio iugis, & perénis appelletur, & qui sic ore, & corde euomūt peccata, venā vitæ apud se habent: nā licèt Deus omnia nouerit (sicut ait Ambr. lib. 2. de pœnitent. cap. 7.) expectat tamen vocem tuam, non vt puniat, sed vt ignoscat. Non vult, vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accusatorē tuum. Si te ipse accusaueris, accusatorē nullum timebis, si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris reuiuisces. Sic ille ostēdit quomodo in ore confitentis sit fons vitæ, dum mortem afferentia scelera profert, ideóque per Isaiam, cap. 43.
Isai. 43. nu. 16. ait: *Narra si quid habes, vt iustificeris.* Vbi Hieron. ait. LXX. addiderunt de suo, *dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris,* quod Cyrill. lib. 3. in Leuit. Sic exponit. Tu dic prior, ne te ille præueniat; præuentus diabolus in accusatione, vltra nos accusare non poterit. Et Chrysost. homil. 20. in Genes. inquit. Non simpliciter ait; *dic tu iniquitates tuas;* sed adiecit: *prior;* hoc est, ne expectes te arguentem, ne præstoleris authorem. Ipse præueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. Si aduersarium nostrum præuerterimus, qui in die illo ob faciem nostram stabit, & in præsenti vita antequàm ad tribunal ingredimur, facinora confessi fuerimus, dicendíque principium rapuerimus, nostri ipsorum facti accusatores, in tantam misericordiam prouocabimus Dominum, vt non solùm nobis donet liberari à peccatis, sed & in catalogo iustorum numerari, &c.

In quam sentētiam quoque Ioan. Climach. gradu 4. ait. Ante omnia culpas nostras præclaro Iudici nostro soli confiteamur, omnibúsque, si ille iusserit, confiteri simus parati, &c. Et S. Pacian. in parænesi ad pœnitēt. Vos fratres ait, appello post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, & erubescitis confiteri. Rogo vos per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudenter ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam perusturos, &c.

Et Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 12. Confessio, inquit ille, sanat confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat. Nulla tam grauis est culpa, quæ per confessionem non habeat veniam, &c. Quo in loco non omittendus est Hugo lib. de claustro animæ, vbi assumpta metaphora ex capitulis Religiosorum, in quibus defectus prælatis suis libēter proponunt, veniam impetraturi audet in hunc modum dicere. Si veniret dæmon ad capitulū confessionis (idest, si sciò pœnitere, conteri, & confiteri posset) impetraret indulgentiam remissionis. Sathan expulsus est à capitulo cœli, Adam à capitulo paradisi, Iudas à capitulo Christi, &c. Quinimò & Gētiles suo modo ignobilis, & naturalis tantùm confessionis vtilitatem assecuti videntur. Nam Senec. lib. de morib. ait. Vbi est confessio, ibi est remissio. Pythagoras item dicebat peccata non esse verbis tegenda, sed detegenda, vt reprehen-

reprehensionibus curentur. Aristot. etiam dicebat non multum distare ab impeccabili eum, qui peccatum, vt esset, confiteretur, sicut testatur D. Maxim. serm. de Confessore. Et Horat. lib. 1. Satyr. 3.

——— Æquum est
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Et Claudian. in Epigrammate satisfactionis ait:

En adsum, & veniam, confessus crimina posco.
Manibus Hectoreis atrox ignouit Achilles:
Victrices furias matris placauit Orestes:
Reddidit Alcides Priamo, quas cœperat, arces:
Peleum iuuenem Regum flexere ruinæ:
Darium famulis manibus doluisse peremptum
Fertur, & ingenti solatus fata sepulchro:
Tradita captiuo spatiosior India Poro.

Si ergo vsque adeò vtilis est apud homines peccati confessio, quàm vtilior erit apud Deum, & benignissimum Dominũ vera recogitatio peccati. Sanè si confessionis veritas de terra oriatur, statim iustitia de cælo prospiciet, prçponderante confessione, & sursum ascendere faciente, veluti in bilance ipsam diuinam iustitiam, quæ impium iustè petebat, vt puniret. Vel etiam confessionis veritas de terra oriatur, vt iustitia, hoc est, plena iustificatio de cælo prospiciat, sicut ad rem nostram exponit Psal. 84. num. 12. August. verba illa Psalm. 84. *Veritas de terra orta est*, sic enim habet August. Veritas de terra orta est: confessio ab homine: homo enim peccator eras. O terra, qui, quando peccasti, audisti. *Terra es, & in terram ibis:* Oriatur de te veritas, vt respiciat de cælo iustitia. Confitere peccata tua, & orietur de te veritas. Si cùm sis iniquus, dicis te iniquum, veritas de terra orta est. Quæ iustitia de cælo prospexit? Tanquam Dei dicentis. Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; ignoscamus, quia ipse se agnoscit; conuersus est ad puniendum peccatum suum, conuertar & ego ad eum liberandum, &c. Item: veritas de terra orta est: confessio peccatorum ab homine. Et iustitia de cælo prospexit, idest à Domino data est iustificatio confitenti. Hæc August. Veritas in confessione maximè seruanda est, vt nihil sit simulatum, nihil fictum, procul sit omnis dolus, iuxta illud Psalm. 31. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.* Psal. 31. num. 2. Quod sic explicat August. Non est in spiritu eius dolus; non habet in ore suo ostentationem iustitiæ, cùm conscientia eius peccatis plena sit, &c. Clariùs ibi Gregor. ait: Se iustum non simulat: ea, quæ occultè deliquit, non celat, &c. Quibus similia habet 1. Reg. cap. 14. Ex quibus iam constat quomodo in ore pœnitentis sit fons vitæ, cùm tota vita spiritualis pendeat ex recogitatione, & confessione pœnitentis.

Sed adhuc vena illa, seu fons vitæ poterit ampliùs explicari. Nam cùm statim dicturi simus de amaritudine animæ pœnitentis, congruum erit, vt de dulcedine pœnitentiæ aliquid præmittamus. Itaque fons vitæ, aut viuus ille dicitur, qui dulci, ac salubri aqua fluit, contra salsam, & insalubrem: confessionis autem vena dulces admodum effundit aquas: per oculos enim lacrymas dulces manat. Nam lacrymæ illæ, quas dolor eicit, ac pœnitentia prædulces sunt, ac salubres, iudice August. in Psalm. 128. & Chrysost. hom. 65. ad popul. sicut cõtra lacrymæ propter iacturas temporales fusæ, amaræ sunt, & salsæ. Per

os item dulces admodum lymphas pœnitens reddit. Imò potius inquies ore suo peccata effundit, quibus nihil amariùs, & falsiùs? Minimè verò. Peccata in pectore clausa amara sũt: at postquam ad os venerunt, vt per confessionem promantur, inter ipsos oris meatus dulcescunt, vt passim experiri solemus. Vera ergo, & absoluta peccatorum confessio dulcis adinstar aquæ obtinet ex ore iusti manantis. Sanè aquarum dulcedinem, ac tenuem naturam medici libra examinandam, & explorandam esse docent. An verò confessionis aqua omnino dulcis sit, & salubris, conscientiæ examen, & amussis explorat.

Dicitur etiam vena vitæ, seu viua in extrema acceptione contra mortuam, quæ videlicet nihil viui, aut animati in se continet. Itaque viua aqua, vt sic, dicitur ea, quæ viua alit, & animata nutrit. Sanè lethalis culpa, vbi in animum incidit, omnes quidem illius vires, & potentias (liceat sic dicere) in venas emortuas abire facit. Nam quæ ab ipsis emanant opera, & actiones nihil viui, & animati, nihil, inquam, gratiæ, aut meriti æternæ vitæ patere possunt, sed more emortuatum aquarum steriles sunt, & infœcundæ. Os igitur iusti vena vitæ, os, scilicet eius, qui confitetur peccata sua, fons viuus contra mortuum, fons inquam, vitarum. Sic enim habet Origen. quia nimirum, quod ante confessionem erat vena emortua, & aquas emortuas nihil vitale cohibentes effundebat, cũ primùm cõfessionem suorum scelerum emisit, transit in venam viuam, viua scilicet, atque animata iam inde germinans. Sed quæ sunt isthæc? Gratia, & infusæ virtutes, hæ sunt animatæ illæ, & viuæ res, quas veræ cõfessionis emanatio creat, atq; alit. Cuius tanta vis est, atq; potestas, vt omnes alios hominis fontes, & venas, omnes, inquam, alias potentias, atque vires sanet, & viuas reddat, vt iam inde earum actiones viuæ sint, gratiam, videlicet, atque merita in se habentes. Vnde congruenter admodũ L X X. ab ore iusti ad manũ illius transierunt, dicentes: *Vena vitæ in manu iusti*; quia statim atque os per confessionem viua aqua scaturire cœpit, manus etiam viuas actiones effundit.

Sed adhuc obseruanda venit hoc in loco expositio Hugonis, dum citata verba in hunc modum explicat. *Vena vitæ os iusti.* Os iusti dicitur os Christi, cuius verbo multi vitam receperunt à mortuis excitati, &c. In qua expositione videtur mihi subintelligenda nota similitudinis, vt in eo sensu dicatur os iusti vena vitæ, idest, habere verba vitæ, sicut Christus Dominus habebat, ad cuius verbum mortui suscitabantur. Vnde & Petrus ei dixit, quòd verba vitæ haberet: sicut igitur Christus Seruator loquendo vitam cõferebat, sic etiam & qui peccata sua confitetur verba vitæ profert, propagando enim commissa scelera, & proponendo benignissimo Domino spiritualem vitam prometetur, & à peccati morte ad vitæ gratiã reuocatur. Econtra verò os impiorum mortis vena dicetur ex eo, quod statim addit Salomon: *Os impiorum operit iniquitatem.* Occultando siquidẽ peccator impietates suas mortem sibi asciscit, vnde Dauid Psal. 37. ait: *Quoniam iniquitatẽ meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Græcè habetur, *Sollicitus ero pro peccato meo.* Vbi Orig. ait: Si in corpore tuo macula aliquã, vel vulnus oriatur, aut ex collisione aliqua intumescat, sollicitus es, & perquiris quid curæ debeat adhiberi, & quomodo corporis sanitas reddatur. Cùm anima tua ægrotet, securus es, cõtemnis gehennam, atque ignis ęterni supplicia despicis, & irrides? Sic ille ostẽdit

quomo

quomodo impius sibi mortem conciliat, dum peccata tacendo occultat, neq; Deo confitendo proponit: qualiter verò Deo proponenda sint explicat ibi Aug. ponderans dicta verba: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Sic pronuntia, inquit, iniquitatem tuam, vt curam geras pro peccato tuo. Quid est curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, curam gero pro vulnere meo, quid intelligeretur, nisi dabo operá, vt sanetur? Hoc est enim curã gerere, pro delicto semper niti, semper intendere; semper studiose, & sedulò age, vt sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lacrymæ currunt & manus cessant. Hoc est, curam geram pro peccato meo; faciam omnia, quęcunque facienda sunt ad abluendum, & sanandum peccatum meum. Ita August. docet qua ratione cogitandum sit pro peccatis cum Dauide, dicente: *Cogitabo pro peccato meo*, qua item cura, & sollicitudine recogitanda sint peccata virę cum Ezechia, quatenus in præsenti ait: *Recogitabo tibi omnes annos meos.* Significat enim Deo non solùm aperienda esse peccata, sed tantam sollicitudinem, & curam gerendam de eorum medela, & remissione, vt nihil aliud curet, agat, cogitet, sed hoc diu, iugitérque animo verset, & reuerset, mente cogitet, ac recogitet, tunc enim verè dicere poterit cum Ezechia. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

ANNOTATIO IV.

De amaritudine, & dolore pœnitentiæ.

NE fortè quis existimaret sufficere cogitationem peccatorum, quæ est hæresis Lutheri, & Sectacium, ponentium pœnitentiam solùm in eò, quòd cognoscat se peccasse, & malè egisse, cui hæresi, sicut refert Roffens. art. 7. præbuit occasionem Erasmus circa id Matth. 13. *Pœnitentiam agite*, contendens non pœnitentiam, sed resipiscentiã fuisse vertendum. Vnde nullum actum voluntatis & detestationis peccati admittunt, sed solùm circa propositum bene viuendi: nam detestationẽ præteriti peccati, vt otiosam, & præsumptuosam referunt, vt ait Roffens. art. 6. & 7. & Bellarm. lib. 1. de Pœnitent. cap. 7. At Ezechias recogitationem hanc ad pœnitentiam dirigens asserit faciendam esse in amaritudine animæ: consistit siquidem vera pœnitentia in dolore, & detestatione peccati, sicut docet Concil. Trident. sess. 14. definiens contritionem per formales actus pœnitentiæ, quales sunt dolor, & detestatio peccati: cæteri namque actus voluntatis, vel antecedenter, vel consequenter se habent ad pœnitentiam ipsam, sicut ostendunt Theologi Scholastici in materia de pœnitentia; viderique potest apud Suar. disp. 4. de Pœniten. sect. 1. In amaritudine igitur animæ recogitanda sunt peccata, de eisque dolendum maximè est, iuxta illud August. lib. de vera, & falsa pœnitent. cap. 19. Continuè dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus; pœnitere enim est pœnam tenere. Et ideò Canus in principio relectionis de Pœnitent. aduertit pœnitentiæ vocabulo significari pœnam, siue dolorem pro peccato vitæ præteritæ susceptum. Vnde Ausonius scitè inducit pœnitentiam ita loquentem:

Sum Dea, quæ facti, non factiq́; exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanæa vocor.

Proinde qui vitam nouam ingreditur,& Deum pro præteritis precatur,illa debet in amaritudine animæ recogitare, & pœnitendo Deo proponere: nam sicut dixit August. libr. 50. Homil. hom. 41. Nemo agit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet. Et Ioan. Climac. de Pœnit. gradu 5. ait: Pœnitentia est se ipsum condemnans cogitatio est consolationis corporeæ perpetua repudiatio, est volũtaria rerum omnium, quæ affligunt toleratio, est cruciatuum sibi semper opifex, est valida vẽtris afflictio, animæq; in sensu firmissimo iutis reprehensio, est abyssus humilitatis, &c.

Est elegans in hanc rem epistola illa ad Susannam, quę Hieron. adscribitur. Erasmus verò, & Marianus ex stylo suspicantur esse Augustini, vbi sic habetur: *Quis consolabitur te virgo filia Sion, quia magna facta est, sicut mare, contritio tua?* Effunde cor tuum, sicut aquam, coram facie Domini, extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorũ. Accipe igitur lamentum, & primo quidẽ nullo die quinquagesimus prætermittatur, qui in negotio tali cantatur, quem vsque ad versiculum illum, cor contritum, & humiliatũ Deus non despicies, gemitu, lacrymisque percurre: insuper hanc lamentationẽ non sine compũctione cordis in cõspectu Dei iudicis funde. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt defleam vulnera animæ meæ? Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorrha. Quis miserebitur cineri meo? Duriùs offendi quàm Sodoma, quia legem nesciens illa deliquerat, ego accepta gratia peccaui. Quomodo facta sum in desolationem? Subitò defeci, perij propter iniquitatem meam. Lugete me mõtes, & flumina, &c. quibus describit amaritudinem, & dolorem pœnitentis animæ. Quibus similia habet Ambros. ad Virginem lapsam, Cypr. serm. de lapsis, & Chrysost. hom. 41. ad popul. & in epitaphio Paulæ illius nobilis fœminę ob parua delicta pœnitentiam sic describit Hieron. Mollia, etiam in grauissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat; si tamen illa quies diceda est, quæ iugibus penè orationibus dies, noctesq; iungebat, illud implẽs Psalmistę. *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* In qua fontes crederes lacrymarum: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumq; à nobis crebriùs moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi. Affligendum est corpus, quod multis vacauit delitiis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia, & serica pretiosissima asperitate cilicij commutanda. Quæ viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero, &c.

Amaritudinem item pœnitentiam latè describit Climac. de Pœn. gradu 5. dicens: Cùm peruenissem ad pœnitentium monasteriũ, vidi reuera res, & verba, quæ Deo vim inferre possent; nonnullos in pauimento strato cilicio, & cinere sedentes, & faciem genibus operientes, & frontẽ in terra collidentes. Alios pectora iugiter tundentes, animamq; suam, ac vitam suspirio ingenti reuocantes. Vidi nõnullos veluti æneos ex mœrore effectus, & insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terrã caput assiduè mouere, & leonũ rugitum edere. Et paulò pòst cũ multa eorum verba, & facta verè admirabilia retulisset, subiungit, vidisse se in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo

Solis æstu seipsos cruciabant, alij acerrimo frigore se affligebant, quidam modicum aquæ gustantes, ne omnino siti arescerent, ita quiescebant,&c.tandémque cócludit. Vidi, & fœliciores existimaui, qui post lapsum ita lugent,quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent.

Videndus in eandem sententiam Tertul. lib.de Pœnitent.c.9. vbi ait: Exomologesis est prosternédi,& humilificandi hominis disciplina,conuersationem iniūgens misericordiæ ellicé, de ipso quoque habitu, & victu mádat sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa,quæ peccauit,tristi tractatione mutare,pastum, & potum pura nosse,nō ventris, sed animæ causa,ieiuniis preces alere,ingemiscere, lacrymari,& mugire dies, noctésque ad Dominum,præsbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere,&c.

In omnibus olim sacrificiis præcipiebat Deus, vt superinfunderetur incensum,& oleum, solùm hoc fieri prohibebatur, quando oblatio, sacrificiúmve pro peccato erat, ídque non ob aliam rationem statutum asserit sacer Textus, nisi quia pro peccato est Leuit.5. quem locum explicans Origen. ait. In sacrificiis pro peccato nec oleum lætitiæ, nec thus suauitatis imponitur, quia non benè conueniunt peccatum, & gaudium, offensa Dei cum lætitia,&c. Etenim sicut dixit Euseb.Emiss.hom.5. Multo opus est fletu,multo gemitu,multo dolore cordis ad sanandos ipsius cordis dolores,&c.

Leuit.5. num.12.

Qualis verò sit dolor,& amaritudo assumpta pro peccatis,benè exponit Greg.vt scilicet, nullū locum relinquant alterius rei recogitationi, nihil insuper respiciant dolendū,nisi Dei offensam; sic enim ille habet 9. moral.c.5.9.ad illa verba:*Si lotus fuero quasi aquis niuiū,tamē sordibus intinges me.* Aquæ niuis, inquit ille, sunt laméta humilitatis;sunt namque nonnulli,qui laméta habent, sed humilitaté non habent,quádo afflictū plangunt, sed tamen in ipsis fletibus vel cótra proximorum vita superbiunt, vel contra ordinationem Cōditoris eriguntur.Hi aquas habent,sed niuis aquas non habent, & mundi esse nequeunt,quia humilitatis fletibus minimè lauantur. Aquæ niuis intelligi & aliter possunt;aqua enim fontis,& fluminis ex terra oritur, aqua verò niuis ex aëre prouenit;& sunt plerique, qui per orationū laméta se cruciant, sed tamen totis lamentorū laboribus ad sola terrena desideria exudant:compunguntur in precibus, sed fœlicitatis transitoriæ gaudia exquirunt, hos niuis aqua non abluit, quia eorū fletus ab imis venit, quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt. Qui pro terrenis bonis in precibus compunguntur,qui verò idcirco plorant, quoniam præmia æterna desiderant, aqua niuis hos diluit:nā cùm perennem patriam per lamenta appetunt, eiúsque accensi desideriis plangunt, à summis accipiunt vnde mundentur.Sic ille depingit amaritudiné lugentis, & pœnitétis,quæ solū Deum offensum debet respicere, non alio motiuo niti, ídque videtur dixisse Ezechias,cùm amaritudinem suæ recogitationis dicit suæ esse animæ, ac spiritus;non corporis,aut terræ,temporalísve alicuius boni: talis enim amaritudo non animæ, aut spiritus, sed carnis potius dicenda erit.

Aliam etiā notam ad cognoscendam animæ amaritudiné affert Bernard.ser.4.de Aduentu, vt illa duret, nec facilè transeat, & in risum, & externam dissolutionem soluatur. Alios,inquit ille,lugentes video, sed si de corde procederét illæ lacrymæ,

non tam facilè soluere[illegible]ur in risum, nunc autem cùm abundantiùs otiosa verba, & scurrilia profluant, quàm prius lacrymæ; lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio diuina promittitur, quandoquidem post illas tam facilè cōsolatio vilis admittitur, &c. Etenim amaritudo animæ corporis vilem consolationem, & dulcedinem excludit, cùm potius ideo amaritudo assumatur, vt dulcedo malè assumpta soluatur. Vnde Greg. 9. moral. c. 25. in fine ait. Vitam nostram, quæ nobis displicet, studiosa afflictione cruciamus, vt quicquid in nobis polluerunt opera, diluant lamenta: & siquidem adhuc culpa delectationis inquinat, pœna mœroris tergat, &c. Sic ille ostendit quomodo in pœnitentiæ dolore afflictio, amaritudo, ac fletus debeat respondere delectationi, gaudio, & dulcedini peccatorum.

Dulcia quidem videntur impiis ipsa peccata, multum delectationis, & oblectamentum secum afferunt, at certè Galeni Medicorum Principis testimonio ratum est, de mellis, atque aliarum rerum dulcium esu (nam dulcia valdè biliosa sunt) plurimum felli humoris accedere; docet autem Aristot. de partibus animalium lib. 4. cap. 2. salubrem constitutionem fel nullum, aut valdè exiguum habere. Vnde constans est inter Medicos placitum ea omnia, quæ fel adaugent, parum sana esse: vnde ea animantia quæ felle carent, diutiùs viuunt. Cum ergo dulcedo, lætitia, & delectatio peccati dulcia esculenta, & pocula sint, quibus nutritur ad occisionem peccator, ea in anima necesse est in fel, & amaritudinem conuertantur: vt igitur vitam spiritualem possit consequi, debet fel illud euomere, idque sine maxima amaritudine animæ fieri potest, sicut & amara cū eiiciuntur ex ventriculo amaritudine inficiunt fauces, & os. In amaritudine proinde animæ debet pœnitēs cum Ezechia & recogitare, & eiicere dulcia quidē in commissione peccata, sed post patrata in fel, & absynthium conuersa. Sic rem exposuit August. lib. de decē chordis cap. 4. vbi ait. Quare ambulauimus delectati cantibus lasciuis nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, postmodum amaris? Talibus enim turpitudinibus illecti animi eneruantur, & propter ipsas turpitudines postea sentiūt dolores, & cū magna amaritudine digerūt, quod cum dulcedine temporali biberunt. Melius ergo nos amara vobis cantamus ad tempus, vt postea dulcescant in vobis, &c.

Expendenda sunt verba illa Augustini, magna amaritudine digerunt, & conferenda cum verbis Ezechiæ, recogitabo in amaritudine: sicut enim dulcia decocta bilem efficiunt, sed tamē amara sumpta bilem extenuant, atque perimunt: ad eundem modū amara detestatio peccati eadem diluit, & extinguit, & charitatis calor, ac animi afflictio peccatorum bilem decoquit, & absumit.

Notandus adhuc venit artificialis apud nostros modus, quo amaritudo vincitur, & in dulcedinem conuertitur. Profectò Medicis compertum est absynthium aceto maceratum acrem saporem abiicere: & quidem mirum non est amarissimum gramen acri aceto emendari; nā in aliis plerisque acribus rebus idē accidit: malū enim cytrium, atque lymmonū aceto infusum amaritudinē amittit, & fermè dulcescit. Sic igitur animus, qui ex admissione, & admixtione peccatorum absynthium hausit, & bilem conflauit, siquidem eam amaritudinem domare, & superare velit, acerbum pœnitentiæ, & doloris acetum immittere oportet, & in amaritudine animæ peccata recogitare: hoc

enim

enim præsentaneum, & efficacissimum remedium impiæ amaritudini inuenitur. Vnde Beda in Luc. ait. Cùm expertus est absynthij amaritudinem, adhibeat pœnitentiæ dolorem. Nā dolor ille hoc dolore corrigitur, ac soluitur. Sic ille amaritudinem peccati vincendam ostendit alia amaritudine veræ pœnitentiæ, quæ proinde ibi debet inesse, vbi peccatum consumatum fuit, scilicet in anima, & voluntate. Qua de re optimè Ephræm Tract. de Pœnitent. parùm post prin. Si ingemuerit peccator cōfestim suspitādo, graue onus Draconis euadet. Túncque non tantùm anima suspirabit, verùm etiam lacrymas fundet maximo cum dolore: longo quippe interuallo cernens Deum, vt Patrem, mouetur ad lacrymas, Deóque persuadet; quòd Patris beneuolentiam amet; & sic à statu serpentino purgatur. Nunquid audisti, quòd dixit Dauid: *Lauabo per singulas noctes lectum meum?* Sed primùm suspiria edidit, & sic lacrymatus est, &c. Itaque & filij perditi amaritudo cōcepta ex luxuriosa vita, atque etiā bilis Dauidis nutrita dulci adulterio, amaritudine animæ, & amaro luctu curata est, decocta, & abolita.

Quod adhuc alia similitudine eleganti explicat Ephræm. Ea siquidem, quæ antea cuiusuis coloris erant alterum tādem imbibunt, si mittantur in vas alterius coloris liquore repletum. Si enim ibi voluantur, & inficiantur, alium iam referunt colorem. Sic & ea, quæ dulcia erant animæ peccanti, proindéque ei placebant in condemnationem, si pœnitentiæ dolore, & lacrymis fluctibus præ amaritudine & dolore tingantur, & baptizentur, alium iam colorem imbibunt, & quæ antea turpia erant, pulchra, & decora per pœnitentiam redduntur. Sic ergo habet Ephræm dicto Tract. de Pœnit. post med. Constringamus nos ipsos pœnitentes; vt veniæ gratiam, tanquam verum tincturam noui recipiamus: (constrictio autem est accurata contrariorum reiectio.) Lacrymis diligenter teipsum ablue, sicut tinctores lanā. Teipsum humilitati, & angori, atque mœrori trade: sic enim Deo teipsum adstringens, paratus accedes ad susceptionem gratiæ. Idcircò aliqui ex pœnitentibus reuertuntur ad peccatum: quoniam serpentem in seipsis delitescentem ignorāt, aut etiamsi agnoscant, non tamen ipsum penitus expellunt. Nam formæ ipsius vestigium ibi permiserunt: & paulatim is velut in vtero conformatus, rursum imaginem nequitiæ suæ excitat. Cùm videris aliquem pœnitentē, iterúmque peccantem: intellige quòd talis nondum suam mentem, atque ingenium mutarit, remanentibus in eo eunctis malitiæ serpentibus. Indicium porrò firmiter, ac seriò pœnitentis est strictus, atque austerus vitæ status, & superbiæ, atque elationis, ac stultæ existimationis sui depressio: quas res ostendunt oculi, atque mens obumbrata, quæ assiduè ad amatum Iesum Christum tendat. Tu ergo virtutum contrarietates arce, atque propulsa: nam qui ægriùs fert pœnitentiā, cum stultitia comitatur. Si quis ieiunat, & tamen stultè ridet, celeriter supplantatur. Si quis in precibus lacrymas fundit, in conuictu tamen, & cōsuetudine vult vrbanus, ac facetus haberi, citò deturbatur. Si is, qui continentiam profitetur, indifferenter velit, & sine delectu agere, ac viuere; non procul à ruina abest. Toto corde debet resipiscens pœnitentiam agere, sempérque eundem sese exhibere, vt inceperat. Nam si defecerit, indicium imperfectæ cōuersionis præbet. Si mutetur, apertè ostendit se inconstantiæ esse subiectum, séque ita resipiscere, vt puer dùm discit: & sicut

ſicut qui ſtimulis pungitur, coactus lacrymatur, non ſponte. Mundanæ leges metu ſæpè aliquem cogerunt, & non voluntate; ſic planè & tu reſipiſcis. Tanquàm diceres: Si tempus dederit, iterùm militiam complectar. Non volo te penitus lacrymari: & non dico temporis interuallo perperam, ac nequiter iterum agere. Non volo te ſemper in Eccleſia eſſe: & ſicut in foro turbulentum, atque impotentem animi. Ne exiſtimes tempora eſſe Dei, quibus te oporteat bene agere: & horas, ſiue tempora diaboli quibus te deceat luxu diffluere, & turpiter laſciuire. Ne putes tempus pietati, & tempus iniquitati ſtatutum eſſe, talia enim faciunt, qui in ſcenis verſantur: quoniam in conuerſationibus, atque colloquiis ſunt turbulenti, atque immodeſti, & in theatris ridiculi & inhoneſti. In progreſſu, atque inceſſu graues videtur, ac fidei pleni, in ſpectaculis verò nequiſſimi. Cæterùm tu talis in foro eſto, qualis & in Eccleſiis. Talis in rebus, talis in cogitationibus, talis in operibus, talis in verbis: qualis & in confeſſionibus, accuratus, atque perfectus. Dixit enim quidam ex Prophetis in Eccleſia Dei. Ne lacrymis vituperetis. Non pœnitentiæ detrectetis, & confeſſioni, quæ humili ex corde fit ad Dominum: ſed flebilem precationem reſpuatis, malo propoſito formatam: quæ cùm ſit inſtabilis, & immodeſta, obtrectationē Domini dicit. Et rurſus: Nolite ſcindere veſtimenta veſtra: ſed corda veſtra ſcindite. Non enim vult nos Deus inanem gloriam captare: ſed re vera pœnitere. Cùm & Dauid dicat: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Non ergo in Eccleſiis ſolùm lacrymas fundam, ſpeciem hominibus exhibens, & eam gloriam inde captans, quæ in eo verſatur, vt iuſtus exiſtimer, verùm in ſtrato meo lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Vt cum Chriſto concordem, qui ait: Oecluſo cubiculo tuo ora: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi in aperto: quippe propter quem facis in occulto, Deúmque placas in manifeſto. Idémque rurſus ait Propheta. *Laboraui in gemitu meo.* cur ita? Vt nullus planè audiat: nam gemitum prodeuntem retinere, laborem faceſſit. Rurſúſque dicit: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Non igitur inter homines adnunciate: nam multi ſunt, qui confeſſionem mercantur. Alij gloriam, mediante confeſſione, ſibi comparant: alij in ſuperbiam pœnitentiam vertunt, & pro venia aliud debitum contrahunt. Nondum priori liberatus es debito frater, & aliud ſuper inducis? Acceſſiſti ſoluturus debitum, & aliud debitum concilias? Studes liberari debito: & duplicem tibi ſeruitutem comparas, atque hoc illud eſt. Oratio eius fiat in peccatum.

Videndus Ambroſ. in Pſalm. 118. Octon. 7. verſ. 7. vbi ait. Neſcit flere, qui flenda committit, & cùm ſit ipſe lacrymabilis, non habet culpæ lacrymas ſuæ. At ille, qui caſtigat corpus ſuum, & ſui ſollicitus gubernator eſt, atque ingemiſcens, & dolens, lapſus ſuperioris offenſam quærit quomodo abluat fletibus pœnitentiæ, hic lauat per ſingulas noctes lectum ſuum. Optima ſunt, quæ in hanc ſententiam habet Auguſt. lib. de vera, & falſa pœnitent. cap. 2. ad med. vbi oſtendit illum in vera animæ amaritudine dolere de peccatis commiſſis, cui etiamſi re vera leuia ſint, & facilè à Deo dimittenda, grauiſſima tamen cenſentur, vt de eis diù, multúmque doleat & lacrymetur, ídque deducit ex Dauid Pſalm. 24. cùm ait. *Tu propitiaberis peccato meo, multū eſt enim.* Non quia multum Pſal. 24. nu. 11.

erat,

erat, inquit Augustin. Sed quia id Dauid multum reputabat. Non enim laborat exonerari peccato, cui non videtur nimiũ. Quomodo ergo multum videretur si adhuc in illo delectaretur? Quomodo rogaret perdere, nisi doleret habere? Si enim non doleret habere, gauderet commisisse. Scimus quia deleuit Dominus peccatum Dauid, aut quia dolebat peccasse, aut quia gemebat, & stratum suum lacrymis rigabat, & tanquam panem cinerem manducabat. Si autem gauderet, non magnum, sed paruum peccatum suum diceret. Vnde se conuerteret aliquis, cui prior status placeret? Qui itaque conuertitur, necessariò dolet habere, quod gaudet perdere. Sicque saluatur, quia dolet, sicque liberatur, quia pœnitet. Ex dolore enim dictum est: *Peccaui, quid faciam tibi?* Quasi dicat: adeò doleo peccasse, quod mihi tam graue est, quod non velim contra me te non vindicare. Quæro enim in me quid supplicij possim cogitare, quod tibi possit sufficere. Sic ille verè pœnitentem dolentem describit, talitérque in animo amaricatum, vt nullo supplicio se subducat, sed cuilibet, quantumuis acerbo, & rigoroso, se subiiciat, & obuiat. Et cap. 8. eiusdem lib. ait: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse. Et cap. 19. Pœna propriè dicitur læsio, quæ punit, & vendicat, quod quisque commisit. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit, quod commisisse dolet.

Adeóque dolor, & amaritudo animæ necessaria est pœnitentiã agenti, vt asserat August. in Enchirid. cap. 65. in pœnitentia non tam esse considerandam mẽsuram temporis, quàm doloris. Clariusque Alcuin. lib. de de Virtutibus & vitiis cap. de pœnitent. ait: Pœnitentia non annorum numero censetur, sed amaritudine animæ. Vnde [illegible] Petrus mox à Domino indulgen[illegible]n accepit, quia amarissimè fleuit, &c. Requiritur itaque maxima amaritudo in pœnitentia, vt ea apta sit omnem prorsus amaritudinem peccati expellere, atque in memoriam semper adducere quanti constet venia delictorum, quæ tali amaritudine assumpta à Deo comparatur, sicut bene prosequitur Augustin. in Psalm. 6. vbi ait: Quod facilè saluatur, non multum cauetur: ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia sanitatis. Simul etiam vt agnoscat quanta pœna impiis præparatur, qui se nolunt conuertere ad Deum, si tantam difficultatem conuertentes patiuntur.

Ea verò debet esse amaritudo pœnitentis animi, vt omnem prorsus dulcedinem, & cõsolationem excludat: nam si conscientia peccati reatu constricta, nullam omnino patitur quietem, sicut notauit August. contra literas Petiliani lib. 3. dicens: Si conscientiam mordet vetitas criminis quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus extollat? Hoc enim merè externum est, illud intimum est, &c. Præclara equidem similitudine hoc ipsum explicat Chrysostom. homil. de Compunct. cordis. Vt homines, inquit, ægri cùm multis febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsẽs sibi aliquid videntur quęsiisse solatij: multiplicatas sibi flammas febrium reparant. Ita & nos agimus, cùm conscientiæ stimulis agitamur, si merè externas gaudij, & lætitiæ causas quæramus, &c. Quibus ostendit externa quæque solatia non leuare, sed augere potiùs intimæ conscientiæ angores. Ideóque Chrysost. homil. de nequitia repellenda, sic ait: Sicut qui carcerem habitant, capitis damnationem operientes, & mortem, vitam longam agunt, molestiorem, &

anxiam, quò delitiis magis abundè fruuntur: mortis enim [illegible] expectatio haudquaquam finit, vt qui in manibus habent voluptates, & delitias sentiant. Sic ab his, qui consciẽtiæ stimulis agitantur, neque in malignitate amaritudo curari, vel in nequitia defungi tristitia: quin potius externis voluptatibus sæuiùs cruciantur. Similia habet Ephræm Tract. de Orat. dicens: Omnis mundana, & profana voluptas in amaram conscientiam coniecta, quasi parua mellis stilla est in absynthij dolium refusa, &c. Si enim peccati rea conscientia vsque adeò amara redditur, & tristitia afficitur, vt omnem respuat lætitiam, & excludat solatium. Quid erit in ea anima, quæ peccati mole pressa pœnas expendit, & æterna supplicia, Dei bonitatem offensam, & iratam contemplatur, & quæ necessaria satisfactio sit, recolit, omne penitus leuamen repellit, & tota confusione subacta in amaritudine totum Deo cogitat, & recogitat.

Leuit. 2. num. 12. Præcepit Deus Leuit. 2. ne quidquam fermenti, ac mellis adoleretur in sacrificio sibi oblato. Id quidem ideò factum existimat D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 3. ad 14. cum reliquis expositoribus, vt doceret vitandam prorsus omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab his, qui Deo sacrificium offerre constituunt. Nam sicut docet Chrysost. homil. 2. ex variis in Marc. atque etiam Hieron. epist. 12. & 19. mel voluptatis indiciũ esse solet; hæc autem Deo non placet, quoniam qui in carne sunt, idest, carnaliter, & voluptuosè viuunt, Deo placere non possunt, sicut ait Paul. Roman. 8. num. 8. Rom. 8. addit verò Hieron. quod cera contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accendebatur in Templo Dei, non cerearum vsus erat, eò quòd oleum de amaritudine oliuarum exprimitur: vsque adeò enim Deo placet interna animi amaritudo, vt coram se perpetuò esse voluerit; vnde [illegible] igne agni sacrificium cum amaritudinibus comedebatur.

Obseruat quidem Philo lib. de Victimis offerendis mel vetitum imponi Altari, quia collectrix eius apis animal est impurum, natum è putribus boum cadaueribus, & quia omnis voluptas profana ducenda est. Ille profectò pœnitẽs, qui in memoriam reuocauerit originẽ voluptatis peccaminosæ, & carnalis delectamenti, non poterit non profanam ducere, & à se longè, lateque relegare, & in amaritudine animæ sese Deo offerre, conterens voluptuosum cor, vt ex amaritudine pœnitentiæ oleum exprimat, quo reluceat, imò coram Domino fulgeat, gratissimúsque reddatur. Quòd si oblationes, & sacrificia erant Deo veluti cibi, sicut ostendit Lorin. ad cap. 2. Leuit. vers. 12. & 13. Nouerit, qui vult Deo placitum offerre sacrificium, illum non dulcia velle, & voluptuosa, sed omni prorsus dulcedine carentia: vnde qui pręamaram pœnitẽtiam, & peccatorum detestationem Deo offert, dulce edulium, & beneplacens sacrificium apponit: vnde August. ad fratres in eremo ait: Holocaustum medullatum, est peccatoris humiliatum cor.

In quam sententiam notandum venit id, quod probat Caier. in cap. 21. Ioan. vbi interrogat cur Euangelista Ioannes, quo tempore Petrus à Christo Seruatore maximo afficeretur honore Pastoris suæ Ecclesiæ, cumque vocauerit, vt ipsum sequeretur, tum retulerit peculiaria priuilegia sua dicens: *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est, qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine hic autẽ quid?* Ioan. 20. num. 21. Cur enim eo tempore, quo Petrus

præ omnibus honorabatur à Magistro, ille refert, quæ ab eodem Magistro acceperat, priuilegia, idque non inuidia, aut æmulatione factum esse recolit, sed ea mête, vt scilicet agnosceremus in quantam gratiæ dulcedinem deuenisset Petrus post amaritudinem fletus, & doloris quo peccatum suum recogitarat, & detestatus fuerat, quod præcedens iam apud Dominum ipsum discipulum dilectum de eodem recordatur, & agit, veluti commendaturus eum Magistro. Sic verò habet Caiet. Vsus est tot priuilegiis beneuolentiæ, familiaritatis ac fiduciæ indicus: ad significandum in qualem gradum post Christi negationem ascitus fuerat, vt scilicet ipse Petrus interroget pro Ioanne tam dilecto, tam domestico ipsi Iesu: qui Petrus antequam negaret interpellabat Ioannem, vt interrogaret Iesum, vt intelligamus in magis internam amicitiā Dei quandoque homines post crimina, quàm ante habuerant, deuenire. Sic ille ostendit quomodo Deo placeat sacrificium pœnitentiæ in amaritudine peractum, siquidem in maiorem gratiam, & Dei amicitiæ cumulum extulit Petrum, quam ante negationem extiterit, quod bene agnoscens Ezechias proponit recolendam, & conterendam peculiari cogitatione, & detestatione præteritam vitam in amaritudine animæ suæ.

Vel tandem hoc in loco illud, *tibi*, significat peculiari ratione peccata esse detestāda & in amaritudine cordis deploranda, quod in præsentia Dei facta fuerint, quod videtur innuere Regius Vates, cùm ait Psal. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Vbi ex Hebr. potest legi: Tibi soli peccaui, quia malum coram te feci. In quam sententiam aduertit Theodor q. 30 in lib. 2. reg. noluisse Dauidem secum deferre Arcam Domini, cùm fugeret Absalonem; sic enim pro Dauide loquitur. Non possum mecum afferre accusatorē; hinc enim audio legem dicentem, non mœchaberis, non occides, ego verò venerandam legem conculcaui, &c. Si verò ille verebatur præsentiam accusatricis legis, quantò magis timendū erit iudicis recti præsentia, qui vbique adest, & nos intuetur, sicut etiam Seneca confessus est, epistol. 41. dicens: Ille etiam bonorum, malorumq; nostrorum obseruator, & custos, cui nihil secretum, aut clausum est Et Menander. Acutus ad cernenda omnia oculus Dei. Et Boetius 2. de Consol. Quem, quia respicit omnia solus, verum possis dicere solem. Vnde Ouid. 1. de Arte collegit rectè viuendum, quandoquidem in præsentia Omnipotentis Dei degimus, sic enim ait:

Innocui viuite. Numen adest.

Videndus Pererius in cap. 39. Genes. vbi ait tria esse vincula, quibus viri sancti fortissimè se constrictos sentiunt, ne in Deum delinquant. Primum est reuerētia Diuinæ Maiestatis; sancti enim viri semper in conspectu Dei ambulantes, videntur sibi non posse non omnia iuste, & sanctè facere, ideóque ne præsens Numen lædant, ab iis omnibus quæ ei displicent, religiosissimè cauent. Vnde Susanna Dan. 13. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in cōspectu Dei mei.* Contra faciunt impij, de quibus dicitur Psal. 9. *Non est Deus in cōspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tēpore. auferuntur iudicia tua à facie eius.* Pro quo argumento videndus est Bern. ser. 56. ante med. ad illa verba Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Sponsus quidem, inquit Bernard. æqualiter, atque indifferenter præsto vbique est, diuinæ vtique præsentia maiestatis, & magnitudine virtutis suæ. Gra-

Psal. 50. num. 5.

Dan. 13. num. 23.

Psalm. 9.

Cantic. 2. num. 9.

tiæ tamen exhibitione,seu inhibitione quibusdam longè, quibusdam propè esse dicitur. Sponsę verò quam propè est, quæ vno tantùm pariete diuiditur,&c.

Quia igitur Sponsa præsentem sibi contemplatur, & intuentem se Sponsum, non poterat non esse pulcherrima; facit enim plurimum ad perfectionem animi contemplatio Diuinæ præsentię,sicut etiam & culpam commissam amplificat huiusmodi consideratio, quando ea non obest committendis peccatis. Vnde August. serm. 10. de Verbis Domini ex illis verbis Christi ad Nathanaëlem Ioann. 1. *Priusquam te Philippus vocaret cùm esses sub ficu,vidi te.* Monet vt si volumus piè,iusteque viuere,illud persuasum habeamus Deum non tantùm vniuersa opera, & actiones curare,& prouidere,sed etiam intueri præsentes. Valet siquidem plurimum hæc cogitatio ad mores componendos, & impias cogitationes repellendas, quod optimè prosequitur Ambros. in Psalm. 118. cùm explicat ea verba Dauidis asserentis per singulas noctes stratum suum rigasse lacrymis suis, atque media nocte surrexisse ad confitendum Deo. Tunc enim, inquit, tibi orandus est Deus, tunc præsidia postulanda diuina, quando ipsa culpa videtur habere secretum,tunc maximè quando tenebræ sunt, & parietes te operiunt considerandum, quia Deus omnia intuetur. Et serm. 46. de Verbis Domini in Ioan. Deus,inquit,timendus est in publico, & in secreto; procedis,videris; intras,videris; lucerna ardet,videt te,lucerna extincta est,videt te;in cubile intras,te videt; in corde versaris, videt te; ipsum time, cui cura est, vt videat te,&c.

Ioann. 1. num. 48.

Vnde Anselm. lib. 1. Cur Deus homo cap. 21. Grauitatem peccati exaggerat, quòd in præsentia Dei contra ipsum commissum sit. Hoc igitur quia nouerat Ezechias, peculiari ratione Deo sibi deplorandum esse dicit, propterea quòd grauitatem contrahit Dei offensa ex illius præsentia,quę recogitanda est Deo in amaritudine animæ pœnitentis, & detestantis peccata. Vnde Bernard. dicto serm. 56. ad fin. versans præsentiam Dei,ait: Hoc tibi tota vigilantia prouidendum, vt apertas semper inueniat fenestras,& cancellos quosdam confessionum tuarum, per quos te intus benignus respiciat: quoniam respectus eius profectus tuus. Aiunt cancellos angustiores esse fenestras. Cùm ergo sint duo genera compunctionis, vnum in mœrore pro nostris excessibus,alterum in exultatione pro diuinis muneribus: quoties sanè eam, quæ sine angustia cordis minimè fit, peccatorum, scilicet, meorum facio confessionem: videor mihi cancellum, idest, angustiorem aperire fenestram, &c. Meritò proinde Ezechias,qui respicientem omnia Deum non timuerat, ne eum vbique præsentem, & videntem offenderet: cancellum in angustia, & amaritudine animæ recogitando, & detestando peccatum,aperit;vt Deus angustiam cordis per angustam fenestram benignè respiciendo, animam illustret gratia, & charitate; verùm siquidem habet illud Tertull. lib. de Patient. Pœnitentia cùm prouoluit hominem,magis releuat,cùm squalidum facit, magis mundum reddit,&c.

***

TEXTVS VI.

Domine si sic viuitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & viuificabis me, ecce in pace amaritudo mea amarissima.

RECREATVS iam Ezechias à mortali ægritudine, vitæ, ac valetudinis beneficium recognoscit, séque à Domino correptum, non morte affectũ profitetur: Dominus enim mortificat, & viuificat, hoc est, mortificando viuificat, & dum mortem videtur inferre, potius vitã largitur.

Sed quomodo nostra Vulgata cum Hebraïco Codice cohæreat, opus, & labor est. Nam Hebr. ad verbum sic habetur: *Domine super eos viuent, & omnibus in eis vita spiritus mei, & sanabis me, & viuificabis me.* Ita Arias Montan. Vatabl. & Pagnin. LXX. Sixtiani multo aliter habent. *Domine de ipsa enim annuntiatum est tibi; & suscitasti spiritum meum: & consolationem accipiens vixi.* Illud ergo, quod Hebr. habetur, *Domine super eos viuent*, plerique sic explicant, qui in te confiderint, viuent super, idest vltra suos annos, & idem beneficium sentient, quod ego: vnde & annuntiabo quod in illis annis vitæ meæ additis est vita mea, idest, talis erit vita, qualem ego nunc diuino beneficio ago. Ita Vatabl. & alij ex Hebr. Brixian. verò sic exponit. Iam cognoui quòd vltra præscriptos annos homines viuere possunt, si Deus voluerit; id, quod in me experior, qui insuper additis annis fruor gratissima vita spiritus mei. Osorius hunc sensum eleganter sic aperit. In me namque documentum statuisti Domine, quanta benignitate prosequeris eos, qui te totis animi præcordiis intuentur. Nam ad eorum vitam annorum cumulum addes; illorúmque animos immortalitatis muneribus augebis, & amplificabis. Sed si verba huius versus referantur ad ea, quæ præcesserant; facile elici poterit verus sensus. Superiori enim capite proponitur, in quo periculo fuerit Ezechias obsidione Assyriorum pressus, & hoc nostro capite describitur mortali correptus morbo, extremum vtrumque periculum, tum comminata ab Ezechia mors, & vrbs, ac regni euersio, tum lethalis morbus, quo de mane vsque ad vesperam finiendus putabatur.

Hoc supposito aduertendum est, quòd vbi Vulgatus noster reddidit, *si sic*, & alij reddiderunt, *vltra eos*, in originali haberi, *hem*, quod pronomen est masculini generis: at vbi noster Vulgatus habet, *in talibus*. & alij legunt, *in eis*. Hebr haberi, *hen*. generis fœminini, deinde aduertendum, *Chaym*, pro quo noster Vulgatus legit, *vita*, esse generis multitudinis, etiamsi rem singularẽ significet, sicut aliæ voces nõ solùm apud Hebræos, sed in aliis etiam linguis, vnde rectè conueniunt vitæ spiritus mei cum verbo, viuent. Proindéque iam apparet in illis periculis (scilicet, masculini generis) & in istis (scilicet, fœminini generis) vitæ spiritus mei viuent, idest, in tãto tandem periculo obsidionis, & vltimæ vastationis, trãsacto itẽ discrimine lethalis morbi

adhuc ſupereſt Deo dante vita mea.

Quid ſi roges quidnam ſibi velint illud, *vem*, generis maſculini, item illud, *ben*, generis fœminini, clariùs mens Ezechiæ conſtabit. Eninverò apud Hebræos quando totum alicuius generis volunt inculcare, & fœmineum, & maſculinum item genus comprehendunt; vnde cum Betzelai vellet probare ſe ineptum omninò præ ætate aulicis voluptatibus, dixit
2. Reg. 19. num. 35. ad Dauid 2. Reg. 19. *Octogenarius ſum hodie, nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernēdum ſuaue, & amarū aut delectare poteſt ſeruum tuū cibus, & potus? Vel audire poſſum vltra vocem cantorum, atque cātatricum.* Et cùm Salomon vellet ſignificare comparaſſe ſe omne cantorum, & inſtrumentorum mu-
Eccleſ. 2. num. 8. ſicorum genus, ait. *Feci mihi cantores, & catatrices.* Sic Iſai. 6. *Dominus exer-*
Iſai. 2 num. 1. *citatum auferet a Hieruſalem, & a Iuda validum, & fortem.* Hebr. ad verbum: *Suſtentaculum, & ſuſtentationem*, ſeu *ſuſtentatorem, & ſuſtentatricem*: Aut magis accommodatè ad Vulgatum: *Validum, & validam.* ſicut legunt LXX.
Ierem. 7. num. 34. & Ierem. 7. *Quieſcere faciā de vrbibus Iuda, & de plateis Hieruſalē vocē gaudij, & vocem lætitiæ, vocem Sponſi, & vocem Sponſæ.* Satis vtique vſitatum eſt in ſacris literis, vt fœmineum, ac maſculeum genus totum includat, aut excludat. Proinde dum Ezechias in vtroque genere mali ſe adhuc viuere aſſerit, vult ſignificare ſe Dei beneficio ſuperſtitē adhuc eſſe, quātumuis maxima, & vltima diſcrimina, qualia fuerunt, & hoſtium incurſus, & obſidio, & extrema ægritudo. Hoc quidem aſſecutus Hieron. dicit Ezechiam philoſophari de vita humana, & aſſerere omnem hominum vitam hac viciſſitudine variari, ſcilicet, per extremos labores, & vltima diſcrimina, complectitur ſiquidem humana vita varia, eaque vltima pericula, quòd verò ea euadat, & ab iis liberetur, id diuinitus fit, quādo Deo placuerit Hieron. ſuffragantur Hayino, & nec longè abſunt Ianſen. & Adamus. Quidam item, teſte Palatio, exponunt. Sub corruptionis grauamine viuendum nobis eſt, & ſub morbis affligentibus ducēda eſt vita ſpiritus noſtri, corripuiſti me morbo, & tandem viuificaſti; & Interlinealis Gloſſa in eodem ſenſu ait. Fragilis, & caduca vita, & miſeriis plena, vt ſcilicet facilè cadat. Itaque ſenſus eſt. Poſt tot incommoda, quibus obnoxia eſt miſera vita, adhuc tamen viuitur, te dante, qui fons vitæ es. Etenim teſte Euangelio, ait Pala- Luc. 12. num. 15.
tius. Non in abundantia eſt hominis vita. Neque enim in flore ætatis, qui ſubito marceſcit, neq; in pingui ſubſtantia, aut delitiis vitæ ſpem collocare expedit; ſed ſolum in Deo, qui vita eſt, & mortuorum reſurrectio.

Sed adhuc ſupereſt ſcrupulus ex noſtra Vulgata, dum habet: *Domine ſi ſic viuitur*: Nam ex puncto illo, *ſic*, quod in Hebr. non habetur, & Forerius, Ianſen. Montan. Agell. & multi alij tollendum contendunt, atque ita habere prçſtantiſſimos Codices aſſerit Agell. & Ianſen. qui acutè obſeruāt videri à Hieron. particulam illam non fuiſſe additam, *quia*. quam ipſe in commentariis adducit, expoſitio conſtare non poteſt, ſi præcedat conditionis particula, *ſi*. hac igitur ſublata, rectè conſtat dictus ſenſus: adhuc poſt tot diſcrimina rerum, & vitæ viuimus?

Quia tamen tenemur noſtram Vulgatam tueri, & exponere, adhuc admiſſa dicta particula cōſtabit planus ſenſus, pro quo aduertendum eſt id, quod nos ad Cant. Moyſis ibi: *Si acuero, vt fulgur, gladium meum.* Latius diſpunginus, ſcilicet, particulam, *Si*, apoſiopeſim, & reticentiam continere, proindéque ſupplendam eſſe per aliquid, quod addatur, vt illud Pſ. 94.

Quibus

Quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam: Vbi subintelligitur, nolo Deus haberi, aut aliquid simile. Proindéque sensus erit, Domine si sic viuitur post tam manifesta pericula, & vltima discrimina qualia meis prospexi oculis: supplendum vero est, Quid non sperandum de te, aut quando diffidendum erit de te?

Corripies me, & viuificabis me. Pro *corripies* in Hebr. habetur verbum, quod significat somno grauari, aut facere somniare, seu somnium obiicere, potéstque triplicem habere sensum. Primò, quòd morbus ille quo proximè fuerat pressus, Ezechiæ extiterit velut somnium, quod interdum tam graue, & horridum est, vt non minus cruciet somniantem, quàm ipsa mors; at dum somnianti quid periculosum, & lethale fuit obiectum ipse postquam expergefactus euigilauit, etsi molestiam acerbissimam euasit, adhuc tamen, veluti admonitus, manet, vt ea, quæ in somnis videbatur pati, sui compos euitet, & effugiat, quo pacto somnium poterit dici correptio, & admonitio, vt sit sensus, quòd Deus corripuerit Ezechiam, quasi per graue, & lethiferum somnium, quo deinceps Dei offensam, & iram nullatenùs incurrat, quando & temporalis, & æterna mors manet delinquẽtibus in Deum.

Secundò, somno correptus dicitur, vt denotet, quàm citò à misericorde Deo fuerit euocatus ad vitam, & sanitatem; etenim licèt somnus sit gelidæ mortis imago, tamen à Christo Domino mors cito aboléda somnium appellatur, vnde de Lazaro mox ab eo suscitando dixit Ioan. 11.
Ioan. 11. num. 11. *Lazarus amicus noster dormit sed vado, vt a somno excitem eum.* Et Matth 9.
Matth. 9. num. 24. Suscitaturus defunctam puellam dixit: *Non est mortua puella, sed dormit.* Quia igitur tam citò liberatus est à mortali ægritudine, & tanta facilitate sanitati restiturus, quanta quis è somno excitatur; ideò dicturus quòd à Domino viuificatus fuerit, præmittit, quod ab eodem somno affectus fuerit.

Tertiò, qui à graui aliquo, & extremo periculo liberantur, postea soluti videntur sibi somniare. Vnde Psal. 125. pro eo, quod nos habemus: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Psal. 125. num. 1. Hebr. ex eodem verbo, quod in nostro Textu habetur: *Facti sumus sicut somniantes.* Tanta siquidem fuit lætitia iis, qui à captiuitate educti sunt, vt sibi viderentur somniare. Vnde teste Liuio lib. 33. post deuictum Philippum Alexandri parentem, cùm Romani Græcos libertate donarent: maius gaudium, inquit ille, fuit, quàm quod vniuersum homines caperent. Vix satis credere se quisque audire, alij alios intueri mirabundi, velut somnij vanam spem, &c.

Cùm Petrus in carcere vinctus teneretur duabus catenis, iis ab Angelo diuinitus liberatus: *Nesciebat quia verum esset, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre,* Act. 12. num. 9. donec in se reuersus dixit: *Nunc scio verò quia misit Dominus Angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.* D. Proclus serm. de Vinculis Pauli refert hoc ad imbecillũ Petri animum: angusti siquidem, & debiles animi subitam salutem, & liberationẽ non tam facilè capiunt; alij aliò rem deflectunt. Ad rem nostram scopum attigisse videtur Lyran. cùm ait. Fortitudo carceris, & diligens custodia fecerunt sibi imaginationem de euadendi impotentia, propter quod rem gestam somnium æstimabat, &c.

Si ergo difficultas rei illius impotentiam quoad euasionem, & liberationem ingerit, ita vt postea, dum quis eripitur, & vendicatur somnium

somnium potius, quàm rei veritas videatur. Profectò dum ad portas inferi peruenit Ezechias, & se penè vita functum perpendit, quando diuinitus liberatur, se somno affectum asserit, & sapore correptum dicit, dum viuificatur subita mutatione, & inaudita salutis facilitate; vbi si particula, *&*, rationalis æstimetur, plenior reddetur hic sensus, talisque erit. *Corripuisti me*, idest, somno me affecisti, & tanquam somniantem reddidisti. *Et viuificabis me*, idest, quia me sic viuificasti, in tanta siquidem mutatione, subitáque, & insperata salute, & perfecta sanitate, etsi factus sim consolatus, factus etiam sum sicut somnians, & sopore correptus.

Si autem & nostram Vulgatam recolas, sicuti fas est, *&*, corripiendi, verbum expendas adhuc cum Hebræo, inueniésque, vtique hoc significare impinguare, seu impinguare facere, vnde posset verti hic locus. *Impinguabis me, seu impinguare facies me*: Vbi obseruanda venit conuenientia reperta in correptione, & impinguatione: dum enim nos Deus morbis, afflictionibus, ærumnísque premit, & corripit, corporis quidem oppressio, & compressio animi est dilatio, iuxta illud Dauid. *In tribulatione dilatasti mihi*. Impinguatio item est; tum enim vberiorem assequitur gratiam, maiorem perpatitur tribulationem; proinde morbo corripiens Deus Ezechiam, eundem impinguauit in spiritu, & gratia abundantiori repleuit.

Sed dices: Cur ergo Ezechias, iam correptus, & viuificatus adhuc de futuro loquitur, dicens: *Corripies me, & viuificabis me?* Nihil frequentiùs in sacris literis, si Hebræam lectionem aspicias; etenim propter, *Vau*, conuersum verbum illud, quod in futuro positum est, præteriti habet significationem, atque adeò idem est *corripies, & viuificabis*, atque *corripuisti, & viuificasti*. Cæterùm noster Vulgatus Hebraïcum idiotismum retinuit, sicut plerumque consueuit in aliis locutionibus, atque etiam in hac.

Adhuc tamen notandum erit, quòd verba præsentis temporis, & futuri, non tam actionem significant in sacris literis, quàm potestatem, vsum, & facilitatem agendi. Sicut enim de magistro dicitur, ille docet, itidem & docebit dicitur; de medico etiam curat, & curabit, de Deo item dicitur, quòd curat, & quòd curabit, vt illius potentia in sanitate conferenda adstruatur. De præsenti dixit Anna 1.Reg.2. *Dominus mortificat, & viuificat*: Vbi Serarius ait, Dei potentia demonstratur, quòd humanis in rebus quæcumque liber efficit, etiam difficillima, & maximè contraria, idcóque horum paria quinque proponuntur. De futuro dixit Oseas cap.6. *Percutiet, & sanabit vos*. Idest, potens est percutere, & sanare vos, imò percutiendo sanat, & in hoc eodem Isaiæ cap.38. quinque occurrunt exempla vers.18. & 19 laudabit, confitebitur, expectabunt, idest, poterunt, tenebuntur, ac debebunt laudare.

1. Reg. 2. num. 6. — *Osea 6. nu. 1.* — *Isai. 38. nu 18. & 19.*

ANNOTATIO I.

Perpetua varietate, & inconstantia præsens hæc vita mortalis constat.

VErba illa nostri Textus: *Si sic viuitur*, vel potiùs, *sic viuitur*, ostendunt instabilem, & miseram hanc vitam aduersis, secundísque rebus constare, vt ille, qui

lætus

lætus,& prosper degebat instantibus hostibus,in vltimum discrimen perueniret,ille etiam,qui postea securus redditus fuerat,sine sanguine,ac puluere triumpharat, media felicitate vsus,lethali corriperetur morbo. Vnde Hieronym. in præsenti ait Ezechiam in verbis nostri Textus philosophari de nostra mortali vita, eámque hac vicissitudine variari, & per castigationem, diuinámque consolationem conuerti. Pascha illud Iudæorum, vel potiùs transitus & dulci pane,amaritudine fermenti carente, & lactucis agrestibus, ac amaris constabat, & veluti itinerantes, ac transeuntes cœnam illam manducabant. Monet per hæc ænigmata (scilicet Deus) ait Nyssen de vita Moysis ad med. vt considerare, aut intelligere velimus transitum quendam esse hanc vitam nostram. Nam pòstquam ingressi ad eam sumus, necessitate quadam ad exitũ semper compellimur, ad quem præparatos nos esse vult pedibus, & manibus reliquoque ad iter apparatu,&c. Transitum quidem appellauit hanc vitam, & omnia, quæ in ea continentur, Dauid cùm Psalm. 36. dixit: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani.* Vbi Interlinealis exponit, vltra modum in candore sæculi. Quid igitur deinde? *Transiuı, & ecce non erat.* Quænam verò ratio tantæ huius mutationis? Quia talis potestas inquit Lyran. est ita breuis,quod non est nisi quidam transitus, &c. Eam proinde mente cœnam hanc debemus celebrare,vt præ oculis habeamus nos per aspera,& blanda,per dulcia,& acerba debere transire. Sic enim viuitur, & in talibus vita spiritus nostri, vt modò dulcibus vescamur, modò verò amaris, idque continuo transitu,& perpetuo fluxu; sic enim se habet hæc cœna,quæ transitus omnino est.

Psal. 36. num. 35.

Quæ etiam alio sensu dicitur figura,& scena,quoniam modò res festiuæ, & læta proponuntur, statim tristes, & luctuosæ aguntur; modò diuites, statim pauperes deprehenduntur. Scenam, appellat Nazianz. præsentem vitam, quæ perpetua varietate agitatur; sic enim inuehitur in eos, qui admirantur hanc instabilitatem Orat. 3. post princip. Eas animas voco, quæ huius mundi scenam, & magnum hoc theatrum ad stuporem vsque minantur, & quidem his Isaïæ verbis: *Mulieres à spectaculo venientes, huc adeste, animiq́; oculo ab externa oberratione reducto, atque collecto, vacate, & cognoscite, quoniam ipse est Deus, qui exaltatur in gentibus*, &c. Quo in loco Elias Cretens. pro nostro argumento sic ait: In scena, & scenicis fabulis quidam, heroum personam subeuntes, atque, histrionico more, per totum diem ludentes,spectatores decipiunt: iam enim inclinante die per laruarum detractionem manifesti redditi, miseri quidam, & ridiculi, qui priùs graues, ac venerandi esse videbantur, deprehendi solent. Talis etiam præsens vita est, & ea,quæ augusta, & veneranda in hoc mundo esse videntur,nihil ab his figmentis discrepantia, &c. Quam varietatem eleganter describit Nazianz. in carmine de huius vitæ vanitate, & incertitudine vbi ait:

Isai. 32.

Viribus eximijs erat ille, & flore iuuentæ
Conspicuus, sociję, gregis columenq́;, decusq́;,
Altigradus,valido membrorum robore florens,
Luciferum hic rursus formæ referebat honore,
Cunctorumq́; oculos ad se, mentesq́; trahebat,
Hic bello horrendum Mauortem æquabat, & armis.

Nunc strictæ vires, vultum quoque ruga senilem
Turpis arat, celeri fluxerunt omnia cursu.
Accessit senium, diffugit grata venustas. &c.

Et carmine de vitæ itineribus, de humana vita ait:

Lanugo, spectrum, ros, & leuis vmbra, vaporq;,
Flumineus fluxus, fluctus & æquoreus:
Somnia fluctiuagæ nauis est vestigia, ventus.

Quo in loco Iacobus Billius ita ait: Vita hæc lanugo dicitur, quod facilè dilabatur, & intereat. Vmbra, quod facilè transeat. Spectrum, quod nos velut in somnis ludificatur. Ros, quia facilè siccatur, parumque durat. Aër, quia ad breue tempus recreare videtur. Penna, quia quàm celerrimè effugit. Vapor, quia cùm parumper conspecta fuerit, statim euanescit. Somnium, quia humana iactatio incerta, & inanis est, nihilque omnino solidi habet. Deniq; fluctibus maris, & fluminum vndis, & nauis per mare incedentis vestigiis & vētis, ac pulueri vita in Scriptura comparata est, quia instabilis, & infida est. Sic ille. Nobiles enim Romani in calceis lunas deferebant, teste Plut. Probl. 76. vt per eas admonerentur mutabilitatis, & inconstantiæ vitæ præsentis, quæ ab obscuro, inquit ille, primùm prodit, tum progrediens luce, ac splendore os suum complet, & cum clarissima facta sit, rursus deflorescit, & ad nihilum redit. Sic & ea, quæ in vita sunt, modò incrementa suscipiunt, & in meliùs, perfectiúsque abeunt, mox in defectum declināt, & in deteriùs redeunt, nunquámque in eodem statu permanent, vt mirum non sit, si sic dicantur homines viuere, sicut Luna se habet in suo augmento, & defectu. In hanc sententiam facit Augustin. serm. 42. de Verbis Domini secūdùm Matth. post prin. vbi in hoc sensu interpretatur illud Psalm. 59. *Da nobis Domine auxilium in tribulatione.* Quasi ad sustinendam huius vitæ tribulationem peculiare Dei auxilium fuerit necessarium. Tota quippe via ista intelligentibus tribulatio est. Sunt enim duo tortores animę non solùm torquentes, sed cruciatus alternātes. Horum duorum tortorum nomina sunt: timor, & dolor, quando tibi bène est, times: quando malè est, doles, seculi huius quem non decipit prosperitas, non frangit aduersitas, &c. *Psal. 59. num. 13.*

Itaque sapiētes, & prudentes nusquam, nunquámque afficiuntur circa prospera, aut aduersa huius vitæ, cùm vtraque breui transeant alioqui iugiter torquebitur; & in prosperis dum illorum vicissitudinem certò sciēs pertimescit, & in aduersis, dum illorum acerbitate vexatur. Similia prorsus sunt, quæ habet Leo Papa serm. 11. de Quadragesima post prin. dicens. Quis est, qui nihil virtutis sibi adiici, aut qui nihil vitij sibi optet auferri? Cùm & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis? Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis. Illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas: dum & illa materia est negligentiæ, & hęc causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, laqueus est in timore, nec interest vtrum animus qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis: cùm par morbus sit, vel sub vna vana delectatione languere, vel sub anxia sollicitudine laborare. Impletur itaque per omnia sententia Veritatis, qua discimus angustam esse, & arduam viam, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. Et cùm latitudo itineris ad mortem trahentis multis frequenter *Matth. 7. num. 14.*

agmini

agminibus: in salutis semitis paucorum intrantium sunt vera vestigia.

Optima sunt, quæ de hac re habet Nazianz. Orat. de Pauperum amore ante med. vbi in eo videtur collocare rationem omnium nostrarum miseriarum, quod de corpore, animoque constemus, proindeque cùm anima supernum quid sit, ne inde in elationem efferamur corporeis morbis, & infirmitatibus temperāda fuit à Diuina Prouidentia animi excellentia. An hoc Deus agit, vt cùm ipsius pars simus, atque supernè fluxerimus (ne ob dignitatem nostram nos ipsos efferentes, atque attollētes Creatorem contemnamus) in ea, quę nobis aduersus corpus est, lucta, & dimicatione, ab eo nunquam oculos deiiciamus, atque ita imbecillitas ea quæ nobis copulata est, dignitatem frænet, atque coërceat: vt intelligamus nos maximos, nos simul atque abiectissimos esse, terrenos, & cœlestes, caducos, & immortales, lucis, & ignis, siue tenebrarum hęredes, prout in hoc, vel illud nobis propendere contingeret? Hæc nostra temperatio est, atque ob has causas quātum quidem ipsum prospicere possum: vt cū imaginis dignitas nobis animos extulerit, puluis eosdem detrahat, contrahátque. Et post multa iterum ait: Natura nihil est in rebus humanis firmum, & æquabile, ac diuturnum, atque eodem statu constanter manens, verùm rerum nostrarum velut orbis quidā voluitur, aliàs, alio tempore sæpè etiam vno, eodēmque die, atque etiam interdum eadem hora, mutationes ferens: adeò instabilibus ventis, ac nauis per mare iter facientis vestigiis, & fallacibus noctis in somniis breuem voluptatem afferentibus, iisque figuris, quas pueri per ludum in arena fingunt, fides potiùs haberi possit, quam hominum prosperitati. Quo sapientiores habendi sunt, qui quoniam præsentibus minimè fidunt, futura sibi coaceruant, atque ob humanæ prosperitatis incertitudinem, & inconstantiam, benignitatis nunquam collapsuræ studium amplexantur: vt ex tribus his cōmodis vnum saltem omnino adipiscantur, nimirum vt vel nunquam in mala incidant (quandoquidem secundis quoq; huius vitæ rebus Deus homines pietate præditos sæpè complectitur, vt benignitate sua eos ad subleuandas aliorum miserias inuitet) vel fiduciā in seipsis apud Deum habeant, vt qui non propter scelus, ac flagitium, sed propter dispēsationem quādam in calamitate versentur: vel denique humanitatem eam, & beneficentiam, quam, dum secundis rebus vterentur, egentibus priùs contulerunt, ab iis, quibus res prosperè fluunt, suo quodam iure reposcant. Ne glorietur, inquit ille, sapiens in sapientia sua, nec diues in opibus suis nec fortis in viribus suis, ne si ad summum quidem, partim sapientiæ, partim diuitiarum, partim potentiæ peruenerint. Ego verò ea, quę his cōsentanea sunt, adiiciam, nec clarus, & celebris in gloria, nominisque splendore, nec qui incolumi valetudine est, in sanitate, nec pulcher in formæ præstantia, nec iuuenis in iuuenili ætate, nec, vt rem vno verbo complectar, in vlla alia re ex iis, quæ apud mortales laudi ducuntur, is, qui ea intumescit: verùm qui gloriatur, hac vna in re glorietur, quod Deū cognoscat, ac requirat, & calamitosorum vicem doleat, atque ad futurā vitam boni quidpiam sibi recondat. Cætera enim omnia fluxa, & fragilia sunt, ac velut in calculorum ludo aliàs ad alios iactantur, & transferuntur, nec quicquā est ita possidētis proprium, quod non vel temporis tractu finem capiat, vel liuore ad alios traducatur: hæc verò certa, & fixa sūt, nec vnquā

recedunt, ac dilabuntur, nec spes eorum, qui fiduciam in his collocarunt, frustrantur. Ac mihi hæc quoque causa esse videtur, cur nullum huiusce vitæ bonum hominibus certum sit, ac diuturnum, atque hoc, vt si quid aliud, rectè ab artifice Verbo, & Sapientia illa mentem omnem superante factum esse, vt nos in iis, quæ in aspectum cadunt, atque aliàs aliter mutantur, & mutant, ac sursum, deorsúmque feruntur, & inuertuntur, ac priusquam manu teneantur, fuga se proripiunt, eludamur, nimirum vt perspecta eorum instabilitate, ac varietate ad futuræ vitæ portum contendamus. Quid enim fecissemus si prosperitas nobis firma, & perpetua esset, cùm licèt fluxa, & fragilis sit, vsque eo tamen ipsi tanquam vinculis quibusdam astricti simus, eiúsque voluptate, atque impostura in hanc seruitutem redacti, vt nihil præsentibus rebus melius, atque excellẽtius cogitare possimus, idque cùm ad Dei imaginem, quæ & sursum est, & ad se trahit creatos nos esse audiamus, ac persuasum habeamus? Quis sapiens, & intelliget hæc? Quis prætereuntia præteribit? Quis stabilibus, & æternis mentem adiunget? Quis de præsentibus rebus, tanquam de abeuntibus, cogitabit? Quis de his, quæ in spe positæ sunt, tanquam de certis, & constantibus? Quis ea, quæ verè sunt, ab his, quæ apparent, distinguet, atque illa sequetur, hæc contemnet, ac pro nihilo putabit? Quis picturam à veritate, quis terrenum tabernaculum à cœlesti ciuitate, quis peregrinationem ab habitatione, quis tenebras à luce, quis limum profundi à terra sancta, quis carnem à spiritu, quis Deum à mundi principe, quis mortis vmbram à vita sempiterna discernet? Quis præsentibus rebus futuras emet? Quis fluxis opibus opes constantes, & perennes? Quis rebus iis, quæ aspectui subiiciuntur, ea, quæ ab oculorum sensu remota sunt? &c.

Neque verò mirari possumus si perpetua iactatione videamur agitari, etenim cùm puluis simus, & omnis caro fœnum, arbórque inuersa sit quilibet homo, & ventus sint omnia, quæ in mundo perflant, proinde modò in aëra eleuatus puluis à facie terræ, modò ad infima quæque deprimitur, nunquam verò in eodem statu permanet. Hinc verò intelligetur cur in scriptura turbinis appellatione tribulationes, & aduersa quæque intelligantur, vnde Isai. 17. Damasci temporalis vastatio prædicitur his verbis: *Sicut turbo coram tempestate*, & Gregor. ad illa verba Iob 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, &c. Cur videlicet de turbine sit locutus? Quia flagellato, inquit, loquebatur; durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, qua Deus flagellabat Iob, idcircò non alius flagellanti, è quo loqueretur, cõueniebat thronus, quàm turbo. Sed & Isai. cap. 21. denuntiaturus Babyloni casum, ita incipit: *Onus deserti maris, sicut turbinis venĩũt à terra horribili*, idest, à Media, vbi iam bellici tumultus, & apparatus contra Babylonem conflabantur, & quasi pręmissi turbines illi hominum immenso mari; idest, vrbi frequentissimæ, & populosissimæ inter vastas iacenti solitudines incumbebat. Et apud Oseam cap. 8. habetur, *ventum seminabunt, & turbinem metent*; quibus in verbis amplificatio continetur sub egregia metaphora aduersus decem tribus, quod vitulum adorauerint: in eo enim quasi ventum seminarunt; colendo, scilicet, idolum, quod iuxta Paulum 1. Corint. 8. Nihil est, ac prorsus inane quippiam: pro quo iusta retributione turbinem metent,

Isai. 17. num. 13.

Iob 38. num. 1.

Isai. 21. num. 1.

Osee 8. num. 7.

1. Cor. 8. num. 4.

merent, ideſt, grauiſſimas calamitates, iactationes, & preſſuras.

Eſt autẽ optima ratio, ac congruẽtia in dicta metaphora turbinis: nam turbo nõ ſignificat ſimpliciter ventum, ſed rapidiſſimũ, qui puluerem, palias, fœnum, arboréſque corripit, diſſipat, huc, illúcque tranſuertit, proinde cõgruenter aptatur, & quadrat in tribulationes, & aduerſitates, quibus miſera vita noſtra, hominéſque mortales, puluis, & cinis ac fœnum iactamur: vnde eſt illud Pſal. 1. *Non ſic impy, non ſic, ſed tãquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*; vbi illud, *tanquam*, ſumi poteſt in eo ſenſu, quo nõ tam ſimilitudinem, quàm proprietatem ſignificet, ſicut illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre*: vbi occurrit pulchra adnotatio Hilarij ad citata verba: *tanquã puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*; quæ optimè rem declarat. Vt ſit, inquit ille, pœna ludibrioſa; leuiſſimus quippe terræ puluis, paleæ, & eiuſmodi aliæ quiſquiliæ, nihil aliud ſunt, quàm rapidi ludibria venti. Et omnino talis eſt homo merum ludibrium calamitatum ingruentium. Hac igitur de cauſa tam facili negotio huc, illúcque agitatur, quod vento veluti puluis in vtramlibet partem proiicitur: quæ proinde conſiſtentia poterit reperiri in puluere à facie venti, in fœno à facie turbinis, in malè radicata arbore à facie tempeſtatis? Sanè ſic viuitur, vt nunquam ſecurè viuatur, ſed modò ſanitate, modò ægritudine corripitur miſer homo, imò qui ſalute, viribus, dignitatum proſperitate potitur, ſciat vento, turbini, ac tempeſtati ſe magis expoſitum; ea enim, quæ altiora ſunt, citiùs à vento petuntur, & deturbantur, quod benè aduertit Auguſt. lib. 50. Homil. hom. 21. poſt med. vbi ait. Multi res aduerſas timent, res proſperas non timent, periculoſiores proſpera animo, quàm aduerſa corpori: priùs corrumpunt proſpera, vt inueniãt quod frangant aduerſa. Fratres mei aduerſus felicitates acriùs vigilandum eſt, propterea videte quemadmodum eloquium Dei in noſtra felicitate tollat nobis ſecuritatem. *Seruite* inquit, *Domino in timore, & exultate ei cũ tremore*. Exultatio, vt gratias agamus, tremor, ne cadamus. Adulterium ſimul & homicidium non fecit Dauid, cùm perſecutorem Saül pateretur. Quando Dauid ſanctus Saulem inimicum patiebatur, quando illius perſecutionibus agitabatur, quando per diuerſa fugiebat, non concupiuit alienam, non adulterata vxore occidit virum; erat in infirmitate & tribulationibus; at vbi factus eſt ſecurus deuictis hoſtibus preſſurus caruit. Valeat ergo hoc exemplum ad id, vt timeamus felicitatem, &c.

Pſalm. 1. num. 4.

Ioan. 1. num. 14.

Pſalm. 2. num. 11.

Et quia vſque adeò verum eſt nobiliora, & altiora iactationi, & caſui patere, inde eſt quod animi benè inſtituti volunt potiùs latere in infirmis, quàm ad ſuprema ſubleuari; Iſai. 3. habetur: *Apprehẽdet vir fratrem ſuum domeſticũ domus ſuæ dicens: princeps eſto noſtri, ruina autẽ hæc ſub manu tua, & reſpondebit: nolite me conſtituere principem*. Vbi ad rem noſtram D. Thom. ait. Inuitati ad regendum recuſant, quaſi quoddam ruinoſum. Tædio affectus Moyſes ob murmur, populi Iſraëlitici, ait ad Deum Numer. 11. *Non poſſum ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi: ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis*. Oleaſt. aduertit Moyſen malle occidi, quàm præeſſe; grauior ſiquidem illi videtur, magíſque timenda præfectura, quã mors; illa enim grauiorem minatur ruinam, cùm turbo altiora petat, vt deiiciat. Videndus in hanc ſentẽtiam D. Nilus in parænef.

Iſai. 3. num. 6.

Num. 11. num. 14.

n.156.vbi ait:Semper vitæ considera inconstantiam: & nihil, quod in ea vsu venerit, animum tuum diuersè trahere poterit. Læta vitæ huius fluxa ne te oblectent: hami enim sunt animam, vt pisces irretientes, &c. Et Olympiod. in Ecclesiastem ad illa
Eccl. 10. num.7. verba cap.10. *Vidi seruos in equis, & principes quasi ambulare super terrã*, ait: Vitæ mutabilitatem, & conuersionem nobis contemplandam proponit; vt à mundanis rebus incertis ad stabilitatem illã, & cœlestem beatitudinem nos conuertat. Quod etiam prosequitur Chrysost. homil. 6. ad popul. vbi ostendit Deum propterea nobis commisisse vitam vsque adeò instabilem, & multimodis laboribus obnoxiam, ne nos terrenis affixi, & præsentibus inhiantes torpeamus, & futurorum obliuiscamur, sed potiùs tanta varietate agitati, & tanta agitatione rotati permanentem illam ciuitatem inquiramus, & ad illam anhelantes citiùs pergamus.

Psal.36. Facit in hanc sententiam August. in Psalm.36.ad illa verba: *non confundetur in tempore malo*: vbi admonet debere eum, qui prosperis fruitur, animum colligere, & se præparare pro aduersis. Cùm res, inquit, sunt tranquillæ, tunc homo sibi colligere debet verbum, & recondere in intimis cordis sui, sicut de formica di-
Prou.6. citur Prouerb.6.& 30. Quemadmodum formica abscondit in cauernosis penetralibus labores æstatis. Per æstatem enim vacat hoc agere. Venit autem hyems, idest, superuenit tribulatio, & nisi intus inuenerit quod edat, necesse est, vt fame dispereat. Iste enim sibi non collegerat verbum Dei, superuenit hyems, non hîc inuenit, quod quærebat, consolari nisi inde non poterat, de verbo autem Dei nullo modo. Intus apud se nihil habebat, foris, quod quærebat, non inueniebat: ardebat indignationum, & dolorum facibus, agitabatur mens eius violenter, & tamdiu occultè, donec etiam erumperet in quosdam gemitus. Videbamus, & dolebamus vehementer. Inimici Domini statim vt gloriabuntur & exaltabuntur, deficientes sicut fumus deficient. Ex ipsa similitudine rem, quam insinuauit, agnoscite. Fumus è loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit. Sed quantus fuerit globus ille grandior, tantò fit vanior. Ab illa enim magnitudine non fundata, & solidata, sed pendente, & inflata, it in auras, atque dilabitur, vt videas ipsam ei obfuisse magnitudinem, quantò enim plus erectus est, tantò extentus: quantò diffusus vndique in maiorem ambitum, tantò fit vanior, tantò fit exilior, & deficiens, & non apparens. Sic ille ex Dauide ostendit eorum imprudentiam, qui in supremis constituti miserè efferuntur, vt euanescant, superbè extolluntur, vt deficiant, cùm potiùs deberent præparari, & præueniri ad ruinam, certóque agnoscere nihil in vita diu posse consistere, cùm sic potiùs viuatur, vt mox laborandum sit, iterúmque quiescendum; imò quietem sequatur labor, ascensum comitetur ruina.

Videndus in hanc sententiã Gregor. Nyssen. in Orat. funebri de Placilla Imperatrice post med. vbi ex Salomone c.12. Ecclesiast. ostendit varietatem rerum humanarum. *Quoniam*, inquit Salomon, *ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibũt in plateis plangentes, antequam conteratur hydria super fontem*: sic verò habet Nyssen. Rectè Salomon dolium perforatum, & domum alienam nominat hãc vitam. Verè enim aliena domus est, & non nostra: quoniam in nostra potestate non est, vel quando volumus, Eccl. 12. num.5.

mus, vel quandiu desideramus in ea esse. Porrò dolij ænigma, & inuolucrum intelliges, si ad inexplebiles, & insatiabiles cupiditates respexeris. Vides vt homines sibi semper affundant, & aggerant honores, potentatus, glorias, & omnia eiusmodi? At, quod immittitur, effluit, & non permanet in eo, quo continetur. Sic ille, cui addendus Olympiodor. qui pro eo, quod nos habemus, *In platea*, legit, *in foro*; *& circumierunt in foro plangentes.* Forum, inquit ille, siue platea, præsens dicitur vita propter crebras rerum vices, ac mutationes. Quia verò statim addit Salomon. *Et confringatur rota super cisternam*; & exponit dictus Olympiod. Rota accipitur pro nostra hac vita, ob ipsas reuolutiones, ac motus, iuxta illud Psal. 76. *Vox tonitrui tui in rota.* Inquit ergo: antequam rota huius vitæ nos secum præcipites deuoluat in lacum, propriam curemus salutem. Rotam item appellat vitam hanc cum Iacobo cap. 3. nu. 6. Anthioch. homil. 30. ad fin. dicens. Quid enim hominis vita aliud quàm rota, quæ perpetuo rotatu versatur? &c. Stultus proinde, qui clauum figere posse pro arbitratu suo in rota perpetuò agitata existimat, & non potiùs ruinam meditatur.

Optima sunt pro hoc argumento quę habet Tertul. lib. de Carne Christi, cap. 9. dicens. Omnis materia sine testimonio suæ originis non est, etiamsi demutetur in nouam proprietatem ipsum corpus nostrũ, quod de limo terræ figulatum ad fabulas nationum veritas transmisit. Vtrumque originis elementum confitetur, carne terrenâ, sanguine aqueam naturam referens, licèt alia sit facies qualitatis. Quibus in verbis voluit significare quod quantumcũque suâ nobilitatem euehant homines, ignobilitatis suæ secum semper deferent insignia ex terra, & luto humiles, & ignobiles, proindeque homo miser, ægérque semper apparet, vt mihi necessariò dicendum videatur illud, quod legatus Teutonicus dixisse fertur, cùm diuinam fermè tabulam vidisset, quæ in foro Romano ostendebatur pastoris depicti cum baculo, sicut refert Plin. lib. 35. cap. 4. interogatus enim quanti eam imaginem æstimabat; nollem, respondit, eam mihi dari veram, viuámque quod ipsum de homine dicendum omnino videtur: nam mortuus, imago hominis est, viuus autem, viua miseria cernitur, quod Cicero eleganter dixit, quem refert Lactant. non nasci longè optimum, ne in hos scopulos incideret vitæ, proximum autem, si natus sis, quàm primùm mori, & tanquam ex incendio effugere, &c.

Timuit Cain ne fratricida à Deo iustè morte afficeretur, & pro maximo malo duxit vita orbari. *Omnis,* inquit, *qui inuenerit me, occidet me.* Dixítque ei Dominus: *Nequaquam ita fiet, sed omnis, qui occiderit Cain, septuplũ punietur. Posuitq́; Deus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.* Quem locum expendens Ambros. libr. 2. de Cain, & Abel post princ. ait. Propterea Deum permisisse viuere Cainum, vt ipse malo suo disceret quanto meliùs illi esset morte corripi, & è tam misera vita auferri, quàm plures iugiter perpeti mortes, & perpetua vicissitudine grassantes miserias exantlare. Quod autem, ait, signum posuit super Cain, ne quis eum occideret, reflectere voluit errantem, & beneficio suo inuitare ad correctionem; ipsis enim nos faciliùs committere solemus, quorum habemus gratiam. Nec tamen magna concedit, sed in eo ipso imprudentiam insipientis vlciscitur. Qui cùm esset perpetuis suppli

Genes. 4. num. 14.

ſuppliciis obnoxius, non remitti ſibi pœnam popoſcit, ſed vitam corporis huius obſeruandam putauit, in qua plus ærumnæ eſt, quàm voluptatis. Mors enim vna eſt in ſeceſſione animæ, & corporis, & in fine iſtius vitæ, quæ ſimul vt venit omnes corporis dolores auferre; non augere conſueuit: metus verò, qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt mœſtitiæ, dolores, gemitus, diuerſique cruciatus grauitatum, & ægritudinũ vulnera, plurimas etiam mortes generi humano inferunt, vt iſta mors remedium eſſe videatur; non pœna. Ecce iuſtus, innocens, pius propter gratiã deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina. Nónne in his apertè vox Dei clamat: Erratis, qui putatis hîc eſſe omnem viuendi gratiam? Non intelligitis, non aduertitis ſenectutem hanc miſeriarum eſſe veteranam, proceſſionémque ætatis, ærumnarum ſtipendia, & Sylleo quodam vſu circumſonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in ſcopuloſis habitaculis degere, & in his delectari. Ergo, & iſti Cain longæuitas indulta vindicta eſt, ex eo, quod vixit metu, & prolixum ſpatium multo cucurrit, & infructuoſo labore: qua pœna nihil grauiùs, quàm vt quis ipſe ſibi maiorum cauſa pœnarum ſit. Sic ille oſtendit miſeram viciſſitudinem dolorum, & ærumnarum, qua mortalis vita conſtat, vnde probat ſibi infenſiſſimum hoſtem eſſe, qui diuturniorem ſibi conciliat vitam; nihil enim aliud facit, quàm longiorem protellare miſeriam, & maiorẽ protrahere ærumnam. Quod hoc in loco poſſemus conuertere ad noſtræ tempeſtatis homines, quibus nulla omnino alia cura eſt, quàm quomodo corpora nutriant, vitam cum carne dilatent, quaſi futuram aliam neque credant, neque ſperent. Si enim cùm ſic viuatur in hoc mundo, ſicut hucúſque oſtendimus, & ipſi nihil curent, niſi vt viuant, profectò vſque adeò ſtudentibus mortali vitæ propagandæ nulla ſubeſt cogitatio aſſequendi veram, viuidam, & æternam vitam.

Quòd ſi illi, qui ſibi vitam mortalem optant, nutriunt, & augent, ſibimetipſis magnum congerunt detrimentum, profectò maior deprehenditur eorum inſania, & vecordia, qui totum ſtudium conferunt in comparandis terrenis voluptatibus, in aſſequendis dignitatibus, & fruendis cæteris vitæ bonis, idque dato pretio, & propriis facultatibus impenſis, cõtra quos declamantem audiamus Bernard. in ſuis declamationibus ſuper *Ecce nos reliquimus omnia*, vbi ponderat excuſationem illã terreni illius hominis, qui inuitatus ad ſplendidam cœnam dixit. *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum:* quaſi enim non ſatis eſſet graue iugum impoſitum à natiuitate, vt perpetuam inſtabilitatem, & iugem laborem pro iugo portet homo; plura adhuc eáque grauiora, multo pretio dato, cõparãt ſibi homines, quo grauiùs ſub multiplici iugo laborãtes deprimantur, miſerrimámque vitam degentes, alterius vitæ cruciatus æternos promereantur. Sic verò habet Bernard. An verò comparatum iumentis eſſe quis dubitet hominem, qui ſibi iuga emerit iumentorum, niſi quòd eo ſanè ipſis quoque iumentis conuincitur ſtolidior, & beſtialior beſtiis comprobatur, quòd iuga neceſſitatis earum propria ipſe ſubeat volen

Luc. 14. num. 19.

voluntate? Quod enim illis natura est, huic culpa: dum tanquam vnum ex his, quæ ratione carent, sine ratione degens & ipse, sub corporeis similiter sensibus incuruatur. Sed quid eum iuga subisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. Dignus est operarius mercede sua: nam vt mercedem pro opere tribuat, inauditum. Denique loquitur super hoc verbo Dominus per Prophetam, sub typo mulieris fornicariæ scelera arguens Israëlis: *Omnibus*, inquit, *meretricibus dantur mercedes, tu autē dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum, factumq́; est in te contra consuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & post te non erit fornicatio. In eo enim, quo dedisti mercedes, & non accepisti, factum est in te contrarium.* Planè & in eo, qui iuga emit, contrarium fieri manifestum est. Qui enim iuga emit, & iuga boū, cui iugum suaue gratis offertur? Nam iugum Christi, iugum hominis est, siquidem & Christus homo. Nec modò gratis tribuitur, sed & copiosa his, qui tulerint illud, remuneratio est, vt à nemine, non dico emi, sed gratis sustineri queat. Quid ergo miser pro iugo boum distrahis animam tuam, qui iugum Christi suscipiens emere poteras Regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Nam sine iugo interim esse non potes, homo nimirum, qui natus es ad laborem. Sed graue iugum super omnes filios Adam, vtique qui sequuntur eum. Nam super eos, qui Christum sequuntur, leue est, & suaue. Postremò, vt cætera sileam, cùm sine iugo esse non possint, quale hoc ipsum est eligere potiùs quinque, quàm vnum? Quis enim potest seruire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prędonibus? Siquidem oculus meus deprędatur animam meam. An non sæpè aliud gula exigit, ad aliud pruritus aurium vocat? Sic & odoratus & tactus diuersa imperant, interdum forsitan, & aduersa, dum vterque communem sibi gestit præripere seruum, & trahit sua quemque voluptas. Vides excusationem hominis, qui propterea Christum non sequitur, propterea se excusat à nuptiis, quod iuga boum emerit quinque. Quid si eorum laborem, & dolorem consideres, si numeres iuga, qui variis seruiunt vitiis, morum, magis quàm corporum sensibus? erit profectò inuenire iam homines, qui multò magis in labore hominum non sunt, sed longè ampliùs aliena ab homine flagella sustineant. Erit inuenire ementes, non modò quinque, sed plusquam quinquaginta quinque, non planè iumentorum iuga, sed dæmonum.

[Margin: Ezec. 16. num. 34. — Iob 5. — Eccl. 40. — Matt. 11. — Thren. 3. — Luc. 14.]

Constat itaque vita nostra mortalis & prosperitate quidem, & aduersitate, & sic viuitur, vt aliquando valetudine perfruamur, deinde verò & morbis affligemur, sed si inquiramus quidnam horum potissimas in vita nostra partes teneat, fatendum profectò, est multò plus tristitiæ, & calamitatis reperiri, quàm lætitiæ, & fœlicitatis, quod dicitur Iob 14. *Homo natus de muliere, breui viuēs tempore, repletur multis miserijs.* Quibus in verbis multæ asseruntur miserię, cùm breue ponatur tēpus: nam si ærumnę, & miseriæ huius vitæ cum tempore illius conferantur, inuenietur prorsus miserias tempus vitæ longissimè superare, ideóque Gregor. 11. Moral. cap. 26. explicans dicta verba, ait: Homo natus de muliere: ac si apertiùs dicat; quid in se habebit fortitudinis, qui natus est ex infirmitate? Breui viuens tempore repletur multis miseriis. Ecce viri sancti vocibus, pœna hominis breuiter est expressa: quando

[Margin: Iob 14. num. 1.]

& angustiatur ad vitam, & dilatatur ad miseriam. Si enim subtiliter consideretur omne quod hîc agitur, pœna, & miseria est. Ipsi etenim corruptioni carnis seruire ad necessaria, atque concessa, miseria est: vt contra frigus vestimenta, contra æstum frigora requirantur. Quod multa cautela custoditur salus corporis, quod etiam custodia amittitur, amissa cum graui labore reparatur: & tamen reparata in dubio semper est: quid hoc aliud, quàm mortalis vitæ miseria est? Hoc etiam prosequitur idem Gregor. 8. Moral. cap. 30. ad illa verba: *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* In hunc modum. Vt taceamus quòd dolores tolerat, quòd febribus anhelat, sua quadam ægritudine constringitur. Ipsa hæc nostri corporis, quæ salus vocatur, ægritudo est. Nam ocio tabescit, opere deficit: inedia deficiens, cibo reficitur, vt subsistat: refectione lassescens, abstinentia releuatur, vt vigeat: aqua perfunditur, ne arescat: linteis tergitur, ne ipsa nimis perfusione liquefiat: labore vegetatur, ne quiete torpeat: quiete refouetur, ne laboris exercitatione succumbat: fatigatur vigiliis, somno reparatur: oppressa somno, vigiliis excutitur, ne sua peius quiete lassetur: vestibus tegitur, ne frigoris aduersitate penetretur: quæsito calore deficiens aurarum flatu refouetur. Cúmque inde molestias inuenit, cùm vitare molestias quæsiuit, malè sauciatur, vt ita dixerim, de ipso suo medicamine languescit. Remotis ergo febribus, cessantibúsque doloribus, ipsa nostra salus ægritudo est, cui curandi necessitas nunquam deest. Quot enim solatia ad viuendi vsum quærimus, quasi tot nostræ ægritudini medicamentis obuiemus. Sed ipsum quoque medicamen in vulnus vertitur, quia exquisito remedio paulò diutiùs inhærentes, ex eo grauiùs deficimus, quod proinde ad refectionem paramus, &c. Quid proinde boni in vita nostra esse poterit, in qua, vel ipsa bona, quæ quærimus, & remedia, quæ pro malis inuestigamus, in morbum, & detrimentum nostrum conuertuntur?

Hinc est quod Chrysost. necessariò habendam esse patientiam demonstrat, cùm certissima sint in vita mortali aduersa toleranda; sic enim habet tom. 5. serm. de Amore Dei, & tolerantia in aduersis post med. Quo, inquiet aliquis, pacto potuerim non vinci infortunio, & calamitate oppressus? Poteris quidem, si te non fugerit, volenti tibi, vel inuito aduersa omnia esse toleranda: quæ si animo patienti tu eris, plurimum lucrifeceris, si iniquior, contumaci, & maledico, calamitate nihil imminuta maiorem in te procellam concitabis. Quæ cùm ita sint, faciamus ex necessitate voluntatem, seu virtutem, &c. Hoc ipsum ostendit Bern. serm. 48. in Cantic. in princip. ex eò quòd caro nostra maledictionibus obnoxia iugiter ex se spinas, & tribulos germinat, anima inter huiusmodi spinas versans nulla prorsus quiete frui poterit, sicut ille, qui iacet super vepres, & spinas quantò magis quierem quærit, tantò magis inquietus pungitur, & laceratur. Attende, inquit ille, pessimum germen eius, cui maledictum est terrę nostræ. *Cùm*, inquit, *colueris eam, spinas, & tribulos germinabit tibi.* Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est, vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationúmque aculeos. Quòd si lilium est ipsa, iuxta Sponsi verbũ, videat quàm vigilem, sollicitámque esse oporteat super custodia sui, septa vndique spinis hinc, inde aculeos intendentibus, &c. *Genes. 3. num. 18.*

Sunt itaque plura, maioráque vitæ

vitæ infortunia, & aduersa, quàm prospera, quæ est ratio cur cùm omnes fermè veteris testamenti illustres, ac virtute prædiri viri præfigurauerint, & actionibus suis significauerint, ac protulerint Christū Seruatorem: cumq; illius acta ad duo principaliter capita reducantur, nempe ad pœnas, quas pro nobis sustinuit, & ad glorias, quas pro iis à Deo recepit; quia gaudia huius vitæ potiùs depicta, quàm vera, è contra verò pœnæ verissimæ sunt, inde est quod clariùs ab his, qui labores sustinuerunt, quàm qui glorias sunt assecuti præsignetur, quæ est ratio cur Sanctus Iob in passione priorem obtinet locum, vnde eius actiones expressiùs, quàm cæteri omnes Christū adumbrant. Sicut bene aduertit Lectio. 1. in Iob statim post princip. Hinc est quod Dauid ait: *Inquirentes Dominū, non deficient omni bono.* Qui namque inquirunt vitæ bona, deficient profectò quàm citissimè ab omni bono, & incurrent omne malum: at qui indeficiens bonum quęrunt, & amplectuntur soli non deficient. Quo in loco Basil. ait: De bonis Dei dici propriè potest illud, omni bono, oblectatio namque corporeæ voluptatis plus doloris habet, quàm iucunditatis. Nuptiæ enim sæpe sunt steriles, viduitates continent, & stupra: agricultura sterilitatem, mercatura naufragia, diuitiæ insidias patiuntur. Sed & deliciæ, & satietas, & continens voluptatum fruitio, multos ac varios secum trahunt morbos, & affectionum varia genera, &c. Si ergo in iis etiam, quæ maiora videntur vitæ bona, tot deprehenduntur mala: patet profectò quòd licèt vita hæc misera, & mortalis bonis, ac malis, aduersis, & prosperis, morbo, ac salute constet; potissimas partes sortiuntur mala ipsa, & aduersa, ab eisque proinde denominari debet, & dici misera, aduersa, & infortuniis plena. In quam sententiam aduertit eleganter idem Basil. illud dicti Psalmi 33. *Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Seculi, inquit ille, dies mali sunt: & hoc seculum cùm mundi sit mensura, de quo dictum est, quòd mundus totus in maligno sit positus, naturæ assimilatur mundi, quam dimetitur: partes huius temporis sunt dies ipsi: propterea dicit Apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Iacob item dicit: *Dies annorum meorum pauci, & mali*, &c. Dies itaque boni in cælo tantùm reperiuntur; vitæ enim nostræ sunt mali, idest, miseri, laboriosi, & ærumnosi, ait Cornel. à Lapide. Malos vocat, ait Oleaster, quia quasi ab vtero in laboribus fuerat, coactus est enim ad viginti annos à pœnitentia exulare durissimo quidem seruitio apud Iacobum Genes. 31. Deinde ingenti metu perculsus fuit, valdeque laborauit, vt placeret Esaü occurrentem sibi cum quadringentis viris Genes. 32. Afflictus deinde fuit stupro Dinæ, & strage Sichimitis, à filiis suis illata, timuitque ne à Chananæis irruentibus opprimeretur Gen. 34. Perculit deinde illū mors Rachel. Contristauit eum incestus Ruben cum Bala vxore sua Genes. 35. Ad mortem afflixit Ioseph venditus, & perditus per 23. annos. Postea Simeon in carcere detentus, & Benjamin abductus in Ægyptum animum eius extremè sauciarunt. Mali proculdubio dies tot malis redundantes, & ab eis nomenclaturam sortientes.

In hoc tamen conueniunt & plura mala, & rara prospera, quod breuissimo fine clauduntur, quæ est ratio cur via dicatur, vnde Basil. ad illa verba Psalm. 1. *In via peccatorum non stetit*, ait: Dum ambulas incidisti in scopulosum, &

Psal. 33. num. 11.

Psal. 33. num. 13.

Ephes. 5. num. 16.

Gen. 49. num. 9.

confragosum iter, concaua rupium, prærupta montium, densa syluarum. Tædiasti parum, iterum transisti. Talis hæc vita est, cuius nec prospera manent, nec aduersa diuturna sunt, quod bene prosequitur Lactant. Firmian. lib. 6. de Vero cultu, cap. 4. vbi ait: Hæc vita, quia breuis est, idcircò & bona eius, & mala breuia sint necesse est. Illa verò, quoniam sempiterna est, idcircò & bona eius, & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt & bonis breuibus, mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant, &c.

Prosequitur hoc ipsum argumentum Nazianz. Orat. 17. ante med. dicens: Res humanæ velut orbe quodã voluuntur, fratres, ac Deus per cõtraria nos erudit. Mouetur enim, vt sic dicam, ac fluctuat vniuersitas rerum circa immobilem haud quidẽ quantum ad rationem (nam ea ipsa inter omnia firma, & immobilis stat, etiãsi nostram infirmitatem, atque animorum habitudinem effugiat) verùm quantum ad ea, quæ singulis diebus nobis occurrunt, & eueniunt. Vt intelligamus nos nihil esse, si cum illa prima, & vera sapientia conferamur, eamque ob rem ad ipsum vnum tendamus, nec quidquam aliud quæramus, quàm vt promanantibus illis radiis collustremur. Cæterùm nihil motus expers est, nihil planum, & æquabile, atque in finem vsque sibi simile, non hilaritas, non mœstitia, non opes, non paupertas, non vires, non infirmitas, non humilitas, non potentia, non præsens tempus, non futurum, non res nostræ, non alienæ, non paruum, non maius, nec denique quidquid dicere quisquam possit. Atque hoc vnum æquale inæqualitas habet, nempe in omnibus rebus mutationem. Omnia enim facilè in orbem feruntur, atque in diuersum migrant, sibique inuicem aduersantur: vt ventis tutiùs, aut literis in aqua scriptis fides haberi posse videatur, quàm hominum felicitati. Idq; meo quidem iudicio sapienter, & admirandè: ne vel aduersitas solatio, vel prosperitas fræno, & disciplina careat: prudenter verò illi faciunt, qui calamitatibus erudiuntur, dum illis, velut aurum igne purgantur, Dauidicum illud in ore habent: *Bonum mihi quia humiliasti me* (quod videlicet ea res iustificationum Dei cognitionem pariat.) Quocirca, fratres, memores simus tum tempestatis in trãquillitate, tum gubernatoris in tempestate, ne in afflictionibus frangamur animis, ac debilitemur, atque improbos seruos imitemur, qui confitentur quidem Domino, cùm benefacit eis, verùm eidem corripienti nequaquam pari studio, & voluntate adiunguntur; cùm tamen interdum accidat, vt dolor sanitate, & admonitio remissione, atque indulgentia, & visitatio neglectu, & castigatio venia melior sit, & præstabilior. Atque vt rem in pauca conferam, sic nos instituamus, vt neque propter calamitates concidamus, nec propter saturitatem insolentia efferamur, &c.

Similia sunt quæ habet Basil. loco citato, postquam enim ostendit bonorum ac malorũ varietatem, & vicissitudinem, quibus vita nostra tanquam via cõstat; sic inde infert. Ergo quasi in via locatum te neq; secunda extollant, neque aduersa te frangant, nec plausibilia remorentur, nec mœsta detineant, festina semper ad finem, festina, vt peruenias. Quoniam verò & plura sunt in vita mala, & afflictiones, quàm bona, postulanda est à Deo sustinentia, & tolerantia pro aduersis, magísque roborandus animus ad ea toleranda, & sustinenda. Ille enim, qui spoliatus bonis nouit spoliationẽ, & paupertatem tolerare, profectò cum rebus

prosperis

prosperis potitetur; scitet vtiquê & moderatè, & prudenter iisdem vti. Quod benè ostendit Gregor. 11. moral. cap. 17. in princip. cùm ponderat illud Iob 13. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* Nunquam est, inquit ille, patientiæ virtus in prosperis. Ille autem verè est patiens, qui & aduersis atteritur, & tamen ab spei suæ rectitudine non curuatur. De reprobis namque sensu scriptum est Psal. 48. *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* In hoc itaque mens iusta ab iniusta discernitur: quod omnipotentis Dei laudem, & inter aduersa côfitetur, quod non cum rebus frangitur, non cum casu gloriæ exterioris cadit: sed in hoc magis qualis cum rebus fuerit, demonstrat: quæ & sine rebus robustior stat. Sic ille, cui annectêdus pro eodem argumento Basil. homil. in Martyr. Iulittam ante medæ vbi ait. Cùm eæ (scilicet fœlicitates, & lætitiæ) ne sentiebamus quidem: vbi defluxerunt, flagranti vrimur earum desiderio: vt enim oculi, quod iusto propius admotum est, non vident, sed opus habent moderata quadam interuallari distantia: itidem animas minus gratas videmus sensu attingi præreptæ gratiæ, dum priuatos se intelligunt prærogatiua bonorum. Si quæ nos adoriuntur rerum apprimè tristium afflictiones, dicamus sapienti medico. In tribulatione parua disciplina, & eruditio tua nobis. Dicamus. Bonum mihi, quia humiliasti me. Dicamus: quia non sunt condignæ passiones huius têporis: parumper ob peccata, quæ admisimus, sumus flagellati. Et quidê æquanimiter propriâ perpeti afflictionem, & cum gratiarû actione insigne præfert patientiæ, & fortitudinis. Sic ille describit patientem, & fortem animum, imo ideo fortem, quia patientem; maior siquidem fortitudo requiritur ad toleranda aduersa, quàm ad moderanda prospera in eo sanè sensu, quòd cùm multò plura occurrât in vita aduersa, & molesta quàm læta, & secûda profectò plus patientiæ, & fortitudinis requiritur ad sustinenda patienter aduersa, quàm côponendum animum in prosperis.

Iob 13. num. 15.

Psal. 48. num. 19.

Confirmat totam hâc doctrinam Bernard. serm. 3. in Ramis palmarum statim in princ. Ex factis Christi seruatoris, qui & oblatum Regnû recusauit, & postea sibi assumpsit, & subiturus ignominiosâ morte prius sibi asciuit gloriâ magni triumphi, vt doceret nos quomodo nos deberemus habere & in prosperis, & in aduersis huius vitæ. Gloriam, inquit Bernard. suscipere dignatus est humanam, & cum ingêti quodâ tripudio, & exultatione vniuersæ terræ Hierosolymam non propriis (vt hactenus consueuerat) pedibus, sed iumêto vectus intrare. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit. Sanè venturas aliquâdo turbas, vt raperêt, & eû Regê facerent, fugiens legitur declinasse. Nunc verò etiam non quæsitus affuit, vt tanquam Rex Israël susciperetur, & prædicaretur ab eis, scilicet, Iudæis: nec volebat iâ ambulare palâ in Iudæa; quia quærebant eum interficere: sciens autem quia venit hora eius, tanquam potestatem habens spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat nempe Pontificem nostrum tentari per omnia pro similitudine absque peccato, vt tâquam verus homo & prospera hominum, & aduersâ opportunè vitaret, opportunè susciperet, & vtrûque rerû in seipso nobis salutare præberet exemplû. Vt enim temperantiæ est præconia populi, & sæculi huius prospera declinare: sic interdum iustitiæ est certa quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoque, & temporalis omnis aduersitas pro loco, & têpore prudêter aliquando fugienda erit; cùm autem

necesse fuerit, viriliter toleranda, & in his quidē duobus (prosperitatem, & aduersitatem loquor) humana omnis vita versatur. Ita ergo virtutem omnem adimplere decuit eum, in quo pleniùs habitabat omnis plenitudo virtutis, vt notum fieret omnibus, quia is sciret maximè abundare, sciret & penuriam pati. Non enim Dei sapientia de his erat, quos occidere prosperitas sua, non Dei virtus de his, quos perdere posset auersio.
Prouer. 1. num. 32. Vtrumque enim scriptum est, quòd prosperitas, non tamen omnium, sed stultorum, occidat illos auersio vtique non quorumlibet, sed paruulorum perdat illos. Quàm modestè tamen hanc ipsam gloriam videtur suscepisse ad triumphalem occursum in asino veniens, non in curribus, aut in equis? Sic ille nobis proponit Christum Dominum, & mortem ipsam aggredientem, cùm opus fuit, & triumphi modestiam, vt in vtroque contēplaremur quid nobis agendum esset, & in prosperis, & in aduersis, vt scilicet quoniam breuiter transeunt, illius transitum considerātes nec animo frāgeremur oppressi, nec vanitate deciperemur elati.

Optima sunt, quæ in eandem sententiam habet serm. 21. in Cant. post med. in hunc modum. Sic quandiù adest gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis: ne subitò cùm fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior, quàm oportet, fias. Denique ne illud dixeris in abundantia tua. Non mouebor in
Psal. 29. num. 7. æternum. Nec etiam illud, quod sequitur, dicere cum gemitu quidem cogaris. Auertisti captiuitatem à me,
Eccl. 11. num. 27. & factus sum conturbatus. Curabis potiùs (si sapis) pro consilio sapientis in die malorū non immemorem esse bonorum, atque in die bonorum non immemorem esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, & dic: *Cùm defecerit virtus mea,* Psal. 70.
ne derelinquas me. Porrò in tempore num. 9.
tentationis consolare, & dic cum Sponsa: *Trahe me post te, in odorem vnguentorum curremus.* Sic te nō deseret spes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit, eísque inter aduersa, & prospera mutabilium temporum, tenens quandam æternitatis imaginem, vtique hāc inuiolabilem, & inconcussam constantis animi æqualitatē, benedicens Dominum in omni tempore, proindéque vendicās tibi etiam in huius mutabundi sæculi euentibus dubiis, certísque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis statū, dum te cœperis renouare, & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obūbratio. Quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in aduersis timidus, nec in prosperis dissolutus. Denique fideli homini totus mūdus diuitiarum est. Totus planè: quia tam aduersa, quàm prospera ipsius, æquè omnia seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Sic ille ostendit quomodo viuendum sit in his, quibus vita constat, aduersis scilicet, & prosperis; vt neque his euanescamus, neque illis omninò concidamus, imò quia sic viuitur, & perpetuò fluxu modò decurrunt molesta, modò læta succedunt, huiusmodi varietati, & mutationi constantem, & infractū opponamus animū, immutabilem Deum imitantes; sic enim merebimur ab illo iuuari adhoc, vt transitoria hæc permanenter tolerantes ad æternam mereamur peruenire lætitiam.

Quo in loco inserenda est ea admonitio præclara, quā affert Nazian. epist.

epistol.57. ad Eudoxium Rhetorem post princip. Noli id Philosophiæ, quod iam accepisti, proiicere, nec secundas potiùs in secundis rebus, quàm primas in maximis habere. Quousque ob res paruas, humíque reptantes inflabimur, atque inter adolescentulos, & fabulas ludemus, & applausibus in altum attollemur? Migremus hinc, viri efficiamur, somnia proiiciamus, vmbras prætereamus, aliis vitæ oblectamenta, plúsque doloris, quàm voluptatis habentia, relinquamus. Alios occupatos teneant, iactent, ludificentur, inuidia, & tempus, & fortuna. Sic enim rerum humanarum inconstantiam appellant. Valeant throni, principatus, opes, splendores, elationes, casus, vilis hæc, & despicabilis gloriola (ex qua plus dedecoris quis capiat, si animo efferatur, quàm si irrideatur) ac denique magnæ huius scenæ lubricæ, nugæque theatricæ. Nos Verbum arctissimè cõplectamur, ac pro omnibus rebus Deum habere optemus, solum, inquam, perennè illud bonum, & nostrum. Ita fiet, vt hîc quoque splendorem assequamur, aut certè in futuro æuo. Quandoquidem virtutis præmium est Deum fieri, ac purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici vnitate consideratur, cuius nunc radiis leuiter tantùm perstringimur. Adhæc contende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe, nusquã spes tuas siste, quousque ad illum summè expetendum, & beatum bonum perueneris. Sic ille docet abstrahere animum, & à prosperis, & aduersis huius vitæ, & illum apud Deum collocare, in quo æterna, & summa tantùm bona in æternum duratura reperiuntur.

***

ANNOTATIO II.

Extremos labores, & pericula ille euadit, qui ad Deum confugit.

CVm talia, tantáque sint discrimina, & pericula per quæ misera hæc mortalis vita decurrit, & multoties in ea ad fores mortis perueniamus, ille quidem ea facilè euitat, qui Deo confidens ipsum pro medela, & auxilio conuenit; nam dum mala nos torquent, præstò Deus adest opem nobis laturus, cùm opus nobis fuerit, sicut interpretatur R. Selomoh ea verba Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*: Post parietem enim ruinosæ huius domus præstolatur Dominus, prospiciens quænam in nos ingruant mala, & in quales nos adducant angustias. Vnde D. Athanas. in vita Antonij Monachi narrat quòd post acerrimum conflictum cum dæmonibus habitum, roganti, & quærenti. O bone Iesu vbi eras? Respondisse ipsum Dominum Iesum: Hîc eram, sed expectabam certamen tuum videre: stabat quippe post parietem, & respiciebat per fenestras, vt tunc succurreret, cùm opus esset, & quandiù præliantem, & luctantem cum diabolo videret, delectaretur.

Cant. 2. num. 9.

Quod etiam prosequitur Hieron. in Psal. 66. super illis verbis: *Metuent eum omnes fines terræ.* Loquens enim ibi de tentatione, & certamine Iob inter alia sic habet. Antequam Iob tentaretur, Deus ei nunquam locutus fuerat. Postquam autem tentatus est, venit ad eum Deus, & familiariter loquitur, quasi amicus cum amico suo: deinde subdit. Veniant plagæ

& omnia pœnarum genera, dum post plagas Christus adueniat.

Videndus item Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 10. vbi ait Christum Dei Filium visum fuisse Babylonio Regi in fornace cū Martyribus suis quartum, opem, scilicet, laturum & spectantem. Puerorum animum supra vitilem; vnde & ignis, in quem missi fuerunt, vt comburerentur, eos potius illustrauit, cùm tamen in impios ministros desæuierit: tribulatio siquidem, quam Deo opitulante, & assistente pro auxilio ferēdo in tempore opportuno in magnā cedit gloriam, & meritum iustis afflictis, quæ obruit desperātes impios, sicut benè prosequitur Rupert. lib. 1. in Leuit. c. 32. in princ. vbi explicat illud Numer. 11. *Congrega mihi 70. viros, &c. & auferam de spiritu tuo, tradamq́; eis, vt sustentent tecum onus populi, &c.* Ait ergo Rupert. Vna, eademque ex fornace, & ad bonos lumen, & ad malos erumpit incendium. Vno, inquam, ex camino tribulationis, & in reprobos accensus est ignis Domini, & in electos diffusus est, qui in Moyse erat spiritus Domini. Cur hoc, nisi vt daretur spes omnibus, qui affliguntur, exemplo Moysi, qui piè viuere volentes, malis moribus illorum, quorum curam susceperunt, afflicti gemunt, vt sperare scirent, quòd ipsis in labore fatigatis, & penè deficientibus, plurimi ex ipsorum proficiant virtutibus? Non enim frustra dictum est: *Et auferam de spiritu tuo, tradámq́; eis.* Cùm dici potuisset sic, & de spiritu meo dabo eis. Nam quia patientia merebatur Moysi, vt plures acciperent spiritum Domini, quamuis ex ipsorum profectu, meritum accresceret illi, rectè sic dictum est: *Et auferam de spiritu tuo, tradamq́; eis, &c.* Vbi Rupert. ostendit Moysen afflictionem illam Deo dante sustinentem Diuinum spiritum induisse, & quasi in Deum translatum: in tantum enim prouehit Deus sperantes in se, & afflictiones sustinentes æquanimiter ex eo, quòd Deum ipsis adesse nouerint, vt non iam homines videantur, sed Dij, neque humanos habere spiritus, sed Diuinum penitùs hausisse censeantur.

Num. 11 num. 16.

Adest igitur Deus periculis nostris, vt extremè periclitantibus subueniat, quod benè agnoscens Philo lib. 1. de Vita Moysis loquens de exitu populi Hebræi ex Ægypto, ac persequutione Pharaonis ait: Nolite animo concidere, aliud est humanum, aliud Diuinum auxilium; exitum enim inuenire in rebus dubiis est Deo proprium, &c. Et lib. de Legatione ad Caium. Benè sperant generosi animi, & sacræ literæ benè sperandi auctores sunt suis discipulis, &c.

Meliùs August. in Soliloquio, cap. 15. In arduis, & arctis constanter Deo crede, eíque te totum committe, quantum potes. Ita enim ipse te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.

Videndus in hanc sententiā Chrysostom. tom. 5. serm. de Gratiis reddendis Deo ante med. vbi probat constantiam, & robur in aduersis in Paulo, ex eo, quod nouerit sibi adesse Dei gratiā, vt in infirmitatibus eum perficeret, eíque laboranti subueniret. Inde enim nobiliorem ostendit Paulū ipso materiali cœlo, postquam Dei præsentiam agnouit, qui anteà pro auferendo stimulo Dominum fuerat deprecatus, Cœlum, inquit ille, nebulæ plerumque obducunt: at Pauli animum nulla vnquam rerum obtexit angustia, quin aduersantibus cunctis tranquillior quauis meridiana luce videbatur, iamque animi constantiam, & nitorem in turbida tempestate seruabat, quàm in sereno seruasset:

seruasset: siquidem Sol, qui in eo fulgebat, nec tam infirmos radios emittebat, vt ex molestiarum concursu hunc sineret obumbrari, quin ea propter magis, ac magis clarescebat. Vnde responsum illi est: *Sufficit tibi Paule gratia mea: virtus enim in infirmitate perficitur.* Quibus in verbis mihi videtur Chrysost. infractum animum Pauli mediis in ærumnis voluisse demonstrare, ita enim sese habebat in aduersis, ac si prosperis ad libitum frueretur: nam sicut tenebræ, & nox pro magna afflictione sumuntur, vt Ierem. 15. *Occidit ei Sol cùm adhuc esset dies, confusa est, & erubuit.* Et Amos 8. *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terrā in die luminis, & conuertam festiuitatem vestram in luctum, & omnia cantica vestra in planctum.* Qua de re videndus Gregor. lib. 1. Moral. cap. 1. ad illud Iob 8. *Nónne lux impij extinguetur?* Sic & lux pro felici, atque optabili rerum sorte sumitur, vt patet Esther 10. cum n. 8. præcessisset. *Fuit dies illa tenebrarum, & discriminis, tribulationis, & angustiæ.* Statim num. 11. *Lux, & Sol ortus est, & humiles exaltati sunt.* Et cap. 8. *Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.* Multaque suppetunt loca, quibus ostenditur lucem prospera, faustáque, & grata significare. Propterea igitur Chrysost. Paulum in aduersis lucidum, & fulgētem semper describit, vt ostendat ipsum ea confidentia se habuisse in aduersis, ac si in prosperis, & lætis versaretur; in tantum enim valet iustis agnoscere Deum respicientem, & prospicientem cùm laborant, vt infausta ipsa, & acerba in læta & festiua conuertat.

1. Cor. 12. num. 8.

Ierem. 15. num. 9.

Amos 8. num. 9.

Esther 10. num. 11.

Supr. c. 8. num. 16.

Ex dictis intelligitur locus ille Isai. 30. *In silentio, & spe erit fortitudo tua.* Vbi silētium pro quiete sumitur, atque animi tranquillitate, quam necessariò debet concipere, qui Deū auxiliatorē credit, & nouit: qui enim securus sperat, & credit Deum sibi adfore dum periclitatur, fortis vtique, & inconcussus redditur ad toleranda quæcumque irruant mala. Vide, inquit Pintus ibi, in quo sit iustorum fortitudo, in tranquillitate, & fiducia in Deo. Vnde Psalm. 36. vbi communis Versio habet: *Subditus esto Domino, & ora eum,* alij habent: *Sile Domino, & expecta eum.* Ita enim potest verti ex Hebraïco; ac si diceret: *Esto animo tranquillo, Deoq́; obedienti, & pone totam tuam spem in Domino, & saluus eris.* Sic ille.

Isai. 30. num. 15.

Psal. 36. num. 7.

Est optimus in hanc sententiam locus ille Psalm. 102. vbi ex mente August. Dauid asserit non minorem nec infallibiliorem esse Dei protectionem, & auxiliū erga seruos suos periclitantes, quàm sit influxus perennis planetarum, & cœlestiū corporum in terram, atque adeò in ipsos homines, quantumuis impij, & scelerati sint. Perpetuò influxu tuetur, fouet, & sustentat, ac prolificat terrā, sic & Deus suos protegit, roborat, & firmat. *Confirmauit*, inquit, *Dominus misericordiam suam super timentes se.* secundùm quid? *Secundùm altitudinem cœli à terra.* Quid dixit? Si aliquando potest cœlum abscedere à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende cœlum vbique, atque vndique protegit terram, & nulla pars terræ est, quæ non cœlo protegatur. Peccāt homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, cœlo tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aër, inde spiritus, inde pluuia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia à cœlo. Tolle auxilium cœli à terrā, statim deficiet; sicut ergo protectio cœli permanet super terram, sic protectio Dei permanet super timētes Deum. Times Deum? Super te est protectio ipsius. Sed fortasse flagellaris, & putas quia deseruit te

Psal. 102. num. 11.

Deus: si deseruit protectio cœli terram? *Quoniam secundùm altitudinem cœli à terra confirmauit misericordiam suam Deus super timentes eum. Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus eum.* Iam sæuiat quãtum vult, Pater est. Sed afflixit nos, sed contriuit nos: Pater est. Ita August. ostendit Deum suis adesse præstò, vt laborantibus opituletur.

Si ergo Deus suis præstò adest, vt succurrat in tempore opportuno, sicut ponderat Hieronym. epist. 27. ad Eustochiũ, vbi exponit illud Isai. 49. *Tempore opportuno exaudiui te*, &c. Quibus similia habet epistol. 127. ad Fabiolam, vbi ostendit magnitudinẽ Diuinæ gratiæ ibi affulgere, vbi magnitudo discriminis cernitur. Quod etiam argumentum prosequitur Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 14. cùm ait: Non in paruis Diuinitas auxilium sui fauoris solet accommodare, sed potiùs in quibus humanam spem ad meliora non videt accedere. Videnda item sunt quæ habet Euseb. Cæsariens. lib. 2. Ecclesiast. Hist. cap. 5.

Hæc est ratio cur etiam, & Poëtæ cùm explicare argumenti exitum non possunt, confugere ad Deum soleant, & ad machinas confugiant, inducentes scilicet Deum aliquem ex machina repentè apparentem, & loquentem, qui salutem afferat, negotij difficultatem expediat, sicut aduertit Plato in Cratylo. Quod desumptum est ex ea consuetudine, qua Deus præstò adesse solet suis opem laturus, quando res in extremum deueniret.

Quia igitur Deus suis assistit, vt opem ferat, debent, cùm se afflictos, & oppressos viderint, ad ipsum confugere, vt liberi omnino euadant, & totam spem, ac fiduciam suam in Deo collocare; hac enim ratione Deus non statim auxiliatur, cùm opprimimur, quod bene ostendit Isai. c. 30. cùm ait: *Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri: & ideò exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus, beati omnes qui expectãt eum.* Isai. 30. num. 18. Quorum verborum sensus est Deum aliquando permittere suorum vexationem augeri, & vindictam cohibere, quo illi efficiantur propriæ calamitatis admoniti, & magis grati reddantur diuino beneficio. Indeq; fieri, vt Diuina misericordia, & potentia illustrior appareat, tandemque apponit conclusionem, seu epiphonema dictorum dicens: Beati omnes, qui expectant eum; cùm enim supra multis explicuisset Propheta quanta impenderent infortunia his, qui à Deo omnia cumulatè promittente ad hominum potentiam & pręsidiũ, non solùm vanum, sed etiã mfallax, fiduciam traducunt, optimè concludit, verè illos esse fortunatos, qui ab vno Deo sperant omnia, scientes nihil ab hominibus firmum, ac validũ posse sperari, quod statim magis cõfirmat, dicens, *Populus enim Sion habitabit in Hierusalem*, hoc est, ideò populus Sion habitabit in Hierusalem, neque in alienum solum abducetur, sicut decem Tribus ad Assyrios & duę postea ad Babylonios, quia in Deo sperauit, & sese illi credidit, sicut realiter contigit tẽpore Ezechię, qui oppressus vndique ab Assyriis, & imminente iam vrbi Sennacherib, ad Dominum confugit, à quo mirabiliter liberatus est, sicut exponit Forer. neque refragatur Sanctius, videtúrque probari ex sequentibus verbis: *Plorãs nequaquam plorabis, miserans miserebitur tui; ad vocem clamoris tui, statim vt audierit, respondebit.*

Plorabant vtique Iudæi, & maximè Ezechias, cùm extrema omnia superbè admodum minaretur Sennacherib, effugiumq; ab Assyriorum minis, eis tamen dicitur abstinendũ à fletu, & præsertim videtur dictum

Regi

Regi Ezechiæ: nam vix dum ad Dominum clamauit, cùm respódit Dominus per Isaiam, & bono animo esse iussit, sicut habetur Isai. in cap. 37. Sicut autem plorans plorauit, & similia verba affectum diuturnitatem, & magnitudinem significant; quia illa geminatio nunquam est sine epithesi, sic etiam illud, *Plorans nequaquã plorabis*, indicat lacrymas subitò abstergendas à subueniente Deo, qui ea celeritate suis opitulatur, vt vix lacrymas effundant, cùm ipse statim abstergit.

Ex hac doctrina meliùs intelligetur locus ille apud eundem Isaiam cap. 51. vbi ad electos suos Dominus
Isai. 51. num. 13. ait in hunc modum: *Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, vt timueris ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? Et oblitus es Dei Factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terrã. Vbi nunc est furor tribulantis? Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vsque ad internecionem, nec deficiet panis eius. Ego sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius.* Quibus in verbis vrget maximè, & reprehendit Diuinum Oraculum eos, qui cùm nouissent Deum esse opitulatorem, deficiebant adhuc in laboribus, & animo cadebant in pressuris, cùm tamen deberent expendere longè maiorem esse vim, & potẽtiam opitulantis Dei, quàm tribulantis, & affligentis hominis; hoc enim indicat illud: *Ego, ego ipse.* Et quia admiratio posset magis rem aperire, eadem vtitur Deus, dicens: *Quis es tu, vt timueris ab homine, & oblitus es Dei Factoris tui?* A quo scilicet, superabundat consolatio, quando & tribulatio abundat.

Sed adhuc clarior elucebit sensus, si aduertamus LXX. hoc in loco trãstulisse: *Scito quæ fueris, & timueris ab homine:* Nam & generis transmutatio à masculino in fœmininum necessariò aliquid, & magnum aliquid indicare videtur, quod ex more Scripturæ debemus asserere; etenim in Sacris literis molles animo, & parum strenui muliebri appellatione notantur, & cùm aliquid Sacer Text. facit infirmum, & indignum virili pectore, atque constantia, genus fœmineũ ei tribuit. Vnde cùm 2. Reg. 13. David luxit, quod proprium officium mulierum est, verbum, *luxit*, fœmineũ est; alij vertunt: *Desiderauit Dauid*, & hoc magis muliebre. Neque huius rei exempla desunt apud exteros Authores: nam Homer. libr. 2. Iliad. atque etiam lib. 7. Ignauos, & timidos vocat. O Achiuæ, non Achiui. Eúmque imitatus est Virgil. 9. Æneid. O verè Phrygiæ, neque enim Phryges, vbi per contumeliam Troianos facit molliores mollissimis: nam cùm Phryges sint mollissimi, non cum illis eos comparat, sed cum illorum fœminis, quę molliores sunt. Facit etiam illud quod refert Herodot. in Vrania de Xerxe, qui visa gnauiter pugnante Artemisia, dixit: Viri facti sunt mihi fœminæ, fœminæ autem viri. Huc spectant Cyrilli Comment. in cap. 3. Nahum n. 34. Propugnatores nihil differre ab imbecillis mulierculis. Idem in Oseam num. 5. Mulier indicium est animi parum virilis, & fracti symbolum aptissimè dici quiuerit. Nec à proposito abest illud Homeri apud quem Hector ita deturpat Diomedem.

2. Regum 13. n. 37.

Nunc te (Græci) ignominia afficiens,
Mulieris instar eris,
Facesse ignaua virgo.

Et Claudian. in Eutrop. Eunuch.

——quid te turpissime bellis
Inseris? Aut sexus petentus Pallida campis?
Tu potes alterius studijs hærere Mineruæ,
Tu telas, non tela pati; tu stamina nosse.

Rectè itaque Senec. c. 15. de Tranquill. Vide quomodo quisque illorum tulerit, & si fortes fuerunt, ipsos animos desidera: si muliebriter, & ignauè periere, nihil periit.

Cùm ergo genus muliebre imbecillitatis, & ignauiæ signum sit, non sine mysterio hoc in loco ille, qui deficit in afflictionibus, & magis metuit opprimentem, quàm confidat in auxiliante Deo, imbecillus omnino & ignauus censetur, cùm nihil sit, quod eius animum infringere possit, cum præsto sit Deus, qui omnium persequentium machinas ad nihilum redigere facilè possit. Meliùs Dauid Psalm. 26. *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Et Psalm 117. *Dominus adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Et Psal. 55. *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro.* Quæ verba Martinus diabolo in humana specie minitanti quocumque iret, vel quæcumque tentaret aduersaturum, respondit, teste Sulpitio, de vita Martini cap. 4. Et Psalm. 3. *Quia Dominus suscepit me, nō timebo millia populi circundantis me.* Et Psal. 45. *Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.* Vbi Hieron. auxilium vertit: *In tribulationibus inuentus est validum.* Alij ex Hebr. *Auxilium in angustijs inuenimus*, aut, *inueniemus valdè siue abundè. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Vbi figurata oratione maxima quędam perturbatio ac tumultus designatur, ac si omnia sursum, & deorsum ferantur, vt exponit Basil. Simileque est illud Horat. 3. Carm. Ode 3:

Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

Psal. 117. num. 6.
Psal. 55. num. 5.
Psalm. 3. num. 6.
Psal. 45. num. 2.

Terram hîc, & montes, & cor maris, inquit Chrysost. non dicit elementa, sed eorum nomine intolerabilia pericula significat, vt si omnia videamus confusa perturbationem planè intolerabilem, ea omnia venite, quæ nunquam facta fuerint, omnium rerum maximam fieri perturbationem, non modò non vincamur, sed nec timeamus quidem. Timorem porrò dum negat Chrysost. vel Dauid, intelligendi profectò sunt de illo excessu passionis, qui sternit, ac in desperationem inducit animum, non autem de illo, qui aliquo modo concutit, ac turbat, caditque etiam in sapientem, huiusmodi enim motus ipse etiam Christus Seruator in se admisit, pauoris scilicet, tristitię, mœroris, & tędij. Qua de re Philosophus Taurus apud Gellium lib. 12. cap. 5. inter alia ait: Sunt pleraque quidem magna, & pernicie priuata, quia non sunt turpia: contra naturæ tamen mansuetudinem, lenitatemque opposita, & infesta. Hæc ergo vir sapiēs tolerare, & cunctari potest, non omnino sensum sui amittere potest, fortitudo autem non ea est quæ contra naturam monstri vice nititur vltráque modum eius aggreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut quadam misera, & necessaria in perpetiendis doloribus exercitatione, qualem fuisse accepimus ferum quēdam in ludo Cæsaris gladiatorem, qui cùm vulnera eius à medicis exsecabantur, videre solitus fuit: sed ea vera, & proba fortitudo est, quam maiores nostri scientiam esse dixerunt rerum tolerandarum, & non tolerandarum. Sic ille.

Matt. 26. num. 37.

Cùm igitur maxima occurrunt pericula, & infortunia, non debemus omnino ea non timere, sed minimè animo frangi, aut cōcidere; hoc enim imbecillium est, & penè effœminatorum, quos Deus carpit ad citatum locum Isaïæ. Hoc enim maximè abominatur Deus, si in afflictionibus animum amittamus, cùm ipse sit paratus ad auxilium; sicut etiam nihil

illi

illi magis placet, quàm si nos videat intentos ad ipsum habere oculos, & ab illius auxilio, & beneficio perpetuò pendere.

Leuit.25. num.4. Hęc fuit ratio cur Deus Leuit.25. præceperit *septimo anno Sabbathũ erit terræ requietionis Domini: agrum nõ seres, vineã non putabis*. Vt scilicet eo anno sine frugibus existentes Deũ pro alimonia conuenirent, & in egestate illius anni nossent ad Deũ pro remedio cõfugere. Sic enim ibi ait. Oleast. Admonui iam Deũ voluisse diuites saltem semel in septennio experiri, quod pauperes sentiũt in omni tempore. Sũt enim pauperes omni tẽpore in ea solicitudine anxij dicentes: *Quid manducabimus, aut quid bibemus?* Et oculos suos ad pium Patrem conuertentes, dicunt. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; in qua anxietate voluit Dominus diuites septimo quoque anno viuere. Desiderat enim Dñs tales habere seruos, qui cõtinuè oculis ad eum eleuatis, ab eo quotidianũ postulent panẽ, & licèt horreũ habeas, sic tamẽ quotidianũ victum ab eo expectare debes, ac si no haberes, & ab eo singulis diebus sperares: & hac de causa sancti paupertatẽ potius, quàm diuitias diligunt: vt cogantur omni die à Deo suo veluti pauperes necessaria mendicare. Sic ille deducit ex dicto loco quomodo Deus velit in necessitatibus homines ad ipsum occurrere pro remedio cõsequẽdo, & fiduciam omnem in ipso collocare, nõ ad alia diuertere. Similia sunt quæ habet idẽ Oleast. in cap. 16. Exodi reddens rationẽ, cur Deus in vnum tantum diem voluerit ab Israëlitis manna colligi, nõ in plures dies. Sic verò habet. Dignum inquisitione est, cur Domine nõ dedisti ei panem ad mensem, aut quem ad hebdomadam saltem seruare posset, sed ad singulos dies? Vult Dominus nos semper ab eius prouidentia pendere: quoniã nouit nos non adituros eum, nisi indigeamus. Qua in re melior est pauperum, quàm diuitum conditio. Sũt enim singulis diebus pauperum oculi ad Deum, vt eorũ misereatur, & necessaria saltem ad illum tribuat diem. Vt etiam nullus transeat dies, quo Dei circa se non sentiant beneficia: & ob id saltem sunt semper memores Dei, &c. Hoc siquidem mortalium ingenium est, vt tunc magis ad Deũ accedant, cũ magis illo liberatore indigemus, quòd benè ostẽdit Naziãz. Orat. 17. in med. vbi ait. Sunt qui Petrũ imitãtur Saluatoris opem, cùm iã penè mergeretur, implorantẽ, qui denique ob dolorẽ ad Deum sese magis adiungũt, ac beneficiorum omnium Authorem per afflictionem sibi conciliant, quandoquidem ægra anima Deo propinqua est, ac penuria ipsa efficit, vt ad Deũ, qui largiendi potestatem habet nosmetipsos conferamus, qui alioqui fortasse ob effusam liberalitatem contemnitur, &c. Similia prorsus habet Epist. priore ad Cæsarium fratrem.

Nulla verò re magis Deum promereri possumus, quã si in ipso spem nostram figamus; vnde cùm Dauid Ps. 31. dixerit. *Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circũdedit me: exultatio mea erue me à circumdantibus me.* Psal. 31. num.7. Hieron. *Tu es protectio mea*: Hebr. *Latibulum*: quibus in verbis profitetur Dauid totã spẽ suæ salutis, & vitæ in Deo habere collocatã, ita vt ipsũ pro latibulo, auxilio, & opitulatore habeat; statim illi respondet ipsemet Deus. *Intellectũ tibi dabo, & instruã te*; vbi alij legũt, *intelligere te faciam*. Vbi Hier. promissionẽ intelligit de intelligentia, qua cognosceret Dauid, cur Deus sanctũ cruciari, improbũ verò prosperari sinat, vt scilicet habeat auxiliũ Dei, & per fauorẽ eius in dilectione permaneat. Innocẽtius verò intelligit de intelligentia, qua contra

hostes, qui circumdant, accipiant documentum, quo vitet errores itinerum: Euthym. de prudentia adhoc, vt superior euadat in bello, simúlque in itinere, quo accingitur ad bellum, & ad vitandū vitanda: tum deinde addit: *Firmabo super te oculos meos.* Hieron. *Cogitabo de te oculo meo:* vt scilicet nihil magis videar curare, nihil plus habere in animo, aut præ oculis. Hebr. *Deliberabo de te oculo meo*; idest, sedula cura, diligentérque excogitato, & meditato consilio.

Nabuchodonosor præcepit Nabuzardano, vt tolleret Ieremiam, ponerétque oculos super illum Et Ierem. 24. Loquens de Iudæis, qui cum Iechonia ex præcepto Domini transmigrarant, ait. *Ponam oculos meos super eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc.* Hebr. *Letobah*, idest, in bonum, eodem sensu, quo superiori versu dixerat: *Cognoscam in bonum*, idest, vt benefaciam, quod magis confirmatur ex sequentibus. Sed id, quod noster Vulgatus habet: *Firmabo super te oculos meos:* videtur dictum, quod L X X. legerunt: *ebhetsesch à hhatsah*, quod est occludere, obfirmare, quod possumus explicare ex c. 16. Prouerb. *Qui attonitis oculis cogitat praua.* Hebr. *hhot sch hhenau*, quod explicant Rabbini de eo, qui claudit oculos, vt aliquid attentiùs cogitet: L X X. sicut hoc in loco Psalmi; *firmans oculos*: attonitos itaque habere oculos est immotos habere: quòd attentionem significat, & ab aliqua re aspicieda faciem non auertere. Vnde Claudian. Panegy. 3. in laudes Stiliconis, ait.

Iere. 39. num. 11.
Iere. 24. num. 6.
Prou. 16. num. 30.

Quantum profueris, quantum seruaueris vrbem.
Attonitis metire oculis.

Idest, intentis, & non flexis luminibus. Et Homer. Diuorum pugnam, & congressum describens, ab oculis incipit. Obfirmant oculos mutuo. Et Gregor. Nazianz. in poëmate de ira, indignati hominis gestus delineans sic ait:

Nutus deorsum stolidus, ac sursum simul,
Fixiq; oculi.

Dum igitur Deus Dauidi credulo, & confidenti diuino auxilio ait: firmabo super te oculos meos, profectò indicat tantæ sibi curæ fore hominem sperantem in ipso, vt attentis oculis de ipso curet, cogitet, & perpetuò sit sollicitus, quasi nihil aliud in mente, & in animo habeat, nisi talem hominem: ille enim, qui in Deo sperat, & confidit, promeretur, & assequitur Deum peculiarem suum defensorem; sicut è contra ille, qui diffidit, nec Deo se totum credit, & committit, veluti quid præcisum, & separatum procul à diuina protectione exulat. Vnde Paulus Hebr. 10. *Iustus meus ex fide viuit, quòd si subtraxerit non placebit animæ meæ*; qui locus petitus est ex Abacuc 2. vbi ad literam loquitur Propheta de fide, qua credebant, & sperabant Iudæi Deum iuxta promissa missurum Cyrum, qui eos à Babylone liberaret, & à dura captiuitate: allegoricè verò Paulus vtitur dicto loco. In originali igitur habetur. *Iustus autem ex fide mea viuet, etsi præcidatur ei, non sibi placet in eo anima mea.* Græcè. *Non benè gaudet anima mea in eo.* Vides quomodo iam Deum nō complacet, neque peculiari ratione curat de diffidente, separato, & excisso per diffidentiam à vita, scilicet à Deo, qui in sperantes in se influit, eísque opitulatur, & eos attentis, & firmis oculis intuetur, quod benè explicat Syr. cùm habet: *Nos autem non sumus excisionis oneris, siue onerosi schismatis, quæ ducit ad perditionem, sed fidei, quæ acquirit nobis nostram animam.* Excisio igitur est defectio à fide, & cōfidentia in Deo; & sanè cum eis, qui à fide deficit, nec per Deum liberari confidit,

Hebr. 10. num. 38.
Abac. 2. num. 4.

fidit, cùm Deo displicеat, quid boni poterit secum habere? Quo sensu dictus Abacuc 2. n 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso:* quasi dicat, in nulla prorsus re dirigetur, sed terræ adhærens in varias distortus partes, huc, illúcque reptans, caput minimè eriget, neque vnquã prosperabitur, destitutus omni prorsus munitione, quàm à solo Deo posset accipere. Sicut enim qui in Deo confidit, eadem veluti expectatione Deum obligat, vt ipsum tueatur ab omnibus infestantibus; sic & qui non credit ab eodem posse liberari, meretur, vt omni munimine, & opitulatione destituatur.

Genes. 4. num. vlt. Gen. 4. Seth natus est filius, quem vocauit Enos. *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Magna concertatio de significatione huius verbi est apud sacros Interpretes, & iuxta duplex præcipuum significatum verbi Hebræi, *Chalal*, duplex etiam redditur interpretatio; principalis est, quam apposuit Vulgatus: *tunc cœptum est inuocare*, aut *inuocari nomen Domini:* nam pronomen *iste*, non est in Hebr. sed (*Az*) idest, tūc. Interpres verò sequutus est LXX. qui habent, *iste*, primus igitur Enos Religiosus erga Deum extitit, atque adeò non solùm Religionem coluit & pietatem: sed aliis etiam prædicando tradidit; vel etiam quia nouos orandi Deum modos, & formas precandi adinuenit, & docuit. Vel potest esse sensus, quem habet Chaldaica Paraphr. *Tunc cœperunt homines orare in nomine Domini.*

Hoc igitur cõstituto LXX. vertũt, *Iste sperauit inuocare nomẽ Domini Dei*; quæ lectio passim reperitur apud Sãctos Patres, quippe qui in lectione LXX. Interpretum admodum versati erant: illud tamen difficile, cur scilicet verbum, *sperauit*, fuerit ab eis additum, cùm in fonte Hebr. minimè videatur reperiri, sicut aduertit Fernand. At Hebræum *Huchal*, non tantùm incipere, sed & sperare, significat à radice *Iachel*, & spes est causa inuocationis, imò nulla efficacior apud Deũ reperitur inuocatio, quàm spes in eo collocata: ille enim, qui in Deo sperat, omnia ab illo cõsequitur bona, neque fraudatur ab spe sua, & ideò cœpit Enos inuocare nomen Domini, docuítque optimum inuocandi Dei modum, nempe sperando in eo, sícque videtur intellexisse Philo lib. de Abrahamo, cùm ait: Quoniam principium parandorum bonorum spes est, etiam hanc, tanquam publicam viam ostendit, & aperit anima veri studiosa, quæ primũ amicum spei nominat hominẽ. Et Hieron. in cap. 3. epistolæ ad Galat. in eodem sensu videtur locutus, cùm ait: Enos ob principalem in Deũ spem, & inter cæteros eminentem sperasse scribitur inuocare Dominũ Deũ, &c. Imò sperando inuocasse nomen Domini; spes siquidem efficacissima est ad Deum precatio. Vnde Bernar. ser. 15. in Psalm. Qui habitat, ait: *Sperate in eo omnis congregatio populi:* quemcumque enim locum calcauerit pes vester, vester erit: pes vester, vtique spes vestra est, & quãtumcumque illa processerit, obtinebit. Si tamen in Deũ tota figatur, vt firma sit, & non titubet; quid timeat aspidem, aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expauescat? Quoniã in me sperauit, liberabo eum: porrò liberatum, ne iterum egeat liberari, protegam eũ, & conseruabo, si tamen cognouerit nomẽ meum, ne sibi tribuat quod liberatus est, sed nomini meo det gloriã. Sic ille ostendit quomodo qui in Deo sperat, ab eo cõsequatur quidquid sperat, & sicut olim Deus dixit assequẽdum, & possidendum omne, quod pes Israëlitarum calcaret, ita videtur dici spem hominis esse animæ pedem, quo scilicet

fitma

firmatur eóque omne, quod ſperat,
impetrare à Deo. Inde enim eſt quod
in Scriptura dicatur ſperátes in Deo
non confundi, ideſt, acquirere ea,
quæ ſperant, ideóque dum petunt,
ſolent dicere, ne confundantur, vt 3.
3 Reg. 2 num. 16. Reg. 2. cùm Adonias ait. *Nunc ego pe-
titionem vnam precor à te, ne confundas
faciem meam*; ideſt, ne denegas. Et ſta-
Sup. n. 20. tim nu. 20. Betſabee ad Salomonem
ait. *Petitionem vnam paruulam ego de-
precor à te, ne confundas faciem meam.*
Vbi Abulenſ. q. 21. in fin. explicat,
ideſt, nõ facias me erubeſcere negan-
do petitum. Hinc etiam cùm Iona-
thas locutus eſt ad patrem ſuum Saül
pro Dauid, & repulſam paſſus eſt in
petitione, nec obtinuit, quod preca-
1. Reg. 20. num 34. batur, ait ſacer Text. *Cõtriſtatus eſt ſu-
per Dauid, eò quòd confudiſſet eum pater
ſuus.* Et apud exteros etiã confuſio in
negatis dicebatur, ſicut patet ex illo,
quod refert Plutarch. de vitioſa vere-
cundia, cũ Diogenes obambulans in
Ceramico petebat ab ſtatuis, dicẽs ſe
in hoc exerceri, vt aſſueſceret fruſtra-
ri poſtulatis: ſummè igitur impudẽs,
pudorem verebatur in negatis, &
confuſionem relegare volebat apud
ſtatuas confuſus: Catullũ item Cen-
ſorem puduit, quòd Cato Quæſtor
mulctam alteri impoſitam remittere
noluerit, ſed inde diſcedere monue-
rit, niſi mallet à miniſtris abſtrahi.

Cõfunditur itaque ille, cui poſtu-
lata denegantur. Hoc igitur poſito,
efficacia ſpei in aſſequendis à Deo
bonis, quę ſperat, conſtat ex eo, quod
Eccl. 20 num. 11. Eccleſiaſticus cap. 20. dixit. *Nullus
ſperauit in Deo & confuſus eſt*; & n. 16.
*Vę diſſolutis corde, qui non credunt Deo,
& ideo nõ proteguntur ab eo, &c.* & Pſal.
Pſal. 20. num. 6. 20. in eodem ſenſu dicitur. *Ad te cla-
mauerunt, & ſalui facti ſunt, & in te ſpe-
rauerunt & non ſunt confuſi*; ideſt, con-
ſecuti ſunt à te quidquid ſperarunt;
ſic enim interpretatur illud, *non ſunt
confuſi*; Treuctus, & ante illum Caſ-
ſiodor. imò multum honorati: mi-
nus namque dicitur, vt maius intel-
ligatur, ſicut ſolet facere Scriptura.
Qui igitur in Deo ſperat, ab eo acci-
pit bona quæ ſperat, quoniam confi-
dere in Deo, idẽ eſt, ac inuocare, imò
efficaciſſima Dei inuocatio eſt con-
fidentia in ipſo, ſicut benè oſtendit
locus ille Exod. 14. quando Dominus
dixit ad Moyſen; *Quid clamas ad me?* Exod. 14. num. 15.
non reprehendit eius orationem, ſed
blandè eum conſolans, & excitat ad
miraculi ſequẽtis, puta tranſitus ma-
ris rubri, ſpem, & aggreſſum. Hanc
enim vim ſæpè apud Hebræos habet
interrogatio, vti illa Chriſti ad Ma-
trem ſanctiſſimam: *Quid mihi, & tibi* Ioan. 2. num. 4.
eſt mulier? Quæ verba non caſtigatio-
nem cõtinent, ſed probationem ſpei
eam exacuentem. Sic Gen. 47. dicunt
Ægyptij Ioſepho: *Cur moriemur te vi-* Geneſ. 47. num. 19.
dente? & Dominus ad Moyſen Exod.
4. *Quid eſt, quod tenes in manu tua?* Sed Exod. 4. num. 2.
audi Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 23.
ſtatim in princ. Explicantem dicta
verba, *Quid clamas ad me?* Hoc ma-
gnæ gratiæ, hoc dignæ, & gratioſæ
acceptionis eſt, dixiſſe Dominum ad
vnum Moyſen in tali tempore. *Quid
clamas ad me?* quid enim? Nónne &
Ægyptij clamabant? Nónne & paulò
ante dictum eſt, quia leuãtes oculos
ſuos viderunt Ægyptios poſt ſe, &
timuerunt valdè, clamaueruntque ad
Dominum? Clamabant plane & iſti,
grandémque turbam faciebant voci-
bus confuſis. Ergo clamabant qui-
dem, ſed non clamabant dignè, vt
meru[illegible] [illegible] eis Deus, quid clama-
tis ad me? Clamabant enim ſine
fide, qui clamor vanus & indignus
creditur Dei auribus. At verò Moy-
ſes quid clamauit? Nolite, inquit, ti-
mere, ſtate, & videte magnalia Dei.
Dñs pugnabit pro vobis, vos tacebi-
tis! Rectè igitur ſolùm hunc audi-
uit illa columna nubis illa columna
ignis. Sic nimirum eadem columna,
iam

iam verè columna nubis, id est, idem Deus iam indutus nube carnis, dum cum turbis ambularet, & à turbis comprimeretur, subitò inclamat: *Quis est, qui me tetigit*: Miràtibus omnibus, ac dicentibus: *turbæ te comprimunt, & affligunt, & tu dicis, quis me tetigit?* Ille in sententia persistens, ait: *Tetigit me aliquis*: Ita planè hoc in loco Moyses, quia filiis Israël sine fide clamantibus, solus cum fide locutus est, solus audiri magno clamore potuit, quemadmodũ illic mulier, quia turbis Dominum irreuerenter comprimentibus, ipsa cum fide reuerentissima fimbriam vestimenti eius tetigit, sola sentiri meruit. Sic Rupert. rem ad fidem Moysis deducit, quam confirmat ex eo, quòd Israëlitis dixit, confirmans eos in fiducia Dei, sperando ab eo liberari à præsenti periculo. Quoniam verò subticet Scriptura more Hebræo factum præuiũ, & orationem Moysis ad Deum, eam supplet Iosephus lib. 2. Antiqu. c. 7. in princ. vbi orantem inducit Moysen in hunc modũ: Tu Domine scis ipse, quòd nec viribus, nec artibus humanis vllum hinc nobis patet effugium. Ad te solum, omni alia spe, omni cõsilio destituti confugimus: ad tuam tantùm prouidentiã respicimus, quæ sola nos ab iratis Ægyptiis eripere potest. Succurre igitur properè, & potentiam tuam exere, & populum iam conclamatæ salutis ad fiduciam, & spem excita. Tuum est Domine hoc mare, tuus & mõs, qui nos claudit, & hic potest te iubente aperiri, & illud in terram verti. Possumus & per aërem sublimes effugere, si ita nos seruari tibi placeat. Sic Moyses apud Iosephum precatur, eiusq; oratio tota fide, & spe plena soli Deo adhęret, ab eóque solum remedium postulat in extremo periculo, proinde maximè clamat, & solus vociferari censetur, quia solus spem in Deo posuerat, & Dei potentiæ confisus, ipsum adierat pro ope, & auxilio. Cæteri etiamsi clamarent, neque clamare, neque Deum inuocare censentur, quia sola spes, & fiducia in Deo vera Dei inuocatio est, ideò & qui sperare nouit, & cœpit, dicitur cœpisse etiã inuocare nomen Domini.

Luc. 8. num. 45.

Hinc est quod meritò Ephræm de Laudibus Ioseph post med. inuehitur in eum, quòd pincernæ Pharaonis restituendo in officium suum dixerit: *Memẽto mei, cùm tibi bene fuerit, & facies mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* Quibus in verbis visus est totã spem suam in eo homine collocasse, vt eo interueniente è carcere, & vinculis exolueretur, sed quasi pro pœna addit Sacer Text. nu. vlt. *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Ait ergo Ephræm. O semen electum, ac beatissimum, cur à mortali homine auxilium quæris, & omisso Deo hominem interpellas? Et quidem planè in cunctis necessitatibus suis diuinum expertus est auxilium, vt etiã quando pudicitiæ tuæ tunicam intactam, atque immaculatam reseruasti; curque ô beate iam despondes animum, cùm Deus tibi gloriam, & regnum prouidere, atque donare velit? &c.

Gen. 40. num. 14.

Sup. num. vlt.

Meruit proinde hæc in homine spes, vt Ioseph duo adhuc adderentur carceris anni, & tempus vinculorum protraheretur, sicut bene prosequitur Aug. ser. 82. de tempore. Hieron. lib. 5. in c. 18. Isai. tom. 4. & Chrysost. homil. 6. in epist. ad Titum, in fin. vt disceret, inquit Chrysost. in hominibus non esse confidendum, sed spem omnem in Deũ esse dirigendã. Optima sunt, quę hac de re habet Saluian. lib. 2. ad Ecclesiam longè ante fin.

Quia verò & diabolus nouit quãti Deus facit, & quantum nobis prosit, si in illo totam fidem, & fiduciam

etiam nostram collocemus, omnibus quidem modis nititur nos à tali fide, & spe auertere, quod acutè, vt assolet, notauit Chrysol.ser.52. ad med. Cû enim solerent homines ad Christum Dominum in terris degentem oppressos à diabolo deferre, vt sanarentur, parebant siquidem immundi spiritus Domino iubenti, & præcipienti, vt exirent de corporibus; vt parentes cuiusdam adolescentis desperarent filiû suum posse curari pro coniunctione, incremento, & decremento Lunç, dum diabolus torquendum assumebat, ne parentes agnoscentes filium à diabolo aggressum, eum deferrent ad Christum, sperantes ab ipso posse liberati Nouerat siquidem malignus spiritus quantum valeret apud benignissimum Dominum deprecatio confidentis, & sperantis, ac deprecantis remedium à solo Deo. Sic verò habet Chrysolog. loquens de diabolo: vt est dolosus, & callidus patrem capere, parentesque tali se credidit decipere figmento, vt desperarent curari posse eum, qui audire nec poterat, nec fari, & vt, quod erat diaboli operis, esse crederent debilitatis humanæ, deputarent pignori, ascriberent naturæ, quod inuleerat hostis inclusus. Denique, sicut Matth. de eodem refert, & alia simulatione istius miseri fefellerat pa-
Matt. 17. num. 15. trem: nam ibi sic supplicat. *Domine miserere filij mei, quia lunaticus est & malè torquetur.* Aut humanæ naturæ, aut cœlestis elementi dæmon, quod suæ artis fuerat, voluit tunc videri, aptans lunæ cursui hominis passiones, vexabat corpus lunaribus incrementis, vt esse lunæ crederent, quod erat diabolici criminis, & furoris. Egit, egit inimicus, vt hoc, quod videbatur, esset naturæ, &c. Credidit profectò auertendos facilè esse homines à remedio, si remoueret à fide, & spe, sciens illos à Deo liberari, eisque quàm citissimè subuenire, qui in ipso sperantes opem implorant, & auxilium, sicut videre est in Ezechia, qui vniuersam fiduciam suam in Deo collocans, ab eodem semel, & iterum liberatur, ab obsidione, scilicet, Assyriorum, & lethali morbo opprimente.

ANNOTATIO III.

Torquet aliquando Deus homines, vt magis recreet, & vberiora largiatur beneficia.

VErba illa nostri Textus; *Corripies me, & viuificabis me*, denotant benignissimi Dei indolem, iuxta quam aliquando punit, & affligit homines, vt statim misereatur, & illustriora conferat beneficia, cumulatioremque reddat gratiam, quod bene agnoscens Dauid dixit Psalm. 85. *Nunquid in æternum irasceris nobis?* Psal. 85.
Et statim subdit: *Deus tu conuersus* num. 6.
viuificabis nos; Quod Hebræi sic legunt: *Nónne tu conuertens viuificabis nos?* Quod sic intelligunt, quasi velit Prophera Dei consuetudine, & ingenio commemorato, illum ad clementiam flectere, vt sit sensus, Nónne tibi proprium est, posteaquam aliquantulum populum tuum correxeris, rursum ad clementiam redire, & iam castigatos, ac mortificatos viuificare, iuxta illud Deut. 30. vbi post comminata supplicia dicitur: *Reuertetur Dominus, vt gaudeat super te in* Deut. 30. num. 9.
omnibus bonis.

Hinc est quod in Scriptura punitio, & supplicium à Deo inflictum nomine transitus indicatur; inde transire, idem est ac punire, sicut alibi à nobis probatum supponimus; misericordia verò secundùm permanentiam,

nen[illegible], & durationem proponitur: nam punire est præternaturale Deo, & violentum, vnde minimè durabile; misereri verò naturalissimum, quod videtur dixisse Dauid
Psal. 29. num. 6. Psalm. 29. cùm ait: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Vbi notandum est iram apud Latinos dici ab eo, quòd est ire, facilè enim abit, & transit, & Poëta dixit: *Ira furor breuis.* Ira igitur in Deo cernitur in indignatione, breui enim, & per transitum indignatur. Hieronym. Flaminius, & Hebræorum lectio: *Quoniam momentum in indignatione eius.* Quæ lectio, inquit Agellius, & præclarum sensum habet, & ex aliis locis patrocinium, præcipuè verò de cap. 54.
Isai. 54. num. 7. Isai. *Ad punctum,* inquit per Prophetam Deus, *in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus.* Præclara sententia, qua Dei misericordia commendatur, ac superare multis partibus eius indignationem asseritur: vt enim, quæ præter naturam fiunt, diu durare non possunt, & illico ad naturam redeunt, perseuerant autem, quæ naturæ cuiusque rei congruunt. Sic indignatio ad modicum tempus in Deo esse dicitur, & quasi ad momentum; at verò eius amor, & clementia, & reconciliatio perennis. Si quando autem nostris sceleribus indignatur, id perexiguo spatio fit, adeò vt momentum verè esse dicatur. Illud etiam, quod in quinta Editione versum est; *quia consumatio in ira eius*, ad eandem sententiam pertinet. Non est, inquit, ira eius perpetua, sed breui desinit, & consumatur, ac finem habet, iuxta illud
Psal. 102. num. 9. Psalm. 102. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur. Vita* autem, hoc est, longum spatium, *in voluntate,* & benig[illegible]te eius; voluntas enim hoc loco pro beneuolétia sumitur, quod clarius dixit Symmach. *In reconciliatione eius.* Et certè res ipsa gesta huic versui suffragatur; nam cùm Angelus destricto ense mortem Hierosolymitis intentaret, statim Deo prece sancti viri placato, abstinuit gladium à cæde. Sic Agellius, cui nihil addendum, nisi fortè quod vita nostra, saluatio, & beatitudo sit in voluntate Dei, etiam cum nobis irascitur: nam paraphrasis Chald. habet: *Vita æterna in beneplacito ipsius.* Licèt enim supplicium inferat, id sanè ad momentum est; at verò secundùm voluntatem, & quod ex animo nobis prouenit, est salus, & vita æterna.

Quod magis adhuc intelligetur ex illo loco Psalm: 74. Vbi dicitur: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc; verumtamen fex eius non est exinanita:* Psal. 74. num. 9.
vbi per calicem supplicia Dei intelliguntur. Aduertendum proinde est quòd calix plenus mixto dicitur, quia supplicia Dei semper misericordia condiuntur, sicut apertè deducitur ex Ezechiel. 14. Vbi diuinum Oraculum loquens de transmigratione Iudæorum in Babylonem, addit: *Tamen relinquetur in ea saluatio educentium filios, & filias,* hoc est, pro mea Ezec. 14. num. 22.
clementia relinquam in Hierusalem aliquos, qui captiui ad eam veniant, vt cùm videritis eos, intelligatis iustam fuisse meam sententiam, & habeat consolationem vestra captiuitas. Vbi notanda venit vox illa, *tamen* quæ indicat magnitudinem diuinæ misericordiæ, & semper Deum miscere suppliciis suam benignitatem, iuxta illud Psalm. 76. *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in* Psal. 76. num. 10.
ira sua misericordias suas? Quem locum ponderat eleganter Theodoret. maximè verò verbum illud, *continebit*

quasi misericordia sit quidam fons, aut fluuius, quem Deus non possit continere, etiam apposito vallo suæ iustitiæ, vel impietatum nostrarum. Idem etiam probat August. in Psalm. 100. ad illa verba: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, vbi ait: Deus neque in bonitate misericordiæ perdit iudicij seueritatem, neque in iudicando cum seueritate amittit misericordiæ bonitatem. Aduertit autem iure posuisse Regium vatem priùs misericordiam, quàm iudiciũ, quia modò est tempus misericordiæ, futurum autem est tempus iudicij; vnde quidquid modò facit, totum misericordia comitatur. Videndus item apud eundem August. Author sermonum ad fratres in eremo serm. 6. vbi docet etiam in ipsis damnatis elucere diuinam Clementiam, quia Deus minorẽ pœnam infligit, quàm mereantur. Ecce igitur quomodo calix in manu Domini plenus mixto reportatur. Deinde verò dicitur: *Inclinauit ex hoc in hoc*; vbi verbum, *inclinauit*, non largam effusionem diuinæ iræ denotat, neque affluentiam suppliciorum, sed aliqualem effusionem summa attentione, & quasi per mensuram factam, quod possumus
Ezec. 20. num. 46. aperire ex Ezechiele in cap. 20. cùm dicitur: *Stilla ad Africum*; loquitur autem de infligendo supplicio. Et Hieronym. aduertit verbum stillandi significare non omnimodam effusionem iræ. *Stilla*, inquit Hieronym. *ad Africum*, vt non tota Dei ira videatur effusa, sed stilla quædam, & pars; inde infert, quàm timendus sit Deus iratus. Si, inquit, stillæ tanta sæuitia est, quid erit in totis imbribus æstimandum? Eodémque modo intelligen-
Daniel. 9. num. 11. dus venit locus Dan. 9. *Stillauit super nos maledictio*. In quem locum sic habet Hieron. Non totam in nos effudisti iram, quam ferre non poteramus, sed stillã furoris tui. Cùm ergo stillet, & inclinet calicem iræ super nos, misericordias quidem effundit, vnde Roman. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*: vbi D. Thom. aduertit verbo effundendi innuere Paulum charitatem ad omnes motus, actúsque animi perficiendos se extendere, quia abundantissima est. Et apud Ioël. cap. 2. *Effundam de spiritu meo*. Ratio huius rei est, quia *Deus diues est in misericordia*. Vbi Chrysost. hom. 4. aduertit non dixisse Apostolum Deum esse misericordẽ, sed diuitem in misericordia, sicut alibi Psalm. 68. *In multitudine misericordiæ tuæ*, &c. & Psalm. 50. *Secundùm magnam misericordiam tuam*. Roman. 5. num. 5. Ioël. 2. num. 28. Ephes. 2. num. 4. Psal. 68. num. 14. Psal. 50. num. 1.

Neque obstat si in sacris literis dicatur Deus aliquando stillare misericordias, est enim propter multitudinem misericordiarum, & propter earum dulcedinem, non verò propter paucitatem, sic ad literam est intelligendum illud Psalm. 71. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*: Quem locum in hunc sensum interpretatur Origen. homil. 8. in lib. Iudicum: vbi illud, *pluuia in vellus*, refert ad legem veterem, *stillicidia* autem *super terram* ad Gentes, docetque allusisse Prophetam ad factum Gedeonis, qui petiuit, vt ros caderet super vellus, &c. Quibus similia habet Gregor. homil. 10. in Ezechiel. Psal. 71. num. 6. Iudic. 6.

Quia igitur Deus diues est in misericordia, etiam in maxima ira, & punitione misericordia interuenit, quæ calicem iræ minimè effundere patitur, sed ad multum inclinare, in quam sententiam videndus Chrysost. homilia 5. de Pœnit. vbi multis probat quomodo in Dei suppliciis semper interueniat misericordia. Quamuis aliquis, inquit, culpa impœnitẽti delinquat, parcit sæpenumero Deus, quò radicis fructus custodiatur.

Sæpè & ipsam transfert radicem, veluti præueniens, & tametsi actus ad vltimum malorum cadat, differt tamen Deus vtiliter expectans pœnitentis salutem. Et quomodo, audi: Thare pater Abraham idolorum & cultor & factor, impietatis tamen pœnam non dedit, & meritò: si enim præueniens Deus radicem amputasset, vnde tantus fidei fructus germinasset? Quid Esaü nequiùs? ipse quoque odibilis Deo, quemadmodum Scriptura testatur: *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Cur ergo non meritam suscepit animaduersionem? Pulchram causam libet edicere: si excisus fuisset maximũ iustitiæ fructum mundus amisisset, & qualem audi. Esaü genuit Raguelẽ, Raguel Zarã, Zaram Iob. Cernis quãtus elanguisset patientiæ flos, si præueniens Deus à radice exigisset pœnas? Ea quoque vsus est prouidentia super Ægyptios vltra fidem blasphemos: spectauit enim quousque ibi essent monasteria, in quibus florerent, qui Angelicam imitarentur vitam. Sed & humanæ leges matrem grauidam, etsi peccatricem, ad partum vsque seruant illæsam, ne fœtum innoxium tollant. Cur ergo Deus radicem non custodiat, vt in fructibus beneficium ostendat pœnitentiæ? Denique si velox fuisset ad pœnam Deus, Paulum Ecclesia non possedisset, distulit ergo blasphemantem, vt pœnitentẽ ostenderet Dei lõganimitas. Sic ille ostendit, quomodo diuina misericordia non permittat Deum calicem iræ suæ effundere, sed ad multum inclinari ne impunita remaneant scelera. Quòd benè prosequitur Saluian. lib. 1. de prouident. post med. in eo, quòd dicat Scriptura Deum priùs pœnituisse, quàm puniret, deinde quòd clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus fuerit, & ascenderit coram Domino. Et verè clamor, inquit ille, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm inuictus puniat etiam grauissimos peccatores dicens, quòd clamor Sodomorum ad se ascẽderit: hoc est, dicet: Misericordia quidem mea mihi suadet, vt parcat; sed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam. Cùm ergo ista dixisset, quid consequutum est: Mittuntur Angeli Sodomam, proficiscuntur, introeũt, bonorum fouentur officio, malorum vexantur iniuria, cæcantur improbi, saluantur probi. Loth cum affectibus piis vrbe educitur, vrbs cum habitatoribus conclamatur impiis. Interrogo hìc, vtrumnam cùm Scriptura ex iudicio Sodomitas punitos à Deo dixit., iniquum Deum arguit? Si autem cùm iudicio malos perdidit, iudicauit vtique, etenim iam quasi adinstar futuri iudicij iudicauit, cùm enim ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestum sit, Sodomam, & vicinas eius vrbes cœlestis flamma consumpsit. In præsenti autẽ illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium, quando super impium populum gehennam misit è cœlo. Sicut etiam Apostolus dicit, quòd Deus ciuitates, Sodomã, & Gomorrham euersione damnatit, exemplum ponens impiè acturis: quamuis id ipsum, quod ibi actum est, plus habuerit misericordiæ, quàm seueritatis, quòd enim pœnam eorum tandiu distulit, misericordiæ fuit: iustitiæ, quòd aliquãdo puniuit. Et ideò cùm Angelos Sodomam Deus mitteret hoc nobis probare voluit, quòd etiã malos puniret inuitus, scilicet, vt cũ legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertulissent, & videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscœnitatem: probaret

baret vtique nobis Deus quòd ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint, vt perirent. Possum innumera proferre, sed vereor, ne dũ satis rem probare nitimur, historiam texuisse videamur. Moyses in deserto positus gregem pascit, rubum ardere conspicit, Deũ ex rubo audit, præcepta accipit, potestate exaltatur, ad Pharaonem mittitur, venit, loquitur, contemnitur, vincit. Ægyptus percutitur, Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non vno modo: sed vt plus sacrilegus torqueatur, diuersitate supplicij. Et quid? Postremò decies rebellat, decies verberatur. Quid ergo diximus? Puto, quòd in his omnibus & curare pariter res humanas Deum, & iudicare, cognoscas. In Ægypto quippe, tunc enim non simplex tantùm, sed multiplex constat Dei fuisse iudicium. Quotiescumque enim rebellantes Ægyptios percussit, toties iudicauit. Sed post ista, quæ diximus, quid sequutũ est? Israël dimittitur, Pascha celebratur, Ægyptios spoliat, diues abscedit. Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes peruenit, castris iungitur, tenebris separatur, Pharao sequitur, mare super eum voluitur, fluctu operiente deletur. Puto iam non obscurum, in his, quæ acta sunt, Dei esse iudicium. Et quidem non iudicium tantùm, sed etiam moderationem, atque patientiã. Patientiæ enim fuit, quod Ægyptij rebellantes sæpè percussi sunt: iudicij quod contumaciæ pertinaces, morte damnati. Liberatus quondam de Pharaonis iugo populus Hebræorum, ad Sina montem præuaricatus est; & statim à Domino pro errore percussus. Sic enim scriptum est: Percussit ergo Dominus populum pro errore vituli, quem fecit Aaron. Quod potuit maius, & euidentius de peccatoribus Deus ferre iudicium, quàm vt statim consequeretur pœna, peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur non est in omnes missa damnatio? Quia pius, scilicet Dominus, partim percussit sententiæ suæ gladio, vt partem corrigeret exemplo, probarétque omnibus simul, & coërcendo censuram: & indulgendo pietatem. Censura enim fuit, quòd castigauit: pietas, quòd pepercit, quamuis vtrumque impari modo. Plus siquidem tunc pietati datum est, quàm seueritati. Ideo vtique, quia cùm indulgẽtissimus Dominus propiorem se semper miserationi præstet, quàm vltioni, licèt in coërcenda tunc Iudaici exercitus parte iudicio, & seueritati censura diuina aliquid attribuerit, maiorem tamen sibi populi portionem pietas vindicauit. Specialiter quidem hoc, & peculiari tunc innumeræ plebis misericordia, ne omnes, scilicet, quos reatus complectebatur, pœna consumeret. Sic ille ostendit quomodo diuina misericordia semper Dei iram, & iustitiam retrahat, ne omnino extinguat, & calicem irę ita effundat, sed potiùs tanquam medicamentum, & pharmacum præbeat, quod benè attigit *August. in Psal. 21. statim in princip. vbi ait: Tribulatio medicamentum est ad salutem, non pœna ad damnationem. Et in Psalm. 65. ad illa verba. *Posuisti tribulationes in dorso nostro*, ait: Sæuire videtur Deus cùm ista facit, ne metuas, quoniam Pater est, nunquam sic sæuit, vt perdat: quando malè viuis, si parcit, plus irascitur. Omnes istæ tribulationes sunt flagella corrigentis, ne sint sententia punientis. Et ad illa verba eiusdem Psal. *Transiuimus per ignem, & aquam*, ait. Coqui te oportet tanquam vas.

Similia sunt, quæ habet Chrysost. homil. 10. in cap. 3. Matth. Et D. Irenæ. lib. 3. contra Valentin. cap. 37. obseruat in ipsa punitione Adami, dum

dum Adam eiecit è paradiso, & eu arboris vitæ, fuisse misertum ipsius hominis. Eiecit, inquit, cum à paradiso, & à ligno vitæ longe transtulit, non inuidens ei lignum vitæ, sed miserans eius, ne scilicet eius miseriæ in æternum durarent. Hilar. in Psalm. 62. *Melior est misericordia tua super vitas.* Nam ipsa, inquit, mors Adæ, ne æternitatis pœna maneret, sub misericordiæ significatione est constituta. Et D.Chrysost.in Psalm. 135. ad illa verba: *Exaudi me in tua iustitia,* ait: Apud homines iustitia excludit misericordiam; apud Deum autem iustitia immixta est misericordia, proinde ait. Exaudi me in tua iustitia, &c.

Ezech. 1. num. 4. Vidit Ezechiel.in cap.1.In medio ignis diuini furoris accensi speciem electri: vbi licèt R.Selomoh fateatur se, nescire quid propriè significet hęc vox, & Lyran.miretur, cur Hierony. verterit electrum, nobis satis est ita vertisse LXX. In sensu autem literali significat diuinam misericordiam affulgentem in mediis suppliciis, & consolantem Hebræos captiuos, sicut ibi exponit Hierony. Sicut autem electrum, siue sit succus defluens ex arbore, siue mixtum ex auro, & argento, vt testatur Plin.lib. 33. cap.4. attrahit virtute sua paleas, & vestium fila, habétque vim retinendi sanguinem, sic Deus cùm punit per iustitiam, attrahit per misericordiam, & cùm corripit per supplicium, viuificat per benignitatem sicut Ezechias hoc in loco ait. *Corripies me, & viuificabis me.* Vim enim præsentis habet illud, corripies, & viuificabis. Imò, quia maximè intendit Deus viuificare non omnino perdit, & extinguit, sed corripit, & dum inclinat non euacuat, aut effundit.

Constituerat Deus punire populum suum Israël ob multiplicata scelera idololatriæ, vt constat ex cap. 11. Oseæ. Sed statim addit n.8. *Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israël? Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te, vt Seboim? Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ, non conuertam, vt disperdam Ephraim, quoniam Deus ego sum, & non homo, &c.* Osea 11. num. 8. vbi D.Hierony. expendit Dominum comminatum fuisse veluti iudicem, sed parentis affectu emollitum retraxisse sententiam, & priùs comminatum fuisse, postea viuificasse. Cū duram, inquit, imò crudelem sententiam protulisset: rursum parentis affectu misericordia vincitur, & austeritatē Iudicis, pietate mitigat Patris; dicit enim: *Cōuersum est in me cor meum: pariter cōturbata est pœnitudo mea.* Statim vt loquutus sum me Ephraim, & Israël, sicut Adama, Seboímque posciturum; mea commota sunt viscera; pœnituit me meum quondam populum delere in perpetuū, *idcirco non faciam secundùm furorem iræ meæ,* nec de mea clementia commutabor, *vt disperdam Ephraim;* non enim percutio, vt perdam in perpetuum, sed vt emendem: crudelitas mea pœnitentiæ, & pietatis occasio est: *Deus enim ego sum, & non homo:* homo adhoc punit, vt perdat, Deus adhoc corripit, vt emendet. *In medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem,* hoc est, non sum vnus de his, qui in vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, qui crudelitatem arbitrantur iustitiā, quibus ius summum summa malitia est: mea autem lex, meá que iustitia est saluare correptos: vt clementissimus Pater dicit se suam mutare sententiam, & pœnitere quòd talia sit loquutus, vt illos quoque ad conuersionem, & pœnitentiam prouocet. Sic Hieronym. nec omittendus Cyrill. qui ait. Non vtar ira summa, non delebo; sed cur? An quia

non

non sunt digni, vt funditus pereant? Sunt quidem, sed sum ego Deus, & non homo, bonus inquam, vt non concedam iræ, vt vincar, quod humanum est. Ita Cyrill. Neque omittendus Ruffin. & Rupert. ex quorum sententia loquitur Deus more ducis, qui vrbem oppugnat, & cùm iam sibi traditam ingredi pararet, vt omnes sine delectu percuteret, nullíque vel ætati, vel conditioni parceret, mutatus repentè à pugna abstinet & vrbem liberam relinquit.

Ita obsessum Ezechiam liberauit Deus, quando 4. Reg. 19. eidem per Prophetam nuntiauit. *De Rege Assyriorum. Nō ingredietur vrbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circūdabit eam munitio. Per viam, qua venit, reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.* Ecce conuersum Dei cor, & conturbata pœnitudo eius, vt non faciat furorem iræ suæ, quia Deus est, & non homo. Iterum constituit occidere Ezechiam, dicens ei per Isaiam. *Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues*, sed statim conuersum est cor Dei, *& antequā egrederetur Isaias mediam partē atrij Regis, factus est sermo Domini ad eum, dicens. Reuertere, & dic Ezechiæ, hæc dicit Dominus: audiui orationē tuam, & vidi lachrymā tuam, & ecce sanaui te, die tertio ascendens ad templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam.* En quomodo Deus corripiat, & viuificet, quomodo paterna viscera misericordiæ Dei iram contineant, & effundant benignitatem: vbi videndus est Chrysost. in priori proœmio ad Isaiā, cùm ait. Atqui Pater est, ipse est amantissimus filiorum, solus bonus præ quouis patre viscera diffundens suæ exorabilis clemētiæ, vtique condiscas eum esse Patrem, dicit eis: *Quid faciam tibi Iuda?* Nō nosti quid facies? Noui, verùm nolo, natiua habitudo peccatorum pœnā vltricem reposcit, sed diuinæ misericordiæ magnitudo cohibet. Quid tibi faciā? Ignoscamne tibi? Sed eo efficieris incogitantior, ac senior. Adoriar te? Sed mea erga homines benignitas id non fert. Quid tibi faciam? *Vt Sodomam ponam te, & vt Gomorrham te subuertam? Conuersum est cor meum.* Nulli obnoxius perturbationi hominem imitatur commotum affectibus, veriùs matrem repræsentat liberos deamantem; conuersum est cor meum, quasi dicat mulier de puero, conuersum est cor meum secundùm maternam affectionem. Atqui non acquieuit priori dictioni, sed turbatus in mea pœnitentia. Deus turbatur? Absit, auertat Deus, turbari neutiquam potest lumen illud, sed quod iam dixi, imitatur locutiones nostras, conuersum est cor nostrum. Sic ille. Sed pro magna misericordia Dei illud notandum, quod dicit Dominus, *in medio tui sanctus.* Quod enim sanctus sit cum sanctis, non mirum, sed quod sanctus sit cum peruersis, & nec cum eis peruertatur, vt iratus puniat, & subuertat, id magnum, & quod dextera, & brachium illius, & lumen vultus illius mutet eos potenter, suauiter, &c.

Exod. 9. cū Deus statuisset grādine perdere omnia Ægypti pecora, & cūcta, quæ reperirentur in agris, monuit per Moysē Pharaonē, vt omnia, quæ haberet sub tecto, colligeret, & vt habetur in Sacro Textu. Qui ex seruis Pharaonis timuit verbum Dei cōfugere fecit seruos suos, & iumenta, &c. vbi Dei misericordiam prosequitur Theodoret. q. 21. in Exod. & August. ibidem q. 33. dicens. Quid est, quod mandauit Deus Pharaoni, cùm se facturum magnam grādinem minare

Marginalia: *4. Reg. 19. num. 32.* — *4 Reg. 20. num. 1.* — *Exod. 9. num. 18.*

minaretur, vt festinet congregare pecora sua, & quæcumque essent in campo, ne grandine intereant? Hoc enim non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonere; sed hoc non facit quæstionem, quod Deus etiam irascens temperat pœnam. Quibus similia habet Chrysost. homil. 25. in Gen. vbi obseruat, quòd non de repentè Deus orbem diluuij aquis obruerit, sed per quadraginta dies, & quadraginta noctes aquas subinde succrescere voluerit, cùm vno momẽto orbem diluuio perdere posset. Quod quadraginta diebus, inquit, & quadraginta noctibus inductum est diluuiũ, & istuc ipsum bonitatis maximum specimen est; volebat enim propter magnam misericordiam etiam aliquos ex eis castigatos generalem hanc internecionem effugere, cùm ante oculos viderent proximos suos perire, & imminere sibi communem interitum, &c.

Videndus in hanc sententiam D. Ambros. lib. de Ioseph c. 39. & super Apoc. ad illa verba c. 4. *Et Iris erat in circuitu sedis*, &c. Quo loco docet per viriditatem smaragdi significari ibi diuinam misericordiã, quæ tam perspicua est, vt nullus sit, ad quem non perueniat, quæ tanta est, vt Regius Vates appellet ipsum Deum suam misericordiam. Psalm. 143. *Deus meus misericordia mea*: quod ipsum ponderat D. Hieron. in cap. 24. Iob, vbi de impio dicitur: *Obliuiscatur eius*, idest, impij, *misericordia*, hoc est, Deus, quoniam non solùm misericors est, sed etiam ipsa misericordia dicitur. Eodem modo D. Aug. interpretatur illud Psal. 58. *Adiutor meus tibi psallã, quia tu es Deus susceptor meus; Deus meus misericordia mea.* Non inuenit, inquit, impletus bonis Dei quid appellaret Deum, nisi misericordiam suã; quid est misericordia mea? Totũ quicquid sum misericordia tua est.

Apoc. 4.

Psal. 143.

Videndus Chrysost. serm. in Eliam Prophetam tom. 1. vbi commendat Dei misericordiam. Elias, inquit, vidit Iudæorum gentem contempta Dei misericordia idola colere, & abuti Dei longanimitate ad impœnitentiam, Deum verò è contra, vbi illi clamabant, statim illis parcere: decreuit igitur Elias Deum iuramento astringere, vt sic non mutaret Deus sententiam, vnde dicebat: *Viuit Dominus, quia non erit ros, & pluuia, nisi per os meum*, vbi ponderat Chrysost. illud, *per os meum*, quia si ex Deo tantùm penderet, statim pluuia mitteretur. Reueritus est Deus Propheticam sententiam, & honorem dedit iuramento, sed miris modis curauit, vt Elias pluuiam petere cogeretur: nam primò Prophetam vnà cum populo puniuit fame, secundò nutriuit Eliam ministerio corui, qui prolem suam natam non educat, vt Psalm. 146. *Et pullis coruorum*, &c. Ex quo aliud sumit argumentum Chrysostom. quòd pullos coruorum à parente derelictos nutriat; nam aduolitant, &c. Quare cùm Deus pascebat Eliam, sic admonebat; erubesce Elia, & vel coruorum exemplo Iudæis esto clementior. Tertiò, cùm nec sic Elias cederet, reuocatur corui beneficium, & aquam siccauit, ex qua bibebat. Quartò, cùm adhuc perseueraret, in alium locum transire iubetur, vt famelicus ipse famelicæ viduæ, quæ & ethnica erat, supplex esset, vt vbi audiret gentilis nomen, nomen abhorreret, & vel sic Deum pro imbre imploraret. *Surge*, inquit, *hinc, & vade*. &c. Quintò excitat Dominus viduam, vt asperè alloqueretur Eliam. *Viuit Dominus Deus, nõ est mihi subcinericius panis*. &c. Cœpit hic Elias misericordia affici. *Non deficiet*, &c. donec det Dominus pluuiam super terrã. Etenim antequam fame domaretur, nunquam permit-

tebat Domino pluuiam, sed dicebat: *Ad verba oris mei*, &c. Modò iam necessitate perculsus ait: *Donec det Dominus pluuiam super terram.* Sextò præcepit animam filij viduæ è corpore migrare, vt hac ratione duceret Prophetam ad orandum, vnde confusus Elias, clamauit ad Dominum: *Heu mihi Domine*, &c. idest, mors ista eò tendit, vt me ad misericordiam adigas: nam si dicere tibi voluero, Domine miserere filio viduæ, tu mihi ex aduerso respondeas, & tu miserere filio Israel; atque ita mittit legatos ad Achab, & imbres futuros prædicit. Septimò videns Deus, inquit Chrysostomus, pertinacem Eliæ animum à misericordia abhorrentem, segregat illum à peccatoribus. *Ego*, inquit, *scio zelum tuum*, &c. Ascende quasi in cœlum: ego autem in terra peregrinus ero: nam si diu tibi manendum est in terris, propemodum genus humanum, quod à te continuò plectitur, aboleretur. Hic Chrysostomi discursus apertè ostendit quàm innata sit, & connaturalis Deo misericordia, quod bene prosequitur Philo libro Quod Deus sit immutabilis, vbi docet misericordiam in Deo antiquiorem esse, quàm iustitiam; vnde colligimus Deum potiùs misereri, quàm punire, & afferens citatum à nobis locum Psalmi: *Calix in manu Domini plenus temperamento.* (Sic enim ipse legit:) Merum, inquit, non est temperatum, sed Deus potentiis suis erga se ipsum meris vtitur, temperatis autem erga suas creaturas, meras enim natura mortalis capere non potest, quod præcipuè intelligendum est in suppliciis inferendis, de quibus ibi Philo agit: nam Deus iram suam semper misericordia ita continet, & condit vt totum calicem non effundat, sed simul misericordiam exhibeat.

Gladius sanè insigne est iustitiæ, igneus autem gladius solùm rigorem denotare videtur, proindeque flammea illa romphæa Cherubino tradita destrictum nobis proponit iudicem post inflictum supplicium primis parentibus, sed in media ira relucentem agnoscit Dei benignitatem. Rupertus libr. 3. in Genes. cap. 32. vbi ait flammeum gladium iustitiam simul, & misericordiam significare, iustitiam quidem in eo, quòd flammeus fuerit; misericordiam verò, quod Deus versatilem esse voluerit. Sed adhuc magis rem aperit Origen. homil. 5. super Ezechiel. vbi docet flammeum gladium significare medicinale supplicium, quo Deus hominis vlcus curare voluit, vt hominem sanum redderet, eò enim tendit iustitia Dei, vt pristinam restituat sanitatem, & ad cumulatiorem euehat gratiam: sic ergo habet Origen. Quemadmodum si gladius acutus, & candens inferatur in corpus, duplicem tribuit cruciatum vstionis, & cædis, sic romphæa ea duplex tormentum, adurit, & diuidit. Aiunt studiosi medicinæ ad quasdam corporum curationes necessariam esse non solùm sectionem ferri, sed etiam adustionem: nam ad eos, qui canceris veterno computrescunt, candentem acutissimi ferri laminam adhibent, vt per ignem radices canceris euellantur, per incisionem autem putrida caro truncetur; peccatum autem primi hominis simile erat canceri, quare non ei sufficiebat aut simplex acumen ferri, aut sola ignis adustio. Audi Saluatorem vtrumque de cœlo afferentem: nam in vno loco ait. *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Matth. 10. Et in alio loco dicit: *Ignem veni mittere in terram.* Luc. 12. Eundemque gladium

Genes. 2. num. 24.
Matt. 10. num. 34.
Luc. 12. num. 49.

gladium versat D. Augustin. tomo 1. libr. 2. de Genes. contra Manichæ. cap. 23.

Ex dictis verò constat districtum etiam iustitiæ diuinæ gladium ad nostram medelam inseruire, quæ est ratio cur supplicia in Scriptura visitationes dicantur, sicut adnotauit Hieronymus in cap. 9. Ezechiel. vbi ait omnem pœnam, & vltionem esse visitationem quasi ægrotantis, & quasi medicas expectantis, & sentientis manus, ad quem sensum exponit D. Gregor. 9. Moral. cap. 38. illud Iob cap. 10. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Humanum, inquit supplicium visitatio superna custodit, cùm hunc virtutibus ditatum vel flagello percutit, vel compungit amore. Eodem sensu Diuus Hieronymus exponit illud Amos 3. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcircò visitabo super vos iniquitates vestras.* Pulchrè, inquit Hieronymus, visitabo, & non percutiam, quia plaga Dei visitatio est, atque curatio, & non contentus dicere iniquitates, dixit omnes iniquitates, ne quid impercussum remaneat, vt ne quid non recipiat sanitatem.

Iob 10. *num.* 12.

Amos 3. *num.* 2.

Sed iam pro præsenti argumento iterum redeamus ad Psalm. 74. vbi dicitur: *Fex eius non est exinanita*, quod Ambrosius in Psalm. 37. sic explicat. Calicem iræ exinanire non nouit, sed exinanitum tamen est vnguentum; quo in loco per vnguentum intelligit misericordiam, & gratiam, quam Deus in nos abunde effundit; abundauit enim, vt auerteret iram suam, & misericordiam faceret, & quia oleum symbolum est misericordiæ Cantic. 1. dicitur: *Oleum effusum nomen tuum*, vbi L X X. leguut: *euacuatum, seu exinanitum.* Et cùm apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, exinaniuit semetipsum, atque etiam misericordiã Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum, quod Bernardus epist. 107. sic explicat. Ab æterno per prædestinationem, & in æternum per glorificationem, vtrinque tamen misericordia æternitatem habet, vt & initio, & fine carere intelligamus. Quòd si adhuc cum angusta iudicij propinatione affluentiam misericordiæ diuinæ conferre velis, recole illud Luc. 6. vbi Christus Dominus ait: *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum:* bona enim dicitur mensura, quod omni prorsus careat deceptione, & falsitate; conferta, quod minimè vacua, sed superimpleta; & supereffluens, quod mensuram excedat, & sinu data describitur; propter securitatem, & completionem appetitus, & desiderij. Vidit hanc confertam, & coagitatam mensuram Paulus Roman. 8. cùm dixit: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*, &c. Et 2. Corinth. 4. *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis, æterna gloriæ pondus operatur in nobis*, &c.

Psal. 74. *num.* 9.

Cant. 1. *num.* 2.

Luc. 6. *num.* 38.

Rom. 8. *num.* 38.

2. *Cor.* 4. *num.* 17.

Video tamen posse nobis hoc in loco obiici illud Isai. 40. ad Hierusalem dictum, quòd satis ab ea pœnarum exhaustum sit: *Suscepit*, inquit sacer Textus: *de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis*: vbi Hieronymus, & Hugo in eo sensu duplicia putant suscepisse Iudæos, quia bis extrema omnia passi sunt, semel à Babylonijs, iterum à Romanis. Alij duplo maiorẽ pœnã subiisse Iudæos dicunt, quàm eorum exigerent peccata. Si ergo dupliciter punit Deus, quàm culpæ mereantur, fex calicis exinanitur, & iustitia culparum exigen

Ierem. 49. *num.* 1.

exigentiam superat, totúmque corruit, quod hucusque diximus. At quis credat benignissimum Dominum in infligenda pœna æquitatis modum excedere, & qui in ira misericordiæ recordatur, in supplicio iustitiæ limitem excedere? Dixi in ira misericordiæ recordari, vt pulchram referam expositionem Hieronymi ad illud Abacuc 3. *Abac. 3. num. 2.* *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Cerne, inquit Hieronym. Dei clementiam, non dixit, cùm intuleris supplicia, misericordiæ recordaberis, sed cùm iratus fueris: qui enim irascitur interdum non percutit, sed tantùm comminatur, quod etiam obseruat in Comment. ad illud Paul. Roman. 1. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniquitatem hominum.* Reuelatur, inquit Hieron. non infertur; reuelata vt terreat, & territis non inferatur. Recordatur igitur in ira misericordiæ suæ Deus, quia sibi irato misericorditer occurrit, vt furorem contineat, antequam infligat supplicium, ideóque August. in Psalm. 76. ait: Faciliùs ille iram, quàm misericordiam continebit, proinde nullatenus credendum Deum excessisse modum culparum in inflictione pœnarũ, amplificauitque Cyrill. qui putat Deum hic agere cum populo seuerè mulctato, eo modo, quo pater cum filio tenero, quemque amat impensè agere solet. Nam demulcens illum, blandiénsq; molliter, quo illius dolorem consoletur, ac leniat, quasi illum supplicij sumpti pœniteat, ait: Heu duriùs tecum egi, excessi supplicij modum, malè tecum, & nimis crudeliter actum est. Eodem modo Forerius, & Theodor. citatus à Leone Castro. Adamus agnoscit Dei benignitatem, qui pro peccatis, quibus supplicium debetur grauissimum, reddidit non offensi animi significationem, sed ingentia dona, quæ à liberali ac misericordi animo nascuntur. Sed mihi rem exponit Chald. dicens: *Suscepit calicem consolationum à facie Domini, ac si percussa esset dupliciter pro omnibus peccatis suis:* vbi Paraphrastes Chald. supponit Deum vberiores solere impertiri consolationes iis, quibus grauiores pœnas inflixit, proindeque ad eum modum se habuisse cum Hierusalem, ac si eam admodum antea afflixisset, & grauiter puniisset: vnde Origen. homil. 12. in Ierem. putat duplicia hoc in loco sumi pro magnis, quod etiam habet Ambros. serm. 19. in Psalm. 118. Ribera in illud Zachar. 9. *Duplicia reddam tibi.* Et in hunc sensum explicandum existimo illud Prouerb. vlt. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, id est, omnibus domesticis à sedula, atque solerte matre familias, muliere nempe forti, satis de vestitu, ac cultu prouisum est; quasi pro re domestica satis abundè pararit suppellectilem; vestes autem duplices illæ esse videntur, quæ alibi mutatoriæ dicuntur. Eodem sensu accipio illud Isai. c. 61. *Pro confusione vestra duplici.* vbi Adamus vehementem exponit. Neque hoc alienum est à Latinorum vsu, qui duplex, seu geminum pro crasso robusto, seu ingenti ponunt. Vide Turneb. lib. 27. c. 35. Sic Virgil. de equo 3. Georg.

At duplex agitur per lumbos spina.

Idest, lata. Et 1. Georg. de forma aratri.

Binæ aures duplici aptantur dentalia dorso.

Duplex appellat dorsum, idest, crassum, & latũ. Plura succurrunt exempla attento lectori.

Est ergo sensus, satis pœnarum illatenus dedisse Iudæam gentem, aut typicè

typicè eos, qui postea aggregati sunt ad Ecclesiam, deinde verò cum illis agendum esse mitiùs; imò potius pręclarissima concessisse bona eis, quos afflixerat, vt longè maiora essent beneficia, quàm fuerit illatum supplicium: tunc enim diuina Bonitas magis accenditur ad conferenda beneficia, cùm grauiora homines peccantes merentur, & ipse minatur supplicia.

Osea 14. num. 1. Oseæ in c. 14. ait Dominus. *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum suum: in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, & fœta eius discindantur:* sed continuò additur: *Sanabo cõtritiones eorum, diligam eos spontaneè; quia auersus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, & Israël germinabit sicut liliũ, & erũpet radix eius, vt Libani, &c.* Quis ergo iratum Deum tam benignum reddidit, nisi quia in ira misericordiæ suæ recordatus est, vt conuerteret furorem in dilectionem, vnde maiora prouenirent bona, quàm comminatus fuerat mala? Similis est

Mich. 2. num. 10. locus apud Mich. in cap. 2. vbi Deus ait: *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem, propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem, & erit, super quem stillatur populus iste*; idest, prophetabo tibi mala, quæ te inebrient, & in amentiam deducant; verùm eadem ira in amorem conuersa, statim additur: *Congregatione congregabo Iacob totum te, & in vnum conducam reliquias Israël, pariter ponã illũ quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum.* Similiáque multa sunt in Prophetis; vbi Deus hominum excessibus, & peccatis iratus illico furorem totum in amorem conuertit, vt nihil magis videatur meminisse, quàm de conferendis beneficiis, quod signum est summæ dilectionis; solet enim læsus amor magis accendi, & veluti ignis aduerso flãte vento, maiorem flammam concipere; quod etiam in prophanis amoribus videre est; quamuis enim ardere videatur Dido in Æneam apud Virgil. 4. Æneid. ipsa tamen de seipsa fatetur.

Non tamen Æneam, quamuis mali cogitet, odi;
Sed queror infidum, questáq; peius amo.

Quod etiam dixit Plato in Philebo, seu in lib. de Volupt. vbi agẽs de affectibus animi adducit locum petitum ex Homero, cuius hæc sunt verba.

Ita etiam sapiens, quantumuis percitus, ardet,
Dulcior, vt quod sit mellis stillante liquore.

Vnde quia in amaritudine ira amoris dulcedo relucet, inde est quod etiã in amaritudine pœnæ, & supplicij reluceat admodum dulcedo; vtilitas scilicet, & profectus puniti, & flagellati hominis, qui corripitur, vt sanetur, sicut Ezechias de se fatetur, amaritudine repletur, vt dulcedine afficiatur, quod acutè obseruat Hieron. in illa virga ostensa Ieremiæ in cap. 1. quam ipse putat fuisse amygdalinã ex Hebr. quẽ sequitur Theodotion. & alij: Asserit igitur Deum non sine mysterio amygdalinam virgam pro supplicio ostẽdisse, eò quòd sicut amygdalum amarissimum habet corticẽ, quo detracto dulcis fructus decerpitur, quòd adhuc magis elucet apud LXX. qui legũt, *baculum nuceum*; iam verò nucea testa amaritudine superat nucem, continet verò suauem nucleum, ita & Dei supplicia nobis inflicta quantumuis videantur pœnæ, & amaritudinis continere, adhuc sub cortice, gratiæ, & meriti dulcedo latet, quam ille percipit, qui agnoscit Deum nonnisi in iustorum profectum eis pœnas infligere, quòd videtur assecutus Dauid cùm dixit Psal. 22. n. 4. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt:* Ierem. 1. num. 11. Psal. 22. num. 4.

Fff 3 Nam

Nam ſicut virga, aut baculus paſtoralis non occidendis ouibus, aut perdendo pecori inſeruit, ſed reducendo à lupis, deducendo ad paſcua, ſic & virga, ac baculus Dei in noſtrum commotum aſſumitur. Vnde Hieronym. ad amicum ægrotum ait: Ad cœlum Deus militem Chriſtianum vocat, quem comitantibus gloriis preſſuræ deducunt. Cui doctrinæ ſuffragatur Auguſt. ad Pſalm. 52. vbi ait: Quò pungeris, inde naſcitur roſa, qua coroneris. Etenim ſicut è ſpinis pulchræ oriuntur roſæ ſuauiſſimum odorem efflantes, ſic etiam è tribulationum aculeis bonorum incrementum prouenit.

In quam ſententiam videndus eſt Origen. homil. 27. ſuper Numer. vbi inter alia ponderat illud Numer.
Num. 33. num. 8. 33. *Ambulantes tribus diebus per deſertum Ethan caſtrametati ſunt in Mara, profectiq́ de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ ſeptuaginta, ibiq́ caſtrametati ſunt.* Vides, inquit Origen. poſt amaritudines, poſt tentationum aſperitatem, quàm te amœna loca ſuſcipiant? Non veniſſes ad palmas, niſi tentationum amaritudines pertuliſſes; nec veniſſes ad dulcedinem fontium, niſi prius aſpera ſuperaſſes; non quod iam in his itineris finis ſit, ſed diſpenſator animarum Deus in ipſo itinere interſerit laboribus refrigeria, quibus anima promptior fiat ad reliquos labores ſuperandos; vnde Paul. 1. Cor. 10. ait loquens de
1. Cor. 10. num. 13. Deo diſpenſante labores. *Faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere:* vbi Caietan. legit: *Faciet cum tentatione commeatum*, per alluſionem ad milites, quibus omnia neceſſaria prouidentur, vt belli moleſtias poſſint ſuperare, & de hoſtibus triumphare.

Cant. 2. num. 10. Cant. in cap. 2. inducit perfecta anima Deum ſibi loquentem: *Surge, propera amica mea, iam enim hyems tranſiit, tempus putationis aduenit.* Vbi aliqui legunt: *Tempus vindemiæ venit:* in ipſa ſiquidem ſectione, & vſtione laborum vindemiæ fructus reperitur, & computatio vinearum, ſicut ibi aduertit Caſſiodor. purgatio ſit animarum ſanctarum, non minimus fructus eſt ipſa animarum conuerſio, imperfectionum ablatio, & maioris gratiæ infuſio, quæ continetur ſub ipſo ferro, & vulnere afflictionis: quod meritò miratur Bernard. in Sentent. cùm ponderat doctrinam Chriſti, dum aſperitatem, & amaritudinem ſonat, maximam ſub ſe continere dulcedinem, idque probat ex illo Cant. 4. *Mel, & lac ſub lingua eius:* Cant. 4.
nam quod ſuper linguam eſt, & in num. 11.
ſono ſermonis, fel eſt, & amaritudo, quod autem interiùs rem rimantibus apparet, profectò dulcedo eſt, mel, & lac; deinde confirmat hoc ipſum ex Pſal. 43. *Qui fingis laborem* Pſal. 43.
in præcepto. Etenim ſiquis expendat num. 9.
laborem & afflictionẽ, quibus Deus in ſuos animaduertit, cùm bonis, quæ confert, inueniet laborem eſſe fictum; beneficia verò collata vera, eáque maxima.

Pro qua ſententia videndus eſt locus ille Pſalm. 41. vbi habetur: *In die* Pſal. 41.
mãdauit Dominus miſericordiam ſuam, num. 9.
& nocte canticum eius: vbi Auguſt. eleganter aduertit verſionem LXX. Interpretum, qui habent: *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte declarauit.* Eã igitur in rẽ noſtram, conuertens ait: In rebus proſperis mandat tibi Deus miſericordiam ſuam, quia te liberat de tribulatione, ſed non tibi declarat ipſam miſericordiam, niſi per noctem, ideſt, niſi venerit tibi tribulatio, &c. Mandat itaque Deus miſericordiam ſimul cum laboribus, cámque declarat aperiens os ſuum ſecundùm doctrinam Euangelicam, inde enim eſt, quod

quod primum sermonem exorsus est à beatificatione laborum, persecutionum, & lachrymarum: qui igitur illius doctrinam agnoscit, profectò intelliget nocte aduersitatum magnam nobis declarari misericordiam, ea siquidem ratione aduersa infligit, vt dulcia, & meliora propinet.

Psal.143. num.2. Captiui olim apud Babylonem Israëlitæ, in salicibus in medio eius suspenderunt organa, ne cantica Domini decantarent, sed potiùs lachrymis habenas laxarent; quo in loco Hieron. ait: Stultè egerunt, cùm potiùs gratias deberēt referre pro ipsamet captiuitate, scientes eam ipsis cedere in magnum emolumentum, & misericordiam suam magnam declarasse Deum apud illos in nocte tribulationis; vnde sanctus ille Anachoreta in vitis Patrum p.2. §. 147. dixit. Summa Religio est, vt in infirmitate quis Deo gratias agat: sicut enim magno, & forti medicamine ægritudo corporis curatur, sic ægritudine cordis, corporis vitia retunduntur. Si ferrum es, æruginem per ignis tribulationes amittis. Si aurum, splendidior, & purior efficieris: quapropter sancti Patres desiderabant semper esse in infirmitate. Cùm igitur Israëlitæ potiùs deberent gratias referre Deo, ipsúmque inuocare, organa suspendebant, de quibus August. putat intelligendum esse illud

Psal. 58. num.6. Psal. 58. *Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem.* Indigni enim sunt, quibus tu miserearis, illi, qui cùm implorare debeant Dei auxiliantis opem, ab eo desistunt; qua de re videndus Chrysost. homil. 17. super 1. ad Corinth.

Ion. 2. num.2. Meliùs sanè Ionas, qui *orauit ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit: Clamaui de tribulatione ad Dominum, & exaudiuit me. Ego autem in voce laudis immolabo tibi, &c.* Quod ponderans Ambros. ait ipsum in vtero ceti Domino cecinisse, qui mœrebat in terris; antequam enim à Domino premeretur tristis abiit, & ante afflictionem afflictus; at post iactationem in mare, post deglutionem ceti, tunc in illius vtero vocem laudis assumit, quasi gratias reddens Deo, quòd ipsum ita corripuerit, vt meliùs sanaret, & vberiori afficeret gratia, sic verò habet Ambros. lib. 5. Hexamer. cap. 11. in fin. Quid de Iona dignum loquar, quem cetus excepit ad vitam, reddidit ad prophetandi gratiam? Emendauit aqua, quem terrena deflexerant, psallebat in vtero ceti, qui mœrebat in terris. Petrus quoque in mari titubabat, sed non labebatur: & confessus in fluctibus, negauit in terris; itaque illic quasi deuotus manu apprehenditur, hìc quasi oblitus aspectu, & sensorio conuenitur. Cùm igitur Deus ideo aduersa, & dura infligat suis, vt vberiora bona concedat, non est cur contristemur in afflictionibus, sed quòd dicamus cum Ezechia, corripies me, & viuificabis me, &c.

Hoc etiam docuit Christus Dominus, qui proximus passioni suæ gratias tribuit æterno Patri in vltima cœna, non solùm de more solito, vt putat Chrysost. sed etiam ob oblatam occasionem tanta patiendi, quanta ei sustinenda instabant. Sic enim habet Chrysost. homil. 83. in Matth. *Gratias egit*, vt nos doceret omnia, quæ patimur, cum gratiarum actione esse ferenda, &c.

Hoc benè agnouit Dauid, qui gratias Domino reddebat, quòd non in posterum, & in multum tempus ei à Domino differebatur supplicium, labor, & afflictio, sed quamprimùm premebatur, vnde dicebat Psalm. 72. Psal. 72.
Et fui flagellatus tota die, & castigatio num.14.
mea in matutinis: vbi August. sic exponit. Quid est in matutinum? Non differtur,

differtur. Differtur impiorum, mea non differtur; illa sera, vel nulla est, mea in matutinum, &c. idest, quàm citissimè, vt non videatur Deus, aut dissimulare suorum errata, aut ab inflictione, & afflictione eorum cessare, sed diluculo surgat ad puniendum illos.

Prosequitur hoc ipsum idem August. in Psal. 98. ad illa verba. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Etiam vindicans, inquit ille, propitius fuisti eis, non solùm donās peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat. Et Psalm. 99. ad illud: *Seruire Domino in lætitia*, ait. Confitere in compedibus tuis, si vis vt in ornamenta vertantur, &c. Et in Psal. 33. ibi: *In noctibus extollite manus vestras in Sancta*, ait. Facilè est benedicere in diebus. Quid est in diebus? In rebus prosperis. Nox enim tristis res est, dies res est læta. Quando tibi benè est, benedicis Dominum. Benedicite ergo Dominum. Quando? In noctibus. Quando benedixit Iob? Quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia, quæ possidebantur, quàm tristis nox? Sed videamus, si non in noctibus benedicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Quàm nox atrox? Percussus vulnere à capite vsque ad pedes putrefactus liquescebat in se. Tunc enim vxor ausa est eum tentare: *Dic aliquando in Deum tuum, & morere.* Audi benedicentem in noctibus. *Locuta es*, inquit, *quasi vna ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare nō toleramus?* Ecce quid est: *in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Magna gratia Dei. Sed vnde hoc, nisi quia ros Hermon compluerat illam animam, & dederat Dominus suauitatem, vt terra nostra daret fructum suum? &c.

Psal. 98. num. 8. — *Psal. 33. num. 3.* — *Iob 1. nu. 21.*

Videndus idem August. in Psalm. 97. ad illa verba: *Et in tubis ductilibus laudemus Deum.* Vbi per tubā æream, & ductilem, ac tunsionibus fabricatam intelligit iustum percussum, & oppressum afflictionibus, qui cum si afflictus, & durè admodū percussus laudes Dei insonuerit, & Dei nomen benedixerit, & Deum lætificat, & homines ad tolerantiam excitat, & verè ductilis est, idest, proficiens, & in multum meritum auctus; sic enim habet August. Quid sibi volunt tubæ ductiles, & tubæ corneæ? Ductiles, tubæ æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo ergo, vapulando eritis tubæ ductiles, ad laudem Dei productæ. Si cùm tribulamini proficiatis tribulatio tunsio, profectus productio est. Tuba ductilis erat Iob, quando repentè percussus rantis damnis, & orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis sonuit. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Quomodo sonuit, quàm suauem sonum edidit ista ductilis tuba? Adhuc tunditur, datus est in potestate, vt in carne eius percuteretur. Percussa est, cœpit putrescere, scatere vermibus, supposita Eua ad seductionem, vxor eius seruata ad ministerium diaboli, non ad solatium mariti, suggerit blasphemias nō obtemperat ille, obtemperauit Adam Euæ in paradiso, repellit Adam Euam in stercore. Melior Iob putris in stercore, quàm integer ille in paradiso. Sed adhuc illa Eua erat, iam ille Adam non erat. Respondit Euæ præparatæ ad istam supplantationem, & tentationem. Ecce audiuimus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus à capite vsque ad pedes graui vlcere, & putrescens vermibus

Psal. 97. num. 6. — *Iob 1. nu. 21.*

vermibus ſedebat in ſtercore. Audiuimus quemadmodum tunſus eſt, audiuimus quomodo ſonet vox tubæ huius ductilis. Dulcem vocem, ſi
Iob 1. num. 10. placet, audiamus. *Locuta es tanquam vna ex inſipientibus mulieribus, ſi bona ſuſcepimus de manu Domini, mala non ſuſtinebimus?* O ſonum fortem, & ſonum dulcem? Quem non dormientem excitet ſonus iſte? Quem non excitet præſumptio in Deo, vt aduerſus diabolum ſecurus procedat in prælium, non ſuis viribus obtenturus, ſed illius, qui probat? Quia ipſe etiam tundit, non enim faceret multos de ſe ipſo. De illius enim diaboli pœna futura Propheta commemorans ait Hierem. 50. *Contritus eſt malleus vniuerſæ terræ.* Malleum vniuerſæ terræ diabolum voluit intelligi. De ipſo malleo in manu Dei poſito, ideſt, in poteſtate Dei, tunduntur ductiles tubæ, vt reſonent laudes Dei Videte quemadmodum fratres mei de iſto malleo etiam Apoſtolus tun-
2. Cor. 12. num. 7. debatur: *In magnitudine*, inquit, *reuelationum ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanæ, qui me colaphizet.* Ecce tunditur, videamus quemadmodum ſonet. *Propter quod*, inquit, *ter Dominum rogaui, vt auferretur à me, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Ego tubam, inquit ille fabricator, perficere volo, non proficiam, niſi tundam: in infirmitate virtus perficitur. Et audi ipſam tubam ductilem, & bene ſonantem, quando infirmor, tunc potens ſum. Et ipſe Apoſtolus, tanquam Apoſtolus hærens Chriſto, hærens illi dextræ, de qua tenetur malleus, vt producat tubam, in illa dextra poſitus fuerit, facit & ipſe de ipſo malleo, dicit de quibuſdam, quos tradidit Sathanæ,
1. Tim. 1. vt diſcant non blaſphemare. Tradidit malleo tundendos: malè ſonabant antequam producerentur, fortè producti, & facti tubæ ductiles, amiſſa blaſphemia, laudes Domini ſonuerunt. Hæ ſunt tubæ ductiles. Sic ille.

Si ergo tubæ ea ratione malleo Domini tunduntur, & conteruntur, vt aptæ reddantur ad reſonandas laudes Dei, imò & qui antea blaſphemias effundebant, & conuitia, ac ſcelera ex ore ipſorum audiebantur, poſtquam tunduntur malleis, ſcilicet ſupplicus, morbis, afflictionibus, & perſecutionibus, iam Dei præconia, & encomia reſonant, profectò debemus ea mente preſſuras accipere, vt eis ad decantandas Dei laudes prouocemur; hoc enim eſt in tubis ductilibus Domino præcinere, & confiteri optimo Fabricatori, cuius opera premimur, vt ad ipſius confeſſionem, & laudem reducamur.

Videndus etiam in hanc ſententiam Nazianz. in epiſtol. 4. ad Eudoxium Rhetorem, qui pro toleranda æquanimiter ægritudine, qua laborabat, petiit à Nazianz. vt ipſi exponeret Pſalm. 72. *Quàm bonus Iſraël Deus*; cumque Nazianz. ipſi exponeret Pſalmum, expoſitionem interrupit æger, extollens vocem, & gratias agens Deo pro morbo, quo premebatur. Gratias tibi ago, inquit, ô Conditor hominum tuorum, quod nos etiam inuitos, etiam effingis, & per externum hominem internum purgas. Et quid opus eſt omnia recenſere, quæ ante nos philoſophabatis veluti exultans ex morbo, ita vt diſcipulum haberes, quem volebas eſſe doctorem, &c. Cùm enim ad noſtrum profectum nobis mala à Deo infligantur, ſanè qui recta mente aduerſa omnia ſuſceperit, & aduerterit, non niſi pro ſalute morbos adhibere, tanquam pharmaca, pro diuitiis paupertatem, pro lætitia tribulationes, pro gloria ignominias, &

pro bonis omnia mala, non solùm æquo animo sustinebit, quinimò & mediis in ærumnis cantabit, gratiásque aget cum Ezechia, dicens: *Corripuisti me, & viuificasti me.*

Vnde August. in Psalm. 50. ait: Erat in infirmitate tribulationis suæ Dauid tantò in Deum intentior, quantò miserior videbatur. Optima sunt quę hac de re habet Hieron. proœmio ad lib. 11. Comment. in Isai. & in c. 38. Isai. vbi de morbo ipso inflicto Ezechiæ agit, & in c. 51. Isai. n. 17. ad illa verba: *Eleuare Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ eius*, & in c. 17. Ierem. n. 14. ibi: *Non sis mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis.* LXX. *Non fias mihi alienus parcẽs mihi in die pessima*: ait ergo Hiero. Quod L X X. transtulerunt, est sensus: *Ne parcas mihi in præsenti sæculo* &c. Et in cap. 24. Ezech. ait: Idcircò adhibentur ægrotantibus pœnæ, vt dolorem sanitas cõsequatur, &c. quæ optimè ibi prosequitur, probans quomodo nobis cedant in profectum, & in meliùs quæ à Domino aduersa inferuntur.

Denique apertè constat quomodo Ezechias agnouerit morbum lethalem ipsi cessisse in meliùs, & pro eo gratias egisse, cum addidit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*; vbi ex Hebræo Vatabl. habet: *Ecce ad incolumitatem cedet mihi amara hæc amaritudo*: similiter & Brixianus habet dum explicat pro eo, quod nos habemus, *in pace*, in pacem, scilicet versa est, nempe amaritudo mea amarissima. Hoc igitur qui rectè expendit, non obruitur ingruentibus ærumnis, sed potiùs æquanimiter fert, & pro eis Domino laudes decantat, sicut in præsenti faciendum admonet pius Rex Ezechias.

***

TEXTVS



TEXTVS VII.

Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

PRopositam sententiam videtur adhuc prosequi Ezechias de vicissitudine rerum circa humanam vitam, quam modò læta, modò tristia comitantur, hoc autem exemplo suo probat, quippe qui paulò antea lætus sibi videbatur, modò autem morbo pressus in mortales incidit amaritudines. Tota dubitatio est ad quam pacem respiciat hoc in loco; nam sunt plerique, qui cum Hieronym. putant Ezechiam adhuc perstare in amplificando dolore suo, significareque se tunc cruciari vehementer, cùm ad summum felicitatis fastigium euectus esset, & hostem potentissimum à se, vrbeque regia precibus ad Deum fusis, fugasset, cuncto hostili exercitu ferè ad internecionem cæso, pace iam, & quiete populis parta; tunc enim amaritudo non poterat non esse amarissima, cùm dolor post lætitiam eum inuasit, & infestiorem bello reddidit talem pacem. Hæc tamen sententia haud facilis nobis videtur, eò quòd non vsquequaque constar hanc ægritudinem contigisse post deletum exercitum Assyriorum, imò potiùs probabilior videtur eorum opinio, qui putant accidisse victore adhuc, & triumphante Sennacheribo, eo nempe spatio, quod digressus ab obsidione Assyrius arma contra Ægyptios Æthiopesque conuerterat. Alioqui cur Propheta languenti Regi non salutem solùm, sed etiam libertatem ab Assyriorum armis promitteret; nam hoc eodem cap. nu. 6. postquam dixit: Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, statim addit; & de manu Assyriorum eruam te & ciuitatem istam, & protegam eam; cùm autem hoc dictum fuerit Ezechiæ quo tempore ipse ad mortem ægrotabat, apertè constat nondum ei pacem ab hoste Assyrio, qui propè diem reditur us timebatur, contigisse. Quapropter alij potiùs iuxta priorem explicationem existimant sensum esse: illa, quæ turbida videbantur, & præsentem mortem intentare, conuersa sunt iam in pacem, & sanè præpositio Lamed, præposita Lescalom. i. paci, mutationem, & conuersionem indicat. Hebræus textus ad verbum habet. Ecce in pace amaritudo mihi, & amaritudo (scilicet fuit) quando existimabam mihi tandem remanere, & superesse quietem, aduenit denuò amaritudo, quæ mihi post pacem, & requiem amarior; & acerbior videtur, at tu Domine, qui repentè potes percutere, & sanare eruisti animam meam vt non periret. Vel denique secundum moralem sensum: vt me affligerem, & tibi placerem, teque placarem, amarissimè fleui, & recogitaui omnes annos meos in amaritudine animæ meæ in pace, & quiete mea.

ANNOTATIO I.

Quibus amaritudinibus quæque mundi dulcia condita sint.

EX hoc loco deduximus quæque mundi dulcia, prospera, & excelsa

excelſa multis amaritudinibus eſſe infecta, & quo tempore nobis videntur vndequaque dulceſcere, & reſplendere, tunc & in deteriùs abire, & nos magis torquere. Numer.
Num.19. num.7. 29. dicitur, *decima die menſis ſeptimi* (qui eſt September) *erit vobis ſancta, atque venerabilis, & affligetis animas veſtras.* Cur igitur eo menſe talis afflictio præcipitur; Origen. homil.25. in Numer. O mira, inquit, feſtiuitas, dies feſtus animæ afflictio appellatur, quia videlicet feſtiuitas cum ipſa afflictione coniungitur, gaudium enim coincidit cum afflictione, &c. Vult Deus vt agnoſcamus gaudia huius ſeculi cum afflictione eſſe mixta, proinde mediis lætitiis amaritudinem afflictionis immiſcet, ea namque ſunt huius ſæculi dulcia, vt quando minus arbitramur, amaricari velut abſynthium deprehendamus. Sed adhuc inquirendum reſtat, cur potiùs eo menſe, eáque feſtiuitate afflictio præcipiatur? cui dubitationi ſatisfacit Oleaſter, ibi dicens: Non eſt abſque oculis prætereundum: cur Dominus Iudæos animas affligere præceperit potiùs menſe ſeptimo, quàm aliis, cum potiùs deberet ſinere eos nouis fructibus, muſti copia, & aliis animum dilatare; ſolet enim Deus vanitatibus noſtris afflictionibus occurrere, quoniam optimè nouit quàm facilè in copia defluamus: videlicet Septembris menſe fructuum matureſcentium vbertas eſt, quibus colligendis peculiari quadam iucunditate homines perfunduntur, vnde ea in prouerbium aſ-
Iſai. 9. num.3. ſumpta eſt apud Iſai. cap. 9. *Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe.* Eo igitur tempore animorum afflictio imperatur, vt nouerit Dei populus omnem prorſus vitæ iucunditatem, & dulcedinem afflictionibus, & amaritudinibus permiſceri, & veluti condiri, ne omnino dulceſcant, quod bene proſequitur Bernardus ſerm. in vigilia Sanctorum Petri, & Pauli ad finem, in hunc modum: Ita ſemper gaudium noſtrum in hac valle lacrymarum pane condiri debet, vt ſemper non ſolùm extrema, ſed & prima gaudij luctus occupet, quia etſi magna eſt gaudiorum materia, ſed maxima eſt dolorum. *Memor fui Dei*, clamat iuſtus, *& delectatus ſum*, ſed ſtatim ſubiungit: *Defecit ſpiritus meus, turbatus ſum, & non ſum locutus.* Quod etiam docuit Baſil. homil. de Paradiſo ante medium, his verbis: Roſa hîc ſpinis eſt coniuncta, externa gratia moleſtiam obtegens, & tantùm non aperta nos voce conteſtans, ac dicens: quæ iucunda vobis ſunt, ô homines, triſtibus permixta ſunt; nam verè in humanis bonis ita comparatum eſt, vt nullum eorum ſyncerum ſit, ſed confeſtim lætitiæ, & hilaritati conglutinetur mœſtitia, coniugio viduitas, puerorum educationi cura, & ſollicitudo: fœcunditati abuſus: vitæ ſplendori ignominia: proſperis ſucceſſibus diſpendia: delitiis ſatietas: ſanitati infirmitas. Florida quidem eſt roſa, ſed mihi triſtitiam infligit. Et hîc quidem tranſitoria, ac breuis momenti vernorum florum gratia adhuc deſiderantes deſtituit. Nondum enim ab illorum collectione domum reuerſi ſumus, & ecce in ipſis adhuc manibus noſtris conſtituti marceſcunt: in paradiſo autem florum ſplendor non eſt momentaneus, ſed conſtantem habens iucunditatem, gratioſum, & amabilem aſpectum, nunquam deſiturum oblectamentum, inſatiabilem fragrantiam, & colorum elegantiam refulgentem. Et ipſarum quoque plantarum venuſtas talis eſt; quæ Conditoris opificium, & plantationem decet. Nam quiſque illarum fructus multum quidem

quidem habet elegantiæ, & gratiæ: plus verò vtilitatis, quàm oblectationis. Quomodo tibi deliciarum istarum excellentiam repræsentabo? Si contulero cum præsentis sæculi delitiis: contumeliam illis potiùs ex collatione attulero. Aut quam tibi vel ex imagine aliqua energiam ob oculos exponam? Omnia perfecta sunt, omnia tempestiua, & matura, non paulatim accepto incremento adaucta.

Videnda sunt in hanc sententiam quæ habet August. in Psal. 102. cùm inter alia ait. In bonorum cupiditate quantæ spinæ? In luxuria libidinum quantæ spinæ? In ardore auaritiæ quantæ spinæ? Amores turpes quantas molestias habent? &c. Quibus ostendit tunc maximè pungi, & torqueri homines, cùm maiori voluptatum dulcedine perfruuntur, ac veluti inter spinas iacere, qui inter bona huius seculi versantur; in quamlibet enim partem se versare velint, punitiones experiuntur, & amaritudines, quibus impediuntur, ne diu iucunditate fruantur.

Matt. 20. num. 22. Hac ratione interpretatur Victor Antiochen. illud Matth. 20. quando duobus fratribus interuentu matris postulantibus sedes in Regno Christi huius seculi, dixit: *Nescitis quid petatis.* Præsentia, inquit ille, non gloriam, non quietem, non alia eiusmodi, sed cædem, sed bella, sed pericula, plurimáque id genus alia exigunt, &c.

Sordes appellãtur temporalia bona in eo, quod sordidum reddant hominem, etiamsi mundissimus habeatur: qui enim in cœno volutatur, fieri nequit, vt diu munditiem seruet, sed quia insuper & aculeos habent, & amaritudinem, fieri etiam nõ potest, vt sine multis querelis reperiantur; quot enim patiuntur amaritudines, in tot etiam querimonias prorumpunt, quod videre est apud Oseam cap. 5. vbi dicitur: *Calumniam passus est Ephraim fractus iudicio, quia cœpit abire post sordes.* LXX. habẽt; *quia cœpit abire post vana.* Vnde optimè ad rem nostram Ribera ait. Qui cœperunt sequi voluptates semper queruli erunt, & quasi calumniam patientur: carent enim tranquillitate animi; & pacem habere non possunt. Habent terrores nec paucos, & inturbatores suarum voluptatũ, odia, contentiones, infamiam, & præter alios ipsam suam conscientiam, quæ omni verbere acerbior est, & quasi fractos iudicio, damnatósque digno supplicio afficier. Et quod adhuc amarius habent dulcedines vitæ huius, quòd amaricare facient omnia prospera, & læta, quòd nobis intermissibilem, & interminatam adducent amaritudinem æterni supplicij. Licèt enim modò mundi bona hoc magnum habeant malum, quòd secum portẽt amaritudinem, illa, quam nobis adducent, maius erit malum, quod optimè aduertit Chrysost. homil. 22. ad popul. post med. vbi loquens de vltimo iudicio ait. Tunc cognoscemus, quàm amara sit voluptas, cùm reipsa experiemur quantæ nobis sit amaritudinis ministra, &c. Quæ igitur voluptas, quod gaudium, & lætitia in præsentibus bonis poterit inueniri, in quibus maxima reperitur amaritudo, quæ etiam & nobis amarissimam amaritudinem suppliciorum æternorum conciliabunt?

Ose. 5. nu. 11.

Fabulationes appellauit Dauid bona, & voluptates seculi Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes:* vbi August. legit: *Narrauerunt mihi iniusti delectationes tuas.* Fabulationes igitur appellauit non solùm, quia ad modum fabularũ aguntur; quo sensu etiam Paul. dixit: *præterit figura huius mundi:* sed quia ad modum tragœ- Psal. 118. num. 85.

diæ sese habent vniuersa bona huius seculi in amaritudinem desinentia, occupante tristitia extrema gaudij. Magnum autem beneficium Domini est, si oculos mentis nostræ misericors Dominus aperiat, vt cognoscamus in media dulcedine, & prosperitate ficta, adesse veram amaritudinem, antequàm malo nostro experiamur æternam amaritudinem, qui delectati sumus decepti dulcedine. In quam sententiam benè interpretatur Hierony. illud Ezechiel. 30. *Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola*, vel *optimates de Memphis*: vt sit præclarum Dei beneficium reuelare nobis fallaciam bonorum temporalium, & aperire amaritudinem in media seculi delectatione, & dulcedine. Clementissimi, inquit Hieronym. Domini est malè licta subuertere, vt nulla similitudo, quæ mentitur imaginem veritatis, remanear in Ægypto: optimates quoque pereant de Memphis, quæ interpretatur ex ore: de quo omnia idola confixerunt, vt truncatis capitibus, & magistris idolorum, non sit princeps in Ægypto. Hæc omnia Dominus disperdet, atque succendet, & effundet super ea indignationem suam, & robur Ægypti dissipabit, vt redacti ad nihilum nequaquam populum Dei solicitent, & in suo sperare faciant auxilio: vt deserta veritate quærant mendacium, & quasi ab oculo arundineo, sic suo præsidio vulnerentur, &c.

Ezechiel. 30.n.13.

Similis est illa imprecatio apud Paul. Rom. 16. *Conterat Deus Sathanam sub pedibus vestris*, id est, tentatorem, qui prospera ostēdit, sicut fecit Christo Domino, & gloriā Regnorū mundi proponit, nō verò infernum, & amaritudines, vt decipiat, & deiiciat vos ad pedes suos, ipsum colendo, & adorando. Illum igitur, qui à nobis ad pedes suos prouolutis vult adorari propter dulcedines vitæ, & gloriam temporalem, ad pedes nostros vult conteri Paulus à Domino Deo nostro, quo faciliùs agnoscamus falsitatem tentationum, & gloriam seculi potiùs infernum continere tanquam in causa, & radice. Vide si non infernum secum portat seculi gloria, quæ qualibet motione concutitur, & torquetur, & casui approximat, & media in pace prosperitatis tota commotione conturbatur. Auditur vox interrogantium; *vbi est, qui natus est, Rex Iudæorum?* & statim *turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* Vbi Author operis imperfecti in Matth. homil. 2. ante med. ait: Semper grandis potestas maiori timori subiecta est, sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi leuis aura flauerit, mouetur; sic & sublimes homines in culmine dignitatum existentes etiam leuis nuntij fama conturbat. Humiles autem, sicut in conualle, plerumque in tranquillitate consistunt, &c.

Rom. 16. num. 2.

Videndus idem Chrysost. homil. 23. in Ioan. ad fin. vbi per allusionem ad id, quod fieri consueuit in agricultura, rem, in qua sumus, sic aperit: Etenim diuitias, & seculi voluptates per spinas intelligi ipse Filius Dei in carne viuæ vocis oraculo dignatus est exponere, nō solum quod pungant, torqueant, & dilacerēt, sed etiam, quia sicut inter spinas latent venenata omnia, lacerta, vipera, & huiusmodi, quæ incautum mordent, & veneno inficiunt, ac morte afficiunt: spinosa proinde loca, vt vtilia redigantur ad suscipiendum proficuum semen, & perferendos optimos fructus, solent agricolæ apposito igne vepres, & spinas comburere; sic igitur orandus est Deus, inquit Chrysost. vt conterat Satanam, sub

ſub pedibus noſtris, & venenum latẽs ſub diuitiis,& dignitatibus agnoſcamus, vt fugiamus, nec decipiamur fictis dulcoribus, vt amaritudines amariſſimas experiamur. Sic verò habet Chryſoſtom. Mentis oculos à tam grauiſſimo morbo liberemus, illuminemus, nolimus inter ſpinas ſemen iacere. Quænam hæc ſpinarum copia? Noſtis etſi tacemus: ſæpenumero audiſtis Chriſtum præſentis vitæ ſolicitudines, & diuitiarũ fraudes, ſpinas appellaſſe, & meritò ſanè: nam quemadmodum ſpinæ ſteriles ſunt, ita & diuitiæ. Quemadmodum illæ eos, qui tangunt, lacerant: ita harum cupiditas. Quemadmodum facilè igni comprehendũtur, & odio habentur agricolis: ita huius ſeculi negotia. Poſtremò, vt inter ſpinas feræ, viperæ, ſcorpij deliteſcunt, ita in fraudibus diuitiatum. Verùm enim verò dilectiſſimi Spiritus Sancti igne & ſpinas conſumamus, & beſtias fugiamus: vt agricolæ agrum purgatum reddamus, inde ſpiritualibus aquis irrigemus, plantemus oliuam fructiferam, plantam vtique mitiſſimam, & ſemper virẽtem, quæ illuminat, quæ nutrit, quæ bonã floris valetudinem, &c. Sic ille oſtendit quomodo oporteat agnoſcere falſas deceptiones bonorũ temporalium, quorum amaritudinem abſcõditam habet tentator, vt ſolam dulcedinem proponat, qua facilè poſſimus inebriari, vnde ebrietatem appellauit idem Chryſoſt. gloriam ſeculi, dignitates ſcilicet, honores, & diuitias; quę mentem auferunt, ne veram gloriam, lætitiam, & dulcedinem inueſtigemus, ſed potius velimus, & aucupemur dulcedinem venenoſam ſeculi. Vnde infert eos, qui ſeculi gloriam ſectabantur noluiſſe Regi gloriæ Chriſto Domino prædicanti, & mirabilia facienti aſſentiri, eò quòd ebrij erant ſecularium deſiderio. Sic verò habet Chryſoſt. hom. 2. in Ioan. in med. verſans locum illum Ioan. 12. *Ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt de Synagoga non eijcerentur:* potius enim hominum, quàm Dei gloriam optarunt. Non enim, inquit Chryſoſt. ignorationis gratia Dei, Filium abnegarunt, ſed vt apud populum plurimum, & authoritatis, & honoris conſequerentur. Siquidem nullo pacto fieri poteſt, vt is, qui tanto ſtudio ſæculari gloriæ ſeruiat, diuinam vnquam aſſequatur. Idcirco his verbis reprehenduntur. *Quomodo poteſtis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Ioan. 5. Intolerabilis, quædam ebrietas eſt inanis gloria: ideoque quem ſuæ ſubiecit dictioni, is ægrè in ſanitatem reſtituitur, & peſtifera tabe inficit animam, à cœlo abſcindens, terræ affigit, neque eam amplius ſinit, vt ad veram lucem dirigere poſſit intuitum: ſed in huius ſeculi ſordibus ſemper eius perſuaſione deuoluitur, & dominos nobis tam potentes imponit, vt etiam ſine iuſſu aliquo nos exciperent, nobiſque, perpetuò dominentur, &c. quæ in hanc ſententiam latiſſimè ibi proſequitur, oſtendens amentiam eorum, qui præſentium inhiant aſſecutioni, & eorum falſitate decipiuntur.

Ioan. 12. num. 12.

Ioan. 5. num. 44.

Experitur etiam falſa dulcedo bonorum temporalium, quòd finim, ſicut in cibis dulcor irritat, & deſiderium vlteriora adhuc cõſequendi, magna vtique amaritudo; quam in ambitione honorum, & diuitiarum ſumus alibi proſequuti. Oſeæ 4. *Comedent, & non ſaturabuntur.* Vbi Hieronym. rem refert ad voluptates, & delitias, quibus quantumcumque ſe miſera anima velit replere, nuſquam tamen ſatiabitur, ſed præ

Oſea 4. num. 10.

præ dulcedine ficta maiorem in dies patietur sitim, donec amaritudinem sentiat. Voluptas, inquit Hieronym. insatiabilis est, & quantò magis capitur, tantò plus vtentibus se famem creat, &c. Sumptáque videtur metaphora à cibis fallacibus, & exigui nutrimenti, qui cùm non sint substantiales, & solidi, famem nullatenùs mitigát, quod optima loquendi methodo dixit diuinum Oraculũ apud

Isai. 55. num. 2. Isai. 55. *Quare appenditis argẽtum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Hebr. pro *non in panibus* habet: *non in panẽ*: sensúsque est, Quare siquid vobis est argenti, illud non emendis panibus, sed rebus aliis inanibus, atque futilibus impenditis? Quare vos ipsos laborando cóficitis in illarum rerũ cóparatione, quæ famem vestram satiare non possunt? Tunc subdit: *Audite audientes me, & comedite bonũ, & delectabitur in crassitudine anima vestra*: id est, comedite cibũ ad augendas, confirmandásque vires opportunum, in cuius crassitudine, atque deliciis anima vestra exhausta prius, & exanimata delectabitur.

In quam sententiam videndus erit Bern. ser. 1. de Sancto Victore statim in princip. vbi ostendit omnia mundi bona vana esse, verámque, & solidam bonitatem, gloriam, & honorem in solo Deo reperiri. Sic ergo habet. Non recti planè, sed peruersi est animi antè quærere gloriã, quam

Psal. 126. num. 2. exercere virtutem. *Vanum est vobis ante lucem surgere*: frustra fatuæ virgines sponso obuiam surgunt, quarum lampades extinguntur, & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Absit mihi gloriari, nisi in gloria illorum, quibus Propheta congratu-

Psal. 88. nu. 17. & num. 18. lans ait: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.* Et infert: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Pulchrè non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim sine virtute est gloria, profectò indebita venit, præproperè affectatur, periculosè captatur. Virtus, gradus ad gloriam: virtus, mater gloriæ est. Fallax gloria, & vana est pulchritudo, quam illa non parturiuit. Sola est, cui gloria iure debetur, & securè impenditur.

Videnda sunt quæ habet August. in Psal. 85. ad illa verba: *Lætifica animam serui tui.* Solus enim, inquit *Psal. 85. num. 4.* Augustin. tu es iucunditas: amaritudine plenus est mundus. Quia tu Domine suauis, & mitis, tanquam tædio affectus ex amaritudine terrenorum indulcari voluit, & quæsiuit fontem dulcedinis, & in terra non inuenit: quacumque enim se vertebat, scandala, tribulationes, &c. inueniebat. In quo homine securitas? De quo certum gaudium, nec de seipso vtique, quantò magis de alio? Aut mali sunt, & necesse est eos pati, sed sperare, quia possunt mutari. Aut boni sunt, & sic eos oportet diligere, vt timeamus quia possunt mutari, ne mali sint; ibi malitia eorum facit amaritudinem animi, hîc solicitudo, & timor ne labatur, qui benè ambulat. Quocumque enim cor se conuerterit in terrenis rebus amaritudinem inuenit, vnde dulcescat, non habet, nisi leuet se ad Deum. Attendat ergo, & videat homo quanta aguntur in corde humano, quemadmodum, ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere, vt stet, & quodammodo fugit à se, &c.

Similia sunt quæ habet Psal. 86. ad illa verba numeri 16. *Beatus populus, qui scit iubilationem*; vbi ait. *Psal. 86. num. 16.* O beate popule, puta intelligis iubilationem? Nullo modo beatus es, nisi

nisi intelligas iubilationem. Quid est nisi intelligas iubilationẽ? Scias vnde gaudeas, quod verbis explicare non possis. Gaudium enim tuum non de te, vt qui glorientur in Domino glorientur. Noli ergo exultare in superbia tua, sed in gratia Dei. Vides ipsam gratiam tantam esse, cui linguæ explicandæ non sit idonea, & intellexisti iubilationem. Denique si intellexisti in gratia iubilationem, ipsius gratiæ audi commendationem. Beatus certè populus sciens iubilationẽ. Quam iubilationem? Vides si non de gratia, vides si non de Deo, & omnino non de te? *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Thabor ille veniens, nisi in lumine vultus tui ambulet, vento superbiæ lucerna extinguitur. *Et in nomine tuo exultabunt tota die.* Thabor ille, & Hermon in nomine tuo exultabunt. Si volunt, tota die in nomine tuo: sin autem exultabunt in nomine suo, non tota die exultabũt. Non enim in gaudio perseuerabunt, quando de se ipsis gaudebunt, & per superbiam cadent. Ergo vt tota die exultent, in nomine tuo exultabunt. Beatus populus non nesciens, sed sciens iubilationem, vnde debet iubilare, vnde debet exultare, nisi in nomine tuo ambulans, in lumine vultus tui? Sic Augustin. ostendit in quo consistat verum gaudium, & lætitia, qua item ratione persistere possit, ne in amaritudinem conuertatur: cætera enim bona cùm falsa sint, si diutiùs gustentur, externa dulcedo quàm citissimè in amaritudinẽ amarissimam conuertitur, sicut videre est in Ezechia, dum in præsenti conqueritur gaudium, tranquillitatem, & pacem, qua fruebatur, conuersam esse in amaritudinem.

Et vt adhuc persistamus in doctrina Augustini, optima sunt quę habet in Psal. 4. ostendens quomodo sola interna bona veram lætitiam, & dulcedinem contineant, etiam confitentibus ipsis mundi dilectoribus, qui in mediis temporalibus prosperitatibus vera adhuc bona quęrunt, dum experiuntur terrena omnia, quæ contrectant, neque vera bona, neque dulcia esse, cùm neq; appetitũ satienr, neque amaritudinibus careant. Sic ergo habet ad illa verba: *Dedisti lætitia in corde meo.* Non ergo, inquit, foris quęrenda est lætitia ab his, qui adhuc graues corde diligunt vanitatem, & quęrunt mendacium, sed intus vbi signatum est lumen vultus Dei. In interiore enim homine habitat Christus, vt ait Apostolus. Ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cùm ipse dixerit: *Ego sum veritas.* Et cùm loquebatur in Apostolo dicente: *An vultis experimentum eius accipere, qui in me loquitur Christus?* Non eis foris vtique, sed in ipso corde, idest, in illo cubili, vbi orandum est, loquebatur. Sed homines temporalia sectantes, qui certè multi sunt, nihil aliud nouerunt dicere, nisi, quis ostendit nobis bona? Cùm vera, & certa bona intra semetipsos videre non possint. Itaque consequenter de his rectissimè dicitur, quod adiungit. A tempore frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Non enim vacat, quod additum est, sui. Est enim & frumentum Dei. Siquidem est panis viuus, qui de cœlo descẽdit. Est enim vinum Dei. Nam *inebriabuntur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ.* Et est oleum Dei. De quo dictum est; *Impinguasti in oleo caput meum.* Isti autem multi, qui dicunt, *quis ostendit nobis bona*, & regnum cœlorum intra se esse non vident, à tempore frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Non enim multiplicatio semper vbertatem significat, & non plerumque exiguitatem: cùm dedita temporalibus voluptatibus anima semper exardescit cupiditate, nec satiari potest, & multiplici, at-

Ps. 4. v. 7. *Ephes. 3.* *Ioan. 14.* *2. Cor. 13.* *Psal. 35.* *Psal. 22.* *Luc. 17.*

que ærumnosa cogitatione distenta, simplex bonum videre non finitur. Sapien. 9. Qualis est illa, de qua dicitur: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Talis anima temporalium bonorum decessione, & successione, idest, à tempore frumenti, vini, & olei sui innumerabilibus completa phantasmatibus sic multiplicata est, vt non possit agere, Sapien. 1. quod præceptum est: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Ista enim multiplicitas illi simplicitati omnino aduersa est. Et ideò istis relictis, qui multi sunt, multiplicati, scilicet, temporalium cupiditate, & dicunt. Quis ostendit nobis bona? Quæ non oculis foris, sed intus cordis simplicitate quęrenda sunt; vir fidelis exultat, & dicit: In pace in id ipsum obdormiam, & somnum capiam. Rectè enim speratur à talibus omnimoda mentis alienatio à mortalibus rebus, & miseriarum huius seculi obliuio, quæ nomine obdormitionis, & somni decenter, & prophetice significatur, vbi summa pax nullo tumultu interpellari potest, &c.

Prohibuit olim Deus sibi offerri Leuit. 2. num. 12. mel. Leuit. 2. Cuius rei rationes accuratè congerit ibi Lorin. & nos variis in locis plures adduximus, modò ea inseruit, quod scilicet, mel voluptatis indicium sit, quæ ex terrenis desumitur; hæc autem summè Deo displicet, in quo solo vera dulcedo, & gaudium reperitur; cæteræ enim dulcedines, falsæ omnino sunt, & plenæ amaritudine amarissima, quæ in media falsa dulcedine reperiuntur, quod argumentum prosequitur Chrysost. tom. 2. homil. 2. in Marc. in med. versans eundem locum Leuitici dicens: Mel nunquam in sacrificiis oblatum legimus. Miretur aliquis, & dicat, quare cùm oleum, cùm simila, cùm aries, cùm agnus, cùm sanguis pecudum, cùm cætera offeruntur in sacrificio Dei, mel tantùm non offertur? Denique & quod dicit: *Et quodcumque offertur sale conditum, offertur in sacrificio, & sermo vester semper sit sale conditus.* Mel penitus non offertur. *Et quodcumque contigerit,* inquit, *immundum erit.* Mel sanè voluptatis indicium est & suauitatis; semper enim voluptas mortificat, semper voluptas Deo non placet; quodcumque dulcedinem habet, in Dei sacrificiis non offertur. Mel quidem ipsum videtur dulce esse, & sensum suauitate demulcens; sicut & voluptas, sicut & libido, sicut & lasciuiæ. Mel videtur quidem inde confectum esse de floribus, sed si respicias inter ipsos flores, & cadauera, & putredines habere, & cætera huiusmodi. Ergo mel non solùm de floribus, sed & de quocumque voluptuoso est. Videtur quidem suaue esse, sed si discrimen respicias, mortiferum est.

Similia sunt quæ in hanc sententiam dixit Philo libr. de Offerendis victimis mel, scilicet, vetitum imponi altari, quia collectrix eius apis animal est impurum, natum è putribus boum cadaueribus: at dulcedo quæ ortum habet ex impuris, quæ fundatur in terrenis, quæ desinit in absynthium, & amaritudinem, à diuino cóspectu relegatur, apud quem sola vera dulcedo, gaudium, & lætitia reperitur. Qua de re videndus Chrysost. tom. 3. homil. 13. in Actor. Apostol. in med. vbi ostendit quanta sint Sanctorum gaudia ex maxima lætitia, qua perfunduntur in ipsis pressuris, & laboribus, quæ amarissima sunt; qui enim dulcedinem in ipsa amaritudine inueniunt, profectò multò maiorem inuenient in ipso dulcissimo Deo, eiúsque gratia, & charitate. Sic verò habet: Stet quis ex Principibus, magnas possideat opes,

opes, ciuitatem inhabitet Regiam, negotium cum nullo habeat, delitietur solùm, & huic rei soli vacet, sedés in vertice honorum, delitiarum, ac diuitiarum: opponat autem illi quis Petrum in vinculis, & sexcentis molestiis, si placet, & hunc inueniemus multò magis in delitiis: nam quando tanta gaudij abundantia erit, sicut oblectari in vinculis, cogita quanta erit gaudij magnitudo. Sic ille infert ex gaudio Sanctorum in amaris, quanta sit dulcedo in verè dulcissimo, & suauissimo Deo, eiúsq; bonis. Ideóque idem Chrysostom. Procemio in Epistol. Pauli in fin. ait: Si voluptate frui volumus, ante omnia alia fugiamus vitium, virtutemque sectemur, aliter enim nobis non licet voluptatis participes fieri, quo nomine & Paulus dicebat Galat. 5. *Spiritus autem fructus est dilectio, letitia, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas*, &c. Nam cætera bona etiam si quid gaudij, & lætitiæ videantur habere, falsa vtique, & caduca lætitia est, quæ breuissimo clauditur fine, vt in amaritudinem desinat, & acerbitatem, quod optima similitudine aperit Chrysost. citata homil. 13. in Act. Apostol. eorum scilicet, qui scabiem habent, dum enim radunt illam, videntur sibi aliquam delectationem habere, sed quantò magis radunt, vnguibusque aperiunt pro delectamento, tantò sibi maiorem perniciem afferunt, & dolorem postea, ac cruciatum sustinent; sic & delectatio gaudium & dulcedo temporalis, quanto magis quis illa corripitur, ac fulgore externo decipitur, tanto maiori postea dolore afficitur, dū pacem quam diuturnam sibi reputabat, postea amarissimam amaritudinem malo suo, experitur. Sic verò habet Chrysost. Si diuites habent aliquid voluptatis, haud mirum est; nam & qui scabie pleni sunt, sunt in magna voluptate; quod autem & diuites ab illis non differant, & sit illis eiusmodi anima, manifestum inde: contristant illos curæ, attamen volunt in illis detineri, voluptatem momentaneam, &c.

Galat. 5. num. 22.

Videnda sunt quę in hanc sententiam habet idem Chrysost. homil. 1. in Ioan. vbi falsitatem temporalium docet, eámque tantam describit, vt omni prorsus excusatione apud Deū careamus, si ab illis nos seduci permittamus, cùm tam citò omnis eorum dulcedo in amaritudinem desinat. Similiáque habet homil. 59. in Matth. vbi magnatum superbiam, & elationem asserit esse insaniam, eóque maiorem, quò magis ea voluntaria est, & ex effectu, ac exitu illius in aliis conspecto, omni prorsus excusatione careat.

Videndus etiam in hanc sententiam. Simplicius in Epictetum in cap. 24. vbi asserit vnicum bonum in honoribus, & diuitiis, ac prosperitatibus reperiri, eis scilicet, posse benefacere quandiu durant. In potestate, ait, nihil est, quòd sit expetendum præter vnam benefaciendi facultatem, quam qui negligunt, eos & mala illius experiri, & bono penitus fraudari. Dum scilicet, credunt diutiùs posse permanere ea bona, quibus fruuntur, quæ tamen quàm citissimè auolant, & in amaritudinem, acerbitatem, & dolorem abeunt.

Dum itaque temporalia hæc bona, & prospera pacem videntur habere, quietem, ac permanētiam, auolant, & sui desiderium tantùm relinquunt, & pro lætitia, quam afferebār, mœstitiam conferunt, ac pro dulcedine amaritudinem. Ludens proponitur Deus in orbe terrarum. Prouerb. 8. vbi Lyran. ait: Ludum faciens de orbe terrarum, qui similis est ludo pilæ, quæ de vno transfertur in alium, secundùm quam reuolutio-

nem, quia regna terræ transfert, atque constituit de gente in gentem: secundùm quam expositionem constat dignitates, & honores perpetua iactatione ab vno in alium, deinceps in alios, aliósque versari iugi vicissitudine, & varietate, quod bene prosequitur Basil. in Psal. 33. ad illa verba: *Diuites eguerunt, & esurierunt*; vbi ait: Hic nos ædificet sermo ad corporis substantiam contemnendam, diuitiarum inconstantiam nos edocens: opes enim dominos sæpe mutant, quemadmodum inde huc, illuc exagitatæ perfluunt, &c. Vnde Dauid appellauit celsitudinem Regiæ dignitatis, secundùm quam cæteros homines excedebat, festinationem suam: pro eo enim, quod nos habemus Psalm. 115. *Ego dixi in excessu meo*. Oleast. in cap. 20. Deut. ad literam aduertit Hebr. haberi *becophzi*, idest, in festinari meo, aut dum festinarem, *omnis homo mendax*, idest, cùm vidissem hominis vitam, ac dies sic festinare, dixi, seu asserui omnem hominem deficere, etiamsi stare videatur. Sic ille.

Excessus igitur, & dignitatum culmen, ac honorum fastigium non sedes, neque permanentia dici potest, sed festinatio: festinant enim excelsa omnia, & properant in ruinam, & vt illarum quies, & pax in amaritudinem amarissimam conuertantur: vnde hæc gloria, & externus fulgor eos tantùm decipit, qui mente, & intellectu laborant, quod bene prosequitur Chrysost. homil. 2. in Ioan. post med. vbi loquens de iis, qui magistratus aucupantur, eísve funguntur, eos conferunt cum iis, qui ebrietati, aut lasciuiæ student in hunc modum: Qui pecuniarum, aut vini, aut mulierum flagrant desiderio, eásq; sectantur, nonnullam tamen cum damno voluptatem, licèt breuissimam, capiunt: quos verò hic morbus irritiuerit, hi semper omni priuati voluptate vitam viuunt quàm miserrimam. Neque enim, quod tantopere exquirunt multitudinis gloriam assequuntur; sed cùm ea frui videantur, ea tamē omnino carent: cùm id nulli prorsus gloriæ sit adnumerandum. Ideóque non gloria, sed inanis gloriȩ opus appellatur. Inanem gloriam hāc maiores nostri omnes meritò dixerunt: inanis namque est, nihil in se habens, neque clarum, neque gloriosum, tanquam personæ, quæ pulchræ quidem visu, & decore, intus inanes reperiuntur. Quare cùm aspectu ipso elegantiores appareant, neminem tamen vnquam ad se amandum allexerunt. Ita, vel etiam miserius, ea quæ à multitudine comparatur, gloria difficilem nobis, & violentum hunc affectū significat: aspectu namque sola pulchra, atque elegans videtur, intrinsecus autem non inanis modò, verùm etiam ignominiosa, crudelitatis, & violentiæ plena. Vnde igitur tam temerarius, tam insanus absque vlla voluptate affectus? Non aliunde sanè, quàm à vili, & abiecto animo. Neque enim fieri potest, vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid, & egregium sapiat, sed ignominia illico ipsum notari necesse est, & animi abiecti, infamis, atque exigui existimari.

Similia sunt quæ habet idē Chrysost. homil. 80. in Ioan. post med. dicens: Præterea & puellas excreta ornant, veras autem, & pulchras nesciunt, & in multis aliis rebus iridem afficiuntur. Tales nonnulli nunc viri reperiuntur, nulla his cœlestium cura, sed ad lutea, tanquam pueri obstupescunt, & terrenis diuitiis blandiuntur, & gloriam, & voluptates huius sæculi magni pendunt, quæ ita puerilia sunt, vt illa. Quæ verò & vitæ, & gloriæ, & requietis causa sunt non curant; sed vt pueri, his priua-

ti

ti deflent, illa autem nec desiderare quidem norunt: ita & multi in ætate prouecta. Ideò inquit: *Nolite pueri fieri sensibus.* Pecunias concupiscis, non diuitias permanentes, sed pueriles ludos. Si quem plumbeū nummum admirantem, & ad eum colligendum inclinantem se videres, nónne eum quàm pauperrimum iudicares? Tu autem etiam viliora congregans inter diuites te annumeras? Et qua hoc ratione nititur? Illum namque diuitem dicimus, qui omnia præsentia contemnit. Nemo parua hæc, argentum, aurum, & huiusmodi imaginarias diuitias ridere poterit, nisi maiorum desiderio teneatur, quemadmodum, neque plumbeum nummum, nisi aurea possideat. Tu quoque cùm videris hominem vniuersum orbem prætercurrentem, & negligentem, nulla alia causa eum facere putato, quàm quod ad maiora respicit, &c. Tunc addit: Quare vos hortor, atque reobsecro, ne nobis ipsis simus detrimento, nevè pro luto supernis nos thesauris fraudemus, & culmorum, & palearum plena naui portum subeamus, &c.

Videnda sunt quæ habet idē Chrysostom. lib. 2. de Prouident. in fin. vbi Regnum appellat curarum, & vigiliarum examen, & ponderans verba illa Ecclesiast. 1. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, ait: Quòd si is, qui præsentis vitæ voluptates præ cæteris hominibus fuerat expertus, hanc aduersus illam (scilicet mundanam requiem, & tranquillitatem, de qua ibi loquitur) sententiam tulit: multò magis nos ita affici, & sentire conuenit, quibus nihil est cōmune cum terra, quibúsque in superna inscribi ciuitate festinare, totúmque illuc animum transferre iustum, atque imperatum est. Et libr. 3. de Prouid. post med. loquens de Dauid, eiúsque Regno, tandem ait: Ipsius aduersos

Ecclef. 1. num. 1.

omnes casus mœrorísque causas diligentiùs enumerare possibile nō est: neque enim omnes conscriptæ sunt, verùm ex ipsius lamentis, & gemitibus possumus coniicere, calamitatū quoque omissarum magnitudinem, vtque iustus ille nunquam plangere, ac dolere desierit. Quid enim ille ait? Psal. 89. *Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni. Si autem in potētatibus octoginta anni, & quod in his est ampliùs labor, & dolor.* Sin verò tu dixeris; per hæc illum verba non suam solùm, sed communem vitam omnium deprehendisse: plus aliquid, quàm ego velim, concedis, plurimísque nos controuersiis liberas, ipse cōsentiens nō illius solùm, sed nec alterius quidem cuiusquam vitam inueniri posse, cuius non multò sint plura tristia, ac difficilia, quàm læta, & iucunda. Siquidem ille, vt tu quoque ritè confiteris, non suas solùm calamitates, sed aliorum quoque in communi considerans; ita demum hanc sententiam tulit, eadem ferè, quæ Patriarcha locutus, nisi iste maiori cum vehementia. Quam enim ille de se, iste de omnibus protulit. Aiebat ille Genes. 47. *Parui, & mali sunt dies mei*; hic autem: *Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni*; hoc est, omnium hominum, & quod plus his est, labor, & dolor, &c. Quibus ostendit nullam prorsus in vita nostra quietem, & pacem reperiri, sed iugē afflictionem, & amaritudinem: & in ipsis etiam dignitatibus, & honoribus hoc expressiùs videre est; facilè enim transeunt, & amarissimam relinquunt amaritudinem. Illud quidem probat Ambros. in c. 4. Lucæ, vbi ait: Quid seculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint secula. Dignitas secularis ad vsum fragilis, inanis ad fructum est, &c.

Psal. 89. num. 10.

Genes. 47. num 9.

Gen. 37. felicitas, & dulcedo splendētis fortunæ significata est Iosepho in

Genes. 37. num. 9.

in Sole, Luna, & stellis, sicut ibi ostendunt Abulens. Lyran. & Caiet. Videndúsque erit Pererius ibi disp. 5. quod ea maximè ratione factum existimo, quòd sicut illa omnia perpetua motione, imò appositis lationibus feruntur, sic & dignitates seculi nullam prorsus quietem habent, aut permanentiam: sicut enim corpora cœlestia suos motores sortiuntur, qui intelligentiæ dicuntur; immotúsque motor regna, & coronas vertit; &
Daniel. 2. num. 1. transuertit, illud Daniel. 2. *Ipse mutat tempora, & ætates, transfert regna, atque constituit.* Et Daniel. 4. *Dominatur*
Daniel. 4. num. 14. Sup. n. 18. *Excelsus in regna hominum, & cuicumque voluerit dabit illud, & humillimum hominum constituet super eum.* Et n. 18. *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex. Regnum transibit a te, & ab hominibus eijcient te; donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumq; voluerit, det illud.* Et Ecclesiast. 10. Sy-
Eccl. 10. num. 8. racides ait: *Regnum à gente in gentem transfertur, &c.* Quòd si vis euersiones, & conuersiones videre diminitus factas, audi Isai. cap. 3. à nu. 4. & Isai. cap. 47. n. 13. vbi Deus reprehendit Babyloné quæ ex calculis Astrologorum perpetuum imperium sibi promittebat, & Iob 12. n. 18. vbi Iob
Iob 12. num. 18. de Deo ait: *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorũ, ducit Sacerdotes inglorios, & optimates supplantat. Effundit despectionem super principes, & eos, qui oppressi fuerant, releuans, &c.*

Hinc igitur Plato lib. 8. de Repub. dixit: Difficile quidem est benè constitutam ciuitatem è suo statu moueri: verùm cùm omne, quod genitum est, corruptioni sit obnoxium, talis etiam constitutio semper manere non poterit, sed soluetur, &c. Hoc testatum faciunt quamplurimæ nobiles ruinæ Assyriorum, Medorũ, Persarum, Macedonum, aliorúmque imperiorum, vrbiũ infinitarum, & cum primis magnæ illius ciuitatis Niniue, de qua Pausan. in Arcad. ita ait: Omnium, quas vnquam sol aspexit, maxima Niniue, quàm præter muros nihil reliqui suo tẽpore habuisse asserit. Et caput omnium Roma, nunquid non funditus aliquoties conclusa, vastata, deleta? Nam in ipsa adolescentia à Gallis direpta fuit, & incensa anno postquã condita fuerat circiter 360. postea verò sub Nerone iterùm graue incendium passa est, quippe quod ex 14. vrbis regionibus quatuor modò integræ remansere. Rursus à Gothis, duce Totila, muris, ac turribus solo adæquatis, concremata fuit: quæ successu temporis instaurata, iterùm Alarici Regis ductu capta fuit, direpta, & incensa. De pulchra Hierosolyma videndus Ioseph, lib. 6. & 7. de bello Iudaico; de Aquitania sic habet Prosper lib. de Rect. iudic. & prouident. Dei hos versus.

——— Heu cæde decenni
Vãdalicis gladijs sternitur, & Geticis
Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut vrbes amnib' æquoreis:
Barbarici superare dolos, atque arma furoris
Eualuere omnes vltima pertulimus.

Ea autem facilitate Deus regna dissipat, conterit, & in nihilum redigit: vt de Pharaone, populóque eius supplicium sumant ranæ, muscæ, locustæ: exercitúmque omnino extinguat aqua: sicut etiam plures vrbes, vrbiúmque incolas ab informibus animalibus vexatas memorat Plinius ex M. Varrone lib. 8. naturalis histor. cap. 29. nimirùm à cuniculis suffossum in Hispania oppidum, è talpis in Thessalia, ab ranis ciuitatẽ in Gallia pulsam, ab locustis in Africa; ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos; in Italia Amyclas ab serpentibus deletas; & citra Cynamolgos Æthiopas latè desertam esse regionem ab scorpionibus, &

& solpugis gẽte sublata, & à scorpionibus abactos Trerientes authot est Theophrastes. Itaque ex Dei decreto, sicut dixit Lucret. augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur, *solus ipse Rex Regum, & Dominus dominãtium habet immortalitatem, cui honor, & imperium in sempiternum.* Vnde August. 3. de ciuit. c. 14. ad med. ait: Metellum Syracusanam ciuitatem recolentem, post eam deuictam, eius paulo antè culmen, & gloriã sub manus suas subitò concidisse, lachrymatum fuisse: ea quippe est maiestatum omniũ temporalium conditio, vt breui concidant, & in puluerẽ, ac amaritudinem transmutẽtur, qua de re vidẽdus idẽ Aug. c. 15. vbi Romanorum Regum vitas, exitúsque refert, & confert.

1. Tim. 6. num. 16.

Hinc est quod L X X. Interpretes apud Iob c. 31. *Si vidi Solẽ cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè:* existimasse videntur proponi ibi à Iob peculiarem quandã rationem, qua ipse vtebatur ad cõtemnendam Regiam maiestatem, & celsitudinis dulcedinem, nam ipsi legunt: *Annon videmus Solem, qui lucebat, deficientẽ; Lunam autem decrescentẽ? Non enim in eis est.* Vbi videtur Iob testari se nullatenùs adorasse ea quæ nullã prorsus habẽt permanentiam; non enim in eis est, quasi dicat, non habent esse, neque de eis potest dici quod fuit. Vbi Olymp. Nõ enim in eis est, sed in eo, qui ordinauit, & cõstituit. Vt dictũ sit hoc à Iob per allusionem ad illud, quod Deus de seipso dixit: *Ego sum qui sum:* at cæteræ dominationes, & potestates ferè nõ sunt, cùm nullibi sint, aut permaneant: vbi Chrysost. relatus à Pineda ait: Si ea, quæ in cœlo sunt, astra vtique lucentia, vicissitudini tamẽ sunt obnoxia, Sol enim deficit, & Lũna minuitur, annon extremæ hoc fuerit dementiæ, quæ terrena sunt, ea stabilia, ac firma putare? Hæc nimirũ causa erat, cur illum (scilicet Iobum) humana hæc bona, neque oblectarẽt præsentia, neque absentia angerent. Et subiũgit statim. Si id, quod vsque adeo vtile, ac necessarium est, quo sublato, vita est erepta mortalibus, commutationem tamen admittit, multò magis ea admittent, quæ tum superuacanea sunt, &c. Et Olymp. sic explicat. Vt Sol deficit, ac Luna diuino iussu cõsenescit, sic ego quoque de diuitiis, tanquam de re, quæ nusquã cõsistit, cogitabam, illúdque didici nequaquam esse mẽtis aciem in incertas opes intendendam, &c. Addit verò Iob num. 27. *Et lætatum est in abscondito cor meum.* L X X. habent, *Si deceptum est clam cor meum.* Symmach. *dilatatum est,* quasi tumens præ opum magnitudine: vbi vides huiusmodi tumorum elationem, & lætitiam in dignitatibus, & prosperis successibus esse potiùs deceptionem, quarum perpetuam vagationem, & circumlationem tanquam corporum cœlestium benè depingit Græcus orator Isocrates orat. Areop. dicens: Quamplurima sunt exempla, quæ docent ne dum priuata res, sed etiam publicas frequentissimis mutationibus esse expositas: nam & nos vastata à barbaris, vrbe (scilicet Atheniensi) ob cautam, & diligentem rerum administrationem, Principes Græcorum euasimus: cùm autem nos potentia esse præditos insuperabili putaremus, vrbis excidium vix euitauimus. Et Lacedæmonij ex obscuris olim, & paruis oppidulis progressi, vitæ modestia, & disciplina militari Peloponnesum subegerunt: post autem fastu, & superbia elati, cùm terræ, marísque imperium adepti essent, eadem, quæ nos, discrimina subierunt. Quisquis igitur huiusmodi mutationes non ignorat, & cùm tantas opes tam subitò euersas videat, præsenti statui tamen confidit, incogitans est, &c.

Iob 31. num. 26.

Hanc

Hanc igitur insaniã, & deceptionẽ à se prorsus abiecisse testatur Iob. Vnde Chrysost. homil. 22. in Matth. antè med. ait: Iob erat quidem diues, non tamen pecuniæ seruiebat, sed habebat diuitias, eisque vt congruit, imperabat: nec erat famulus earum profectò, sed dominus. Sicut enim alieni patrimonij dispensator, ita illa omnia possidebat, non modò aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus largiens, quodque his maius est, nec habere se illa gaudebat, quòd hinc intelligitur. Si lætatus sum, inquit, quia mihi essent multæ diuitiæ. Vnde etiam conuenienter, quia gaudium de possessione non habuit, dolorem de amissione non pertulit. At non tales nostra sunt ætate locupletes, sed captiuis omnibus deterius affecti: & sicut cuidam tyranno tributa pendentes non quiescunt à miseria seruitutis: quasi enim arcem quandam, ita eorum mentem amor auri insedit. Vnde per dies singulos præcepta eis plena iniquitatis imponit, nec est omnino aliquis, qui non obediat imperanti. Sic ille ostendit Iobum neque lætatum fuisse in diuitiis, neque eis subditum, quod maximum malum est diuitum, Principum, ac Regum; inde Paulin. epistol. ad Romanianum ait: Blandum nomen honos, mala seruitus, &c. Et Philo lib. de Ioseph. Non vnus, inquit, est Dominus tractantium Remp. sed vulgus; aliis post alios dominis succedentibus, &c.

Dignitates itaque, & honores potiùs captiuitates sunt, & humiliationes, sed nullam pacem, & quietem afferunt; vnde qui prudens est, & scientia præstat, eis minimè delectatur, & fidit, sicut benè dicit Basil. homil. cui titulus est. Non adhærendum rebus secularibus post princ. vbi ait: Oportet itaque nos siquidem tuto propositam vitæ nostræ viã percurrere, & animam nostrã, simul ac corpus Christo sistere: & victoriæ coronas apprehendere voluerimus, animi oculos perpetuo vigiles circumquaque deducere, & quidquid iucũdum apparet, mox suspectũ habere, & prętercurrere, nec aliquam illi cogitationem applicare, etiamsi aurum copiosè propositum videatur, & idoneum, quod à volentibus tollatur (diuitiæ namque, si affluant, nolite illis cor apponere) etiamsi quascumque delitias terra proferat, & pretiosa tabernacula ostentet (nostra enim conuersatio in cœlis est) etiamsi choreas, comessationes, ebrietates, &c. Sub his namque omnibus ita iucundis latebras suas habet communis noster hostis, &c. Et post multa addit. Hoc sanè puto omnibus, etiam idioris cognitum esse, quòd nihil eorum, quæ in hac vita iucunda sunt, & quorum gratia plerique insaniunt, verè nostrũ sit, aut fieri soleat, sed omnibus simul aliena videantur, tam qui illis frui putantur, quàm qui ne attingunt quidem, quòd ibi probat, posterque probare ex nostro textu, vbi Ezechias amaritudinem suam amarissimam dicit, qui pacem suam minimè dixerat; etenim magis nostra sunt amara, quàm dulcia, & quæcumque tandem aduersa sunt, nostra propria dicere possumus; non sic verò quæ prospera sunt, vnde in eis, veluti in alienis, minimè complacere, aut delectari, patẽmve arbitrari licet.

Hoc assecutus Seneca lib. 1. de Trãquillitate vitæ c. 11. post med. ait: Quæ sunt diuitiæ, quas non egestas, & fames, & mẽdicitas à tergo sequatur? Quæ dignitas, cuius non prætextam, & angulare, & lora patritia, & sordes comitentur, & exportatio, notæ, & mille maculæ, & extrema contemptio? Quod regnum est, cui non parata sit ruina, & proculcatio, & dominus, & carnifex? Nec magnis ista

interuallis diuisa, sed horæ momentum interest inter solium, & aulam ingenuam. Locuples es, nũquid dicitur Pompeio? Cui cùm Grauius vetus cognatus, hospes nouus aperuisset; Cæsaris domum, vt suam clauderet, defuit panis, & aqua, &c. Quibus ostendit omnia prospera, & suprema mundi in aduersa tandem desinere, & maxima claudi amaritudine.

His coniungenda sunt quæ habet idem Seneca eodem lib. cap. 10. post princ. vbi ostendit propterea à natura introductam fuisse cõsuetudinem sustinendi perpetuas molestias, & infortunia ab ipsa natiuitate nostra, quò illis tolerandis assuefacti meliùs possemus ferre iuges acerbitates, quæ nisi caderent in animum iam induratum laboribus, profectò minimè tolerari possent: Cogita, inquit ille, impeditos ideò ægrè ferre onera, & impedimenta crurium: deinde vbi non indignari illa, sed pati proposuerunt, necessitas pariter ferre docet, consuetudo facilè. Nullo meliùs nomine de nobis natura meruit, quàm cùm sciret quibus ærumnis nascere-mur, calamitatum mollimentum cõsuetudinem inuenit, citò in familiaritatem grauissima adducens, nemo duraret, si rerum aduersarum eandem vim assiduitas haberet, quàm primus ictus. Omnes cum fortuna copulati sumus. Aliorum aurea catena est, & laxa; aliorum arcta, & sordida. Alium homines, alium opes vinciunt. Quosdam nobilitas, quosdam humilitas premit. Omnis vita seruitium est. Assuescendum itaque conditioni suæ, & quàm minimum de illa querendũ: & quidquid habet circa se commodi apprehẽdendum est. Nihil tam acerbum est, in quo non æquus animus solatium inueniat. Adhibe rationem difficultatibus: possunt & dura molliri, & angusta laxari, & grauia ritè ferentibus minùs premere, &c.

Cùm verò & amara nostra sint, & aduersa, inde est quod sicut homo nõ pensatur, nisi ex suis, non verò ex alienis, ita dixerit eleganter Seneca hominem nõ probari nisi aduersis, non verò prosperis: sic enim habet lib. de prouid. c. 4. in princ. Semper esse fœlicem, & sine morsu animi velle transire vitam, ignorare est rerum naturę alteram partem. Magnus es vir: sed vnde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad olympia, si nemo præter te, coronam habes, victoriam non habes. Miserum te dico, quòd non fuisti miser: transisti sine aduersario vitam nemo sciet quid poterit, neque tu ipse. Gaudent magni viri aliquando rebus aduersis non aliter, quàm fortes milites belli triumpho, & cætera, quæ in eandem sententiam prosequitur, ostendens hominem probari ex suis nempe aduersis: si enim amaritudines æquo, fortique animo perferat, profectò probatus deprehenditur, non sic verò si in eis concidat, & omnino corruat, quod etiam prosequitur idẽ Senec. lib. 2. de Tranquillitate vitæ cui titulus est, quod in insipientem non cadit iniuria.

Iuuat autem maximè ad toleranda aduersa, si ea mente prospera teneamus, & dulcia gustemus, vt aduersa item, & amara sciamus quàm citissimè aduentura, quod bene deduci potest ex cap. 1. Genes. vbi Deus ait: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ.* Et n. 28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Genes. 1. num. 26. Aduertendum igitur est verbum Hebrẽũ *vrdu*. pro quo habemus, *dominamini*, duplici ex radice posse deriuari. Etenim si sit à radice *radah*, idem profectò est atque dominamini, siue imperate, si verò à radice *iarad*, idem

significat, atque decidite, siue cadite, aut descendite: quasi prima mundi dominatione, prælatione, & præfectura docuerit Creator omniũ Deus idem esse ascendere ad fastigium honoris atque ab ipso descendere, & cadere, quod dictum à Propheta videtur Psal. 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur:* vbi Agellius ait: In eo ipso, quòd efferebantur, & extollebantur, deiecisti eos. Hebræi verò sic hunc locum intelligunt: *Verumtamen in lubrico posuisti eos.* vt scilicet de tanta felicitate casu miserabili laberentur, deiecisti eos in ruinas: felicitas eorum stabilis non erat, sed præceps, & lubrica; quales planè esse solent humanæ felicitates, quarum pax citò in amarissimam amaritudinem conuertitur: quarum ascensum descensus comitatur, & eleuationem humiliatio subsequitur. Tolluntur enim pleriq; in altum, vt lapsu grauiore ruant. Quod bene describit Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ, cap. 10. post med. vbi ait: Sciamus omnia æquè leuia esse, extrinsecus diuersas facies habentia, introrsus pariter vana. Nec inuideamus altiùs stantibus, quæ excelsa videbantur, prærupta sunt. Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti posuit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam suam quàm maximè poterunt in planum deferendo. Multi quidem sunt, quibus necessariò hærẽdum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi cadendo, descendere: sed hoc ipsum testantur maximum onus suum esse, quod aliis graues esse cogantur, nec sublatos se, sed suffixos, iustitia, mansuetudine, humana lege, & benigna manu præparẽt multa ad sequentes casus præsidia, quorum spe securiùs pendeant. Nihil tam æquè hos ab his animi fluctibus vendicauerit, quàm semper aliquem incrementis terminum figere; nec fortunæ arbitrium desinendi dare, sed se ipsos quidem vltro citra extrema hortentur consistere. Sic ille.

Psal. 72. num. 18.

Quia verò celsitudines dignitatum tantis periculis sunt obnoxiæ, & in casus decliues, inde est quod August. admiratur reperiri homines, qui possidentibus huiusmodi honores inuideant, cùm potiùs eorum misereri debuerint, qui inter casus, & pericula versantur. Sic verò habet serm. 53. de verbis Domini secundùm Ioan. post princip. Sunt qui de nobis ea sentiunt, quæ ipsi diligunt, & in huius mundi quasi prosperitatibus, quibus ingẽmiscimus, inuident nobis. Ibi nos felices putant, vbi nos periclitamur. Felicitatem vero nostram internam nec nouerunt, quia non gustauerunt: quia verò quidquid nobis temporaliter mundus arridet, magis est periculum, quàm ornamentum nostrum, nesciunt, quia ista distinguere gaudia non nouerunt. Vnde hortamur charitatem vestram, qui in ipso corpore Christi ex eius munere, non meritis vestris excellentiorem locum tenetis, &c. Facit etiam Paulini epistola ad Romanianum, vbi ait honoris sinum vitreum esse, proindeque dum nos amplectitur, & sinu suo recondit, tamen vitri instar mox frangitur sinus illi, in quo se beari putat ille, cui prosperè arridet fortuna. Paulini hæc sunt carmina.

Nunc tibi falsa placent bona, nunc rapit omnibus auris
Ambitus, & vitro fert caua fama sinu.

Si insuper recolamus dignitates, & supremos honores tempestates quasdam esse, quibus perpetuò iactatur qui eas possidet, donec tandem demergatur. Vnde Gregor. 1. p. Pastoral. cap. 9. ait: Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? Adeóque proximos esse casui, & interitui, vt id iam expectantur homines, dum

ad illos prouehuntur sicut aduertit idem Gregor.epist.5.ad Theoctistam Imperatoris sororem, quod deducit
Psal.72. num.18. ex illo Psalm 72. *Deiecisti eos,dum alleuarentur.*Non dixit Psalmographus, ait Gregor. deiecisti eos postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur; quia praui quique, dum temporali honore suffulti foris videntur surgere,intus cadunt. Alleuatio ergo ipsa ruina est. Hinc iterum dicit Psalm.
Psal.36. num.20. 36. *Deficientes quemadmodum fumus deficient:* fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Sic videlicet fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur.Quia vnde ostenditur,vt altus sit;inde agitatur,vt non sit. Hinc rursus scriptũ
Psal.82. num.14. est Psalm.82. *Deus meus pone illos vt rotam.* Rota quippe ex posterioribus attollitur, & in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ relinquimus; anteriora sunt æterna, & permanentia,ad quæ vocamur Paulo attestante
Philip. 3. num.13. ad Philipp.3. qui ait: *Quæ retro obliuus,in ea, quæ sunt priora, me extendens.* Peccator autem cùm in præsenti vita profecerit, vt rota ponitur;quia in anterioribus corruens,ex posterioribus eleuatur. Nam cùm in hac vita gloriam percipit,quam relinquit; ab illa cadit,quæ post hanc venit,&c.

Hinc est quod Isidor.3.de summo bono cap.51. ait:Quando quisquam in superiori constitutus est loco,tanto in maiori versatur periculo. Et Aug.epist.144.ad Anastasium. Mundus iste periculosior est blãdus,quàm molestus; & magis cauendus cùm se illicit diligi,quàm cùm admonet,cogitque contemni, &c. Similia sunt quę habet Aug.epist.148.& serm.49. de diuersis,& Bernard.epist.42.Vnde Greg.32.moral.c.17.ait:Omne,quod hîc eminet,plus mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet.Et Bernard. citata epist.42. Meditantibus honores blandiuntur. [illegible] nera per[illegible]antibus terrori sunt,ac form[illegible],&c. Et 3. de consideratione similia pr[illegible] hac re habet,atque ser.6.in Psal.Denique de dulcibus voluptatum gaudiis videndus erit Boëtius de Consolat. quem refert D. Bonau. tom.1.c.6.de voluptate, vbi ait: Tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminisci libidinũ suarum,volet,intelliget,&c.

Quæ igitur pax, quæve dulcedo poterit reperiri in gaudiis,& prosperitatibus sęculi,quę non potius tempestates dici possint, & amaritudines? Etenim August.8.confess.cap.2. fatetur se diu quæsiisse in quo lætaretur,& pacem, ac quietem inuenire posset, nec tamen vnquam repetisse, sic enim habet: Tu semper aderas misericorditer sæuiens & amarissimis confusionibus aspergens illicitas iucunditates meas, ita vt quærerem sine offensione iucundari,& vbi hoc possem non inueni, &c. Nihil enim sine amaritudine in hoc mundo reperitur,sicut vel etiam Apuleus dixit lib.2. Floridorum,vbi ait: Verum verbum est profectò,quod aiũt: Nihil quidquam homini tam lætum diuinitus datum est, quin & admixtum sit aliquid difficultatis,vt etiam in amplissima quæque lætitia subsit quæpiam, vel parua quærimonia, coniugatio est quædam mellis, & fellis: vt si quid illud soluit, hoc adstringat,&c.

Optimè hac de re philosophatus Seneca lib.1.de tranquill.vitæ c.2.ad med.ostendit quomodo pax,& tranquillitas in humanis rebus non reperiatur;ait ergo in hunc modum:Quęrimus quomodo animus sẽper ęqualis secundo cursu eat,propitiúsq; sibi sit,& sua lętus aspiciat,& hoc gaudiũ non interrumpat, sed placido statu maneat, nec attollens se inquam,nec deprimens. Id tranquillitatis erit. Quomodo ad hãc perueniri possit,in

vniuersum quæramus. Sumes tu ex publico remedio quãtum voles. Totum interim vitium in medium protrahendum est, ex quo cognoscet quisque partem suam: simul tu intelliges quantò minus negotij habeas cum fastidio tui, quàm hi, quos ad professionem speciosam alligatos, & sub ingenti titulo laborantes, in sua simulatione pudor magis, quàm voluntas tenet. Omnes in eadem causa sunt, & hi, qui leuitate vexantur, ac tædio, assiduaque mutatione propositi, quibus semper magis placet, quod reliquerunt, & illi qui marcent, & oscitant. Adiice illos, qui non aliter, quàm quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc, atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inueniant: statum vitæ suæ formando subinde, in eo nouissimè manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit. Naturâ enim humanus animus agilis est, & pronus ad motus. Vt vlcera quædam nocituras manus appetunt, & tactu gaudent, & fœdam corporum scabiem delectat, quicquid exasperat: non aliter dixerim his mentibus, in quas cupiditates, velut mala vlcera erumpunt, voluptati esse laborem, vexationemque. Sunt enim quædam quæ corpus quoque nostrum cum quodam dolore delectãt: vt versare se, & motare nondum fessum latus, & alio, aque alio positum ventilari. Qualis ille Homericus Achilles est, modò pronus, modò supinus, in varios habitus se ipse componens, quod proprium ægri est, nihil diu pati, & mutationibus, vt remediis vti. Inde peregrinationes suscipiuntur variæ, & littora pererrantur, & modò mari se, modò terra experitur, semper præsentibus infesta leuitas. Aliud ex alio suscipitur, & spectacula spectaculis mutantur, vt ait Lucretius, hoc se quisque modo semper fugit. Sed quid prodest si non effugit? sequitur ipse, & vrget grauissimus comes. Itaque scire debemus non locorum vitium esse, sed nostrum. Infirmi sumus ad omne tolerandum, non laboris patientes, nec voluptatis, nec nostræ, nec vllius rei diutiùs. Hoc quosdam egit ad mortem, quod proposita sæpè mutando in eadem re voluebantur. Sic ille ostendit perpetuam agitationem rerum temporalium, in quibus nulla requies, nulláque pax reperiri potest, etiam qui illam quæsierit multis ac variis itineribus, & mutationibus.

Omnia itaque mundi bona, prospera, & læta in amaritudinem desinunt, extremáque gaudij luctus occupat, vtinam, & non prima etiam: omnia facilè transeunt, quæ nos delectant, in solo Deo verum gaudium, vera etiam dulcedo reperitur, quæ nunquam excidit, aut finitur. In vtrumque videtur dixisse Dauid Psalm. 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.* Cætera gaudia, neque adimplent, neque vera gaudia sunt, cùm mixtas secum deferant amaritudines, solum Dei gaudium & implet, & verum est. Hieron. vertit *Plenitudinem* (ostendisti) *lætitiarum ante vultum tuum*, idest, cùm præsens fuero, & ante faciem tuam. Clariùs, & & subtiliùs ad rem nostram Hugo de sancto Victore in Psalm. cap. 15. In hac vita multa sunt simul, quæ contristant, cum his, quæ lætificant, ita vt impleri lætitia hîc non possimus. Sic ille. *Delectationes in dextera tua.* Hieronym. *Decores in dextera tua æternos* (scilicet ostendisti) non ait delectatio, sed delectationes; plures enim rationes gaudij, & lætitiæ in vno Deo reperiuntur vsque in finem, idest, in itinere huius vitæ vsque ad finem

Psal. 15. num. 11.

nem gloriæ conſpectus Dei, quod Bernard. ſerm. de quadrageſima refert ad ſaporem ex bona conſcientia. Et Ambroſ. deducit ad contemplationem præſertim Verbi incarnati, cuius memoria, & meditatio animam dulcedine replet, & delectatione.

Stabilitatem verò, & durationem dulcedinis in Deo, boniſque ipſius repertæ benè deducit Bernard. ex illo

Pſal. 39. num. 3. Pſ. 39. *Statuit ſupra petram pedes meos:* Sic enim ille habet ſer. 61. in Cant. ante med. In foraminibus petræ paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos. In his ſe columba tutatur, & circumuolitantē intrepida intuetur accipitrē. Vox colūbæ. *In petra exaltaſti me.* Et item: *Statuit ſupra petram pedes meos.* Vir ſapiens ædificat domum ſuā ſupra petram, quod ibi nec ventorum formidet iniurias nec inundationū. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto, ſecurum petra refugium herinaceis. Et reuera vbi tuta, firmáque infirmis ſecuritas, & requies, niſi in vulneribus Saluatoris? Tantò illic ſecurior habitabo, quantò ille potentior eſt ad ſaluandum. Fremit mundus premit corpus, diabolus inſidiatur, non cedo: fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Ego fidenter, quòd ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant.

Hæc eſt ratio cur Iob iuſtos appellauerit lapides ex mente Hieronymi, ratione ſcilicet firmitatis, qua Deo adhærent inconcuſſi, iugiter in eo delectati inamiſſibili gaudio; ſic enim Hieronym. interpretatur illud

Iob 5. nu. 23. Iob 5. vbi poſtquam Sanctus Iob inconſtantiam impiorum deſcripſit, tandem ait; *Cum lapidibus regionum pactum meū.* Lapides, inquit Hieron. per metaphoram homines dixit ſtabiles, & quietos, qui ſunt vtique iuſti, & ſancti; hi namque in modum lapidum firmi in Deo ſunt per regiones varias conſtituti; cum his itaque habebis pactum ſolidæ charitatis, vt ab eis nunquam te aliqua tribulatio poſſit auellere, &c. Si igitur Sancti pro firmo ſolatio ſunt tribulatis, & afflictis eorum verum, & ſtabile eſt ſolatium, & gaudium, quippe qui Deo adhæreant, vt perpetua tranquillitate, & dulcedine fruantur. Hæc igitur gaudia quærenda ſunt, hæc bona promerenda, & in hac pace immorandum: quælibet enim alia pax amariſſimam habet amaritudinem, ſicut Ezechias teſtatur dicens: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.*

ANNOTATIO II.

Infelicitas eorum, qui aliquando fuêre felices, acerbiùs torquet, & angit.

Ex eo etiam hoc in loco Ezechias pacem ſuam, & proſperitatem in amariſſimam amaritudinem conuerſam deplorat, quoniam eò acerbiùs torquent mala, quæ poſt maiora bona adueniunt, cruciant ſiquidem & præſentia mala, & memoria præteritæ proſperitatis, ideóque Deus puniens primum hominem ob peccatum admiſſum, *Eiecit eum è paradiſo, & collocauit ante paradiſum voluptatis*; quæ verba licèt obſcuriſſimam habeant ſententiam, & difficillimum explicatum, tamen apertè L X X. Interpretes ea coniungunt cum eo, quod præceſſit, ſcilicet *eiecit Adam*; volentes ea intelligi de Adamo, quem Deus cum Geneſ. 3. num. 34.

è paradiso eiecit, voluit tamen è paradisi regione habitare, quò scilicet illius aspectu,& amissæ felicitatis recordatione magis torqueretur. Et hanc LXX. versionem,& intelligentiam sancti Patres magni faciunt, & plerique sequuntur.Etenim Chrysost. hom.18. in Genes.prædicta verba sic legit,& exponit.*Eiecit Dominus Deus Adã,& habitare fecit eum e regione horti delitiarum.* Animaduerte, inquit, quòd Dominus noster in singulis operibus misericordiæ argumentum ostendit,& singulę pœnarum species bonitate plenæ sunt. Non enim hoc solum misericordiæ, & benignitatis argumentum erat, quod emittebat, & eiiciebat,sed & quod contra paradisum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit.Et quamuis doloris grauissimi spectaculum erat,est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuò aspectu munitior, & cautior esset in aliis, ne iterùm in eadem peccata incideret. Nam quoniam cùm bonis frueremur nesciuimus ipsis,vt oportet,vti illorum priuatione emendati sumus. Et Ambr. in Psal.38.in eodem sensu ait: Considera nunc mihi illum Adam de paradiso eiectum, in castellum relegatum, spectantem vnde deiectus sit, flentem vbertim quia reminiscitur quid amiserit, quove deciderit, &c. Et serm.4. in Psal.118. ad illa verba. *Adhæsit pauimento anima mea*;ait:Eiectus de paradiso Adam deplorat,&c. Posuit itaque Deus Adamum e regione paradisi;vt ad conspectum pristinæ felicitatis acerbiùs tortus Deũ precaretur pro remissione, & diaboli insidias præcauere disceret.

Grauissimã afflictionem ciuitatis suæ Hierusalem deplorat Hieremias Thren.1. n.7. in eo quòd afflicta recordata sit pristinę prosperitatis suæ. *Recordata est*,inquit, *Hierusalẽ dierum afflictionis suæ,& præuaricationis omniũ desiderabilium suorũ,quæ habuerat a diebus antiquis.*Vbi notandum est,quod scitè obseruat Figeiro aliquos, fortè meliùs hoc in loco supplere præpositioné, *in*, quæ sæpè apud Hebræos suppleri solet hoc modo:*Recordata est Hierusalem in diebus afflictionis suæ, & planctum suorum :* recordata est, inquam, in maiorem sui afflictionem, *omnium desiderabilium suorum*, idest, opũ,gloriæ,honoris, pacis, & abundantiæ bonorũ, quæ longo tempore possederat,sub Dauide,& Salomone, & aliis multis regibus, vsque ad fæcem Regum,i.ad Iechoniá,Ioachim, & vltimum Sedechiam, sub quo ciuitas capta est: conferens in corde suo, quàm olim delicatè à Deo nutrita,& quàm nunc famelica:& considerans mala quibus velut claua, aut alio telo Deus illam contusam, huc miseriæ deduxisse, grauiora illi erant, dum in memoriam reuocabat dies antiquos, & se de solio ad quasillum redactam: verúmque experta est illud Tragœdiæ; *In seruitutem cadere de regno,graue est.* Eò namque magis augetur mœror,quo splẽdidior fortuna præcessit. Facit etiam in hanc sententiam illud Ruth 1. num.19.Quando reuertenti de terra Moab Noëmi vidua orbata filiis & pulchritudine amissa (tempus siquidem, & dolor pulchritudinem auferũt)mulieres Bethleemiticæ dicebãt. *Hæc est illa Noëmi ?* recolebant enim pristinam felicitatem, & pulchritudinem illius matronæ cum miseria & deformitate, qua tum tẹmporis laborabat, & præ compassione admiratæ cõdolebant.Illa verò respondit. *Nolite me vocare Noëmi,sed vocate me Mara*, idest amara, *quia amaritudine repleuit me omnipotens. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus.* Quibus in verbis demonstrat se

se maximo dolore affici recordatione præteritæ fœlicitatis, dum præsentem miseriam intuebatur. Leuior autem dolor est, sicut dixit Seneca de tranquillitate vitæ, non habere, quàm perdere, tolerabiliùs non acquirere, quàm amittere. Itaque læitiores videbis, quos nunquam fortuna aspexit, quàm quos deseruit; non enim bona non accipere, sic graue est, quàm acceptis priuari. Et Stobæus ser. 13. dixit. Nihil est tam miserabile, quàm ex beato fieri miserum, quod expressit Pompeius apud Lucanum lib. 8. cùm dixit dedecori est fortuna prior. Dolebat hoc David Psal. 101. nu. 18. cùm dicebat: *A facie iræ, & indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me.* Vbi Lorin. ait: Significat cùm Deus ipsum in sublimiorem dignitatis, & potestatis locum, & gradum euexisset, inde deiecisse, depressisse, deturbasse, præcipitasse, & afflixisse. Vnde accidit, vt longè molestior esset huiuscemodi humiliatio. Sic ille. Similis item querela illa Iob 30. *Eleuasti me, in quasi super ventum me ponens, elisisti me valdè.* Vbi Pineda sic explicat. Ex sublimi fœlicitatis fastigio, in quod me euexeras, nunc in profundum malorum barathrum præcipitas, eo acerbiori, & miserando casu, quo è sublimiori fortuna. Qua de re videndus erit Plut. libr. Problematum Romanorum, cap. 49.

Psal. 101. num. 18.

Iob 30. num. 22.

Voluit item Deus immisericordem diuitem apud inferos cruciare, ostenditque illi Lazarum quiescentem in sinu Abrahæ, vt memor antiquæ miseriæ, & egestatis Lazari, pristinæ suæ felicitatis memor duriùs torqueretur: nihil enim magis cruciat diuites, & opulentos, quàm si post omnem possessam gloriam in magnam recidant miseriam: *Eleuans igitur oculos suos diues vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius,* quod Luc. 16. expendens Chrysost. tom. 2. conc. 2. de Lazaro post med. ait: Vidit illum, vt quæ passus fuisset pauper, hæc nunc & diues pateretur multò grauiùs. Quemadmodum enim illi molestiorem reddidit cruciatum, quòd in vestibulo diuitis iacebat, quòd videret aliena commoda: sic, & huic grauiorem reddidit cruciatum, quòd in gehenna iaceret, quòd Lazari videret delitias, quo non solùm natura suppliciorum, verùm etiam comparatione honoris illius intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodum Adam è paradiso eiectum è regione paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouãs molestiam exactiorem illi præberet sensum expulsionis è bonis: ita sanè & hunc è regione Lazari constituit, quo videret quibus bonis seipsum priuasset: misi tibi, inquit, in vestibulo Lazarum, vt tibi ad virtutẽ doctor esset, doctrinæque materia; contempsisti lucrum; noluisti ad quod oportuit vti salutis occasione, vtere posthac illo ad maioris cruciatus, suppliciíque materiam. Sic ille ostendit in maiorem amaritudinem animæ fuisse diuiti ostensum pauperem Lazarum, in quo perpetuæ felicitatis recordationem inueniret, quæ cum præsenti infelicitate comparata acerbiorem inferret dolorem. Nam sicut dixit Laurent. Iustinian. lib. de casto connub. cap. 12. Solent quicumque ab humanæ dignitatis sunt collapsi fastigio, toties mœrore sauciari, atque alta ab imo pectore eructare suspiria, quoties reuoluunt animo quid fuerint, & quid sint. Augmentum quippe præsentis infortunij, memoria est præteritæ felicitatis, & eo grauiore confodiuntur doloris vulnere, quò sublimior fuit transacta prosperitas, &c.

Luc. 16. num. 23.

Puniturus etiam Deus homines eò

eò quòd corruperant viam suam, & extincturus incendium luxuriæ diluuij aquis; *Mense secundo rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Mensis igitur secundus quo factum est diluuium, respondet nostro Maio: eo autem tempore incepit diluuium, vt ostenderet Deus causam diluuij non naturalem fuisse ex pluuia, & ex imbribus hyemalibus, sed speciali prouidentia Dei illud effectum sub initium æstatis, cùm inchoantur calores, & siccitates. Sed adhuc aduertendum ex Cornel. à Lapide, quòd vt maior esset impiorum dolor, Deus eos perdidit tempore amœnissimo, quo nihil nisi lætum conspiciebant, & contrectabant, quo libenter, & lætanter edebant, & bibebant, sicut ait: Christus
Luc. 17. num. 27. Dominus Luc. 17. *Vxores ducebant & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes.* Grauius itaque censuit Deus fore supplicium, si post delitias, gaudia faustáque, & prospera adueniret; non poterant enim non acerbiùs angi & affligi qui extremam miseriam cum præteritis lætitiis, & gloriis metirentur.

Assentus est hanc diuinæ prouidentiæ rationem Iulius Cæsar, licèt falsò titulo eam inscripserit, cùm lib. 1. comment. de bello Gallico ait: Dij consueuerunt, quò graues homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum vlcisci volunt his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere, &c. Putat siquidem Cæsar graue supplicium esse siquis ex prospera fortuna in aduersam prolabatur, tantò enim magis affligetur, quantò se magis euectum ad culmina vidit, quo sensu optimè dixit Valer. Maxim. lib. 4. cap. 7. in fin. Optima vindex insolentia varietas humanæ conditionis: acerbissimè namque animaduertitur in eum, qui elatus in fastigio dignitatis ab officio defecit, si postea se viderit miserè cecidisse.

Superbus ille Syriæ Rex Antiochus *sydera cœli cõtingere se arbitrabatur, & sibi videbatur fluctibus maris imperare, & altitudines montium in statera appendere.* Cupit ex graui superbia ad agnitionem sui venire, & conquestus de miseria sua ait: *In quatam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea.* Vbi maximè torquetur, & affligitur recordatione præteritæ prosperitatis, & lætitiæ: hoc enim magis premit ærumnosos, dum mente prosperam præteritam fortunam versant. Vnde Boëtius 2. de consolat. ait: Summum felicitatis genus est misero, fuisse aliquando felicem; quam sententiam acceperat à Seneca de tranquillit. vitæ, lib. 1. cap. 8. in princip. vbi ait: Cogitandum est quantò leuior dolor sit non habere, quàm perdere, & intelligemus paupertatem eò minorem tormentorum, quò minorem damnorum esse materiam. Tolerabiliùs est, faciliúsque non acquirere, quàm amittere, ideóque lætiores videbis, quos nunquam fortuna respexit quàm quos deseruit. 1. Macha. 6. nu. 11.

Vidit hoc Diogenes, vir ingentis animi, & effecit ne quid sibi eripi posset. Putabo hunc non esse felicem, si quem alium inueneris, cui nihil pereat, &c. Et in eodem sensu Cicero dixit: Nihil est tam miserabile, quàm ex beato miser, quod priùs dixerat Euripides in Troade, & Tragicus. Magis, inquit, vnde quàm quò cadas, refert.

Meliùs tamẽ hoc expendit Chrysost. tom. 5. lib. 3. de prouidentia. post princip.

princip. in Moyse, dum illi necesse fuit è conspectu Pharaonis se abdicare; qui volebat eum occidere propter Ægyptium interfectum: ponderat enim quàm molesta fuerit Moysi huiusmodi fuga, & exilium, qui inter ipsas palatij delicias, & diuitias, velut nepos Pharaonis fuerat educatus: hoc enim non tam difficile foret alteri, qui antea tam prosperis, & felicibus temporibus non fuisset potitus, quod magni facit Paulus Hebr. 11. ponderans animositatem Moysis. Sic ergo habet Chrysostom. Efficitur fugitiuus Regis filius, vt si quis Regiæ illius educationis indulgentiam beatam arbitrabatur, is modò mœrorem prioris abundantiæ animaduertat, illum iusto viro doloris incredibilis, ac difficultatis causam extitisse. Neque enim idem quempiam in priuata nutritum domo, plurimis iam laboribus, multisque peregrinationibus & ærumnis exactis, longos iterum labores, atque ea incommoda, quæ extra patrium solum necessariò subeunda sunt, perpessit: & eum, qui ista nunquam, vel breuiter fuerat expertus, sed contrà penitus in Regia magnificentia fuerat omne tempus educatus, idipsum pati; multò enim grauior fuga videbitur, quàm illi, si quando experiri hanc necessariò cogetur, quod illi quoque tunc contigit. Itaque profugus effectus alienigenæ viri hospitio fruitur, quod ratione mœroris haud exiguum est. Tradita sibi pascendi gregis custodia quadraginta annis ita perstitit. Porrò si hoc durũ, aut difficile non esse alicui videatur: is velim eos examinet, non qui metus, aut timoris causa peregrinantur, latebris abduntur, sed qui sponte sua domo se, vel parum abdicant, quam molestè, quàm grauiter eam peregrinationem ferunt, &c. Quibus ostendit fuisse admodum laboriosam fugam, & peregrinationem Moysis post tantam gloriam, quantam in Regia Pharaonis magnificè educatus, tanquam filius filiæ eius fuerat consecutus, crescit siquidem, & magis torquet ærumna, si post multam gloriam, & splendorem eueniat.

Exod. 2. num. 15.

Hebr. 11. num. 26.

Hoc acutè ostendit Tertullian. 4. contra Marcion. cap. 16. in med. ex eo loco Luc. 6. vbi Christus Dominus præcipit nobis dare omnia petenti: *Omnia petenti te tribue*: explicat igitur Tertullianus, Cui nam sit ex hoc præcepto tribuendum, scilicet petenti, egenti quasi dicat, pauperi postulanti esse largiendum secundùm Christi iussionem: addit verò Tertullianus: Vel tantò magis indigenti, si etiam & abundanti: hoc est, tanto libentiori animo, & effusiori largitate tribuendum est postulanti, quantò maioribus facultatibus antea ipsum fuisse dictatum nobis constiterit: nulla enim maior indigentia, nulla acerbior paupertas, quàm illorum, qui diuites antea fuerant; proinde si Christus postulanti, sed indigenti iubet postulata dare, illi profectò occurrendum erit priùs, & copiosiùs, qui ante pluribus abundauit, quod bene docuit Chrysost. tom. 5. serm. 1. de fato post princip. vbi ait: Quo quisque ditior, hoc magis dolet, perspicaciùs enim sentit malum suum, qui nulla rerum antea necessitate angitur. Enimuerò illum solatur necessitas, cui rebus frui premente egestate negat necessitas, &c.

Luc. 6. num. 30.

Et quia sic dolent, torquentur, & anguntur homines afflicti & oppressi, dum se à prosperis deiectos contemplantur, inde est quod nihil non faciunt, ne fortunam mutent, & semel assecutam gloriam amittant, quod amarissimum iudicant homines, qui aliquando fuere felices, sicut aduertit August. in Psalm. Voluit

Dauid reducere ad se Amasa, qui erat dux exercitus Absalonis, misit
1.Reg.19. num.13. proinde ad illum, dicens: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab.* Quærit ergo Abulens. ibi q.14. cur hæc nunciari miserit ad Amasam, & ait: Nihil est, quod magis hominem ad omnia nefanda commoueat, quàm desiderium non descendendi de honore, quem semel iustè, vel iniustè obtinuit, &c. Cùm enim sic doleant de pristino honore amisso, & nihilo magis crucientur, quàm ob amissam felicitatem, inde est quod, ne eam amittant, omnem lapidem mouent, & omni se obiiciunt discrimini.

Denique ille, qui saginari voluptate patiendi discessurus voluit, sicut dixit Tertull. lib. de Patient. c.3. & qui solus voluit pro omnibus pati, cuiusque passio dolores omnium superauit, volens dolores suos cumulare, modum inuenit, quo ipsius mors acerbior vtique esset, dum subiturus ignominiosam mortem crucis, priùs voluit excipi magnifico triumpho in Hierusalem; *plurimi siquidem strauerunt vestimenta sua; alij cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via; turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine*
Matt.21. num 8. *Domini.* Matth.21. Et cùm quidam Pharisæorum de turbis dicerent ad illum: *Magister increpa discipulos tuos: ipse Christus Seruator respondit. Dico vobis quod si hi tacuerint, lapides clamabunt* Luc.19. Cur igitur voluit Chri-
Luc. 19. num.39. stus Dominus tanquam latro comprehendendus, priùs velut Rex excipi: ita enim exceptus est Agrippa, cùm venit Hierusalem, teste Philone de legatione ad Caium; ita Alexander quoque, vt ait Iosephus libr.11. antiquit. cap. 8. Gentium quoque fuisse morem principibus viris vestes sternendi indicat Plutarch. in vita Catonis. Finito, inquit, tempore Prouincia abeuntem lacrymis, & insatiabili amplexu milites prosequebantur, sternentes vestes per ea loca, quibus ipse iturus erat, manúsque osculantes; quod genus honoris non nisi Imperatoribus, idque perpaucis eo tempore tribuebatur, &c. Sanè voluit omnem sibi rationem dolendi, & patiendi comparare. Audiamus ergo Bernard. serm.2. in ramis palmarum ad med. Quid fuit, inquit, quod processionem habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem? Fortè vt amarior esset passio, quàm processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodem loco, & ipso tempore paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est, *Tolle, tolle, crucifige eũ* & *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis*? Quàm dissimile. *Rex Israel*: & *non habemus Regem nisi Cæsarem*? Quàm dissimiles rami virentes, & crux, flores, & spinæ. Cui priùs sternebant vestimenta aliena, ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea. Væ tibi amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ soluenda tanta amaritudo necessaria est. Sic ille amarissimam amaritudinem mortis Christi ostendit ex præcedente triumpho, gaudio, & pace; ea siquidem solet esse amarior afflictio, quàm maior prosperitas, & gloria præcessit.

Hoc bene prosequitur Chrysost. libr.3. de Prouid. ad med. cùm ponderat persecutiones Dauid acerbiores ei fuisse post assecutam coronam, & sceptrum Regis, quàm fuerint quando miles erat, neque thronum adierat; amariorem proinde illi fuisse persecutionem, quam sustinuit à filio Absalone post gloriam Regni, & victorias omnes, & triumphos de inimicis

inimicis comparatos, illa, quam perpessus est à Saule. Loquens ergo de persequente Patrem Absalone ait: Insurgit in patrem, illumque rursus ad fugas, erroresque perpetuos, quos perpessus erat sub Saül, reuocat: imò verò multò illi molestior ea fuga, quàm prior fuit. Nam prius dux cùm esset, ista perpessus est: nunc autem cùm annis plurimis regnasset, hostesque ferè omnes superasset, migrare cogebatur, ac profugus fieri. Egrediebaturque cum paucis, nudis pedibus, Rex ille sublimis, mœrens, ac lacrymas fundens, pudore, ac dolore plenissimas. Tantò enim contumeliosiùs, quàm Saül, impius filius beato illo tunc vtebatur, vt patris quoque thorum violaret. Huic successit Semei vir quidam sceleratus, & ingratus, innumerisque illum probris respersit, verbis lapides admiscens. Sic Chrysost. amarissimã proponit persecutionem Dauidis post assecutam Regis gloriam, & hostium victorias, ac triumphos comparatos: ea enim, quæ prospera præcesserant, amariora reddebant quæ postea infausta subsecuta sunt.

Vnde idem Dauid postea Deum precabatur, ne gloria, & honor illius decideret, sed stabellitus persisteret, ne iterum experiretur eandem punctionem, & amaritudinem, quam antea fuerat expertus, dicens Psalm. *Psal. 29. num. 13* 29. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.* Sic enim interpretatur dicta verba Bernard. serm. 1. de ramis palmarum post princip. vbi loquens de Christo Domino ante mortẽ ignominiosam triumphante ait: Processionis gloria voluit sublimari, qui paulò pòst sibi nouerat imminere diem ignominiosæ passionis. Quis ergo sperare iam debeat in incerto glorię temporalis, cum videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & Conditore, vniuersitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate, à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria, & diuinis est laudibus honoratus: postmodum verò interrogatus contumeliis, & tormento, & cum sceleratis deputatus, propterea prudenter orat Propheta, vt cantet Domino gloria eius, & non compungatur, idest, processionem habeat, quàm passio non sequatur. Sic ille nobis proponit Dauidem precantẽ Deum, ne in amaritudinem conuerteretur illius pax, & dulcedo gloriæ; nouerat siquidem ex iis, quæ passus fuerat à filio post coronam, quàm acerbæ sint ignominiæ, & afflictiones. Ea igitur ratione Ezechias deplorat pacem suam conuersam in amaritudinem amarissimam, quia ea, quæ patiebatur, nempe lethalis morbus, & extremum belli periculum, ei obrigerant post pacem, & quietem, qua ipse potitus fuerat.

ANNOTATIO III.

Pax pro omnibus bonis supponit, estque omnium bonorum temporalium optimum.

NOn est hoc loco omittendum, quod valetudinem, quietem, opulentiam, & prosperitatem suam pacis nomine inculcat Ezechias, cùm ait: *In pace amaritudo mea amarissima*; Est siquidem omnium bonorum optimum pax, sicut videtur dixisse Dauid Psalm. 132. *Ecce quàm bonum, & quam iucundum*: vbi *Psal. 132. num. 1.* Gregorius legit per interrogationem: *Quid bonum, & quid iucundum,*

 nisi

nisi habitare fratres in vnum? & August. exponit. Sonus iste tam dulcis est, quàm dulcis est charitas; sicut aurem maior omnium donorum supernaturalium est charitas, sic & omnium temporalium pax; & ad illud Luc. 24. quando Christus Dominus
Luc. 24. num. 36. discipulis suis dixit: *Pax vobis*, ait glossa. Qui pacem dedit, vno verbo omnia dedit.

Gen. 37. num. 14. Genes. 37. mittens Iacob filium suum ad inuisendos fratres, ait: *Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos*: vbi Hebr. & Chaldaica lectio habet: *Vide pacem fratrum tuorum, & pacem ouium*: bis enim ponitur nomen *celom*, quo, vt aduertit Author catenæ, more Hebraïco omnis prosperitas designatur, vt satis constet cum pace omnem omnino prosperitatem recurrere. Hinc Genes. 29.
Gen. 29. num. 5. *Nunquid nostis Laban filium Nachor? Sanus ne est?* Hebr. *Nunquid pax est*
2. Reg. 11. num. 7. *illi?* 2. Reg. 11. *Quæsiuit Dauid quàm rectè ageret Ioab, & populus, & quomodo administraretur bellum.* Hebr. *Rogauit de pace Ioab, & de pace populi, & de pa-*
Gen. 41. num. 16. *ce belli.* Genes. 41. *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.* Hebr. *Respondebit pacem Pharaoni*: quod optimè expressit Chaldeus: *Non ex sapientia mea, sed à facie Domini respondebi-*
2. Reg. 18. num. 29. *tur pax Pharaoni.* Et 2. Reg. 18. *Est ne pax puero Absalon?* Hoc est, habetne bene? Saluusne, & incolumis est? Neque enim de pace loquebatur, quæ bello repugnat, cùm bellum Absalon gereret.

Hinc, qui ex prælio felices euadebant in Scriptura, dicebantur reuerti
Iudic. 8. num. 7. in pace, Iudic. 8. *Cùm ergo tradiderit Dominus Zebee, & Salmana in manus meas, & cùm reuersus fuero victor in pa-*
Supr. n. 9. *ce.* Et num. 9. Iterùm: *cum reuersus fue-*
Sapien. 3. num. 3. *ro victor in pace.* Sapient. 3. dicitur de iustis: *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Vatabl. *Cùm illi fruantur felicitate*: vbi Glossa ibi, Bonauent. & Card. Hugo exponunt: Illi autem sunt in pace beatitudinis, & quietis. Græc. *Illi autem sunt per otium*, idest, citra pugnam, eis prosperè certamine fluente, superatis hostibus, & gloriosè triumphatis.

Et quia pacis nomine pleraque bona intelliguntur, inde est quod variè accipitur pax à sacris Interpretibus, vt patet ex illo loco Leuit. 26.
Dabo pacem in finibus vestris: vbi Origen. explicat de pace illa, de qua Paulus Philipp. 4. ait: *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, de iusto scilicet qui Deum timet, neminem alium verò timet, quæ est optima pax, requies, securitas, & gaudium, vt statim dicemus. Hesychius exponit de pace, & concordia inter carnem, & spiritum, de quieta, pacataque conscientia in tempore dormitionis, idest mortis, quæ nobis dormitio est propter spem resurrectionis, & de liberatione à dæmonibus, velut à bestiis vafris, & venenatis. Rodulphus interpretatur de pace obtinenda post hanc vitam, cùm in hac semper nos pauidos esse oporteat, iuxta monitum Salomonis Prouerb. 28. Prou. 28. num. 14.
Salutemque cum timore, & tremore operari ex Paulo Philipp. 2. At in Philip. 2. num. 12.
alia vita confortat Dominus seras portarum Hierusalem, ponitque fines eius pacem. Psal. 147. num. 14.
Rixelius de pace peccatoris, & inter ipsosmet fideles, quam nec persecutio quidem tollat, & de somno contemplationis, atque de hoc etiam somno corporis, quem iusti sæpiùs habent suauiorem, & à turpibus, aut horribilibus imaginibus liberiorem.

Leuit. 26. num. 6. Philip. 4. num. 7.

Ecce quantum bonum sit pax, quæ tot complectitur bona, & quasi satis non sit, si pro bonis terrenis supponat, etiam cœlestis Hierusalem bona significat, & importat; vnde August. libr. de cont. cap. 7. ait: Pax perfecta tunc erit nobis, quando natura

natura nostra Creatori suo inseparabiliter cohærente nihil nobis repugnabit ex nobis. Aduertit auté Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 5. quod Iudæorũ, quos Christus sequutus est, hæc erat salutatio, *scalom lachem*, pax vobis, idest, omnia prospera, & fausta sint vobis, eandémq; salutationé docuit discipulos suos Luc. 10. dicés. *In quamcumque domũ intraueritis, primùm dicite: pax huic domui*; vbi Caiet. ait. Optima salutatio imprecatiua omnis boni sub nomine pacis, pax enim fert secum omne bonum. Hinc iure miratur, ac carpit Chrysolog. eum qui Christũ conuenit, pacis amatoré pro illius fractione, & discissione Luc. 12. cum Christo Domino dixit: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecũ hæreditatem.* Sic ergo habet Chrysolog. ser. 162. in princ. Audistis, fratres, quid à Domino hæres bonorum petierit mundanorũ. *Magister*, inquit, *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Præceps cupiditas, & incauta mundanæ litis arbitrum credidit ipsum sæculi cognitoré: & eum fieri voluit diuisionis authoré, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem. Hic non magistri quæstus est, sed amoris. Dic fratri meo præmisit; quod charitatem moneat, quod interpellet naturã, quod pulset affectũ. Dic fratri meo, vt diuidat mecũ hæreditatem: non potest dicere fratri, diuide, qui per Prophetã docuit Psal. 132. *Ecce quàm bonũ, & quàm iucũdum habitare fratres in vnũ.* Dic fratri meo, vt diuidat mecũ hæreditatem. Quæ maior hæreditas, quæ melior hæreditas, quàm diuinæ vinculũ charitatis? Quia hæreditas aliquando perit, charitas nunquam, dicente Apostolo 1. Corint. 13. *Charitas nũquam excidit. Magister dic fratri meo, vt diuidat mecũ hæreditaté.* Hæreditas mundana ante posteris infert iurgia, quàm conferat censum: antequàm diuidat facultates, scindit hæredes: antequã debitas tradat singulis portiones, successores ipsos desecat, & mittit in partes. Proinde non est hæreditas ista, sed pugna: & hæc nouerca filiorum est, non facultas. Ille ditat filios, qui relinquit filiis plenissimã charitatem. At tu quisquis ille es, qui Dominum tali petitione compellas, Dominum prouocas, Dominũ producis ad lité, cũ quo tibi Apostolus hæreditatem docet, & ostẽdit esse cõmunem. *Heredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Christi.* Roman. 8. Hic tibi sic hæres est, hîc est tibi frater, qui nascendi sorte, conditione crescendi, viuẽdi ordine, moriẽdi exitu, per omnia tibi voluit similis inueniri. Nam cùm esset & solus Dei hæres, & filius vnicus per naturam, te participem sibi, te cohæredem sibi voluit, & fecit esse per gratiam. Dari potest, diuidi nõ potest sors diuina, quia cœlestia & qui dederit, non amittit, & qui acceperit, non recondit sibi singulariter. Vnde homo quid hunc ad diuisioné vocas, quid hunc ad discussionem miserandus inuitas, quid ab eo partem petis, qui tibi quæsiuit, & contulit totum? Sciens pro te Patrem ingrate omnium sic poposci. Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi ego sũ, & illic sint mecũ. Desine ergo vel superna diuidere, vel de terrenis me audiente litigare. Sic ille integritatis diuisorem redarguit, dum Cõciliatorem, & Pacificatorem omnium, quæ in cœlis sunt, & in terra, Christũ Dominum cõuenit pro diuidenda, & scindenda vnitate; qui vsque adeò studuit paci, vt dicat Paul. Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.* Vbi Chrysost. Orat. 3. ad med. ait: Magnum quidem est reconciliare. Per ipsum autem, maius, & eò maius est per sanguinem eius. Et non solùm sanguinem, sed quod est maius, per crucem.

Marginalia: Luc. 10. num. 5. — Luc. 12. num. 13. — Psal. 132. num. 1. — 1. Cor. 13. num. 8. — Rom. 8. num. 17. — Coloss. 1. num. 20.

Quam ob rẽ quinque sunt admirabilia, Deo reconciliauit, per seipsum per mortem, per crucem. Quomodo sciunt hoc esse magnum, quòd non verbis, sed seipso dato pro reconciliatione, sic omnia effecit? Quid est autem illud, quæ in cœlis? Nam quæ in terra quidem sunt merito. Repleta enim erant inimicitiis, & diuisa erant in multa, & vnusquisque nostrum secũ diffidebat, & cum multis. Quæ autem sunt in cœlis quomodo pacificauit? Illic quoque erat bellum, & pugna; abscissa erat terra à cœlo, bellum gerebant Angeli aduersus homines, videntes suum Dominum probro, & contumelia affectum. Illuc commigrare fecit hominem. Angeli de cætero rursus cernuntur in terra, quoniam homo quoque apparuit in cœlo. In terra pax est duplex, & cum cœlestibus, & inter se. Similia habet August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 62. vbi ait: Per sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificãtur terrestria cum cœlestibus, & cœlestia cum terrestribus, &c. & ad Ephes. 2.

Ephes. 2. num. 16. *Per crucem interficiens inimicitias in semetipso:* vbi Chrysost. Orat. 5. ad fin. ante morale ait: Nihil est verbis his magis proprium, nihil, quòd maiorem habeat emphasim. Mors eius interfecit inimicitias, sauciauit, & perdidit. Non dixit soluens, non dixit tollens, sed quod est omnium vehementissimum, interficiens; adeò vt ipsæ ampliùs non resurgant, &c.

Sed quia viderat Chrysost. posse quempiam dicere non omnino extinctas fuisse inimicitias per Christum, quãdo apud nos vigent adhuc, & quotidie oriuntur discordiæ, subdit. Quomodo ergo resurgunt? A multo nostro vitio, ac scelere. Quandiu mansimus in corpore Christi, quandiu fuerimus vniti, non resurgunt, sed iacẽt mortuæ. Imò vero illæ nunquam resurgũt, sed si alias pepe-rimus, non eæ sunt ampliùs ex eo, qui priores sustulit, & perdidit, sed tu eas parturis. Si nihil cogitemus, ac sapiamus carnale, non nascentur aliæ, sed manebit pax illa. Sic ille.

Hinc est, quòd Christus verus pacificator, qui pacem attulit, & veniens *euangelizauit pacem ijs, qui longe, & ijs, qui propè.* Ephes. 2. omnibus scilicet hominibus, tam Græcis, quàm Gentilibus, petita periphrasi ex Isai. cap. 57. qui discedens dixit: *Pacem relinquo vobis, pacẽ meam do vobis.* Ioan. 14. vbi Nazianz. orat. 14. ait: Pacem reuereamur, quam nobis hinc discedens, quasi quoddam legatum reliquit, &c. vnde discedens Augustissimum Eucharistiæ sacramentum nobis reliquit vnitatis, & pacis donum, sicut Ecclesia canit; vnde & August. tract. 26. in Ioan. ait: O sacramentum pietatis! ô signum vnitatis! ô vinculum charitatis, sicut ante nos hoc intellexerunt homines Dei: Dominus corpus & sanguinem suũ in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud, idest panis, in vnum ex multis granis conficitur; aliud, scilicet vinum ex multis acinis confluit. Totidem ferè verbis transcripsit D. Thom. opusc. 57. Videndúsque erit catechismus Concil. Trid. in tract. de Eucharistia. Et in signum vnionis populi Christiani cum Christo, aqua in calice admiscetur vino, vt ait Concil. Tridentin. sess. 22. cap. 7. Pulchráque sunt quæ in eandem sententiam habet Cyprian. epist. 63.

Ephes. 2. num. 17. Isai. 57. num. 19. Ioan. 14. num. 27.

Neque omittendum, quòd ligatus Christus medium pacis, & amicitiæ fuerit inter Herodẽ, & Pilatũ. Verus itaque pacificator Christus sibi similes fratres, & filios Dei recognoscit pacis studiosos, cùm Matt. 5. ait: *Beati pacifici, quonia si ij Dei vocabuntur.* Vbi Chrysost. tom. 5. ser. de mãsuetudine ante med. ait. Est autem hoc dignum

Matth. 5. num. 9.

recen

recenseri, quòd Christus solùm pacificos filios Dei vocat. Et quare suum vocabulum mitibus cõmunicat? Solus ille Filium Dei pro viribus imitatur, qui pacis, & amicitiæ author aliis fit. Nam sicut Christus Deus, & omnium Dominus in carne diuina nobis apparẽs, sanctos Angelos cum hominibus cõcordes effecit, qui quasi bello quodam cum nobis dissidebant: ita & mansuetus homo fratres, & cognatos, qui inter se discordes sunt cõciliat; & teuereri leges, & preceptum Dei, abiectisque inimicitiis in gratiam mutuam redire facit.

Similia sunt quæ habet idem Chrysost. homil. seu Orat. 3. in epist. ad Coloss. post med. in hæc verba. Tale bonum est pax, vt filij Dei vocentur eius effectores, & opifices; Et meritò. Nam Dei Filius ideo quoque venit in terram, pacificaturus quæ in terra, & quæ in cœlis.

Si autẽ pacifici sunt filij Dei, qui res nouas studẽt facere, sunt filij diaboli. Videndus hac de re Gregor. 3. p. pastoral. c. 23. & 24. Aug. ser. de tempore 166. & sequẽtibus, & 19. de Ciuit. & D. Thom. 2. 2. q. 29. Vide igitur quantũ bonũ sit pax, quę & Filiũ Dei de cœlo in terras attulit, & filios Dei cõstituit eos, qui paci operã nauant.

Et quia pacis amatores filij Dei censentur, inde est quòd Patris hæreditatem cõsequuntur; vnde Aug. ser. 57. de verbis Domini post princ. vbi post multa de pace ait: Hanc, qui accepit, teneat; qui perdidit, repetat, qui amisit, exquirat; quoniam qui in eadem nõ fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, & à Sãcto Spiritu alienus efficitur. Respuit enim munus oblatum, qui datæ legis cõtempserit bonum. Nec poterit ad hæreditatẽ Dei peruenire, qui testamentum noluerit obseruare. Nõ potest cõcordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cũ Christiano. Quid tibi commune cum discordia Christiane? Quid sanguis ames, quod Authori pacis placere nõ potuit? Quid exerces inimicitias, quas euadere non potuit, nec ille qui primus eas inuenit? Quare aut Christi charitatem amplectere, aut discordiæ authori similitudine operum parem te cognosce. Sic ille.

Notatu quidem dignum est cur Ioan. Euangelist. Apocal. 7. enumerans beatos signatos ex duodecim tribubus, omiserit Ephraim, cùm tamen ex tribu Manasse duodecim millia signatos referat. Scio quidem & ipsum nomine patris sui relatum censeri; etenim in sacra Scriptura tribus Ephraim sæpè dicitur domus Ioseph. Vt Ezechiel. 37. *Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim & tribus Israël quæ sunt ei adiunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Iuda.* Et Amos 5. *Ne fortè comburantur, vt ignis domus Ioseph.* Semper tamen restat inquirendum, cur nomen peculiare Ephraim omiserit, cùm meminerit Manasses. Hoc plerique, quos, tacito nomine refert Perer. ibi disput. 10. in fin. propter Ieroboam ex ea tribu desumptum asserunt, & ita Viegas supponit comment. 5. sect. 8. dicẽs: Pro Ephraim, qui omittitur, quia ex eo traxit originem Ieroboam, ponitur Ioseph. Inquires adhuc cur propter Ieroboam omittatur Ephraim, id quidem alio in loco simili inueniemus, vbi Dauid ait non elegisse tribum Ephraim. Nam Psal. 77. habetur. *Et repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit*: vbi Theodor. ad rẽ præsentẽ ait: aliis tribubus derelictis, solius Ephraim meminit quandoquidem ex hac Ieroboam originem ducens ex Dauidico Regno decem tribus abduxit. Sic ille satis probabiliter quidem ostendit Deum propter vnionem concissam reiecisse Ephraimiticam

Ezechiel. 37. n. 19.

Amos 5. num. 6.

Psal. 77. num 67.

ticam tribum; displicet enim Deo, fuit ratio cur diei secundo non benedixerit in prima mundi conditione, quòd secundus dies vnici, ac primi diei vnitatem disciderit sicut notarunt Philo, D. Hieronym. & alij. Vnde Chald. Paraphrasis dictum locum Psalmi legit: *In tribu Ephraim non complacuit*; quòd ad discordiam videtur referendum; nam sicut Deus complacet in vnione, & pace iustorum, in medioque eorum esse affirmat; ita ab eis discedit, neque cóplacet, proinde & ei displicuit tribus Ephraim, ob separationẽ, & diuisionem vnitatis, in qua sub duobus Regibus Saule, & Dauide permanserát. Hinc igitur est quod Ephraim non nominetur in sanctis, & electis Dei beatis, pro quibus supponit à Ioanne enumeratis, quia discordes, & vnitatis dissipatores inepti omnino sunt ad beatitudinem cœlestem, quæ ciuitas pacis dicitur, & in qua Deo pacis amantissimo adhærent.

Vidẽdus hac de re Nazianz. Orat. 12. quæ est prima de pace post med. vbi ait sanctos Angelos, non minùs Deum vnicũ intelligere propter vnitatem essentiæ, quàm propter cócordiã inter ipsas diuinas personas. Nec in Deitate, inquit, dissidiũ est, quemadmodũ nec solutio (dissidij quippe filia est solutio) verùm adeò & secum ipsa, & cũ inferioribus rebus cócors, & pacata est, vt præter alia; imò ante alia nomina, quibus Deus appellari gaudet, hac quoque prærogatiua nũcupetur. Pax enim, & charitas, atque id genus nominibus appellatur, quo videlicet per ipsa quoque vocabula nos admoneat, vt has virtutes tanquam Deũ, consequi studeamus. Ex Angelis enim, qui seditionẽ cócitare, ac supra dignitatem suã sese efferre, ceruicémq; aduersus Dominũ Omnipotentem attollere causa est, à seipso caligo effectus: reliqui verò in sua dignitate perstant (cuius primum illud est, quod pacati sunt, ac dissidij expertes) quippe qui à sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperint, vt vnum sint. Nã & illa Deus vnus est, non minùs propter concordiã, quàm propter eãdem essentiã. Itaque omnes ij, qui pacis bonũ amplectuntur, eíque contrariã discordiã, & seditionem infensè oderũt, ad Deũ, & diuinas mẽtes accedũt. Atque hoc vnum est, & quidẽ tale, vt nos ad beneuolentiæ, cócordiæque studiũ necessariò adducere debeat, nimirũ Dei, ac superorum imitatio: in quæ solæ animæ, ad Dei imaginẽ creatæ, intueri tutũ est, vt per propensionem ad ea, quantũ ipsi assequi datur, atque eorũ imitationẽ, nobilitatem ipsa suã sartam tectámque tueatur. Alterũ est, vt diuinæ voci obtẽperantes in cœlum sursum, & in terrã deorsum aspiciamus, atque conditarũ rerũ leges animaduertamus: quemadmodum videlicet cœlũ, & terra, & mare ac denique vniuersus hic mũdus, quo etiam Deus declaratur, tacitáque voce prædicatur, quandiu secum pacatus, & tranquillus est, seque naturę suæ finibus cõtinet, nec quicquam aduersus alterũ insurgit, atque ex iis beneuolentiæ vinculis, quibus ab Artifice verbo rerum vniuersitatis constricta est, excedit: mũdus verè est, & appellatur, & incomparabilis pulchritudo. At simulátque pacatus, & quietus esse desiit, mundus quoque esse desiit. Et postquam Nazianzen. id latè probat, tandem concludit. Quæ cùm ita se habeant, quid aliud tandem existimandũ est, quàm quod ea amicitiam, concordiámque proclament, suóque exemplo mortalibus animorum consensum quasi lata lege indicant? &c. quæ in hanc sententiam elegantissimè prosequitur.

Vidẽdus pro hoc argumẽto Cęsar. Arelatens. Episcop. hom. 11. cũ pon-

derat verba illa Psalm. 147. *Lauda Hierusalem Dominum, qui posuit fines tuos pacem*: ostendit solos pacis sectatores ad ciuitatem illam pertinere; vnde & qui oleum charitatis, & pacis non habent, inde eiiciuntur cum stultis virginibus. Ergo, inquit ille, Hierusalem illa cœlestis muros de pace constructos habet: qui enim talem pacem, & talem charitatem habet, vt omnes diligat, & pro bonis orat, vt meliores fiant: pro malis supplicat, vt citò se corrigant: de qua parte voluerit intrare illius cœlestis Hierusalem portas, apertas merebitur inuenire. Qui verò oleum charitatis habere noluit, clausis ianuis sponsi cum illis fatuis virginibus illam audiet vocem: *Amen dico vobis, nescio vos.* Et cùm ad cœlestem beatitudinem admittatur, nisi qui gratia donatus à Deo est, sanè inde etiam pacifici ad cœlum spectant, quòd pax gratiam supponat.

Matt. 25. num. 12.

Vnde Hieron. epist. 139. ad Cypr. in explanatione Psalmi 89. obseruat epistolas Pauli non priùs pacem, & postea gratiã, sed versa vice priùs gratiam habere, postea pacẽ, quia pacem habere non possumus, nisi remissis peccatis per gratiam. Omnes, ait Hieron. epist. Pauli in salutationis principio non prius pacem habent, & sic gratiã, sed antea gratiã, & sic pacem, vt donatis nobis peccatis nostris, pacẽ Domini consequamur, &c. Ratio huius rei est, quia vbi se homo Deo subdit, & illius init gratiam, statim hostes interni, nimirum appetituum passiones, eorumque affectiones, quę rationi semper bellũ inferunt, amicitiam cum illa iungunt, ac se totas illi degũt, vt pace iam frui dicatur, quod optima similitudine exponit Chrysost. à nobis alibi citatus, vbi princeps aliquis inferior cum supremo aliquo Rege, aut Imperatore fœdera percussit, pacẽ, & amicitiã copulauit, minores hostes, qui illi priùs infesti erant, & regiones eius exturbabant, depositis odiis in gratiam illius redire satagunt, existimantes non iam sibi cum vno aliquo forti Principe rem geri, sed cum potentissimo Imperatore. Ad eundem modum vbi primùm homo cum Deo pacem, & concordiam stabiliuit, omnes alij tum interni tum externi hostes, qui priùs illi infensi atque molesti erant, inimicitias deponunt, arma ponunt, & prælia intermittunt; putant enim non iam sibi cũ homine inualido, & imbecilli, sed cum ipso rerum omnium potentissimo Deo rem esse.

Neq; verò solùm homo Deo gratus internam consequitur pacem, sed externam etiam iuxta illud Ambros. in epist. ad Philippens. 4. Qui cum Deo habet pacem, non timet omnem mentem aduersam, quod dupliciter potest intelligi: primò, quia strenuus adeò, validusque redditur per diuinam gratiam, vt contra omnes hostes suos pręualeat, vel quod ratione amicitiæ cum Deo contractæ tali timore omnes aduersarij corripientur, vt supplices iustum pro deprecanda pace, & ineundo fœdere conueniant. Vtrolibet modo iustis hoc contingit, primus ad rem præsentem facit, secundum postea ostendamus.

Repulit à terra, ac regno suo olim Isaac Rex Palæstinorum Abimelec Genes. 26. dicens: *Recede à nobis*, &c. Postea verò eum conuenit cum suis pro pace, & fœdere ineundo, quibus Isaac ait Num. 27. *Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis?* qui responderunt, *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus, sit iuramentũ inter nos & ineamus fœdus.* Vbi Chrysost. homil. 52. post med. ait: Vide quantum mansuetudinis robur, & quanta virtutis potentia: nam qui pridem abegerant, nunc veniunt ad peregrinandum ad virum

Gen. 26. num. 16.

Sup. n. 27.

 ciuitate

ciuitate carentem, ad erronem: & non solùm satisfaciunt, & excusant se de his, quæ commiserant, sed & peccatorum veniam petunt, & prædicant iustum, & indicant vnde suus metus, & confitentur suam infirmitatem, & iusti magnam testantur virtutem. Quid enim fortius eo, qui secum habet Deum, &c.

Prou 16. num. 7. Sed hoc adhuc ostendit optimus locus Prouerb. 16. vbi dicitur: *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Vbi Rodolphus putat esse sensum: statim atque homo per charitatem, & intimum amorem gratum se Deo præbet, inimicos quoque eius conuertit ad pacem, idest, continuò illum Deus ad amorem etiam hostium suorum conuertit. Quæ sanè expositio fundamentum habet in versione LXX. Interpretum, quæ habet: *Per ipsos autem & inimici fiunt amici*, idest, ipsi iusti quærunt inimicos pro conciliatione, & amicitia contrahenda. Sed adhuc aliam expositionem adhibet, quam huic præfert, & Iansen. omnino amplectitur in præsenti, nempe: *Cùm placuerint Domino viæ hominis*, idest, cum primum homo in Dei gratiam sese insinuauit, atque illi obsequentem se præbuit, ratione, & merito istius obsequij id consequitur, vt Deus omnes eius aduersarios illi substernat, & humiliet, & ad pacem flagitandam supplices adducat, sicut vidimus in Rege Palæstinorum quærente, & deprecante Isaacum pro amicitia, & fœdere.

Quòd si velimus altiùs rimari vnde tantus metus proueniat impiorū erga iustos pacificos, is non aliunde inuenietur oriri, quàm ex eo, quòd pacis amator eorum sibi conciliat animos, vires, ac potentiam, cum quibus pacem habet, & vnionem seruat, adeò vt non solùm animorum sit coniunctio, sed corporum etiam, & virium; quod optimè ostendit Chrysost. hom. 51. ad popul. vbi ita incipit: Concordiæ nihil æquale, nihil consentientius paci. Vnus enim minimus est, si verò sint vnanimes duo, vel decem, non vnus iam vnus est, sed decuplus eorum quisque fit, & in decem vnum inuenies, & in vno decē, siue inimicum habeat vnum offendens, tanquam decem offenderit, capitur: non enim ab vno dumtaxat ore percutitur, sed à decem. Indiguit vnus, sed non est in egestate. Maiori siquidem, idest, nouem abundat, & pars indigens obumbratur, minus autem per maius abundans. Horum quisque viginti manus habet, oculos viginti, totidem & pedes. Non enim suis tantùm oculis intuetur, verùm & alienis: non suis tantùm, verùm & illorum manibus operatur. Animas habet decem: non enim ipse tantummodò pro se, verùm & illæ pro eo curam gerūt. Si verò sint & centum, idem erit similiter, & potentia producetur. Vidisti charitatis excellentiam, qualiter vnum inexpugnabilem reddat, & multiplicet, qualiter vnus & multis in locis esse potest, idem & in Perside, & Romæ: & quod natura non potest, potest charitas. Nam eius hoc quidem hic erit, hoc autem illic: quin potiùs integer hic, & integer illic. Itaque si mille habeat amicos, vel duo millia, perpendet quo rursum potentia perueniet. Vides quomodo charitas sit res augmentatiua. Hoc enim est mirabile, quod vnum facit millenum. Cur itaq; non hanc comparamus potentiam, & nos ipsos in tuto constituimus? Hoc est omnibus diuitiis melius, hoc sanitate maius, & ipsa luce. Hæc lætitiæ materia. Sic ille demonstrat pacificum ratione vnionis, & pacis aduersus hostes suos præualere, ea maximè ratione, quòd non solùm Deum patronum habeat, & defensorem, vt iam ostendimus,

dimus, sed tutelares habeat, & opitulatores eos, cum quibus pacem seruat, eique per amorem vniuntur, vnde fortissimus redditur cuneus, & impenetrabilis propter animorum, & corporum adunationem.

Similia sunt quæ habet Cyprian. epist. 8. post princip. vbi ex Euangelio ita ait: Dico vobis quoniam si duo ex vobis conuenerint in terra, de omni re, quamcumque petieritis, continget vobis: quòd si duo vnanimes tantùm possunt, quid si vnanimitas apud omnes esset? Quod si secundùm pacem, quam nobis Dominus dedit, vniuersis fratribus conuenirer, iampridem de diuina misericordia impetrassemus, quod petimus. Imò verò nec venissent fratribus hæc mala, si in vnum fraternitas fuisset animata, &c. quasi vnanimis, & vnita multitudo omnia perrumpere, & dissipare mala facilè posset.

Quærunt Philosophi cur ignis in sua sphæra, nempe in concauo cœli lunæ non illuminet, etenim si luceret ibi, etiamsi calor eius propter longissimam distantiam, neque ad altissima montium cacumina posset peruenire, at lux sanè cerni posset, si ignis fulgeret: rationem igitur huius defectus in illuminando reddit Albert. Mag. 1. meteoror. & de quatuor coæuis q. 4. art. 21. & Ægid. Roman. quodlibet. 5. q. 17. quod scilicet ignis in sua sphæra rarus admodum, & dispersus sit, eáque careat vnitate, & densitate, quæ ad illuminandum requiritur. Ea vtique potentissima charitas est, isq; vehemens amoris ignis, qui relucet in multorum vnione, congregatione, & pace, longè lateque radios suos emittit, & contra infestantes præualet, vt comburat, superet, illustret, & excæcet, proindeque mirum non est si impij contra vnum tantummodò pacificum non audeant accedere, illiúsque timore corripiantur, cum videant mutuam adhæsionem, & cohærentiam cui manus dant, vt se victos côfiteantur: è contra verò aduersus diuisum & separatum confestim insurgunt, & in seruitutem redigunt, quod videre est in Loth, statim enim atque ab Abrahamo discessit, & potiora pascua elegit circa Iordanem, Genes. 13. spoliatus est bonis omnibus, & omnem illius substantiam abstulerunt Reges aduersarij, Genes. 14. quod ponderans Chrysost. hom. 35. in Genes. ad med. ait: Nihil profuit Lotho, quòd potiora elegerit, sed re ipsa didicit priores partes non appetere. Nam ex hoc non solùm nihil vtilitatis ei accreuit, sed ecce captiuus abductus est, & didicit re ipsa quod multò satiùs etiam fuisset vti consuetudine iusti, quam separatum, & in libertate viuentem in tam multas calamitates incidere. Ecce enim vt diuisus est à iusto, & putabat se in maiori esse libertate, & potiora se assecutum, & abundare, repentè factus est seruus, carens domo, carês & foco: vt discas quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia: & quod côuenit non maiora temerè capessere, sed potiùs minoribus contentum esse. Tulerunt, inquit, Loth, & sarcinas eius. Quantò melius erat eum cum Patriarcha viuere, & omnia ferre, vt ne concordia solueretur: quam separatum, & electis potioribus, in tanta repentè pericula incidere, & in barbarorum venire potestatem? Sic ille nobis proponit diuisionis incommodum, & perniciem, cui tamen occurrit vnio, & pax, quæ separationis damna solet resarcire. Venit enim quidam ex iis, qui euaserant, & nuntiauit Abrahamo damna diuisi Loth, qui numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decê & octo, & persecutus est eos, deuicit, reduxitq; Loth: idque

Gen. 13. num. 12.
Gen. 14. num. 12.

idq; factum est suis vernaculis, nempe qui sub illo capite veluti membra adunata degebant, qui animum conceperunt item memores antiquæ vnionis, & amicitiæ, qua in domo Abrahami vnanimiter degebant, sicut aduertit idem Chrysost. citato loco, cùm ait: Idcircò narrauit hæc omnia nobis Scriptura, vt scias, quòd non vniuersos assumpsit, sed vernaculos, & qui cum Loth educati erant, vt vltionem spontè, & beneuolè facerent. Ita Chrysost. ostendit, quomodo antiqua amicitia, & domestica necessitudo concurrerit ad liberandum Loth, quem separatio à suis fecerat alienorum captiuum.

Facit idem Chrysost. ser. de mansuetudine ante med. vbi pacificum cum neruis corporis confert, quibus maximè nititur fortitudo corporis. Verus (inquit) est sermo ille, quòd pacificator fratrum eandem virtutem habet in Ecclesia, & domo, & ciuitate, quam habent in corporibus nerui, dispersa, & separata coniungentes, & contrahentes. Verùm hæc virtus tunc alicui data est, quando primus ipse mansuetè viuere incipit. Paulus more suo fratres vocat, corpus, & membra inuicem.

Videndus in hanc sententiam Hilar. can. 4. in Matth. ad illa verba: *Beati pacifici*; vbi ostendit pacem adunare veluti neruos, membra, vt compage charitatis cohæreant multi in vna ciuitate, Republica, aut congregatione. Parens omnium Deus, inquit ille, vnus est, neque aliter transire in nuncupationem familiæ eiuslibet, nisi obliuione earum rerum assumpta, quibus possimus offendi, fraternæ inuicem charitatis pace viuamus, &c.

Facit in rem præsentem Gregor. vbi aduertit propterea summum sacerdotem in veste illa sacerdotali hiacynthina ad fimbriam appensa gestare malo granata, simul & tintinabula Exod. 28. quod sic expendit Greg. lib. 1. registri epist. 24. asserens hoc facto adumbrari pacem, cui maximè debent incumbere sacerdotes, Principes, & proceres, vt veluti nerui coniungant, cōcilient, & inuicem trahant cætera membra, vt sub vno capite, corona, & cortice adunati cōseruentur. In sacerdotis veste, inquit ille, iuxta diuinam vocem tintinabulis mala punica coniunguntur, quid enim per mala punica, nisi vnitas designatur? Nam sicut in malo punico vno exteriùs cortice multa interiùs grana muniuntur, sic innumeros populos vnitas contegit quos intus diuersitas meritorum tenet. Tunc ergo tintinabulis mala punica coniungimus, cùm per omne, quod dicimus, vnitatem custodimus, &c. *Exod. 28. num 33.*

Spectat autem hoc maximè ad principes viros, & Ecclesiæ proceres, quod optimè habemus assertū Prou. 10. vbi dicitur: *Labia iusti erudiunt multos*, vbi Chald. habet: *Labia iusti pacant multos*: quasi dicat, labia, & sermones iustorum longè firmiorem, & iucundiorem pacem inducunt inter diffidentes, & discordes, quos verbis, & monitis emollit, & in concordiam reducit. Vnde Chrysost. ser. illo citato de mansuetudine loquens de iusto pacis conciliatore ait: Mox, vt viderit, mitigat furibundos: neque multis ei verbis, & admonitionibus opus est, sed pacem, priusquam loquitur, persuadet. Quemadmodum Solis iubar, vt primùm apparet, fugat tenebras: ita benignus, & iustus sua præsentia res turbulentas cōponit, quietásque, ac tranquillas reddit, &c. *Prou. 10. num. 21.*

Hinc est quòd veniens pacificator cœlestium, & terrestrium Christus Seruator Cant. 2. ait: Ipsamet testante sponsa: *Tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra:* vbi per putationē, adunationem intelligit *Cantic. 2. num. 12.*

telligit Nyssen. orat. 5. ante med. ex eo, quòd flores ea ratione amputentur, vt in fascillos redigantur vniti, aut in coronas, & serta metantur; eadémque est expositio Pselli ibidé. Vocé autem turturis in terra nostra eleganter ad rem præsentem accommodat Bernard. ser. 59. in Cant. post princip. vbi ait: Magnificauit Dominus facere nobiscum. Multum illi cum terra, multū cum sponsa, quam in terris sibi adsciscere placuit. In terra, inquit nostra, non planè principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem. Quid? Conditor est, & cósortem se reputat. Amor loquitur, qui Dominum nescit; quos amat, amicos habet, non seruos. Denique amicus fit de magistro: nec enim amicos discipulos diceret, si nó essent. Vides amori cadere etiá maiestatem: Ita est fratres, neminem suspicit amor, sed nec despicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè se amát, & in seipsos celsos, humilésque contemperat; nec modò pares, sed vnum eos facit. Tu Deum forsitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas: sed qui adhæret Deo vnus spiritus est. Quid miraris hóc? Ipse factus est tanquam vnus ex nobis. Minus dixi, non tanquam vnus, sed vnus. Parum est parem esse hominibus, homo est. Dicendo in terra nostra proprietatem profectò abnuit, societatem non respuit, &c.

Vnde de B. Fulgentio discipulus eius vitæ scriptor. c. 9. & 17. & 21. ait: Reuera Sacerdotis officium laudabiliter etiam tunc implebat, non tantum aliquos reconciliando, sed omnes, quos attingere poterat, ad reconciliationé salutaribus moniiis inuitando: cuius sermo dulcis, & rectus, quia dura quoque corda molliebat Et paulò inferiùs ait: Tanta fuit D. Fulgentio facundi sermonis suauitas, tanta in vultu eius micabat hilaritas, vt certatim fideles vniuersos sancta charitas traheret. Similiter, & B. Theodorus studuita orat. funebri in B. Plaronem Abbatem ait: Quandiu cum iis, qui in vrbe Byzantio erant, versatus fuit, domos totas in aliam vitæ formá mutauit: & ad virtutis flatum conuertit, &c. Sic sanè cohærent tintinabula malis punicis si verba nostra, sermonésque omnes ad vnionem, & pacem fidelium dirigantur, vt simus veluti nerui Reipublicæ coniungentes singula membra, eáque cohærere faciamus, ne dispersa, & diuisa facilè pereant, & detrimentum patiantur, sed potiùs vnira faciliùs roborentur, & se tueantur; roborat siquidem, & fortes reddit pacificos, ipsa pacis vnitas insuper, & robustos reddit pacis amatores Angelorum defensio, qui non possunt, non adesse pro tutela iis, qui cœlestem eorum vnionem, & pacem imitantur in terris.

In quam sententiam facit Bernar. ser. 1. de sancto Michaële, vbi ostendit, quomodo placeat pacis vnitas sanctis Angelis, vtpote quæ repræsentet in terris cœlestem pacem, in qua viuunt, proindéque eam à nobis maximè quærunt. Super omnia, inquit ille, vnitatem, & pacem à nobis exigūt Angeli pacis. Quidni maximè decertentur in his, quæ formá quandá ciuitatis suæ repręsentár in nobis, vt nuretur Hierusalé nouam in terra? Dico auté, vt quomodo ciuitatis illius participatio est in idipsum; sic & nos idipsú sentiamus, idipsum dicamus omnes, & nó sint in nobis schismata: sed magis omnes simul vnum corpus simus in Christo: singuli autem alter alterius membra. E contra verò nihil æquè offendit, & ad indignationem prouocat eos, quomodo dissensiones, & scandala, si fortè inueniantur in nobis. Audiamus siquidem quid loquatur ad Corinthios

1. Cor. 3. num. 3. thios Paulus: *Cùm sit inter vos zelus, & cõtentio, nõnne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* In epistola quoque Iudæ Apostoli legimus sic n. 19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Videre est animã hominis, quemadmodum vniuersa corporis membra viuificet cohærentia sibi. Separa ergo quiduis à iunctura cæterorum, & vide an de cætero illud viuificet. Sic est omnis, qui dicit anathema Iesu, quod nemo dicit loquens in spiritu Dei: quia anathema separatio est. Sic est inquã omnis, qui ab vnitate diuiditur, ne dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Dignè igitur contentiosos, & qui separant semetipsos, apostoli carnales vocant, & animales, spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi, & beati spiritus, vbi scandala inuenerint, & dissensiones. Quid nobis, & generationi huic spiritũ non habenti: Nam si adesset spiritus, per eum vtique charitas diffunderetur, & vnitas non scinderetur. Et dicunt: Non permaneamus cum hominibus istis in æternum: quia caro sunt. Quæ enim conuentio luci ad tenebras? Nos de regno vnitatis, & pacis sumus, & homines istos in eandẽ vnitatem, & pacẽ sperabamus esse venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui diffident à seipsis? Sic ille ostendit quomodo mortem incurrant, qui ab vnione, & congregatione pacis discedunt, vtpotè carentes spiritu, & anima; vnde censendos docet inanimatos, & spiritu prorsus carentes, ac anima, qui paci aduersantur, aut ab vnione recedunt.

Si verò sine pace non viuitur, quia vita, & spiritus est: profectò etiam sine pace non viuitur, quia & cibus est. Prouer. 10. dicitur: *Labia iusti erudiunt multos.* Hebr. *Labia iusti pascent multos:* vox enim Hebræa à radice, *Raghah* deducitur, quæ significat Prou. 10. num. 21. pascere, aut pasci, inde *Reghah*, vel *Reangh*, idest, amicus, & socius, quasi cõuescens, quia nimirum societates, amicitiæ, atque commercia, seu pacta conuescendo celebrari, & sanciri olim consueuerant. Ergo Salomon ait: *Labia iusti pacificant*, vel *pascunt plurimos*, & pacificando pascunt, quia pax pastus, cibus, alimoniáque est, sine qua facilè mortem incurrunt diuisi homines, & separati. Vide pacem Regni Salomonis descriptã sub ænigmate comedentium simul, & bibentium, quasi pax esset, qua alerentur, & sustentarentur. Sic enim habetur 3. Reg. 4. *Iuda, & Israël, innumerabiles, sicut arena maris, in multitudine comedentes, & bibentes, atque lætantes. Salomon autem erat in ditione sua habẽs omnia regna secum.* Vbi Abulens. q. 6. in med. ait: Populi comedebant, & bibebant, eò quòd non erat aliqua perturbatio in eis, vt cessarent è gaudio: istud autem eueniebat propter duo. Primum erat propter magnam potentiam Salomonis, scilicet, quia nulla gẽs de circunstantibus audebat impugnare terram Salomonis. Secundum propter sapiẽtiam, & diligẽtiam, quia daro, quòd hostes non inquietarent populum suum, si ipse non regeret eos in magna sapientia, inter seipsos diffiderent, & haberent contentiones magnas: quòd ergo ipsi possent in pace, & gaudio manere, pertinebat ad magnam perfectionem Salomonis, &c. Ecce quomodo labia iusti pascunt multos, conseruando scilicet eos in pace. 3. Reg. 4. num. 20.

Præcepit olim Deus ter in anno omnes venire ad templum, ibique offerre, & lætãter comedere de oblationibus pacificis, vt patet Deuter. cap. 12. & 16. pro conciliãda scilicet pace, dum simul conuenirent, se agnoscerẽt, & cõuescerentur, ipsáque pace veluti pascerentur; quod benè prosequitur Iosephus lib. 4. antiquit. Deut. 12. nu. 15. & seqq. Sup. c. 16. num. 16.

tiquit.cap.8. ante med.vbi ait: In sacram vrbem, & templum ter in anno conuentus fiebat Hebræorum ex vniuersa eorum ditione, vt Deo pro acceptis beneficiis gratias agāt, & in futurū precibus eum demereātur, & per conuersationes, ac conuiuia mutuam beneuolentiam alant: expedit enim, vt inter se noscantur, quibus idem est genus, quique eisdem studiis delectantur. Id verò ex huiusmodi congregationibus facilè contingit, dum aspectus, & colloquia pertinaciter in animis hærent: sicut contra qui nunquam conueniunt, eos alienissimos à se esse oportet. Sic ille, qui maximè in illis verbis, per conuersationes, & conuiuia mutuam beneuolentiam alant, tacitè, sed satis probat pacem esse veluti alimentum Reipublicæ, gentis & Regni.

Prosequitur idem argumentum Philo lib.2.de Monarchia, vbi ita incipit. Dei templum altissimi summum, verúmque existimandum est mundus hic vniuersus; prospectum est tamē, ne vel passim, vel vno loco plura templa dedicarentur æquissima ratione, quandoquidē vnus Deus nonnisi vnicum sibi dicari postulare videtur. Innumeri enim ex innumeris ciuitatibus terra, maríque ab Oriente, Occidente, Septemtrione Meridiéque singulis festis ad tēplum hoc confluunt, quasi ad quoddam commune refugium vitæ negotiosæ, ac tumultuariæ: vt ibi tranquillitate inuenta remittāt animum, sepositísque curis, quibus per totam vitam grauantur, respirent paulisper degentes hilariter, conceptáque bona spe vacēt rei cum primis necessariæ, sanctitati, Religioníque, inter se quoque nouis coniuncti amicitiis, & promiscuis epulis, ac libationibus, instaurata, confirmatáque concordia, &c. En igitur concordia epulis stabilita, & cibis firmata, ea siquidem veluti alimonia nutritur Respublica, & gentes conseruantur, & aluntur.

Videndus in hanc sentētiam Bernard. vbi diuisionem ciborum cum cōmunione pacis acutè conciliat pro conseruanda communitate, & conseruatione fidelium. Sic verò habet ser.2. de Septuagesima ad fin. Abraham in sacrificio non quidem volatilia, sed animalia legitur diuisisse Genes.15. Et Martha erga multa turbabatur, cum vnum sit necessarium. Necessarium planè vnum, & maximè necessarium, quoniam hæc pars optima, quæ non auferetur. Cessabit diuisio, cū venerit plenitudo, & erit totius sanctæ ciuitatis Hierusalem participatio in idipsum. Interim spiritus sapientiæ non modo vnicus, sed & multiplex est: interiora quidē in vnitatem solidans, sed sub iudicio exteriore distinguens. Vtrumque tibi in primitiua Ecclesia commendatur, quādo multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, ne volatilia scinderentur: diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat, vt animalia secarentur. Sit igitur etiam in vobis charissimi vnitas animorum, vnita sint corda diligendo vnum, quærendo vnum, adhærendo vni, & idipsum inuicem sentiendo, sed & diuersa interdum dona gratiarum, nec membra omnia actum eundem videntur habere: Vnitas tamen interior, & vnanimitas ipsā quoque multiplicitatē colliget, & constringat charitatis glutino, & vinculo pacis. Ita Bernard. nobis diuisionem describit pacis ad subueniēdum cuique, & necessaria ministrandum secundum diuisionem gratiarum, & virturum sub vna tamen mensa, & vnionis conuiuio: cum enim pax, & concordia alimentum sit iustorum; vnicuique pro necessitate proportionaliter subuenit, sed omnes vnanimiter fouet, alit, & conciliat.

Adeóque

Adeóque necessaria est pax, vt homines, eorúmque congregationes existere possint, & perdurare, quod vt ea stabiliatur, & cōseruetur, Deus aliquando permittit maximum malum oppositum, nempe odium, quòd alias non permitteret nisi ratione, & intuitu tāti huius boni. Quod optimè prosequitur Nazianz. orat. 1. de pace ante med. vbi alloquens Deum ait: Hactenùs nos afflixisti, vt per dissidium quantum pacis bonum esset intelligeremus, atque illato dolore in pristinum statum nos restituisti. (O nouam, & admirandam medendi rationem!) vtpotè qui per odium, quod statim odio, & detestationi habuimus, ad pacem nos erudieris, ac contrarium per contrarium procuraris, perinde atque hac duntaxat de causa disiungi nos passus, vt feruentioribus animis ad nos ipsos accurreremus non secus atque plantæ, quæ si manibus per vim in diuersum trahantur, ac deinde laxentur, rursum ad sese, & primam suam naturam recurrunt, idque sibi proprium esse ostendunt, vt vi quidem inflectantur, sponte autem erigantur, &c. quæ in eandem sententiam ibi prosequitur ostendens pacis perfectionem, quæ maximè deducitur
1.Cor.11. num.18. ex Paulo 1.Corint.11. vbi ait: *Scissuras esse inter vos, & ex parte credo.* Cur ergo non omnino credit Apostolus huiusmodi scissuras, quas audisse testatur? Quia nouerat tantum bonum pacis esse, vt nullatenùs crederet eam posse ab hominibus impugnari; etiamsi enim ex parte posset fieri, vt aliqui vnionem, & pacem scinderent, non tamen hoc possent omnes audere, cùm excellentia pacis omnibus notissima sit, vt eam amplectantur. Sed vt iterùm ad robur, & fortitudinem pacis reuertamur, ea maximè cernitur in eo, quòd contra diabolum insurgat, vnde Tertull. lib. ad Martyres, cap. 1. ait: Pax vestra bellum est diabolo. Et Ignatius epist. 4. ad Ephesios ante med. ait: Vestra concordia, & consensus fidei exitium est Satanæ, & satellitibus eius suppliciū est. Nihil præstātiùs pace Christi, qua frangitur, aboletúrque omne bellum tam aëreorum, quàm terrenorum spirituum, &c. Et Bernard. lib. de modo benè viuendi ad sororem ser. 41. post med. ait: Nihil est, quòd diabolus tantum timeat, quantum concordiam, & charitatem. Nam si totum, quod habemus, damus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ille nihil habet. Si ieiunamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nūquam comedit: si vigilamus, hoc diabolus non timet, quia ipse nunquam dormit: sed si charitatem, & concordiam tenemus, hoc diabolus vehemēter timet. Quare? quia hoc tenemus in terra, quòd ipse in cœlo tenere noluit: hoc est etiam, quod sancta Ecclesia terribilis esse, vt castrorum acies ordinata, dicitur: quia sicut hostes timent, quando acies castrorum benè ordinatas ad bellum vident: ita certè diabolus expauescit, quando spirituales viros virtutum armis accinctos in vnitate concordiæ viuere conspicit. Ipse victus, & confusus vehementer dolet, cùm eos per discordiam diuidere, & penetrare non valet. Omnes ergo vnanimiter, & concorditer debemus viuere in domo Dei, vt possimus diabolum vincere.

Quia verò inimicus pacis diabolus ei perpetuò insidiatur, eámque modis omnibus nititur euertere, ne pacis robur, & vires deficerent, militum præsidia in terris collegit pax, constituit, ac comparauit, qui veluti in statiuis, & munitionibus militaribus sub claustris monasticæ obseruantiæ delitescunt, vt inde, cùm opus fuerit, sub vno viuendi ordine, regula

regula, & statuta methodo congregati egrediantur: has militares copias educendas contra pacis hostem sola pax collegit, cōuocauit, & sub signis redegit, sicut bene ostendit Aug. in Psalm. 32. ad illa verba: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Ista verba Psalterij, ait Aug. iste dulcis sonus, ista suauis melodia tam in cantico, quàm in intellectu etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant cōgregati sunt in vnum, &c. Sic colligi solent militares cohortes, sic conflatur exercitus vndiq; milites ad signa ducis euocando. Vide etiam vocantem milites ipsam pacem, vel illius ministros apud Bern. serm. 4. de Quadragesima ad med. vbi ponderat verba illa Ioëlis 2. *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum.* Quid est enim cætum vocare? Vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus ieiunium habuit, qui nimirum ieiunauit bis in Sabbatho, & gratias egit Deo: sed non vocauit cætum dicens Luc. 18. *Non sum sicut cæteri hominum:* ideóque ala vna nitens ieiunium eius non peruenit ad cœlum. Vos ergo charissimi sanctificate ieiunium, vt pura intentio, & deuota oratio diuinæ illud offerat maiestati. *Vocate cætum*, vt congruat vnitati, &c. Vocat itaque pax cætum & cohortem suam, qua nequissimi agmina euertat, superet, & euincat.

Ioël. 2. num. 15.

Quòd si currus falcatos pacis vis videre, vnde strenui milites magnam in hostibus stragem edunt, recole Ezechiel. 1. vbi ostensus est Prophetę currus, cuius totum corpus plenum erat oculis in circuitu ipsarum quatuor rotarū. Quo curru significatam Ecclesiā Dei voluit Rupert. Hieron. & Gregor. in qua quidem sancti viri velut oculi relucent, & quia à Deo veluti oculi seruantur, ne minimo offendantur tactu, iuxta illud Zach. 2. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei:* tum quia sicut in corpore oculi in altiori parte siti sunt instar speculatorum, quod bene aduertit Ambr. lib. de Noë, & arca cap. 7. ante med. dicens: Cùm sensus omnes ad cęteras partes corporis transfundantur: maximè oculi velut spectatores, & custodes, naturæ appositi prouidentia, propè totum orbis nostri statum desuper contuerentur: ipsáque mens illic locata secundùm plurimorú sententiam & maximè Salomonis, qui ait Ecclesiast. 2. *Oculi sapientis in capite eius;* quasi in aula imperiali virtutum consilium sibi contrahat: quo stipata comitatu, & ipsa munitior sit, & tanquam ex edito quodam tuendi totum corporis regnum impertiat responsa proferre, &c. Eodem igitur modo iusti in editiori loco quasi oculi nobis sunt, & speculatorum munere funguntur, vt & pericula vitanda annuntient, & bona prosequenda, & speranda proponant.

Ezech. 1. num. 18.

Zach. 2. num. 8.

Eccles. 2. num. 14.

Sed adhuc notandum pro re præsenti, quod oculi pacem, & concordiam designant. Vnde Ansel. lib. de similitudinib. cap. 63. ait: Omnes viri iusti concordiæ tantæ erunt, quantæ in præsenti sunt oculi nostri, &c. Etenim sicut vnus oculus nequit intueri aliquid, & vergere in aliquam partem, quin ad eandem simul deferatur alius conspiciendam; sic & sanctorum concordia tanta est, vt vnus secum pariter deferat cæteros, & instar oculorum minimè in respiciendo diuidantur, aut in operando, & intendendo scindantur, vnde illud Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Per oculum intelligunt ibi plerique vnitatem, & concordiam, inter quos optimus est Phi-

Cantic. 4. num. 9.

lo Carpathius petita similitudine ab eo, quòd nequeat vnus oculus sine alio in quodlibet ferri obiectū, quod etiam inculcant illa verba; in vno crine colli tui, in quibus vnitas subditorum indicatur, quod ostenditur ex eo quòd olim capilli in fasciculos colligebantur, & nectebantur, sicut notauit Author Collectaneorum in Clement. Alexand. lib. 3. pædag. cap. 11. vbi ait: Sunt quædam veluti sectæ capilli, seu capillorum, in quas non solùm fœminæ, sed & viri crines, vel barbam distinguebant: vt in capitibus Iouis tam in numismatibus, quàm in marmoribus videre est. Treccias vocant Itali; Hispani verò trançãs. His vtebantur antiqui homines in capillo porrecto, & vt Apuleiana licentia loquar patagiato. In multis numismatibus Augustorum capita in huiusmodi sertas secta, & distincta videre potes. Habemus & Iudicum cap. 18. aliquid tale de septem crinibus capitis Samsonis. Sic ille. Ex cuius expositione iam intelligemus quinam fuerit ille crinis, qui adeo placuit sponso diuino, quo vulneratū se fatetur, & excordatū, vt habent LXX. nempe multitudo subditorum in pace, & vnanimitate collecta, & congregata. Hinc etiam colligimus falcatos currus fortissimos pacis plenos oculis, idest, pacificis militibus, quibus omnia subiiciūtur.

Hæc igitur pax si amore sui vulnerat, & sagittat charitate Diuinum Sponsum, diriùs quidem, & acerbiùs vulnerat, cruciat, & torquet impios, & impuros spiritus. Iosue 18. dicitur:
Iosue 18. num. 1. *Congregati sunt filij Israël in Silo, vbi fixerunt tabernaculum testimonij.* Hebræus legit, vt ibi notat Caietan. *Fixerunt tabernaculum adunationis.* Sed quid statim addatur audiamus: *Et fuit eis terra subiecta.* Totum enim superat, expugnat, & deuincit adunatio, & concordia; at non est omittendum quomodo victoriam importet: pro eo enim, quod nos habemus: *Fuit eis terra subiecta*: Hebr. habetur: *Et terra acquisita fuit à faciebus, siue à conspectu eorum*; quibus in verbis mira innuitur potentia pacis, & vnitatis fidelium, quasi solo conspectu omnia superet, & expugnet, de eáque id dici possit, veni, vidi vici. Vel æmuletur ipsam Dei potentiam, de qua Abac. 3. *Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* Sic Abac. 3. num. 6. itidem de pace dicitur, acquisita fuit terra a facie pacis, & confœderationis illius, adeò namque potens, & strenua viribus est pax, vt vel ipso conspectu metum incutiat, & prosternat aduersarios.

Licet autem terribilem aspectum habeat, & impiis horribilis conspiciatur, ea tamen suauis, & decora est iustis. vtrumque describit Augustin. serm. 57. in princip. vbi ait: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare, quæ odisse non nouit. Nescit extolli, nescit inflari. Hanc igitur, qui accepit, teneat, qui perdidit, repetat, qui amisit, exquirat, &c. Eam veluti Reginam sequendam docet Paulus, cùm ait Hebr. 12. *pacem sequimini*: idest, co- Hebr. 12. num. 14. mitamini, veluti dominam, & rem maximè amplectendam. Quod bene habet Chrysost. homil. 3. in epist. ad Coloss. post med. vbi ait: Propterea oramus, & dicimus petentes Angelum pacis, & semper pacem petimus. Nihil enim potest ei æquiparari. In Ecclesiis pacem, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpè eam dat is, qui præest Ecclesiæ,

Ecclesiæ, dicens: Pax vobis. Quamobrem? Quoniam ipsa est mater omnium bonorum, ipsa est gaudij materia, & argumētum: propterea quoque Apostolis domos ingredientibus Christus hoc iussit statim dicere, tanquam aliquod bonorum symbolum. *Intrantes enim*, inquit, *domos dicite: Pax vobis*. Matth. 10. & Luc. 10. Nam si ea non sit, omnia sunt superuacanea, &c. Græcus verò text. pro eo, quod nos ad dictum locum Pauli habemus, *pacem sequimini*, habet, *pacem persequimini*. vbi Theophylact. ait: Hoc est pacem etiam remotam, ac quæ procul est, studete comprehendere, ad vos ipsos attrahentes, &c. Vel huiusmodi persecutio ad fugientem tendit, vt etiamsi pax à nobis fugiat, eam vtique persequamur, donec tandem comprehendamus, cum maximum sit bonorum. Rectè enim August. epist. ad Bonifacium Comitem ait: Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas, &c. Vt scilicet semper pacem sectemur, & toto conatu insequamur, quandiu necessitas aliter non cogat: quod etiam Dauid dixit Psalm. 33. *Inquire pacem, & persequere eam*, idest, etiamsi te fugiat, sequere eam, vtputa si, quod humanum est, cum aliquo, inquit, feceris litem; siquidem ille te prius inuitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe illam. Quod si ille, quasi malus, permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis: tu proinde, quasi sectator, auidúsque filius pacis, pulsa ianuam; hoc nempe est pacem cum Paulo sequi, aut persequi: hoc item cum Dauide pacem inquirere, & persequi. Ne dicas, ille mihi prior iniuriam fecit, & prius me debet rogare, & inquirere. Tu gloriosior eris, si nocitus pacem petieris & persecutus fueris. Si enim Propertius libr. 3. elegia ad amicam iratam ait:

Matt. 10. num. 12. Luc. 10. num. 5.

Psal. 33. num. 11.

Pacis amor Deus est, pacem veneremur amantes:
Pax iuuat, & media pace repertus amor.
Si Deus est, & amor, pacem veneremur amantes:
Quæ bona sunt, cur hunc non celebrabo Deum?

Multò magis pacem colere debemus, venerari, & inquirere: pro qua re videndus est Dionys. Areopag. cap. 4. de diuinis nominibus p. 4. vbi tradit Deum, ac summum bonum pacis vocabulo, & pacis largitorem à sanctis Theologis iure appellari, & celebrari, quod, quæ sunt omnia amicitiæ fœdera, inter se coniungat: & cap. 11. præclaras affert in hanc sententiam pacis laudes, quæ non potest amplius commendari, quam vt Filius Dei consubstantialis pax nostra dicatur à Paulo Ephes. 2. Vnde Author operis imperfecti in Matth. homil. 9. ostendit ad fideles spectare, vt immemores sint malorum, & offensarum, quæ aliqua ex parte pacem possint labefactare, ne censeantur illusores portantes pacem in labiis, in corde seruantes malitiam; sic enim minimè poterimus pacem sectari, & persequi.

Ephes. 2. num. 14.

Facit etiam & doctrina quam habet Hilar. in Psalm. 132. vbi monet, vt ea cogitemus, quibus alienæ voluptates ad concordiam redigantur, qua de re plura habet Ambros. 1. off. cap. 21. & lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 6. & Hieron. epist. 4. vbi inter alia ait: Pax quærenda, vt bella fugiamus: nec sufficit eam quærere, nisi inuentam, fugientemque omni studio persequamur, *Quæ exuperat omnē sensum*. Philip. 4. in qua habitatio Dei est. Psalm. 75. *Factus est in pace locus eius*, &c. quæ eleganter prosequitur.

Philip. 4. num. 7. Psal. 75. num. 3.

Mirum sane est, quod Scriptura cum agit de pace, ac de iis, quę ad pacem, & charitatem spectant, quasi parum,

rum, existimaret, si ea nobis amplectenda, & sequenda esse inculcaret, insectanda, & persequenda esse monet, sic Paul. Roman. 12. *hospitalitatem sectantes*. Sic 1. Corinth. 14. *Sectamini charitatem*. Syro-Chald. *Currite post charitatem*. Roman. 14. *Quæ pacis sunt sectemur*. Syriac. *Post pacem curramus*. Sic 1. Timoth. 6. *Tu autem ô homo hæc fuge, nempe cupiditatem, & desideria nociua; sectare verò*, Græc. & Syriac. *Curre ad iustitiam, pietatem, charitatem, mansuetudinem*; sic enim inquirenda est pax, vt non veluti quodcumque aliud bonum eam quæramus, sed tanquam bonorum maximum, dum fugit, sectemur, & persequamur; vnde Hieronym. in reg. Monachor. cap. de charitate, & pace citarum locum ex epistol. ad Hebræos sic explicat: Pulchrè igitur persecutio pacis dicitur, vt non leni, vsitatoque sermone, & (vt ita loquar) summis labiis hospites inuitemus, sed toto mentis ardore teneamus: quasi auferentes secum de lucro nostro, atque compendio.

Rom. 12. num. 13. 1. Cor 14. num. 1. Rom. 14. num. 19. 1. Tim 6. num. 11.

In quam sententiam videndus Basil. in Psalm. 28. ad fin. vbi ad illa verba n. vlt. *Dominus fortitudinem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace*: aduertit pacem ceteras omnes benedictiones superare, & vincere, proindeque vltimo loco in eo Psalmo collocari. Sic verò habet: Inter porrò benedictionis diuinæ species pax perfectissima esse videtur, cum status sit mentem procul intemperie omni constabiliens: adeò vt pacificus vir hoc insigni, tanquam propriis notis internosci possit, siquidem sedatis est, & peramænis moribus: contrà, qui adhuc compugnantium affectionum fatigatur intemperie, is nondum effectus particeps est diuinæ illius pacis, quam Dominus suis dedit discipulis, quæ cum omnem exuperet sensum, vtique illorum præmuniet, & tuebitur animas, qui se ea præstiterint dignos. Hanc denique Apostolus apprecatur Ecclesiis, dicens: *Gratia vobis, & pax adimpleatur*. Et August. libr. 19. de ciuit. cap. 11. ait: In rebus terrenis nihil gratius solet audiri, nihil desiderabilius conspici, nihil melius inueniri ipsa pace, &c. Refert quoque Prosper in sententiis ex eodem August. sentent. 369. desumpta ex tract. 104. in Ioan. quod pax omnis piæ intentionis, actionisque est perfectio, &c. quæ ibi prosequitur. Itaque tantum bonum est pax, quod illud etiam & natura ipsa colere, & honorare volens in animalibus vtilioribus, prudentioribus, & fortioribus veluti consecrauit; vtiliores vtique nobis sunt apes, quàm pluta alia, quæ habentur in terris, sed sicut aduertit Plin. lib. 11. cap. 5. nihil nouerunt, nisi commune. Prudentiores formicæ sunt, sed de illis idem Plin. citato libr. cap. 30. ait: Formicis ratio Reipubl. memoria, cura: solæ viuentium præter hominem sepeliuntur inter se. Fortiores inter cætera animantia sunt elephanti, de quibus idem Plin. lib. 8. cap. 5. ait: Elephanti gregatim semper gradiuntur. En honorata pax ab ipsamet natura, dum vnitatem veluti consecrat in animantium vtilioribus, prudentioribus, & fortioribus.

Psal. 28. num. vlt.

Inhonoratã censuit Christus Dominus pacem, dum & cibum pacis, & consortium pacis Iudæ concessit, & cum cæteris existentis pedes lauit; eam proinde ab illo abstulit, ne tamdiu inhonorata apud impium remaneret: ea quippe ratione permisit benignissimus Dominus osculo tradi à proditore Iuda, non vt osculum acciperet, sed vt pacem ab illo eriperet, & ab iniuria, ac violentia eam liberaret, qua quidem afficiebatur, quandiu in pessimo homine bonorum

rum optimum etiam exteriùs residebat. Sic enim hoc acutè obseruat D. Paul. epistol.2. ad Seuerum, vbi ait: Osculum Dominus non suscepit, vt pacem proditoris acciperet, sed vt suã ab alienato reciperet,&c. Noluit dignissimam omni honore pacem diu apud impium ignominiosam esse, ideò ab illo accipit pacem, non osculum: indignum quippe erat, vt qui pecuniam, qua vendiderat Dominum, à se abiiceret, omne prorsus pretium superantem, pacem iniuria detineret.

Postulantes pacem conuenerunt Abrahamum Abimelec, & Phicol princeps exercitus eius,tulitq; Abraham oues, & boues, & dedit Abimelec, percusserúntque ambo fœdus,Genes.21.Si huius oblationis rationem quæres, eam ad pacem refert Oleast. dicens: Quanti facienda est pax, quæ debet multo emi, si opus est?Sic ille. Quod adhuc magis aperio ex eo, quod Christus Dominus Matth.5.ait:*Ei,qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quæ verba ponderans Saluianus lib. 3. de prouid. ad med. hoc ad pacem conseruandam refert, & vitandam omnem litem, vnde discordia oriri solet. Iubet, inquit ille, Christus ne litigemus, & in tantum hoc iubet, vt ea ipsa nos, de quibus lis est, relinquere iubeat, dummodo litibus exuamur. *Si quis enim voluerit,* inquit, *tecum iudicio contendere,& tunicam tollere, relinque ei & pallium, &c.* Similia habet Chromatius Episcopus Aquileiensis ad cap.5. Matth. Vsque adeò, inquit, ab omni lite, vel contentione iudicij vult nos esse semotos; vt si fortè calumniator litem moueat, volens auferre, quæ nostra sunt, non solùm hæc, quæ iniustè expetit, sed etiam illa, quæ non postulat, spontè nos Dominus iubeat offerre. Perfecta enim fides ista, & perfecta victoria est contra iniuriam facientem, si etiam ea, quæ non postulat, offerantur. Sic ille. Cui illud addendum est, quod Christus Dominus noluit tunicam inconsutilem suam diuidi, sed vt sors mitteretur, & cui sors accidisset, integram tolleret. Hoc ad integritatem, & pacem fidelium conseruandam referunt Sancti Patres, quia fideles sunt Christi vestes;eorum pacem, & vnionem, & integritatem charitatis super omnia vult Deus conseruatam remanere, sicut prosequitur Athanas. Orat. de cruce, & passione Domini. Vnde Nazianzen. orat. 12. quæ est prima de pace, statim in princip. ait: Cùm insectam illam, & diuisionis expertem tunicam, ac per totum contextam, in multas iam partes conscissam, prauus ille (scilicet diabolus) prorsus sibi vendicasset, hoc scilicet per nos assecutus, quod per eos, qui Christum in crucem sustulerunt, haudquaquam potuit,&c.

Genes.21. num.27.

Matth.5. num.40.

Similia sunt quæ habet August. epistol.203.in med. vbi Maximinum Episcopum Donatistam ita alloquitur. Si à persecutoribus vestis non conscissa est pendentis in cruce, cur à Christianis destruitur Sacramentum sedentis in cœlo? &c. Noluit itaque suam vestem diuidi, qui voluit vt vestem etiam exueremus, & vel etiam pallium dimitteremus pro conseruanda, & tuenda vnione, & pace. Vnde Cæsarius Arelatens.Episcopus dolet merito, quod cum tanti fieri voluerit Deus pacem suam, & concordiam cum fratribus, nos qualibet leui occasione eam dimittamus, & cum omnem prorsus valorem excedat, vtpote quæ magno pretio sit æstimabilis, nos quasi vilem paruifacimus. Sic enim habet homil. 11. post med. Minus dolen-

dum est, vt cum illi à charitate nec tormentis potuerint separari, nonnunquam propter paruissimum conuitium, & cuiusque miseri hominis detractionem ira derelinquimus charitatem, vt cum eo non solum multis diebus, sed mensibus, & annis nec loquamur, & non attendimus, quia dum nos inuicem odio habemus, muros Hierusalem nobis claudimus; & qui charitatem habere noluerit, qua fronte, vel qua conscientia ad Deum, qui charitas est, præsumit accedere?

Ecce, vt potuimus, pacis bonum depinximus, in qua omnia bona pariter reperiuntur, quæ fuit ratio cur in præsenti Ezechias volens proponere quietem, felicitatem, & gaudium, quo ante morbum, & inimicorum obsidionem, & persecutionem fruebatur, vnico verbo id expressit dicens, conuersam esse in amarissimam amaritudinem pacem pristinam, scilicet prosperitatem & lætitiam, in qua antea degebat. Ioan. 17. cum à Deo Patre Christus enixè postulasset secundùm Augustini, & D.Thom. sententiam, vt sui indiuisam vnitatem, & mutuam societatem, ac pacem discipuli inter se conseruarent, dicens: *Pater sancte serua eos, vt sint vnum, sicut & nos.* num. 13. subdit: *Hæc loquor, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Ponitur enim, inquit D.Thom. hæc lætitia, vt fructus vnitatis, quia vnitas, & pax faciunt perfectè gaudere. Prouerb. 12. *Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium.* & 1. Ioan. 1. *Annuntiamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & gaudium vestrum sit plenum, &c.* Non potuit proinde melius gaudium, quo antea perfundebatur in pace sua, Ezechias exprimere, quam pacem appellare, quam vt perfecto gaudio, vel etiam in hac vita perfundamur, debemus perse-

Ioan. 17. num. 11.

Prou. 12. num. 20. 1. Ioan. 1. num. 4.

qui, & amplexati, vt post lætitiam pacis in hac vita possessam mereamur ad æternam pacem peruenire beatitudinis.

ANNOTATIO IV.

De amaritudine, & commotione peccati, & de dulcedine, & pace rectæ conscientiæ.

SVnt qui hoc in loco intelligant per amaritudinem amarissimam in pacem conuersam statum peccati, à quo per pœnitentiam demisso in pacem amicitiæ Dei, & gratiæ statum transit peccator; vbi duo ad nostram institutionem, & doctrinam occurrunt, & amaritudo scilicet peccantis animæ, quæ perpetua exagitatur fluctuatione, & pax, ac tranquillitas rectæ conscientiæ, quæ pacatam, ac quietam reddit animam. Vtrumque proinde in præsenti prosequamur.

Amaritudo igitur peccati constat ex Deut. 29. vbi sic habetur. *Ne sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem:* vel *toxicum, & absynthium,* vti vertunt recentiores: Chald. vertit: *Nec sit inter vos cogitans peccata.* Paraphrastes Hierosolymitanus legit: *Peccatum assimilatur radici fixæ in terra, cuius caput quidem vt mel est, finis autem eius amarus, vt absynthium mortiferum.* Vatabl. sic exponit: Radix aliqua producens toxicum, & absynthium, idest, ne aliqua anima peccet grauissimè. Per toxicum & absynthium intelligit peccata grauissima, & ita etiam Saa. Explicat verò Cornel. à Lapide dictum locum. Peccatum hîc dicitur fel, amaritudo, & absynthiũ toxicum. Primò, quia lethaliter sauciat animã. Secundò, quia eam amaricat

Deut. 29. num. 18.

ricat per remorsum conscientiæ, & lacinat. Tertiò, quia eam reddit Deo inuisam, & exosam. Peccatum enim est obiectum vnicum iræ, & indignationis, & vindictæ Dei. Similis phrasis est Act. 8. vbi Petrus ait Simoni Mago: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Similia habet idē Cornel. ad illud Pauli Heb. 12. *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* Radix, inquit ille, amaritudinis est peccatum, quod amaricat conscientiam, quod desumpsit ex Chrysost. hom. 31. post princ. vbi ait: Meritò amarū vocauit peccatū: reuera enim nihil est peccato amarius. Hoc sciūt, qui postquam id fecerunt, tabescunt à conscientia, qui magnā sustinent amaritudinem. Nam cum sit amarissimum, peruertit etiam ipsam vim ratiocinandi. Ea enim est amaroris natura, vt sit inutilis. Rectè autē dixit, radix amaritudinis. Non dixit, amara, sed amaritudinis. Nam fieri quidem potest, vt radix amara dulces ferat fructus, sed fieri nō potest, vt radix amaritudinis fons, & fundamentum dulcem vnquam fructum ferat. Omnia enim sunt amara, nihil habent dulce: omnia acerba, omnia insuauia; &c.

Act. 8. num. 23.

Hebr. 12. num. 15.

Constat etiam peccati amaritudo ex eo, quod absynthio confertur, vnde Amos 5. dicitur: *Qui conuertitis in absynthium iudicium:* vbi Ribera exponit. Pro sanctitate, quam habere debueratis, pleni estis amaritudine, & peccatis. Est siquidē notum in Scriptura, vt iudicium significet id, quod quisque facere debet, vt rectè, sanctéque viuat, vt Psal. 105. *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Proindeque apud citatum locum Amos de iis conqueritur Deus, qui conuertunt iudicium in absynthiū, idest, peccata multa committunt, cum potius deberent sectari iustitiam; sic & Prouerb. 5. Salomon describens ruinam, ad quam inducunt voces meretricis, & quod ad peccatum pertrahant, ait: *Fauus distillans labia meretricis, nouissima autem illius amara quasi absynthiū.* LXX. *Postea verò amariorem felle inuenies*, idest, quidquid hauseris illius mellis, quod de scorti impudici ore distillat, nouissimè in fel, & amaritudinem peccati redundat: huius verò absynthij amaritudinem soporiferam sic describit Gregor. 30. Moral. cap. 15. dicens: Ebrius quisque, quod patitur, nescit: qui verò absynthio inebriatur, & hic quod sumpsit, amarum est, & tamen non intelligit eandem amaritudinem, qua repletur. Ita omnis peccator absynthio ebrius, qui amara sane, quæ pro huius vitę amore tolerat, tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorat. Amarum est omne, quod bibit, & discernere nequit, quod amarum est, quia ebrius absynthio est. Similia sunt prorsus quæ habet idem Greg. lib. 7. Moral. cap. 8. ad fin.

Amos 5. num. 7.

Psal. 105. num. 2.

Prouer. 5. num. 3.

Sed esto, sic res se habeat in ebriis, qui præ amentia amaritudinem peccati non sentiunt, qualiter amaricare faciat animam peccatum, optimè proponitur Prouerb. 14. vbi dicitur: *Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus,* idest, cor, & mens, quæ amaritudinem peccati verè agnouit, eam profectò nulla externa voluptas, aut delectatio delinire, aut consolari potest, cum enim amarissima sit amaritudo, omnem prorsus dulcedinem excludit. Vnde August. libr. 3. contra liter. Petiliani ait: Si conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus mundus extollat? Quod ipsum apta similitudine aperit Chrysost. homil. de compunctione cordis, cum ait: Vt homines ægri, cum multis febribus

Prou. 14. num. 10.

febribus aguntur, si in aquas semetipsos frigidas immerserint, ad præsens sibi aliquid videntur quæsiisse solatij; multiplicatas verò sibi flammas febrium reparant. Ita & nos agimus cùm conscientiæ stimulis agitamur, si merè externas gaudij, & lætitiæ causas quæramus, &c.

Ea itaque est peccati amaritudo, vt nullam omnino patiatur dulcedinem, qua de re videndus Hierony. in c. 18. Ezechiel. ad illa verba nu. 2. *Patres nostri comederunt vuam acerbam*; & in Hierem. lib. 6. vbi ait: Peccata sunt vua acerba, vt comedentium dentes obstupescant, vt non possint eius suauitatem sentire: de quo dicitur: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, &c.* & Ambros. in Psal. 35. in eodem sensu ait: Sicut vua acerba dentibus, ita iniquitas omnibus vtentibus ea. Grauis pœna, quæ cibum impedit, &c.

Ezechiel. 18. n. 2.

Neque hac in re omittendus August. in Psal. 48. cùm ait: Manducat iniquitas, nō ego dico, audi Scripturam. *Sicut vua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis*, Prouer. 10. *Sic iniquitas vtentibus ea.* Qui manducauerit enim iniquitatem, idest, qui libenter eam habuerit, non poterit manducare iustitiam. Panis enim iustitia est. Quis est panis? Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, ipse est panis cordis nostri. Quomodo ergo qui mãducat ore vuas acerbas, obrigescunt, & stupent dentes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare, quod videt, & manducare non posse. Sic is, qui iniquitate vsus est, & pastus peccatis incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Sed quid faciunt illi, quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & incumbunt pani: sic & nos si volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & incumbamus iustitiæ, & nascetur in corde non solùm delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi, hoc est, operandi, &c. Sic reddit amaram, & stupidam peccatum animam, vt neque dulcedinem Dei gustet, neque salutarem cibũ sumere queat, proindéque amarissima est peccati amaritudo. Et ex eo verò constare potest amaritudo peccati, quæ tanta est, vt etiam dulcissimum Dominũ amaricare faciat, quo sensu plerique exponunt locum illum Deut. 29. *Ne sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem.* Vbi Oleast. explicat. Cauete ne sit in vobis aliquis, qui amarus sit ori Domini, quasi dicat, inquit Hierony. Prado in Ezechiel. c. 8. pag. 117. Cauete ne sit inter vos aliqua idololatriæ species occulta, quasi radix sub terra, quæ deinde germinet absynthium fellis amarissimum, quæ scilicet accendat bilem meam, & ebullire faciat fel, ita vt nulla sit remissio. Et Pined. in Iob cap. 35. vers. 6. & 7. versans hunc ipsum locum Deuter. ait: Commodius est, vt ad ipsum Deum referatur, cui nostra peccata amarescunt. Hæc illa exacerbatio Diuini palati tam frequenter repetita, *Exacerbauit Dominum peccator*, Psal. 10. nu 4 Psal. 77. num 40. & 41. & 56. Psalm. 105. nu. 42. Illa præterea exasperatio oris Domini. 1. Reg. 12. num. 14.

Prou. 10. num. 26.

Deut. 29. num. 18.

Psal. 10. num. 4.

Tanta igitur est amaritudo peccati apud Deum, vt etiã ob amaritudinẽ ab alienis peccatis prouenientem, ne sanctissimam Christi Domini animam pungeret, oportuerit ab æterno Patre suarum dulcedinum torrentem præmitti, iuxta illud Psal. 20. *Praeuenisti enim in benedictionibus dulcedinis*, vbi August. ait: Quoniam priùs hauserat benedictionis suę dulcedinem, fel peccatorum nostrorum non nocuit ei, &c. Quæ igitur amaritudo

Psal. 20. num. 4.

ritudo cuique continget in propriis peccatis, ſi tanta futura eſſet Chriſto Domino ob aliena, niſi affluentia dulcedinis præueniretur à Deo?

Sed iam dulcedinem virtutis, & iuſtæ conſcientiæ inſpiciamus, cuius dapes, & dulçia fercula deſcripſit Salomon, cùm dixit Prouerb. 15. *Secura mens quaſi iuge conuiuium.* Hebr. *Bonus corde iuge conuiuium:* vbi videndus Ambroſius in Pſalm. 35. cùm ait: Quis mihi puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus ſuauior, quàm is, quem animus bene ſibi conſcij, & mens innocentis epulatur? &c. Accuratius rectæ conſcientiæ epulum deſcribit Abbas Cellenſis libr. de conſcientia ad Alacerum in deſcriptione conſcientiæ in hunc modum, ſub imagine cuiuſdam mulieris poſt princip. tom. 9. Bibliot. Pone menſam varietate, & plenitudine diuerſorum ferculorum refertam: ſint vaſa aurea, & argentea in omnem vſum: ſint pocula melle condita, ſint ad nutum obedientia palato, & gutturi quæcumque fuerint appoſita: cythara, lyra, & pſalterium auditus conuiuantium ſuis reficiantur modulationibus. Quid plura? Diſpoſitiſſima ordinatione ornata omnia ſint, ita vt nihil deſit ad cultum, aut ſuperſit ad tædium: vacet tamen interim locus præ aliis ſpatioſus, & ſpecioſus Reginæ, & Matrifamiliâs, conſcientiæ ſcilicet ſpecialiter deputatus, &c. Præmiſerat autem dulciſſimas, & iucundiſſimas delicias huius conuiuij, cùm dixit in illo quidem lautiſſimi illius epuli prægustari dulcedinem, cuius Chriſtus meminit Luc. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam in Regno meo.* Et Chryſoſt. homil. 55. in Matth. ad finem, vbi multa de recta conſcientia, & inter alia ſic ait: Si virtuti nos tradamus, nihil poterit nobis

Prou. 15. num. 15.

Luc. 22. num. 29.

dolorem inferre, cu[illegible] ſtimulis conſcientiæ an[illegible] p[illegible]r, magno ſemper fruitur gaud[illegible] vt nemo id oratione poſſit [illegible]re. Quid enim tibi videtur in præſenti vita iucundum, atque f[illegible]e? Menſáne delicioſa? Sed hæ [illegible] voluptati, quæ virtutem conſequitur, collata, amara, & triſtia plena eſſe videbuntur. Hugo verò Cardinal. ad citatum locum Prouerb. ait: Conuiuæ huius conuiuij ſunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur. Et citatus Petrus Cellenſ. ait: Conſcientia bona eſt Scyphus Ioſeph, in quo augurari, & inebriari ſolet. Quibus in verbis videtur alludere ad Scyphum Ioſeph, de quo ſerui illius Geneſ. 44. *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo augurari ſolet Dominus meus,* ideſt, coniectare, rimari, & indagari. Eſt igitur recta conſcientia Scyphus in hoc ſenſu, quia per eam nouit animus & coniectat Dei amicitiam, Sanctorum beneuolentiam, futura alterius vitæ bona, & beatitudinis delicias, quæ in memoria verſaræ omni protſus dulcedine replent animam, & tanquam nectare inebriant. Vnde proximus citatus Chryſoſt. ait: Nihil iucundius quàm conſcientia proba, & ſpes futurorum certior: quòd ſi vultis iſtud diſcere, iam morientem hominem, aut ſenio confectum, cum ei in memoriam primum reduxerimus magnificæ mentis, inſignis gloriæ, præcipuæ laudis, & geſtarum rerum, quas ex officio virtutis operatus eſt, tunc demum interrogemus, quibus maximè gaudeat, & videbimus non mediocri pudore illum propter ipſa commoueri, propter hæc autem, quæ rectè fecit, tanta lætitia geſtientem, vt ſalire, & volare videatur. Sic & Ezechias cum ægrotaret, non menſæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ

Gen. 44. num. 5.

gloriæ, non regni, non imperij, sed iustitiæ, ac rectæ conscientiæ. *Memento, inquit, Domine qualiter ambulauerim in conspectu tuo in via recta*,&c. quæ in eandem sententiam prosequitur.

Videndus etiam pro dulcedine rectæ conscientiæ, tum ex præsentibus, tum de futuris Philo lib. quod deterior potiori insidiari soleat, post med. vbi de impio præmittit. Impio homini necessum est, aut adesse, aut imminere aliquid mali. Itaque futuri expectatio timorem gignit, præsentis vsus mœstitiam. Tunc subdit de iusto. Sed qui virtutem sectatur, delicijs huic conuenientibus fruitur. Aut enim acquirit bonum, aut acquiret postea. Et habere quidem, affert gaudium, rem pretiosissimam, expectatio verò habendi spem, quæ est alimentum animarum, virtutem amantium,&c.

Videndus item Plutarch. in moral.cùm ait: Vt Nephentes herba ab Homero prædicata addita poculis omnem conuiuij tristitiam discutit, ita bona mens indita nobis omnem vitæ sollicitudinem abolet. Et lib.de cupidit.diuitiar. Honestas, inquit, & virtus propriu m iubar, n... que lucem habet in animo, & gaudium domesticum parit, siue videat aliquis, siue lateat omnes & Deos, & homines. Et in vita Solonis idem Plutarch. refert in hunc modum: Cræsus iussit Soloni ostendere thesauros, supellectilem, magnificentiamque Regiam. Ad postremum cum interrogasset Cræsus, num quem alium hominem se beatiorem vidisset. Tum Solon, Tellum se suum ciuem vidisse respondit: exponit autem Tellum optimum virum fuisse, filiosque probatissimos habuisse, & integerrimè, sanctissimeque vixisse. Hanc de felicitate conscientiæ probatæ opinionem concepit, & docuit Solon. Refert item idem Plutarch. lib. de educand. liberis Socratem Gorgiæ quærenti, quid de Persarum Rege sentiret, & an eum felicem esse putaret, respondisse se ignorare, quod nesciret virtute, & doctrina præditus esset necne, multáque in hanc sententiam habet lib.de perfectionibus virtutum sentiendis. Et Plato in Mœnone, siue de virtute dixit virtutem nihil aliud esse, quam gaudere de pulchris: vsque adeò enim certum est virtutem gaudium, delectationem,& dulcedinem secum importare. Et Seneca epist.59. Sapiens nunquam sine gaudio est, gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. Et epist.27. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum: etiamsi quid obstat, nubium modo interuenit, quæ infra feruntur, nec vnquam diem vincunt,&c.

Extat hac de re præclarum responsum Summi Philosophi Diagoræ apud Stobæum ser.1. Rogatus enim quæ esset vera felicitas: Quæ, inquit, facit, vt mens, & anima in perpetuo gaudio collocetur. Tantum gaudium, & dulcedo virtutis est, vt necessarium duxerit Seneca aduertere non præmittendũ esse gaudium virtuti, sed postponendum, idest, non amplectẽdam virtutem propter gaudium, hoc enim esset ordinem inuertere, cum potius dulcedo debeat veluti ancilla virtuti deseruire; sic verò ille habet lib. de beata vita cap.14.in princip. Si placet ad beatam vitam ire comitatum, virtus antecedat, comitetur voluptas, & circa corpus, vt vmbra, versetur. Virtutem quidem excellentissimam omnium voluptati tradere ancillam, nihil magnum animo capientis est. Primò virtus sit, hæc ferat signa. Habebimus nihilominùs voluptatem, &c. & cap.8. eiusdem

eiusdem lib. statim in princ. ait: Ideò præceperunt veteres optimam sequi vitam, non iucundissimam, quamuis enim virtus voluptatem habeat comitem, non propter hanc petitur virtus; sicut enim in aruo, quod segeti proscissum est, aliqui flores internascuntur, non tamen huic herbulæ, quamuis delectet oculos, tantum operis insumptum est, aliud fuit serenti propositum, hoc superuenit. Sic voluptas non est merces, neque causa virtutis, sed accessio, nec, quia delectat, placet, sed, quia placet, delectat; vbi tamen aderit, perpetuò comitabitur dulcedo, gaudium, & lætitia, vnde & iniustitiæ statum amarissimam amaritudinem appellauit Ezechias, qui post dimissam à Deo impietatem, & assecutam gratiam, & benignum fauorem, potuit se iam reputare, & dicere in dulcissima dulcedine, & gaudio versari, quod tamen appellauit pacem, dicens: Ecce in pace amaritudo illa mea pristina peccati. Cum enim, vt superiori annotatione ostendimus, pax pro omnibus in vniuersum bonis supponat, ideò, vt manifestaret omnia bona ei cum gratia, & recta conscientia aduenisse, asserit se in pace post amaritudinem constitutum.

Quanquam autem hoc verum habeat, quod nomine pacis veniant intelligenda bona ea, quibus recta mens fruitur, peculiari tamen ratione importat eam pacem, & tranquillitatem, quam habet anima virtuti studens, & rectæ operationi incumbens, apposita procellosæ tempestati commotioni, agitationi, & timori, in quo impius animus versatur, quæ commotio prius à nobis describenda est, vt postea pacem iustitiæ, & virtutis proponamus. eam autem videre est in Caino, qui eiectus à facie Domini habitauit in terra Naid contra Eden: sic enim legit Cl[illegible], aliud Genes. 4. *Habitauit pr[illegible] in terra ad Orientalem plagam Eden.* Et Hieronym. etiam scribit *Naid* admonet verò non significare terram, sed idem, quod est fluctuans, & instabilis, ac sedis incertæ. Clemens verò Alexand. 2 stromat. ante medium, ait: Interpretatio autem, inquit, *Naid* est fluctus. Eden autem deliciæ, &c. Eique dixit Deus Genes. 4. Genes. 4. num. 16.

Vagus, & profugus eris super terram. Genes. 4. num. 12.
Iusto enim Dei iudicio vagari cœpit & fluctuare. Chald. *Instabilis, & trasmigrans eris in terra.* Procopius vertit ex Hebr. *F[illegible] mobilis & instabilis, non manens fixus sedibus in vno loco; sed errabundus, & nequitiæ tempestate iactatus huc, illucq; aberrabis.* L X X. vertunt: *Suspirans, seu gemens, & tremens.* Neque solùm exteriùs, sed interius etiam: nam vt Ambros. in Psalm. 35. ait: Latebat miser, tremens, & timens, & cum adhuc percussor deesset, ipsa se iniusti vita trucidabat. Quæ pœna maior, quàm timere, quod vitare non possis, nec quod timueris euadere? &c.

Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Thren. 1. vbi mysticè Glossa ait: Anima pro peccato per diuersa vitia [illegible], [illegible] supra petram virtutum non [illegible] gressus. Et statim in hoc sensu [illegible] tur n. 9. *S[illegible] es eius in pedibus eius:* [illegible] Paschasius [illegible] comment. in Thren. ait: Cœptum seruat luctum, quod instabilis facta est Hi[illegible], & ideò more semper vi[illegible] sordes se plorat habere in pedibus: non quod ad [illegible] eam lugeat tantus Propheta, eo quòd sordidos gesserit pedes, quod friuolum satis videri potest; sed quia secundum [illegible] hominem pollutos habet gressus, &c. Qui itaque errabundus per inuiam, lutosamque terram vagatur, sordidos habere pedes Thren. 1. num. 8.

 necesse

necesse est; cum verò miser, & instabilis peccator per omnia vitia diuagetur, sordidos vtique habet pedes. Hieronym. verò sic explicat. Sordes gestat in pedibus, qui gressum conuersationis suæ malis polluit operibus, &c. Vide qualem passus est tempestatem inobediens Ionas, quando nauis periclitabatur conteri: quod si opponas ipsum descendisse ad interiora nauis, & ibi correptum sopore graui Ion. 1. qui somnus nobis rectum animum in media tempestate tranquillum describit, qualis planè Eliæ, quando 3. Regum 19. cum sub vmbra iuniperi dormiebat, dúm Regina Iezabel eum quæreret ad mortem. Quod item fecisse legitur Petrus Actor. 12. comprehensus, & concatenatus ab Herode Rege. Vnde Hieronym. ait: Quantum ad historiam pertinet, Prophetæ mens secura describitur: non tempestate, non periculis conturbatur: eundem & in tranquillo, & imminente naufragio animum gerens. Denique alij clamant ad deos suos, vasa proiiciunt, nititur vnusquisque quod potest: iste tam quietus est, & securus, animique tranquilli, vt ad nauis interiora descendens somno placido perfruatur, &c.

Ion. 1. num. 5.

3. Reg. 19. num. 5.

Actor. 12. num. 6.

In quam sententiam videndus Plutarch. orat. 1. de fortuna Alexandri, vbi ait: Iudicia recta omnibus hominibus putamus inesse, quòd natura vltro quidem honestatem ducat. Philosophi autem in hoc præstant vulgò, quod iudicia habent in aduersis firma, & roborata. Quibus similia habet Philo libr. de Ioseph. Videtur igitur securus dormiisse post omissum præceptum Dei, & inobedientiæ crimen, quod oppositum censendum erit iactationi peccatoris. At longè aliter se res habet, sicut expendit Hierony. dicens: Conscius erat fugæ, & peccati, quo Domini præcepta neglexerat: & tempestatem ignorantibus cæteris contra se sæuire cernebat: ideò descendit ad interiora nauis: & tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus aduersùm se videret intumescere. Quod autem dormit, non securitatis est, sed mœroris: nam & Apostolos legimus in Domini passione præ tristitiæ magnitudine somno fuisse depressos Luc. 22. Qui locus Hieronymi explicatione indiget. Aduertendum proinde est cum Galeno lib. 1. de causis psymptomatum cap. vlt. & lib. 3. de causis pulsuum c. 9. somnum non fieri ex euaporatione alimenti ab stomacho obstruentibus vaporibus eos meatus, per quos è cerebro ad sensus defluunt spiritus animales, sed quod ipsa anima reuocet, colligatque in cerebrũ spiritus animales ad eorum reparationem: & ad quietem, salutemque animantium; habente se anima, vel natura ad instar diligentis patrisfamiliàs, qui seruos suos reuocat à labore, & eos cibo reparat; cui sententiæ suffragatur Auicēna 13. tract. 41. & Plin. lib. 11. c. 75. & Cicero in somno Scipionis, cùm ait: & vbi cubitum discessimus, me & fessum de via, & qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quàm solebat, somnus complexus est; cùm itaque regio apparatu cœnasset, somnum non refert in cœnam, sed potius in laborem viæ, & vigilias noctis. Si itaque verum habet hæc sententia, quæ aduersantem habet Aristotelem libr. 2. de partibus animalium, & lib. de somno, & vigilia, cap. 3. Qua de re videndus Cursus Conimbricens. ibi c. 2. §. Nihilominus. Sanè Ionas somno correptus est & propter fatigationem viæ, & propter multam tristitiam. Solet siquidem tristitia spiritus colligere ad cerebrum, & externos sensus destituere, quam sententiam præter citatum Hiero

Luc. 22. num. 45.

Hieronymum sequitur Theophyl. Theod & cæteri grauiores Interpretes dum causam somni Ionæ asserũt & itineris defatigationem,& cõmissi sceleris tristitiam. Mirandum enim non est si tristitiam violatæ amicitiæ cum Deo,& itineris defatigatio collegerit animales spiritus ad cerebrũ, sicut colligit animi deliquium,atque ira destituerit sensus externos, vnde profundus somnus Prophetā occupauit:sic verò habet Theophylact ibi Nunquid adeo ignauus, & socordiæ deditus erat Propheta, vt tanto periculo suscitato dormiret, & sterteret, quod maximæ securitatis argumentum erat: verùm ante suborram tempestaté sopore correptus est forrassis ex nimia fugę tristitia & defatigatione itineris &c. Et sanè textus Hebr. hoc videtur sentire, sic enim ibi vertunt Vatabl & Pagnin. *Descenderat ad interiora nauis,& dormiebat:* qui locus supponit oppressum à somno Prophetam ante tempestatem, scilicet propter fatigationem, & mœstitiam: si enim non occuparetur somno anima Prophetæ detractantis Dei præceptum, longè maiorem pateretur tempestatem, quàm ipsa nauis, & nautæ patiebantur.

Est optimus hac dere locus apud Chrysost. ser de Iona ante med. ad fin.tom.1. vbi ait. Cùm nauem fuit ingressus, turbantur maria, fluctus eleuantur, & profundi pelagi arena monstratur. Et sicut fidele mancipiũ cum seruum fugat lapsum,nonnullis etiam communi Domino pretiosis ablatis, omni animositate cõtra eius retentores insistit, nec ante derelinquit nisi cum pręsentauerit Domino: sic & mare conseruum agnitum non alieno patrocinio, nullius postulato subsidio, sed propria virtute commotum, vt sibi redderetur, exposcit. Sed nautæ nondũ agnita causa naufragij,nauem aliquãtarum rerum iactatione subleuari [illegible] & nihilominus n[illegible]ur. Peccatum naufragium prę[illegible],& Ionas somno premebatur, sed sopor ille tristitia fuit, non requies. Nam idonea, benignaque mãcipia culpam suam non tardè agnoscunt. Hoc & Propheta sustinuit. Admisso peccato, crimen peccati agnouit: quia huiusmodi natura peccati est,post partum dolores incutit,& natum plus afficit mentem vnde prolatum est. Sic ille tristitia affectũ describit Ionam post peccatum,quæ ipsum randem defatigatum & concussum somno affecit.

Constat item quomodo iactentur impij etiam in dignitatis,& honoris fastigio constituti. Dixit olim Abimelec ad Isaac: *Recede à nobis,quoniam potentior nobis factus es valde.* Genes.26. Sed postea ipsum conueniunt Abimelec,& sui Regni Proceres,dicẽtes: *Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus,vt nõ facias nobis quicquam mali.* n.28. Non sinit eos quiescere impius eorum animus,sed eiectum quærunt, & quem expulerant petunt, & veluti mente iactati opposita loquuntur. Quod factũ põderãs Chrysost.hom. 52.in Gen.post.med.ait. Qui pridem abegerant, nunc veniunt ad peregrinum,ad nostra ciuitate carentem, ad erroneum, & nõ solum satisfaciunt, & excusant se de his, quæ cõmiserãt, sed & peccatorum veniam petunt. Hoc auté diuina dispensatione opus est, quod mens eorum obstupuerit iustum. Vnde quomodo impellente conscientia semetipsos reprehendere festinãt,cũ nullus alius cogat, vel facta obiiciat: Nam nisi iniuriam fecissetis,quare a iusto petitis,vt componatur fœdus vobiscum? Sed ita se habet iniustitia, quotidie conscientia mordet,& silente eo,qui offensus est, pœnam,& rationem exigi putãt, qui iniustitiam sunt operati: & quotidie anguntur, & quasi sibimetipsis præ-

Genes.26. num.26.

fitibant peccatorum suorum visionem. Deinde dicunt: Ineamus fœdus tecum, vt ne feceris nobis malum sicut nos non sumus te abominati. Vide quomodo pugnantia inter se præ mentis angore, & turbatione loquuntur, ne feceris nobis malum. Quare sic timuistis iustum, videntes quod tantam præ se fetat mansuetudinem erga teos, qui lacessebant? Sed incorruptus Iudex mentem eorum excitauit: propterea præ timore, & formidine non ostendunt quod diuersa, & pugnantia loquuntur. En fluctuantes,& iactati impij, vt nusquam consistant, nec secum pacem habeant,qui ab imbecillo,pacifico, & beneuolo Isaac timent, quem a se expulerant.

Similia sunt quæ habet Honcala in cap. 43. Genes. cum ponderat timorem, quo perculsi sunt fratres Ioseph ob patratum in illum scelus. Seneca, inquit ille, dixit, tuta esse scelera non possunt, quia prima illa, & maxima peccantium pœna est peccasse, secundæ pœnæ sunt timere semper,& expauescere.

Melius multo hoc dixit Chrysost. homil. 17. in Genes. [illegible] expendit in primis parentibus post peccatum, dum audiunt vocem Domini, statim se abscondentes Genes. 3. Sic enim habet [illegible], vt intrauit peccatum, & præuaricatio, tumultuatio simul [illegible] inuasit, & erubescentia. [illegible] Iudex incorruptus, conscientia [illegible] aduersus hominem [illegible], [illegible] clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem [illegible] & licet quis [illegible] peccata, [illegible] aliquo, faciunt [illegible] omnes homines [illegible] tamen accusatricem non poterit latere. Nam hanc [illegible] intus habentes, vbicumque sumus, circumferimus. Ipsa nos circumit, obturbat, lacerat, flagellat, nunquam quiescit; sed & domi, & in foro,& in templis,& in mensa,& dormientem, & surgentem admonet rationem delictorum exigit, ob oculósque proponit. Hoc conscientiæ opus est, vt iugiter memoriæ inhæreat, nec permittat vnquam in factorum obliuionem nos venire, sed ob oculos proponat.

Similia habet idē Chrysost. hom. 28. in epist. 1. ad Corinth.& concione 4. de Lazaro, vbi inter alia ait: Quare nobis iudicem in animo sic perpetuò vigilātem,& attētum Deus constituit? Consciētiā in loquor. Nec enim est vllus inter homines adeò vigilās,vt est nostra consciētia. Nam externi iudices & pecuniis corrumpuntur, & assentationibus deliniuntur,& metu simulant; denique multa sunt alia, quæ rectum illorum iudicium depravant: at conscientiæ tribunal nulli hominum nouit cedere, sed quāuis dederis pecunias, quamuis muneris, quamuis aliquid quidlibet [illegible] iustam fert sententiam. Ne [illegible] sed [illegible], [illegible] hoc facere non desinit, & licet ingens temporis interuallum intercesserit, nunquam tamē obliuisceretur eorum, quæ facta sunt, &c. quæ accuratè in hanc sententiam latè prosequitur. Quibus similia [illegible] Theodoret in cap. 17. Ierem. Peccatum, inquit, Iudæ scriptum est in vngue adamantino in pectoribus eorum. Nihil potentius conscientia, in qua scilicet inflexæ sunt literæ. Quamuis enim omnes homines suæ ipsorum conscientiæ de bona vita testificari conentur; peccata nihilominùs eorum, qui mentiūtur,conscientia ferre nequit, sed persequitur, ac perforatur, incorruptámque profert sententiam.Et Theodoret.in Psal. 3. vbi nobis iactatum Dauidem post peccatum

carum sic describit. Post geminum inquit, illud peccatum in multas, variásque calamitates incidit B. Dauid; nam non solum finitimæ gentes in pugnam, bellumque exarsere, sed sua ipsius etiam domus cœpit seditione laborare, & peccatum peccato successit, Amnonis libidini homicidium Absalonis, & fratricidio insultus contra Patrem, & subditorum defectio. Cum enim Diuina gratia Dauidi prospiceret, nihil horum illum vexabat: cum verò ob patratum crimen destituisset, multa campum occupauit, & tragœdiis digna effecit, malorúmque congeriem protulit, &c. & Ambros. in Psalm. 37. loquens de conscientia; Rei sumus sine accusante, sine tortore cruciamur, sine vinculis astringimur, sine venditore vendimur, &c. & epistol. 18. lib. 5. ait idem Ambros. Nullus maior est dolor, quàm is, qui mucrone vulnerat conscientiam, neque vllum grauius est onus, quam peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Similia habet lib. de Interpellat. Iob, cap. 3. & Bernard. lib. de Interiori domo, cap. 45. ita incipit. Nulla pœna est grauior est praua cōscientia. Mala conscientia proptius agitur stimulis. Si publica fama te non damnat, propria conscientia te condemnat: quoniam nemo potest seipsum fugere. Et 5. de considerat. ait: Nullus de tanta numerositate spectantium molestior oculus suo, cuiusque non est aspectus, siue in cœlo, siue in terra, quem tenebrosa conscientia fugere magis velit, minus possit, non latent tenebræ, sed ipsæ se vident: multa hac de re habet toto lib. de Conscientia.

Optimè in eandem sententiam Lactant. lib. 3. Diuinar. institut. ait: Nullus hic simulationi locus est, in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Et Senec. epist. 43. Etiam in solitudine, inquit, anxia est, atque solicita conscientia, imò vt ait Salust. in Catilin. neque vigiliis, neque quietibus sedari potest, sed surdo verbere cædit, sicut ait Iuuenalis Satyr. 13. Quandiu autem duret huiusmodi commotio, & conturbatio bene dixit Ouid. 1. de Ponto.

Nec prius hi mentem stimuli, quam vita, relinquunt.

Quod si cui videbitur inuigiliæ tantùm impulum hanc iactationem pati, audiat Sueton. Tranquill. in vita Caligulæ, cap. 50. & 51. vbi ait: Neque plusquam tribus nocturnis horis quiescebat, ac ne his quidem placida quiete, sed pauida, miris rerum imaginibus; & postea: nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua, & fulgura conniuere, caput obuoluere, ad maiora verò proripere se e strato, sub lectúmque condere solebat. Et in vita Domitiani, capite 14. Pauidus semper, & anxius, minimis etiam suspicionibus præter modum commouebatur, & antequam interficeretur, Iunium Rusticum, quem innocentem occiderat gladio, ad se veniété in somnis vidit. Nec; omittendus Alexander Magnus, teste Iustino, & Plutarcho in eius vita, qui cum Clitum amicum suum per temulentiam occidisset, tantos animi cruciatus sustinuit, vt exclusis omnibus arbitris, & amicis, mortem manus allaturus esset, nisi Anaxarchus philosophus superuenie... diuisset, variísque colloquiis à præcipiti consilio reuocasset: ... ... riis, & scelerum facibus incitabatur Magnus Princeps, quas restinguere haud ferme integrum illi erat, quia solis iis, qui verum Deum agnoscunt, datum est amatissimam amatitudinem conscientiæ in pacem redigere per pœnitentiam.

Bessus item apud Plutarch. de sera numinis vindicta, cum patrem suum necasset, diuque id scelus clam fuisset, postea temporis ad hospites quosdam cum iuisset cœnatum, nidum quendam hirundinum hasta concussa deiecit, pullosque interfecit: cum vero ij, qui aderant, quærerent, quanam re impulsus rem tam insolentem egisset? Non, inquit, audiis hirundines falsò de me vociferari, & testari me patris mei esse interfectorem? &c. Nonne hoc comprobat illud Iob 15. *Vndique terrebunt eum formidines, & inuoluent pedes eius.* Et num. 21. *Sonitus terroris semper in auribus eius.* Optimumque est illud Polybij in fragmento. Nullus neque testis tam formidabilis, neque iudex tam grauis, quam conscientia, quæ mentibus cuiusque insidet, & inhabitat: & Plutarch. lib. de Tranquillitate animi ad fin. ait: Malefactorum conscientia, sicut vlcus in carne, in animo pœnitentiam relinquit assiduè lancinantem, & pungentem; & alias quidem curas, doloresque aufert ratio, ipsam pœnitentiam creat mordicantem cum pudore, & a seipsa punitam.

Iob 15. num. 14.

Videndus denique Philo lib. de Congressu quærendæ eruditionis gratia, vbi quamuis impiè videtur asserere nullum alium esse inferorum locum, quàm animam impiam. Deus, inquit ille, iniustam, impiámque animam fugatam a seipso longissimè dissipat in locum concupiscentiarum, ac facinorum, qui locus impiorum vocatur aptius, quàm ille tabulosus apud inferos. Reuera enim infernus nihil aliud est, quàm vita scelerati, & execrandi hominis. Secutus est hunc errorem Origen. lib 2. Periarchon, sicut refert, & impugnat D. Hieronym. in epistol. ad Auitum: eo tamen per hyperbolem intellecto benè exprimitur procellosa tempestas impiæ conscientiæ, quæ torquet, affligit, & iactat impium peccatorem; vnde August. lib. 1. confess. cap. 12. ait: Fecisti Domine, & ita est, vt omnis inordinatus animus sibi pœna sit. Cum igitur intestinum patiatur bellum, & sustineat internum supplicium, nullam patitur quietem, & pacem miser peccator, sed amaritudinem experitur amarissimam, & perpetuam animi seditionem, ac tempestatem.

Quod si adhuc plerósque videas quietos degere, & peccati, ac conscientiæ tempestate minimè iactari, & commoueri, id propterea est, quod veluti mortui iá nihil sentiant, cum peccatum pro centro habeat huiusmodi mortem, & animæ interitum. *Stimulus peccati mors*, inquit Paul. 1. Corinth. 15. Græcè habetur. *Centrum autem peccati mors.* Tendit quidem peccatum ad huiuscemodi insensibilitatem, & mortem animæ, veluti ad proprium centrum, naturalia verò, quæ in suo centro sunt, neque grauitant, neque leuitant, proinde miser peccator ad amaritudinem amarissimá peccati non exacerbatur, neque fluctuationem peccati sentit, de eavè dolet, quia morté iam incurrit animæ, & centrú proprium assecutus est. Sic autem animus hominis se habet, quemadmodum corporis infirmitas desperatius ægrotat, quando doloris amiserit sensum. Qua de re videndus August. tract. 60. in Ioan. & Bernard lib. de conscientia, titulo de mala, & tranquilla conscientia, vbi ita incipit. Sequitur mala, & tranquilla conscientia, qua sicut nihil peius, ita nihil est infelicius. Quæris quænam illa sit? Hæc est illa, quæ nec Deum timet, nec hominem reuerertur: quæ cum venerit in profundú malorum, contemnit.

1. Cor. 15. num. 56.

contemnit. Et vide lapsum, imò & casum malæ cõscientię. Primò quãdo homo assuetus bonis, grauiter peccat, videtur ei adeò importabile, vt in infernũ viuens descendere videatur. Processu verò temporis, non importabile, sed tamen graue videtur, & inter importabile, & graue non paruus descensus est. Paulò pòst & leue iudicat, & cum crebris ictibus verberetur, vulnera non sentit, verbera non attendit. De huiusmodi in Scriptura veritatis expressum est. Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. In breui temporis spatio non solùm non sentit, sed & placet, & dulce fit, quod amarũ erat, & asperum vertitur in suaue. Ad extremum verò non potest auelli, quia consuetudo vertitur in naturam, & quod priùs ad faciendum erat impossibile, iam impossibile est ad continendum. Sic descenditur, imo caditur à Hierusalem in Ierico: hic peccator fœtet, hic quatriduanus est. Hic lapis speluncæ superpositus illos misericordes radios diuini luminis non admittit. Hic iuxta Scripturam, à mortuo, tanquam ab eo, qui non est, perit confessio: nisi fortè miserans Deus cor lapideum, in carneum quãdoque conuertit, &c. Qui igitur in centro peccati, ac in morte viuus delitescit, non mirum si tortorem non sentiat, qui ad commotionem, & tempestatem non excitetur, si bello non fluctuet, neque ad punctionem perpetuam doleat.

Infelicissima huiusmodi pax, & deploranda mors, quæ risum, & lætitiam affert, cum omnem prorsus rationem veri gaudij aufert: etenim cum impiis non sit pax, Isai. 48. & 57. mirabatur aliquando Regius Vates Psal. 72. num. 1. Psalm. 72. *Pacem peccatorum videns:* possemus dicere quoad externa attinet in pace esse ea, quæ possidet nemine illi contradicente, si præpotens ille sit, & vt Ecclesiast. 41. pacem habet in substantus, sed multò melius Salomon in Prouerb. c. 23. 34. & 35. rem aperuit; etenim ebrius, si gubernator nauis sit, cum in summo periculo versetur, & ipse, suáque omnia extremè periclitentur, altissimo tamen somno, & rerum omnium obliuione detinetur. Impius itaque hac in re iure dicitur à Salomone. *Sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo*, & dicets verberauerunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi; quando euigilabo, & rursus vina reperiam: Ebrietatis itaque securitas impiorum est, & stultorum, & insanorum tranquillitas non vera. Eccles. 41. num. 1.

Sed iam ad pacem, & tranquillitatem rectæ conscientiæ accedamus, quam assecutus est Ezechias postquã lacrymatus, & gemebundus clamauit, & intẽtos in cœlum leuauit oculos, ac per illos impietatis venenum reiecit: vbi recolendus est Hippocrates l. 1. Prędictionũ, cùm ait: In febribus præcordij dolores, nisi sudores ocyus dissoluãtur, maligni sunt: quod hac nostra tempestate in malignis febribus euenire videmus. Sudorem animi lacrymas appellauit Per. Dam. Ser. de D. Petro. Si igitur animus, qui in morbum lethalem, nempe culpam incidit, dolorque præcordiorum, vel cõscientiæ cruciatus statim vrget, & conturbat, sudore animi, idest lacrymis effusis, soluatur necesse est, vt pacẽ, & tranquillitatẽ assequatur: quod adhuc illustrare possumus iuxta vetus Medicorũ omnium effatũ in lib. de Corde, nimirũ cor nostrũ ex omni parte quadam tunicula ambiri, quæ Græcè pericardion, à Latinis verò præcordiũ appellari potest, & ab aliquibus sic appellatur, hæc autẽ tunica, vel vasculũ humore quodam semper est plenũ, inseruit autem detẽtus humor ad hoc, vt cor, quod assiduo

motu cietur, & veluti iactatur, instar nantis leniter admodum, & sine labore, ac lassitudine motus suos explicet; ne, si ad latera præcordiorum impingeret, læderetur, ac doleret. Vnde aiunt tunc maximè cor dolere in cardiacis, cùm ob illius humoris penuriam suo ipsius motu tum fatigatur, tum læditur. E contra verò gaudere si aqueum illum humorem in pericardio inueniat. Quando igitur culpa iactatum, & fluctuans, ac inquietum cor aquam lacrymarum inuenit, conquiescit planè, & pacem inuenit, ac tranquillatur. Si verò conscientiæ pericardion suffocato humore illo dulcissimo lugentibus deficit, animus grauissimis motibus concussus fatigatur; maximi consurgunt dolores, & cruciatus, quos praua efficit, paritque conscientia. In pace quidem reddita est amaritudo amarissima Ezechiæ, quod clamauit sicut pullus hirundinis, meditatus est vt columba, lacrymosus vtique, & gemebundus. Alij, qui tempestate iactantur, terram petunt, vt incolumes euadãt: at qui fluctibus iactãtur procellosæ conscientiæ, in aquis lacrymarum, & in amaritudine portum inueniunt, pacem, & quietem.

Videndus hac de re Bernar. lib. de conscientia, tit. de conscientia bona, & turbata, vbi describit iactatum cor in amaritudine animæ, sed ablutum in lacrymarũ aquis, & fletibus. Conscientia bona, inquit ille, bona est, sed turbata, quæ à mundi aspergine quanto potest pressius se detergit, nõ tamen in dulcedine, sed in amaritudine multa. Audi quid de illa Dominus dicat. Cum ipso sum in tribulatione. Ad quid? Eripiam eum, & glorificabo eum. Eripiam ab amaritudine, glorificabo in voluptate. Hæc verò conscientia loquitur Deo in Psalmo, & dicit: Cõmouisti, inquit, Domine terram, & cõturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est. Commouetur terra, cum peccator confitetur, & pœnitet; conturbatur, cum in cõuersatione amaritudinem sustinet, sed contritiones istas illius sanare solius est, qui sanat omnes infirmitates nostras, &c. Ecce quomodo reddatur amaritudo nostra amarissima in pace, quomodo conturbatio sedetur, & in tranquillam conuertatur. Et in hoc sensu eleganter dixit Clemens Alexand. 4. stromat. pacem esse filiam iustitiæ. Nam cum pœnitentia, vt iam superiùs aduertimus ex D. Thom. iustitia sit ad Deũ, & lacrymæ pœnitentium sanguis sint animæ in tribunali iustitiæ effusus, profectò dum fit pœnitentiæ iustitia pacem consequitur peccator, & quietam dulcedinem; quam bene describit Bernard. lib. de conscientia statim post princip. dicens: Beata est anima, quæ in pace firmata est, cum exteriùs bella patitur, pax interiùs non turbatur. Quæcumque foris molesta perstrepunt, vsque ad silentium internæ quietis irrumpunt, quando gustu internæ dulcedinis tacta, tota est per desiderium intus collecta, nec foris iam emittitur, nec in carnis voluptate dissoluitur: quia totum intus possidet, in quo delectatur: & cum tota ad internum gaudium colligitur, ad imaginem Dei reformatur, quam in se veneratur. Talem animam frequenter visitant, & honorant sancti Angeli, & Archangeli, &c. & in tit. de bona conscientia, ait: Conscientia bona lætificat animam. Conscientia bona bonus titulus, ager benedictionis, hortus deliciarum, reclinatorium aureum, gaudium Angelorum. Nihil in hac vita securius, nihil iucundius possidetur bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus: illa tamen semper erit secura. Futuræ beatitudinis nullum

certius testimonium bona conscientia. Secura est, quoniam accusationem non patitur, vel pro torpore boni, vel pro præsumptione mali, &c. lib. de interiori domo c. 20. post prin. Tranquilla est bona cõscientia, quia omnibus est dulcis, & nulli grauis; vtens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad beneuolentiam, & quibus potest ad beneficentiam, &c. quæ videnda sunt. Hinc est quod August. libr. contra Secundinum Manichæum cap. 1. tom. 6. ait: Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Meritoque Paulus Colossens. 3. *Pax Christi exultet in cordibus vestris*, quasi dicat, inquit Anselmus, gaudete, & tripudiate ob pacem animi: dicitur autem hæc pax Christi, quia Christus eam docuit, dum nos instruxit ad consequendam veram animi tranquillitatem.

Coloss. 3. num. 15.

Notandum tamen est verbũ Græcum, pro quo Vatabl. & alij vertunt. *Brauium, & palmam ferat pax, vt vincat, & superet quæcumque nos perturbare possent: si quis ab alio molestiam acceperit, pace animi omnia traquilla reddat*: nullumque euidentius præsentiæ diuinę in corde iusti indicium, quàm animi quies, pax, & securitas. Ideoque Chrysost. hom. 1. in epist. ad Rom. in morali post princip. ait: Animi tranquillitatem, & lætitiam non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensę sumptus, non vestium ornatus, nõ aliud quicquam rerum humanarum adferre consueuit, præterquam rectè factum solum spirituale, ac conscientia bona: quam certè qui puram habet, vt pannosus sit, vt cum fame luctetur, tamen tranquillior, beatiorq; est iis, qui inter delicias magnopere degũt. Quemadmodum, & qui sibi malè conscius est, vt omnium bona possideat, omnium est mis[...]rimus. Quapropter & Paulus in assidua fa[...]e, ac nuditate victitans, tum autem & quotidie flagris cæsus gaudebat ac deliciabatur super eos omnes, qui tum regnabant. Achab autem Rex cum esset, ac deliciis sumptuosis perfrueretur, commisso peccato illo gemebat, animum despondens, erátque illius facies collabens. 3. Reg. 21.

Optima sunt quæ in hanc sententiam habet in 1. ad Corinth. & pseudo-August. ad fratres in eremo de pace animi in terra verba faciens ait: O pax tu mentis serenitas, tu inter hostes summa tranquillitas cordis; & cum plurima pacis bona enumerasset, subdit. Tu Martyrum solatium, tu Confessorum baltheus, tu Virginum tripudium, tu viduarum speculum, tu coniugatorum spectaculum, tu malorum præsidium, tu hostibus excidium, tu latronum suspendium. Et Ambr. lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. 7. Non in delectatione corporis vitæ beatitudo est, sed in conscientia pura ab omni labe peccati. Et Tertullian. libr. ad Scapulam Carthaginis præsidem in Christianos sæuientem, sic eos pacificos describit cap. 1. Cum omni sæuitia vestra concertamus, etiam vltro erumpentes, magísque damnati, quàm absoluti gaudemus. Et in Apologet. c. 5. Licèt nunc nos sarmentitios, & semaxeos appelletis, quia ad stipitem dimidij axis deuincti sarmentorum ambitu exurimur, hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palma vestis, tali curru triũphamus, &c. Cuius securitatis rationem reddidit Tiburtius ad Tyrannum dicẽs: Omnis nobis vilis est pœna, vbi secura comes est conscientia. Quid referam, cum & ipsi Ethnici rectæ conscientiæ pacem agnoscentes, apertè eam fateantur? Nam Tullius in Oratio. pro Milone ait: Magnam vim habet conscientia in vtramque

partem, vt semper pœnam ante oculos versari putent, qui peccauerint, & nihil timeant, quid nihil admiserint. Et in Orat. pro Cluentio ait: Si optimorum consiliorum, atque factorum testis in omni vita nobis conscientia fuerit, sine vllo motu summa cum honestate viuemus: & Horat. lib. 1. Epist. 1.

——hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Et Ouid. 4. Fastor.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet.
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Et Bias interrogatus quidnam in vita metus expers, respondit, bona conscientia.

Sed adhuc illud obiici potest, quod fieri nequaquam possit, vt quis in hac vita pace fruatur, quæ militia est super terram ex Iob 7. Et sicut viam plerique prædones infestant, sic & infelicissimi inimici nos persequuntur, sicut prosequitur D. Basil. orat. 3. de peccato, vbi ita incipit: Maximum bellum, ô charissimi, ac varium in dies singulos nobis veritatis hostis infert. Infert enim, vt scitis, nostras cupiditates, contra nos tela faciens, & à nobis ipsis ad lædendum nos, semper robur, atque vires sumens. Et quemadmodum improbi, ac auari homines, qui hoc vnum student, & volunt, vt ex alienis bonis ditescant, cumque nec valeant, nec possint aperte vim afferre hominibus in viis insidias instruere solent, si aduerterint locum aliquem vallibus profundis diffractum, aut densitate arborum opacum, in hunc se abdentes, & viatorum præsensionem eiusmodi operimentis præcidentes, confertim, & improuiso ipsos aggrediuntur, ita vt non possint prius periculi laqueos prospicere, quam vbi in eos inciderint: sic etiam ille noster iam multis à seculis hostis diabolus, mundanarum voluptatum vmbras subiens, quæ prope viam vitæ existentes, ad prædones occultandos, & insidiatores tegendos, qui ex improuiso laqueos salutis nobis tendunt, aptæ sunt, & commodæ, &c. quæ in hanc prosequitur sententiam.

His similia habet August. lib. 19. de Ciuit. cap. 18. dicens: Nunc profectò, idest, in hac vita, quamuis imperetur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur, & vtique aliquid subrepit in hoc, loco infirmitatis, etiam bene confligenti: vnde si non facilè operatione, certè labili locutione, aut volanti cogitatione peccetur. Et ideò quandiu vitiis imperatur, pax plena non est, quia & illa, quæ resistunt, periculoso debellantur prælio, & illa, quę victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc solicito premuntur imperio. Subdit autem Augustin. plenam pacem, & ab aduersariis immunem ad cælum, & beatitudinẽ differendam. Quæ igitur pax poterit reperiri mediis in aduersariis, quę quies, & tranquillitas in mediis procellis, & tempestate huius seculi? At in eo maximè cernitur virtutis robur, & interrita constantia, quod inter hostes, atque aduersarios pacifica est, atque tuta, ita vt post contractam Dei amicitiam, & assecutam gratiam possit cum Ezechia dicere: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Quantumuis enim fremant, vociferenturque mali, & mala nitantur inferre, & maledicta iaculari, nihil omnino timet, cedit, aut frangitur. Quod optimè prosequitur Ambros. in Psalm. 38. ad illa verba: *Obmutui, & silui à bonis*, vbi ostendit securitatem, & pacem iusti inter calumniatores. Obmutui & silui à bonis, inquit, quia bona cōscientia non eget defensione verborum, quę suo nixa est testimonio, ipsa sui iudex; ideò Paulus 1. Corinth. 4. 1. Cor. 4.
Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer. num. 3.

Aduersus

Aduersus calumniantes, & peccatores iustus suo iudicio contentus est, non possunt aliena verba crimẽ affigere, quod propria non recipit conscientia. Sic ille; & Ansel. ad dictum locum Pauli ait: Iusti non humana iudicia, sed æterni iudicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba cum Paulo despiciunt.

Videndus Hierony. ad Pammachium de obitu Paulinæ, vbi ait: Prima monachi virtus est contemnere hominũ iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas: quod posuerit faciem eorum sicut vrbem æneam, & lapidem adamãtinum, & columnam ferream, ne pauerent ad iniurias populi, sed impudentiam subsannãtium frontis rigore contererent. Sic seruatur interna pax ab aduersariis impugnantibus, sed à laudantibus item, qui maximi sunt inimici, tuetur pax: si illorum laudibus non annuamus, vt interius commoueamur, & excitemur in eleuationem, & superbiam, quod bene prosequitur Chrysost. hom. 12. in epist. 1. ad Corinth. ante med. vbi ostendit, qualem Deo impingant offensam, qui hominum laudes, & iudicia quærentes, Dei verum iudicium videntur contemnere. Non egemus itaque, inquit ille, aliis laudatoribus. Hoc enim est illum afficere contumelia, quando eum, tanquam, qui ad admirandum non sufficiat, prætereuntes ad cõseruos tendimus. Quomodo enim qui in paruo decertant theatro, magnum quærunt, vtpote quod illud non sufficiat ad ostentationem: ita etiam qui decertant in Dei oculis, & deinde laudem quærunt ab hominibus, maiorem dimittentes, & minorem cõcupiscentes, ad se magnum attrahunt supplicium. Hoc ergo súsque déque facit omnia: hoc vniuersum orbem terræ conturbat, quod ad homines aspicientes omnia agimus, & in bonis nihil esse ducimus, quod habeamus Deum admiratorem, sed à conseruis requirimus famam, & bonam existimationem, & in contrarius, eo rursus despecto, homines formidamus. Atqui ipsi nobiscum stabunt pro illo Tribunali nihil nos iuuantes: Deus autem quem nunc despicimus, ipse feret sententiam. Sed tamen cum hæc sciamus, ad homines adhuc orare ore aperto inhiamus, quod quidẽ est primum peccatum: & præsente quidem homine nemo voluerit scortari: sed etiamsi millies malo vtatur, vincitur tyrannis vitij, ac perturbationis à pudore hominũ: Deo autem vidente non solum adulterium admittunt, & scortantur, sed etiam alia multo grauiora multi admittere, & ausi sunt, & audẽt. Nónne hoc vel solum satis esset, quò cœlitus innumeris peteremur fulminibus? propterea omnia orta sunt mala, quod in iis, quæ sunt adeò mala, non Deũm, sed homines reueremur. Sic ille ostendit falso perturbari, aut efferri, qui hominum iudicia sequitur, vnde pacem minimè poterit habere, qui deficienti sententiæ nititur, è contra verò ille firmus, quietus, & pacificus deprehenditur, qui Deo obsequitur, & illius commendationi, & iudicio sese committit.

Optima itẽ sunt, quæ habet idem Chrysost. hom. 17. in epist. ad Roma. ad med. vbi ait: Illud perpendas, quod multorum sentẽtia sit corrupta, corruptúmque iudicium: imò non solum corruptũ, sed quod subito marcescat. Nam etiam ad horam admirentur, puncto tamen temporis vix præterito, omnium obliuiscuntur. Atque ita fit, vt à Deo tibi datam coronam eripiant, & eam, quam ab ipsis expectabas, conseruare tibi nequeant.

queant. Quanquam etiamsi multi fuerint laudatores, etiam sic commiseratione dignus es, & ipsi quoque digni sunt, qui velut miseri non æstimentur, idque tum magis, quum plures sunt, qui hoc faciunt. Si enim cuiuis arti, non quosuis, sed ipsos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationem multis committis, & non præ omnibus vni illi (scilicet Deo) qui cũ omnia sciat, solus etiam vel exturbare, vel coronare potest? Hoc itaque Christi verbum inscribamus, & parietibus, & ianuis, & menti, dicamúsque continue nobismetipsis: *Væ nobis, quando laudauerint nos omnes homines.* Nam ipsi etiam laudatores te postremo velut vanæ gloriæ, vani honoris, præconiíque, quod ab ipsis sit, insimulabũt; stultitiã autẽ vituperabũt. Deus autẽ non ita, sed cũ viderit te eius, quæ ab ipso sit gloriæ cupidũ, tum te potissimum laudabit, celebrabit, prædicabit: homo verò aliter: & post multa addit. Quod si omnino gloriæ, laudúmque factus es amator; fac laudem, quæ ab hominibus est, fugias, atque tũc verè innúmeris laudibus, & apud Deum, & apud homines frueris. Nihil enim solent æquè admirari, atque eum, qui nec celebrari, nec laudari sustinens, omnia ista contemnit. Quod si nos ita solemus, multo magis qui omnium Deus est. Quando verò iste glorificauerit, ac laudauerit: quis, quæso, te fuerit beatior? Quantum enim inter gloriam, & ignominiam; tantum inter cœlestem illam gloriam, & hanc humanam est differentiæ: imò multo, ac infinito plus. Athleta vbi certat, ibi & coronari cupit, tu cum in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris? Et quidnam poterit hac amentia peius fieri? Quemadmodum pueri ludentes, ex fœno coronam inuicem imponunt, coronatum autem sæpenumero eius rei ignarum post tergum irridentes; ita sane & nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant; atque ita quid aliud fit, quàm quod & nobis inuicem fœnum imponimus? & vtinam nihil aliud, quàm fœnum. Nunc autem multo etiam nocumento plena est hæc nostra corona: nam omnia nostra rectè facta perdit. Considerata itaque ipsius vilitate, damnum istud effugito, &c. quæ prosequitur, ostendens quomodo parui faciendæ sint humanæ laudes, & ex consequenti vituperia, cum & falso plerumque nitantur iudicio, & ex deceptione proueniãt, vnde potius laudando illudũt, & irrident: at qui à Deo commendantur, nempe iusti, cum veram laudem consequantur, & firmissimo adhæreant encomio, quantumuis exterius oppugnentur detractionibus, iniuriis, & irrisionibus, pacem interius inconcussam possident, & potius infestantes inimicos irrident, quàm ab ipsis irrideantur.

Luc. 6. nu. 26.

Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Philo lib. de Migratione Abrahæ ante med. vbi pulchra similitudine rem aperit, hominis scilicet ægrotantis, cui omnes bene valere assererent, aut è contra cum sanus esset, ei tamen ægrotare affirmarent, qui tamen ex eo, quod optime agnoscat valetudinem, aut ægritudinem, parui penderet circumstantium dicta, sic & qui pacem animi assequutus, Dei amicitia fruitur, etiamsi tumentes fluctus excitent inimici, & ignominias, ac probra coniiciant, cum tamen interius pũgentem conscientiam minime patiatur, trãquilla pace immotus potitur, & Deo protegẽte securus recumbit: vnde idem Philo lib. de Somniis post medium ponderans ea verba, quæ Deus dixit dormienti Iacobo, habentúrque in LXX. licet in nostro Vulgato desint,

Genes.28. num.13. sint, Genes.28. *Ego sum Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac, noli timere*, ait. Subiungit, noli timere, & merito: quomodo enim post hoc timere possumus cum habeamus te pro clypeo, depellente omnes motus, & affectus alios? Cum ergo talis sit clypeus Deus dilectis, & amicis suis, vide quanta cum ratione ipsi asserere possint se in pace degere post remissionem peccati, & amicitiam Dei assecutam, sicut Ezechias ait: *Ecce in pace amaritudo mea, &c.*

TEXTVS VIII.

Tu autem eruisti animam meam, vt non periret; proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

RECOGNOSCIT adhuc Diuinum beneficiũ à Deo acceptum in verbis huius carminis: sẽsus autem secundum Hebraicum textum ad verbum hic est. Et tu amplexatus es amore animam meam à fouea, quia proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea: vel tu adhæsisti animæ meæ, vt eam defenderes à fouea, vel corruptione; vt exponit R. Dauid in comment. verbum enim hasak non significat, eruere sicut Hieronym. transtulit, sed concupiscere, desiderarè, amare, ac diligere, complacere, adhærere, coniungere, cingere, complecti, voluptatémque, seu oblectationẽ in aliquo capere; vnde ab hoc verbo Deuter.7. *Complacuit Dominus in vobis*, aut *adhæsit Dominus vobis*, vel *dilexit vos.* Hieronym. transtulit: *Iunctus est vobis Dominus.* Thargum, *complacuit.* Et Deuter.10. *Tantum in Patribus tuis cõplacuit Dominus.* Hieronym. *Et tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus.* Et Psal.91. *Quoniam in me complacuit*, vel (*mihi adhæsit*) *liberabo eum.* LXX. *In me sperauit.* Hieron. *Mihi adhæsit*, vel *me peramauit.* Et ab eodem verbo Genes.34. *Sichen filij mei complacuit anima in filia vestra*, vel *adhæsit animæ filiæ vestræ.* Sic igitur hoc in loco, *& tu desiderasti*, seu *complexus es ex amore*; alij verò legunt: *Acceptasti animam meam* (subaudi eruere) *à fouea.* Neque enim in Hebræo habetur; *vel tu adhæsisti animæ meæ, vt eam defenderes à fouea, vel corruptione.* Vertit enim Vulgatus noster iuxta sensum. Diligere enim à fouea, est præ dilectione liberare à fouea, & ita complacere, vt interitus displicuerit, & ab eo periclitantem dilectum eripuerit. Dicitur autem hoc in loco in Hebr. *Fouea vetustatis*, vel *consumptionis*, aut *corruptionis.* seu *putrefactionis*, pro quo noster Vulgatus transtulit, *vt non periret*; putrefactio enim vetustatem sequitur. Eruisti igitur à fouea vetustatis, idest, in qua velùti vetustum cadauer putredinem incurreret, & corruptionem. Nihil amplius in Hebr. notandum occurrit.

Deuter.7. num.7.

Deut. 10. num.15.

Psal. 91. num.14.

Genes.34. num.8.

Illud verò certum existimo secundum Hebr. veritatem intelligi debere hunc locum de corporali morte, & interitu, vt patet ex fouea vetustatis, quæ ad sepulturam demortui corporis necessario videtur referenda: at secundum nostram Vulgatam difficultas tota est quodnam intel-

ligat beneficium, vtrum ſcilicet vitæ temporalis, aut ſpiritualis: nam anima aliquando ſumitur pro perſona ex communi Hebræorum phraſi,
Eccli. 24. num. 1. ſicut Eccli. 24. *Sapientia laudabit animam ſuam*, ideſt, ſeipſam. Vnde, quod notat Origen. homil. 6. ſuper illud
Leuit. 26. num. 30. Leuit. 26. *Non abominabitur vos anima mea*; Dei animam Chriſtum hominem ſignificare: myſticus profectò ſenſus eſt, non hiſtoricus: anima quippe Dei Deus eſt, qui vſque adeò non eſt nos abominatus, vt è contra-
Ioan. 3. num. 16. rio Ioannes dicat c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Inſuper & Auguſt. in lib. de lo-
Exod. 12. num. 4. cutionibus Exod. ad illud c. 12. *Aſſumet vicinum ſuum, qui coniunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſint ad eſum agni*. per Synecdochem in Scripturis animam accipi pro toto homine aſſerit. Sic dixit Rex Sodomæ ad Abraham, Ge-
Geneſ. 14. num. 21. neſ. 14. *Da mihi animas, cætera tolle tibi*.
Exod. 1. num. 5. Et Exod. 1. *Omnes animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore Iacob 70*. Item Act. 27.
Act. 27. num. 44. *Factū eſt, vt omnes animæ euaderent ad littus*, ideſt, omnes homines, qui vehebantur in naui cum Paulo. In hoc igitur ſenſu ſignificat Ezechias ſe quidem à morte liberatum, idque vt faceret Deum proieciſſe poſt terga omnia peccata ipſius, ratione quorum grauiſſimum merebatur ſupplicium. Quo ſenſu intelligitur à Hie-
Pſal. 71. num. 13. ron. illud Pſ. 71. *Animas pauperis ſaluas faciet*. Pauperi (inquit Hierony.) & inopi, qui abiectis mundi diuitiis pœnitentiam egerunt, parcetur, & ſaluabuntur, &c. Eruit igitur Deus animam Ezechiæ, ideſt, illum à morte, qua tandem extinguendus eſſet, niſi diuinitus liberaretur.

Vel etiam dici poteſt, quod peccata videntur hominibus ſæpè leuiſſima, quandiu in bonā mentem non reducūtur; at poſtquam Deus peccatores illuſtrat, plus eos cruciat, punit, & affligit peccati memoria, etiā dum remiſſum eſt, quam ante peccatum remiſſum, dum adhuc in animo aderat. Etenim Dauid, dum in peccato erat, nullo vexabatur mentis angore: at poſtquam ſe peccaſſe cognouit, dimiſſo etiam peccato, dolenter clamabat: *Quoniam iniquitates mea ſupergreſſæ ſunt caput meū, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. Fit Pſal. 37. num. 5.
autē huiuſmodi illuſtratio, & cognitio, vel per orationem, qua cum Deo familiariter loquimur, vel cum Deus per ſe, vel per alium mentem illuſtrat. Vnde Iob neque ſanies, qua ſtillabat totum corpus, aut ſterquilinium, in quo iacebat ſuis amicis, & familiaribus moleſtus, & grauis, tam de ſe humiliter ſentire fecit, quam lux, quæ ipſi mentē illuſtrauit, ideoque c. 42. ait: *Nunc autem oculus meus* Iob 42.
videt te: idcirco me reprehēdo, & ago pœ- num. 6.
nitentiam in fauilla, & cinere. Sic etiam & Ezechias antequā à Domino corriperetur, & illuſtraretur, non tam illum humiliauit mors iam impendens, & corpus iamiam ſoluendum in ſaniem, & in cineres redigendum, quàm mens a Deo illuſtrata, tum per ipſum Deum, quem orando alloquebatur, tum per Prophetam, quem ad ipſum miſit: mox igitur ad ſe reuerſus, inquit Forerius, errorē ſuum deflet. Beatitudo Dei eſt non poſſe peccare, ait Bernard. at ille homo beatus eſt, cui non imputauit Dominus peccatum: illis autem non imputantur, qui reſurgunt, & pœnitentiam agunt. Aduertit autem Dionyſ. Ezechiam dixiſſe: *Proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea*. larga enim pietas Dei, inquit ille, veniam non dimidiabit.

Sed dices, quomodo peccata dicuntur à Deo omiſſa, & poſita poſt tergum; cum tamen, vt iam aduertimus, Ezechias dixerit Deo, in corde perfectò eidem deſeruiſſe? Sane Ezechias

chias intelligendus de corde recto circa fidem,& cultum Dei,quo nunquam ab illius fide, & Religione defecit: quæ fides, & Religio non excludit cætera peccata, imò & vox Iustorum est illa, *dimitte nobis debita nostra*, &, *in multis offendimus omnes*, proinde Ezechias Dei fidem seruando, ipsúmque religiosè colendo, multa commiserat aliàs peccata, ratione quorum meruerat affici lethali morbo, & mortem per illum incurrere; quia verò ab ea diuinitus est liberatus, & sanitati restitutus,ac pacem post amarissimam amaritudinem consecutus, inde est,quod dicat Deum proiecisse post tergum omnia peccata ipsius Ezechiæ.

Matth. 6. num. 12. Iacob. 3. num. 2.

Quia tamen verba sacræ Scripturæ propriè debent intelligi, nisi vrgeat maximum inconueniens, vt ad metaphoram recurrendum sit, & propria animæ significatio est, qua non pro corpore,sed pro spiritu vitæ accipitur,vt aduertit August.lib.7.de Genes.ad literam cap.21.quam etiam dixit Arist. lib. de Anima esse actum corporis physici, organici, in potentia vitam habentis: cum hoc in loco statim Ezechias peccatorum meminerit, quæ mortem animæ inferunt, videtur intelligendus locus de ipsa anima, atque omnino de morte illius, à qua Deus eruit animam Ezechiæ inflicto supplicio, & pœnitentia inducta,& inspirata,qua Ezechias de peccatis suis doluit, & pro eis lacrymatus debuit exaudiri,& liberari: & cum Ezechias corpore ægrotauerit propter animæ morbum, nempe peccatum: hucusque locutus est de corporis morbo,interitu,& sanitate, nunc verò de animi interitu,& sanitate loquitur, vt ab vtroque recognoscat se Dei beneficio liberatum.

Sed dices, quomodo dicit Ezechias animam suam perituram, nisi diuinitus liberaretur, cum anima immortalis sit, & impassibilis, sicut definit Concil. Lateran. in bulla Leonis, vbi dicitur: Damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectualem mortalem esse, & vnicam in cunctis hominibus? Hoc igitur, quod Ezechias ait de interitu animæ, non intelligitur quoad substantiam animæ, quæ immortalis est, sed quoad vitam gratiæ, & amicitiam Dei, sicut aduertit Hieronym. in illud Ezechiel. 18. *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Non, inquit, abolitione substantiæ, sed eius consortio, qui dicit Ioan. 14. *Ego sum vita.* Item Ioan. 11. *Omnis, qui viuit, & credit in me*: & infrà subdit, quod à Balaam dicitur. *Moriatur anima mea morte iustorum*: hunc habet sensum, vt cupiat mori seculo,atque peccato,& viuere cum animabus iustorum, quorum vita est Christus, & possit canere: *Placebo Domino in regione viuorum.* Et August.lib.3.de Ciuit.cap.11.ait: Mors animæ fit, cùm eam deserit Deus, sicut corporis, cùm id deserit anima, &c. Similia habet libr.50. Homil. homil. 42. & serm. 5. de verbis Domini. Origen. homil. 15. in Genes. Orat. 19. Optiméque Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata, Gregor. 4. Moral. cap. 17. vbi ostendit maiorem adhuc esse mortem, qua Deus separatur ab anima, quàm qua anima separatur à corpore. In hoc igitur sensu Ezechias gratulatur Deo,quod erueit animam ipsius ne periret, & mortem peccati incurreret.

Ezec. 18. num. 4. Ioan. 14. nu. 6 & 11. n. 26. Num. 23. num. 10. Psal. 114. num. 9.

* * *

ANNOTATIO I.

Peccatum iure dicitur mors animæ.

IVxta illorum sententiam, qui hoc in loco existimant Ezechiam Deo gratias referre, quod illum à corruptione,& animę interitu liberauerit, constat peccatum dici animæ mortẽ, acerbiorem quidem,& crudeliorem, quàm sit mors corporis:vnde Genes. 42. & 43. cum Israël recusaret dare Benjamin fratribus suis,vt iret in Ægyptum, sicut promiserant Iosepho, & pro quo obses remanserat in carcere Simeon,Ruben ait ad parentem
Gen. 42. num. 37. Gen. 43. n. 8. & 9. senem. *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi*; at ille ait: non descendet. Postea Iudas ait: *Mitte puerum mecum, nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus omni tempore, tunc Israël dedit filium.* Hoc igitur scitu dignum est,cur ille,qui filium non dedit Ruben offerenti pro illo duos filios interficiendos, nisi reduxisset Benjamin, statim atque audiuit Iudam dicentem se futurum reum peccati,nisi iterum attulisset postulatum Benjamin,eum dedit deducendum in Ægyptum? Acerbiorem vtique censuit mortem animæ,nempe peccatũ, quàm mortem corporalem, etiamsi illa molestissima esset parenti Ruben in nece duorum filiorum. Ita exposuit Glossa Ordin.hunc locum dicẽs: Ruben ait: Duos filios meos interfice,si non reduxero, nec tamen obtinuit:at Iudas dicens,reus ero peccati in patrem omni tempore,impetrauit, quia ei commissus est Benjamin.Plus est ergo reum esse peccati,quàm corporaliter occidi. Sic Author Glossæ probat maiorem esse animi mortem, quàm corporis.

Imminenrem sibi iam cernebant mortem, qui naui vehebantur cum Iona, & cum apud eos de placando Numine pro tanta tempestate ageretur, & sors cecidisset super Ionam, ipseq; eis dixisset:Tollite me,& mittite in mare;magis adhuc se solicitos exhibent pro morte animæ, quàm pro morte corporis,dum dicunt Ionæ. *Ne des super nos sanguinem innocentem,& ne pereamus in anima viri istius.* Iona 1. num. 14. Vbi Hieron.ait: Sciuit peiorem esse peccati mortem,quàm vitæ,&c. Videbant siquidem grauissimum scelus esse homicidium innocentis hominis,sicut aduertit Chrysost.hom. 19. in Genes.vbi ait: Mors quidem proposita erat Susannæ nisi adulteris assentiretur: dicebant siquidem impudici,& procaces senes:Si nolueris,dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum iuuenis,& ob hanc causam emiseris puellas à te. Sed illa aliam quidem mortem dolens verebatur, dicens: *Si hoc egero, mors mihi est, sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Dan. 13. nu. 22. & 23. Vbi Hieron.Peccatum,inquit,mortem vocat. Sicut ergo ei, qui facit adulterium, mors est adulterium; sic omne peccatum, quod ducit ad mortem, mors appellandum est,& toties mori credimur, quoties peccamus ad mortem; vnde è contrario toties resurgimus, & viuificamur, quoties vitæ digna opera facimus. Sic ille: interpretatur autem acutè id, quod Susanna dixit: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare*, vt illud *melius*, idem sit secundùm textum Græcum, quod *bonum*. Sic verò haber. Eleganter non dixit, melius est mihi; ne videretur comparatione peccati,quod erat bonum hoc appellare melius.Sed *bonum est mihi*,inquit, *non facere malum, & incidere in manus vestras,ne peccem in conspectu Domini.* Non ergo per comparationem legendum est: *Melius est mihi incidere in manus vestras*, sed absolutè; *Bonum*

num est mihi non facere malum, & incidere in manus vestras, ne peccem in conspectu Domini, &c.

Videndus Origen. hom. 15. in Genes. ante med. vbi versat eundem locum Danielis, diserteque probat peccatum esse mortem, ex eo, quòd nuntiatum est Iacobo seni per filios re-
Gen. 45. num. 26. deūtes ex Ægypto. *Filius tuus* (scilicet Ioseph) *viuit*, Genes. 45. sic ergo habet Origen. ad dicta verba: Ergo hęc non communiter dicta suscipio. Si enim (verbi causa) ponamus quod Ioseph potuisset vinci à libidine, & peccasset cum vxore proximi sui, non puto, quod hoc à Patriarchis de eo nuntiatum fuisset patri eius Iacob, quia filius tuus Ioseph viuit. Hoc enim si
Ezec. 18. num. 4. fecisset, sine dubio non viuebat. *Anima enim, quæ peccat, ipsa morietur.* Sed & Susanna eadem docet, cum dicit: *Angustiæ mihi sunt vndique: si enim hoc fecero* (idest, si peccauero) *mors mihi est, & si non fecero, non effugiam manus vestras*. Vides ergo & ipsam mortem in peccato posuisse? Sed & ad primum hominem à Deo prolata sententia, eadem continet, cum dicit Genes. 2.
Genes. 2. num. 17. *Qua die manducaueritis ex eo, morte moriemini.* Statim namque vt præuaricatus est mandatum, mortuus est. Mortua est enim anima, quæ peccauit, &c. Faciunt hoc in loco, quæ habet Bern. ser. ad milites Templi, c. 11. ante med. vbi ait: Peccatum præcessit, vt sequeretur mors: quod sanè si cauisset homo, mortem non gustasset in æternum. Peccando itaque vitam amisit, & mortem inuenit, quoniam quidem & Deus ita prędixerat, & iustum profectò erat, vt si peccaret homo, moreretur. Quid namque iustiùs poterat, quàm recipere talionem? Vita siquidem Deus animę est, ipsa corporis. Peccando voluntariè volens perdidit viuere, nolens perdat & viuificare. Spontè repulit vitam cùm viuere noluit, non valeat eam dare cui, vel quatenus voluerit. Noluit anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret superiori, inferiori cur imperet? Inuenit Conditor suam sibi rebellem creaturã, inueniet anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inuentus est homo diuinæ legis, inueniet ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuantem se in legem peccati. Porrò peccatum (vt Rom. 6.
scriptũ est) separat inter nos, & Deũ, Isai. 59.
separet proinde mors etiã inter corpus nostrum, & nos. Non potuit diuidi à Deo anima, nisi peccando, nec corpus ab ipsa, nisi moriendo. Quid itaque asperius pertulit in vltione, id solùm passa à subdito, quod præsumpserat in Authorem? Nihil profectò cógruentius, quàm vt mors operata sit mortem, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. Cùm ergo hac gemina morte secundùm vtramque naturam homo damnatus fuisset, altera quidẽ spirituali, & voluntaria, altera corporali & necessaria, vtrique Deus homo vna sua corporali, ac voluntaria benignè, & potenter occurrit, illaque vna sua nostrã vtramque damnauit. Meritò quidem. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnę debitum reputaretur; suscipiens pœnam, & nesciens culpam, dum sponte, & tantùm in corpore moritur, & vitam nobis, & iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non soluisset: si non volũtariè moreretur, meritum mors illa non habuisset.

Est optimus hac de re locus apud Saluian. libr. 1. de Prouident. vbi expendens quomodo Absalon interfecerit fratrem Amnon, 2. Regum 13. quod vbi resciuit Pater, *scidit vesti-* 2. Reg. 13.
menta sua, & cecidit super terram. Vult num. 29.
enim hoc non factum tantùm

propter mortem Amnonis, sed ob necem spiritualem, quam incurrerat fratricida Absalon. Sic verò habet. Amnon ab Absalone iugulatur: inter hæc pater Dauid facinore vtriusque punitur: duo filij peccant, sed tres duorum scelere perduntur: in Thamar enim virginitas amittitur, in Amnone etiam Absalonis perditio lugetur. Et quidem nescias, quem de filiis duobus tam bonus pater potissimum amiserit, illum, qui manu fratris occisus est in hoc seculo, an illum, qui sua periit in futuro: impurior nescias, an cruentior filius, quia interficere patrem non potest, patricidio fœdat incestu. Sic ille, vbi etiam recolendus venit Ambros. libr. de Iacob, & vita beata, cap.4. post princip. vbi obseruat id, quod Rebecca dixit, postquam Esaü audiuit minantem mortem fratri Iacob ob assecutam benedictionem. *Nunc fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum, habitabisq; cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius. Cur vtroque orbabor filio in vna die?* Genes. 27. Quomodo igitur illa vno die vtroque esset orbanda filio, dices? Id sanè præter alios exponit Glossa, quod scilicet, vel contingeret, vt se inuicem mutuis vulneribus confoderent, vel occiso vno, alter fugam arriperet, ac illo abscedente, mater sine illo remaneret; at rem pro nostro argumento attigit citatus Ambros. dicens: Mater pia abesse sibi filium dilectissimum tolerat, plus ei collatura, quàm læsit, vtrique tamen consulens, vt alterum immunem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine. Sic ille ostendit quomodo vtrumque filium mater fugam consulens à morte eripuerit; dum scilicet alterum à gladio furibundi Esaü eripit; alterum à morte

Gen. 27. num. 43.

fratricidij, quo patrato, & vnum amisisset occisum, & alio orbaretur occidente seipsum, dum immane scelus patraret.

Facit pro hoc argumento Augustin. cum interpretatur verba illa Christi Domini Ioann. 5. cum Christus Dominus dixit: *Venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem Filij Dei:* intelligit enim hoc de prædicatione Christi percipienda, & audienda à peccatoribus, qui ratione peccatorum, in quibus iacebant sopiti, ac sepulti, dicuntur mortui. Sic verò habet August. lib. 50. Homil. homil. 21. post princip. Amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Mortui, idest, peccatores intelliguntur, qui audierunt Christum, & non crediderunt, & quod subditur; viuent, qui audient, ideò recapitulatur, eo quod paulò superiùs de resurrectione peccatorum dixerat, &c. Et homil. 42. post medium, versans locum illum Iacobi 1. *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem*, ait: Vel mortem time, si peccatum non times. Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem. Ergo ne abstraharis à concupiscentia tua, nega te illi, noli eam sequi, illicita est, lasciua est, turpis est, alienat te à Deo. Nondum peccatum times? Time quò perducit peccatum: dulce est peccatum, sed amara est mors, &c.

Ioann. 5. num. 25.

Iacob. 1. num. 15.

Huc alludit communis modus loquendi Pauli, cum mortuos dicit peccatores, vt Ephes. 2. *Vos cum essetis mortui delictis, & peccatis vestris,* vbi Hieronym. ait: Per delicta, & peccata vestra, quæ scilicet, vobis interitum conciliant, & mortem inferunt. Et quia se ipsos occidunt, inde est, quòd Deus peccatores carnifices proprios constituit, dum permittit

Ephes. 2. num. 1.

mittit in manus peccatorum suorum incidere, quæ est doctrina Aug. in Psal. 5. vbi ait: Cùm punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum dimittit, iuxta illud Psal. 7. *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem; lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Punit ergo Deus eos, qui legem prætereunt, non eis inferens de seipso malum, sed in id, quod elegerunt, eos expellens ad complendam summam miseriarum. Sic Augustin. Cum ergo Dauid dicat impium lacum sibi aperire, foueámque facere, plane colligitur hominem, dum peccat, sibi ipsi lacum, & quasi assumpto ligone sarcophagum parare, quo ipsius anima sempiternam oppetens mortem sepelitur. Ideóque Chrysost. hom. 6. ad popul. ait: Magnum quidem est supplicium peccare etiamsi non puniamur: peccata enim nos à Deo separant, pœnæ verò nos ad Deum perducunt.

Psalm. 7. num. 15.

Vidémus pro hoc arguméto Drogo Episcopus Hostiéf. ser. 1. de Sacraméto Dominicæ passionis ante med. vbi interpretatur illud Matt. 21. quod Christus Seruator exprobrauit vendentibus in templo; *Vos fecistis eam speluncam latronū*; sic enim habet. Faciunt homines seipsos speluncam latronum; iugulāt homines, & trahunt in speluncam suam. Quod enim maius homicidium, quàm vt seipsum interficiat homo? Vel quod grauius homicidium, corpus occidere, an spiritum? O quoties homo spiritū suum interficit? Quot homicidia in seipso perficit? Quoties voluntariè, & ex studio peccatū perpetrat, quid aliud quàm seipsum iugulat? *Omnis enim, qui acceperit gladiū: gladio peribit.* Gladius animi peccatum est, peccatum animæ mors est; qui hunc gladium manu propriæ deliberationis acceperit: hoc est, acceptum habet, & gratum, primus in seipsum manum mittit, primus semetipsum interficit: *Gladius*, inquit, *eorum intret in corda ipsorum.* Nec satis est semel occidere, & quiescere; millies, & millies crudeles in se manus conuertunt; & veloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem suū, viri sanguinum, & dolosi. Quomodo dolosi? Quia congerunt cadauera mortuorum in speluncam suam, & operiūt aggere terræ, ne vel ipsi videant, vel ab aliis videantur, &c. Quibus ostendit crudeles admodum in se esse peccatores, dum sibi mortem inferunt, & scrobem, ac foueam aperiunt pro sepulchro. Et Dorotheus Abbas Doctrina 7. ante med. ait: Quanto proficit anima, tanto fit fortior, atque valentior. Debile autē animal cuicumque oneri, etiam leuissimo, succumbit, & si ceciderit, ad resurgēdum multorum opus habet auxilio. Idem est de anima, quæ quò magis peccauerit eò fit semper debilior. Peccatum enim in miseriam quamcumque trahit, & concutit apud quem fuerit, &c.

Matt. 21. num. 13.

Matt. 26. num. 52.

Psal. 36. num. 15.

Similia sunt, quæ habet Antiochus Monach. hom. 61. ad fin. vbi ostendit à nobismetipsis mortē nostrā oriri, dum peccamus. Hinc est, quod Aug. serm. 32. de verbis Apostoli in med. censet nos debere à Deo postulare, vt nosmet à nobis ipsis liberet, sicq; interpretatur illud Orationis Dominicæ; *Libera nos à malo*, quia nullus alius nobis maius malū inferre potest, quā nobis ipsi inferimus, dum delinquimus. Sic ergo habet Aug. Demus honorem Deo fratres, cui clamamus, *libera nos à malo.* Quid est quod clamasti, *libera nos à malo*: Certè nō est malū. Responde illi (scilicet Manichæo) ego sum malus. Et si liberauerit me à malo, ero de malo bonus, si liberet me à me, ne incurram in te. Hoc dic Manichæo. Si Deus liberauerit me à me malo, ero bonus; si bonus ero,

Matth. 6. num. 14.

 sapiens,

ſapiens ero; liberet ergo Deus me à me, meum eſt enim vitium, &c.

Meritò proinde Philo lib. 2. legis allegor. ante med. tractãs illud Gen. 3. *Adam vbi es?* ait: Perinde valet, ac ſi dicat: quò deueniſti ô anima, pro qualibus bonis qualia egiſti mala? A Deo vocata, vt fieres virturis particeps, vertis te ad vitium? Et cum frui datum ſit arbore vitę, ideſt ſapientia, ſaturata es ignorantia, corruptionéque, &c. Ea enim anima, quæ in ſtatu gratiæ edit de ligno vitæ, dũ peccat, ſibi infert & inducit mortem. Quæ maior verò inſipientia poteſt eſſe, quàm vt ſibi mortem quis inferat? Verba illa Exod. 32. *Vade, deſcẽde, peccauit populus tuus*; Caietan. ex Hebr. legit: *diruit populus tuus*, nempe quidquid boni erat in eis, ſicut explicat idem Caietan. Quo in loco Lippomanus aduertit verbum Hebræum (ſachath) ſignificare corrumpere, diſſipare, perdere & peccare, vt ſcilicet intelligamus peccatorem, dũ Deum offendit, ſeipſum perdere, & diſſipare, ea maximè ratione, quod maius nocumentum ſibimetipſi inferat, quale nempe eſt mortem ſibi conſciſcere.

Gen. 3. num. 9.

Exod. 32. num. 7.

Neque mirum ſi iniquitas, & peccatum noceat miſero peccatori, cum & externa etiã bona, atque adeo res inſenſibiles deſtruat, & diſſipet, iuxta illud Sap. 5. *Ad eremũ perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas euertet ſedes potentium.* Græc. *Deſolabit omnem terram iniquitas.* Vbi iniquitati attribuitur deſolatio. Nam & in ſacris literis, ac lingua Sancta ita ſignificatur: nam houa, ideſt prauitas, dicitur contritio, calamitas, dolor, triſtitia, vnde naſcitur hoi, heu, væ, patétque ex Pſalm. 106. proprium iniquitatis eſſe vaſtare, deſtruere, & deſolare. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim*, ideſt, flumina exſiccauit, quibus terra irrigua fœcunda reddebatur. Chald. *Poſuit terram Iſraël facientem fructus, ſicut paradiſus Domini, deſolatam ſicut Sodomam, quæ ſubmerſa eſt*; quod interpretari poteſt ex Conſtit. Apoſtol. lib. 8. cap. 26. vbi habetur. Qui formidandum ignem quinque Sodomenis vrbibus immiſiſti, & terram fructiferam in ſalſuginem poſuiſti, à malitia habitantium in ea. Hebr. *meragat*, ideſt, *propter*, & ita Pagnin. Chald. *propter improbitatem inhabitantium eam.* Sic etiam Pſal. 105. *Infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum.* Græc. *Infecta, cruoreq́, non leuiter tincta.* Cùm igitur peccans aliis etiam inſenſibilibus rebus nocumentum inferat, quid mirum ſi ſibi admodum noceat, vt Moyſes dixit Deut. 32. *peccauerũt ei?* Montan. ex Hebr. *corrupit ſibi.* Pagnin. *corruperunt ſe.* Vbi videnda ſunt, quæ latè pro hac re diximus. Videndus Anaſtaſ. Nicenus quæſtion. in Scripturam, vbi ex Chryſoſt. in Pſal. 3. oſtendit peccatorum fructus eſſe mala propria, quæ peccator ſibi conciliat delinquendo.

Sapiẽt. 5. num. 24.

Pſal. 106. num 33.

Pſal. 105. num. 38.

Deut. 32. num. 5.

Ponderat Rupert. lib. 1. in Leuit. c. 21. in med. præceptũ illud Leuit. 5. de non attingendo morticino hominis, quod ſignificat peccatum; quia veram vitam, ideſt Dei ſpiritum per immunditiæ opera à ſe fugauit, quò fit, vt ſic mortua puteat anima Deo priuata, quomodo putreſcit corpus amiſſa anima, &c. Probat hoc ipſum Auguſtin. in Pſal. 87. illa verba: *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* Quod intelligit de corpore peccatoris, quod ſepulchrũ eſt animæ per mortẽ emortuæ. Animæ, inquit ille, mortuæ corpus ſepulchrũ: vnde Dominus in Euãgelio Matt. 23. *Similes eſtis ſepulchris dealbatis, &c.* Mortua itaque deliteſcit anima per peccatum in corpore veluti ſepulchro. Licet enim ſi naturalem vitam

Pſal. 87. num. 12.

Matt. 23. num. 27.

vitam spectes, immortalis sit animus, si tamen supernaturalem vitam consideres, mortalis est. Vnde Gregor. lib.4. Moral. cap.7. animam immortaliter mortalem esse dixit, & mortaliter immortalem. Quoniam secundùm vitam naturalem immortalis est, secundùm verò vitam supernaturalem est mortalis. Humana anima, inquit Gregor. ita immortalis est, vt mori possit; ita mortalis, vt mori non possit. Nam beatè viuere, siue per vitium, siue per supplicium; essentialiter autem viuere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim viuendi deficit; sed omnimodo subsistendi interitum nec moriens sentit. Vt ergo breuiter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis. Mirum proinde non est si mortuam animam per peccatum asseramus.

Illud fortassis magis mirum videbitur, si dicamus etiam immortalem, & omnipotentem Deum veluti in nobis mori, ac tanquam mortuum reddi in nobis per peccatum; quod videtur acutè attigisse Leo Papa, cum aduertit diabolum adhuc apud nos facere, quod olim faciebat Herodes, dũ quærebat puerũ Iesum, vt occideret. Hoc ergo facit, dum ad peccandum incitat, vrget, & tentat, nempe vt in nobis Deum emortuum reddat, & tanquam occisum, vt iam se nõ familiariter nobiscum habeat, neque nos interiùs benignè alloquatur, singulariáque conferat beneficia. Sic verò habet Leo serm. de Epiphania ante med. vbi ait: Inuenimus etiam Herodis nõ deesse personam, cuius ipse diabolus, sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefessus est imitator. Cruciatur enim vocatione gentium, & quotidiana potestatis suæ destructione torquetur: dolens vbique se deseri, & verum Regẽ in locis omnibus adorari. Parat fraudes, fingit dissensiones, erumpit in cædes: & vt reliquiis eorum, quos adhuc fallit vtatur, inuidia vritur, simulatione insidiatur in hæreticis, sæuitia accenditur in paganis. Vide enim insuperabilem esse potentiam Regis æterni, cuius mors ipsius vim mortis extinxerit, & ideo totam nocendi artem in eos, qui vero Regi famulantur, armauit: alios per inflationem scientiæ legalis obdurans, alios verò in furorem persecutionis instigans, alios per falsæ fidei commenta deprauans.

Est itaque peccatum mors animæ, quod benè aduertit Ambros. ad illa verba Luc. 9. *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos.* Quomodo, inquit, Ambros. mortui sepelire mortuos suos possunt, nisi geminam hîc intelligas mortem, vnam naturæ, alteram culpæ? Vita corporis habet mortem forte naturæ; habet etiam ipsa anima mortẽ labe peccati. Est & alia mors, quæ secularium affert interitum voluptatum, in qua non natura, sed delicta moriuntur. Hanc mortem subimus consepulti in baptismo, & mortui cum Christo. Hac morte mori voluit, cum prophetaret Balaam, vt Deo viueret, & ideo dixit: *Moriatur anima mea morte iustorum.* Numer. 23. Lyran. item ad dicta verba Christi Domini ait: Moraliter mortui sepeliunt mortuos, quando peccatores in peccatis suis mutuo se celant, & operiunt semetipsos, &c. Et Glossa Ordinar. in cap. 8. Matth. ait: Mortuos sepelire est peccatores in peccatis fouere: illi carne mortuos condant; tu autem mortuos resuscita. Clariùs hoc dixit Gregor. 4. Moral. cap. 25. in hæc verba. Mortui mortuos sepeliunt, cùm peccatores peccatorem fauoribus premunt. Quid est enim aliud peccare, quàm occumbere; & sepelire, quàm abscondere? Sed qui peccantem laudibus prosequuntur,

Luc. 9. nu. 60.

Num. 23. nu. 10.

quuntur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt, &c.

Aduertit autem August. quomodo contingat mors corporis, & animæ, cum serm. 6. de verbis Domini ait: Sicut expirat corpus, cum animam emittit, ita expirat anima, cum Deum amittit. Deus amissus, mors animæ: anima emissa, mors corporis. Mors corporis necessaria, mors animæ voluntaria, &c.

Sicut igitur mortem consequitur corruptio, putor, ac fœtor, sic etiam peccatum comitatur corruptio; at sanctitas incorruptio dicitur. Aduertunt hoc sacri Interpretes ad illa verba Pauli Colossens. 6. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione:* vbi videndus est Theophylact. & Ansel. Sed optima sunt, quæ habet Chrysost. ibi homil. 24. ad fin. ante morale. Quid est in incorruptione? Aut in honestate, & moderatione, aut pro iis, in quæ non cadit corruptio, & interitus. Vtpotè non in diuitiis, nō in gloria, sed in illis in quæ non cadit corruptio, & interitus. Illud, in, est idē quod, per. *Per incorruptionem*, inquit, hoc est, per virtutem. Omne enim vitium est corruptio, & sicut virginem corrumpi dicimus, ita etiam animam. Propterea dicebat Paulus, ne corrumpantur sensus vestri. Rursus, & in doctrina dicit incorruptionē. Quid est enim, dic mihi, corruptio corporis? Annon dissolutio corporis, & eius compositionis? Hoc enim fit in anima, in eam ingresso peccato. Pulchritudo enim animæ est temperantia, robur, iustitia. Sanitas animæ est magni, & excelsi animi virtus, prudentia, bona habitudo. Nam qui est turpis, & inhonestus, est deformis, & qui est auarus, pluráque habendi cupidus, & qui se dedit rebus malis, & qui est timidus, ignauus, & imbecillus, est malæ habitudinis. Præterea peccata operantur corruptionem. Faciunt enim turpes, & imbecillos, & efficiunt, vt laborent, & defatigentur. Corruptam enim esse virginem, etiam propterea propriè dicimus, nō quod corrumpatur corpus solùm, sed propter iniquitatem. Nam id, quod fit, est coïtus. Si hoc autem esset corruptio, esset etiam matrimonium corruptio: sed peccatum est corruptio, ipso enim probro, & dedecore affecit. Domus autem quid magis fuerit corruptio, quàm dissolutio? Et vbique corruptio est quædā in deterius mutatio, quæ fit in alium habitum, & ad delectionem eius, quod erat prius. Audi enim Scripturam dicentem, *Corrupit enim omnis caro viam suam.* Et rursus, *In corruptione intolerabili.* Et rursus, *homines corrupti mente.* In corpus quidem nostrum cadit corruptio, sed in animam non cadit. Num autem ipsam quoque corrumpimus? Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post lauacrum, potest etiam animam corrumpere, & efficere, vt facilè capi possit à verme immortali. Non enim attigisset, nisi talem inuenisset animam, vt in eam caderet corruptio. Adamantem non attingit vermis, & si attigerit, nihil efficit. Ne corrumpas animam. Nam quod corrumpitur, plenum est fœtore. Audi enim Prophetam dicentem: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ.*

Videnda sunt, quæ in hanc sententiam habet August. ad citata verba Psalm. 37. quæ ipse legit: *Computruerunt, & putruerunt liuores mei.* Iam, inquit, qui liuores habet, non est sanus. Adde, quia ipsi liuores computruerunt, & putruerunt. Vnde putruerunt? Quia computruerunt. Iam quomodo hoc explicatur in vita humana, quis hoc nouit? Habeat quis

Ephes. 6. num. 24

Genes. 6. num. 12.

2. Timot. 3. n. 8.

Psal. 37. num. 6.

quis sanum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata. Cui putori peccatorum cōtrarius erat odor ille, de quo dicit Apostolus 2. Cor. 2.
2. Cor. 2. num. 15. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco ijs, qui salui fiunt.* Et quia habemus per spiritum ipsum odorem, vt dicamus sponso nostro, post odorem vnguentorum tuorum curremus: auertimus à putoribus nostris olfactum, & conuertentes nos ad ipsum aliquantulum respiramus. Sed nisi ad nos oleant, & mala nostra nunquam istis gemitibus confitemur: computruerunt, & putruerunt liuores mei, &c. Videndus Chrysolog. serm. 19. ad fin. vbi ait: Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus: sine anima corpus non viuit, non viuit anima sine Christo; recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo funus animæ iam sepultæ.

Similia sunt, quæ habet Theophylact. ad illa verba Pauli Ephes. 4.
Ephes. 4. num. 14. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis.* Caret, inquit, omni sensu anima, & motu vitali gratiæ, fœtetque coram Domino, & virulenti est odoris, perinde vt cadauer mortuum, &c. Et in huius typum Lazarum mortuum
Ioan. 11. num. 39. fœtere dicebat Martha Ioan. 11. Hoc totum docet Chrysost. homil. 28. in Matth. post med. vbi ait: Multi viuere creduntur, qui nihil à mortuis differunt, quoniam in peccatis miseram vitam agentes, nil à mortuis differunt, imò verò maximè differunt, cum sint illis multò deteriores.
Rom. 6. num. 7. *Nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato.* Hic autem seruit peccato. Nec enim mihi dices non clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremò vermibus esse proiectum, cùm multò peioribus hic, quàm qui obierunt, vexetur. Non deuorant vermes, sed perturbationes animi, omni feroci bestia truculentiùs exagitant, atque lacerant. Quod si aperti sint oculi, id multò deterius est, quàm si clausi essent. Clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident. Hic verò mille sibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccandum iam immobilis, hic in sepulchro malo à se ipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quispiam, huius pingue ac floridum, non tabe corruptum videmus. Magna verò res si corpore integro, iampridem anima corrupta, atque deperdita est, ac multa putredine oppleta est, & ille post mortem per decem dies malè olet, hic verò per totam vitam os habens, vel ipsis cloacis spurcius, intolerabilem expirat fœtorem. Quare tantò ille discrimine hoc melior est, quantò naturali solum corruptioni subiectus, corruptionem ille patitur; hic verò antequam ad illam perueniat, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille in dies corruptionis vias excogitans. Sed phalerato, inquit, equo fertur magnificè. Ego verò, inquam, meliorem illum esse, qui in vrna, quasi in lecto quiescit. Quodque decentius est, illum quidem nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrna dissolutum corpus: hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit. Certè si posses animam hominis deliciis, ac sceleribus dediti oculis cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro iacere, quàm delictis irretitum detineri, & lapide potius, quàm

graui peccatorum pondere premi. Quapropter maximè conuenit, vt istorum mortuorũ propinqui, quandoquidem ipsi sua mala non sentiunt, Iesum pro ipsis adeant, quemadmodum tunc Maria pro Lazaro fecit. Quod si malè oleat, etiamsi quatriduanus sit, non desperes tamen, sed adeas, & lapidem inde primum remoueas, tunc enim statim & in sepulchro iacentem, & institis ligatum inspicies. Sic ille nobis describit corruptionem, & fœtorem demortui peccatoris: cum enim peccatum mors sit, necessariò illud consequi debebat corruptio, horror, & fœtor.

Illud autem maximè dolendum, & plangendum, quod cum acerbior, diriórque sit mors animi, quàm corporis, maiusque nocumentum inducat illa, quàm hæc, plus de hac fugienda, euitanda, ac elonganda curant homines, & student, quàm de illa vitanda; cum tamen & mors animi voluntaria sit, atque adeò in manu, & voluntate, cuiusque sit eam effugere: illa verò naturalis necessaria, & omnino ineuitabilis; qua de re optimè Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel in fin. ait hoc referendum esse ad angustias, & imbecillitatem rationis humanæ, quæ metas præsentium non transcendit, neque amplitudinem æternorum capit, aut contemplatur. Quod ipse ponderat in Caino, qui peccati reus, & conuictus, pro remissione illius, quo mortem animæ, & damnationem æternam incurrerat, non orat, neque se solicitum præbet, sed de morte tantùm corporis dicens: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Angustæ, inquit ille, mentis homo præsentẽ mortem veretur, perpetuam negligit, Diuinum Iudicium non formidat, interitum solùm corporis deprecatur. Hausit eandem doctrinam à magistro, vt solet Augustin. tract. 49. in Ioan. parum post princ. vbi ait: Mortem carnis omnis homo timet, mortem animi pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes, ne veniat, inde est, quod laborant: laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus: & cum laborat, ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, vt multum mors differatur, non vt euadatur. Si autem peccare nolit, non laborabit, & viuet in internum. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente ceruicibus, prodiderunt homines quidquid sibi, vnde viuerent, reseruabant. Quis nõ continuò prodidit, ne percuteretur? Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non, vt viueret, continuò perdere voluit vnde viueret, eligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est; nauiga, ne moriaris, & distulit? Cui dictum est, labora, ne moriaris, & piger fuit? Leuia Deus iubet, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus; non tibi Deus dicit: Perde quidquid habes, vt viuas exiguo tempore in labore sollicitus: sed da pauperi vnde habes, vt viuas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam, nec cum volunt, nec quandiu volunt, habent; & nos inuicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam, si voluerimus habebimus; cum habuerimus, non amittemus. Hanc autem mortem, quam timemus, etiamsi noluerimus habebimus. Sic August. demonstrat amentiam eorum, qui dolent

Genes. 4. num. 15.

dolent de corporis morte, eámque nituntur totis viribus, omnibusque in vniuersum viis vitare, aut elongare, cum tamen nequeant vllo modo eam effugere; at de morte animi penitus obliti eam libenter admittant, diuq; delitescant in ea, vt postea æternam tormentorum mortem sustineant, cum tamen, mediante Diuina gratia, eam possent effugere, & æternam, ac viuidam sibi vitam comparare.

Nouit vtique quantum bonum esset sibi peccatum dimitti Ezechias; nouit quantum malum esset sub peccato permanere, qui pro dimissis peccatis Deo gratulatur, memor tanti beneficij, dicens: *Eruisti animam meam, vt non periret, proiecisti post tergũ tuũ omnia peccata mea.* Optima in hanc sententiam sunt, quæ habet Bernard. super: Ecce nos reliquimus omnia, ad fin. cum ponderat Caini verba:
Genes. 4. num. 13. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniã merear.* Quid ergo? inquit Bernard. Renuat consolari anima tua, si veniam non meretur. Hoc solùm deplora, hoc solùm plange. Aliud ne cogites quidem. Sed tunc, inquit Cain, *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Graue scilicet damnum, grandis iactura, si petimatur corpus, quandoquidem anima periit. Sed occidendum se causabatur infelix, tanquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi. Quod & factum est. Consolationem miseram obtinuit, quam quærebat, & oblitus est consolationis maximæ, pro qua multò studiosiùs supplicare, & remedium quærere oportebat. An non idem & de Saule legisti? Vbi enim perstitit in sententia Samuel Sanctus
1. Reg. 15. num. 30. 1. Reg. 15. tunc inquit: *Honora me, vel coram populo.* Ad quid tibi hæc honoratio miser? Hæccine erat tota illa supplicatio: Peccaui, ora Dominum pro me? Meritò sanè non pepercit, qui intuebatur cor. Vix adhuc dixerat Dauid: *Peccaui*; & responsum illi est: *Dominus transtulit peccatum tuum à te, &c.* 2. Reg. 12. num. 13.

Video hoc in loco Ezechiam longè aliter de se opinantem, & præsumentem atque antea, cùm suam virtutem, Religionem, & pietatem Deo proposuit; se enim liberatum modo fatetur non suis viribus aut propriis meritis sanatum seque non iustum, & sine peccatis prædicat, sed à Diuina misericordia iustificatum, & indulta peccata sua asserit à piissimo Domino, qui ea non sibi proposuit, vt puniret, sed post terga proiecit, vt remitteret; existimo proinde illa pristina elatione nobis proponi imperfectum adhuc & elatum, humilitate verò ista sua, & submissa confessione in statu iustitiæ, & perfectionis describi. Vtrumque pro nostra doctrina, & correptione in præsenti prosequuntur.

Dum igitur virtutem, & cordis sui perfectionem prædicat, & propriam iustitiam Deo proponit, neq; morbum, in quem inciderat, peccatis attribuit, sed potiùs, quasi admiratus in memoriam Deo vult reuocare merita sua, vt iniustitiæ veluti carpat Deum, qui iustum Regem sic affligit, cùm potiùs beneficiis deberet cumulare; possumus discere quàm vanè ante humiliationem, & pœnitentiam de se præsumant homines, maximè cum se abundare diuitiis, & potentia vident. Quod bene expendit Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha cap. 7. in princ. In pincerna Pharaonis, cui futuram prosperitatem, & restitutionem ad pristinum munus prædicens Ioseph, ait: *Tantum memento mei, cùm tibi bene fuerit.* Et tamen succedentibus posteris præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. Ludit proinde Ambros. in verbo ac nomine pincernæ, qui Gen. 40. num. 14.

porrigens depotandum vinũ, ebrietatem & obliuionem inducit. Reuertamur, inquit, ad istum vini præpositum, qui quasi multò ebrius mero, beneficij authorem oblitus est diu; aliquando tamen vt Regi præuideret interpretem, non quasi gratus, sed quasi callidus intimauit seriem rei gestæ, &c. Vinum itaque prosperitatis inebriare solet, & soporem, ac obliuioné inducere, ne ille, qui prosperis, ac felicibus euentibus corripitur, gratias reddat benefaciẽti, animumque modestum seruet, vt pristinam humilitatem memoria recolat, ac verset. Hæc proinde fuit ratio, cur Iosephus non satis habuerit semel postulare ab eodem pincerna, vt sui recordaretur, sed iterum, secundóque inculcandam censuit promeritam recordationem, iuxta versionem LXX. interpretum, qui ita habent. *Memor esto mei per temetipsum, cum tibi bene fuerit, & facies in me misericordiam, & memor eris mei:* parum vtique existimauit semel tantum postulare ab homine ad prospera euehendo pristinæ humilitatis recordationem, sed eam secundò intimauit, ac postulauit, probè agnoscens eos, qui potentia, ac prosperitate pollent, nihil prorsus humile, & abiectum meminisse. Sic verò habet Ambros. citato lib. cap. 6. post med. Ideò secundò repetiuit, quia sciebat nõ recordaturum, quod euasisset iniuriam, cũm potentiam recepisset. Ideò secundò admonuit, quia secundò liberauit, vt si prioris beneficij eum memoria non teneret vel posterioris subiret; non despiceret authorem salutis suæ, non perfida præuaricatione violaret. Sed, quod peius est, citò beneficij irrepit obliuio secundis rebus: elatus potentia non recordabatur, & hæc quanta potentia, vbi vini ministerium inundet? Sic ille ebrietatem prosperitatis in pincerna Regis proponit, quæ omnem prorsus mentem, & memoriam aufert, ne elatus secundis successibus confiteatur, & agnoscat eos, per quos profecerit. Qua de re videndus Chrysost. homil. 2. in Ioann. vbi ait: Intolerabilis ebrietas est vana gloria, &c. Et Chrysol. serm. 2. de curialium nugis apud Nannium ait: Nouerca virtutis prosperitas, baiulis suis sic applaudit, vt noceat, & infelici successu sic fortunatis obsequitur, vt in fine perniciem operetur: conuiuis suis ab initio propinans dulcia, vt cum inebriati fuerint, lethale virus misceat, & si quid deterius est, &c. Vino proinde prosperitatis porrectus pincerna Pharaonis, dum sui interpretis obliuiscitur, nec pristinæ humiliationis in carcere recordatur, apertè ostendit, & ob oculos proponit proprium esse elatorum ad sublimia, infima, quæ subierunt, è memoria repellere.

Postquam Nabuchodonosor vidit in somniis statuam illam ex multiplici metallo, lutoque conflatam, & interpretationem illius à Daniele accepit, cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, hostiasque, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei; insuper & Danieli ait: *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum.* Sed statim in superbiam actus, & vana gloria correptus adorari voluit in aurea statua, immemorque superioris recognitionis Diuinæ potẽtiæ ait tribus pueris: *Prosternite vos, & adorate statuam, quam feci: quod si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis es Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Quæsito respondet ibi Hieron. Ille videlicet, cuius seruum dudum adorasti: quem verè Deum Deorum, & Dominum Regum esse dixisti. Subdit deinde Hieron. Velox obliuio veritatis, &c. Sed hanc induxit Regis vanitas, dum in sua adoratione, & principatu effertur,

Dan. 2. num. 7.

Dan. 3. num. 15.

tur, vt sibi iam velit quidquid antea Deo tribuebat. Vnde meritò Isidor. Pelusiot. lib. 2. epist. 255. monet dicens: Da operam vir optime ne te, tanquam vnum è vulgo, immutet rerum secundarum aura, verum firmum, atque constantem amicis seruet philosophia, cum qua es educatus. Illud enim imperitis, atque gregariis contingere solet: hoc autem iis, qui ingenti sapientia præditi sunt, &c. Dum autem audimus Græcum Isidorum dicentem viris è media plebe contingere, vt in superbiam efferantur rerum secundarum aura; non ita existimemus assertum, quasi & Principibus, ac Regibus hoc non accidat, sed in eo sensu dictum arbitremur, quod voluerit nobis inculcare proprium vtique esse vilium, & imbecillorum, ac pusillo animo constantium; secundis rebus, potentiáque; ac diuitiis euanescere.

Quod bene constabit, si ostendamus magnanimitatem elucere in eo, quod quis secunda fortuna minime euanescat, aut efferatur, sed modestiam seruet, & Domino potissimas semper partes referat, & recognoscat. Apparuit Angelus Gedeoni purganti triticum, & eum fortissimum vocat, deinde ait illi Dominus. *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian: Scito quod miserim te. Qui respondens ait: Obsecro mi Domine, in quo liberabo Israël? Ecce familia mea minima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Posset quis meritò rogare quænam potuit esse fortitudo Gedeonis, qui se minimum, & infimum prædicat, cum fortissimus declaratur? At ideo fortissimus, qui à Deo electus, & dux, ac imperator Israëlitici agminis designatus non euanescit, sed humilis sese abiicit: hæc sanè fortitudo Gedeonis

Iudic. 6. num. 14.

erat, nempe illius humilitas, & animi abiectio in ipsa etiam eleuatione, & dignitatis fastigio; vnde & percutiens Madianitas, prius Deum proclamare iussit dicentes: *Gladius Domini, & Gedeonis.* Se minimè poterat excludere ad excitandos milites, sed sibi Deum præposuit, potissimásque Deo partes tribuit humilis, sed fortissimus vir.

Iudic. 7. num. 20.

Optimè hac de re loquutus Isidor. Pelusiot. lib. 2. epist. 381. ait: Ego animi magnitudine præstantem eum voco, qui cum maximis virtutum muneribus fungatur, non tamen ob magnas, & præclaras actiones gloriam affectat, verùm virtutes suas silentio tegit. Vnde etiam à magna quidem, & sublimi mente animi submissionem, ac modestiam procreari contingit, à parua autem, & vili arrogantiam. Quod eleganter ostendit Chrysost. homil. 1. in 1. ad Corinth. post med. in humili Moyse, quem proinde magni, & præstantissimi animi esse prædicat: sic enim habet. Illo nihil fuit humilius, qui cum tantum duceret populum, Regémque, & exercitum Ægyptiorum tanquam muscas mari obruisset, & tam multa fecisset, perinde erat affectus atque vnus ex plebe, erátque socero gener humilior, & quod ei dedit, accepit consiliũ: & neque ægrè tulit, neque tale quid dixit. Post tot, & tanta rectéque, & præclarè à me gesta venis mihi cõsilium daturus: imò per humilitatẽ omnia rectè agebat. Hinc & aulas despexit Regias, quouiam vere erat humilis; mentem enim sanam, & excelsam facit humilitas. Quantæ enim existimas esse magnificẽtiæ, & excelsi animi virtutis, & domum, & mensam despicatũ esse Regiam? Reges enim, tanquam Dij honorantur apud Ægyptios, diuitiisque, & thesauris fruũtur innumerabilibus. Sed tamen

his omnibus demissis, & Ægypti abiectis sceptris, ad captiuos, qui in luto affligebantur, & in lateribus faciendis consumebantur, quos eius serui abominabantur (eos enim, inquit, abominabantur Ægyptij) ad eos accurrit, & eos dominis præposuit. Vnde est perspicuum, quod hic humilis est excelsus, & magni animi virtute præditus: arrogantia enim, & insolentia existit ex vili, & abiecta mente, & ex animo ignauo, & illiberali: modestia autem ex magno, & excelso animo. Vtrumque autem si vultis examinemus in exemplis. Dic enim mihi quid Abrahamo fuit excelsius? At qui ille erat, dicebat: *Ego sum terra, & cinis*. Ille erat, qui dicebat. *Ne sit pugna inter me, & te*. Sed hic, qui erat adeo humilis. Persica contempsit spolia, & trophæa despexit verbaliter. Hoc autem faciebat ex magna excelsi animi virtute, sublimique, & alta mente. Ille verò est excelsus, qui est verè, & germanè humilis, non qui est assentator, & dissimulator. Aliud est enim magni, & excelsi animi virtus, & arrogantia, & insolentia. Hoc autem inde existit manifestè. Si quis enim lutum existimat esse lutum, & despicit: alius autem lutum admiretur tanquam aurum, & magni faciat, quis est magni, & excelsi animi? Annon is, qui lutum non admiratur? Quis est autem vilis, humilisque, & abiectus? Annon is, qui ipsum admiratur, & magni facit? Ita etiam hic repura, quod qui terram quidem, & cinerem seipsum dicit, sit magnus, & excelsus, quanquam hoc dicit ex humilitate. Qui autem non terram, & cinerem se existimat, sed se colit, & obseruat, seque magnificè iactat, & gloriatur, is quidem erit vilis, & abiectus, vt qui, quæ sunt parua, magni faciat. Vnde est perspicuum, quod ex magna mentis altitudine illud verbum effatus est ille Propheta: *Ego autem sum terra, & cinis*. Ex altitudine, non ex arrogantia, & insolentia. Quomodo enim in corporibus aliud est ea esse bonæ habitudinis, vegetáque, & succulenta: aliud autem piruita, inflata, ac turgentia: atqui vtraque sunt carnis altæ, & eminentis. Sed hoc quidem sanæ, illud verò corruptæ. Ita etiam hic quoque aliud est mente esse elatum, quod est esse inflatum, & turgidum; & aliud altum, & excelsum, quod quidem est esse bonæ habitudinis. Et rursus quispiam altus statura corporis, alius autem, cum sit breuis, acceptis calceis fit altior. Quemnam ergo vocamus altum, & magnum dic mihi? Annon eum, qui ex se habet altitudinem? Ille enim hoc habet alienum, & iis, quæ sunt parua, ascensis fit altus, quod multis accidit hominibus, qui pecuniis, & gloria se efferunt, quod quidem non est altitudo; est enim altus, qui nullis eorum indiget, sed omnia despicit, & à seipso habet magnitudinem. Simus ergo humiles, vt efficiamur alti. Nam qui seipsum humiliat, exaltabitur. Sed non est eiusmodi, qui est insolens, & elato animo, sed est omnium vilissimus, & abiectissimus. Inflata est enim bulla, sed non est humor sanus, ideo eos quoque vocamus inflatos: nam cuius sunt modesti spiritus, ac cogitationes ei ne magna quidem magnos faciunt spiritus, vt qui suam norit humilitatem: qui autem vilis, & abiectus etiam in paruis, magnum visione apprehendit. Adipiscamur ergo eam, quæ per humilitatem paratur, magnitudinem. Sic ille humilitatis magnanimitatem describit, & probat in Moyse,

se, & Abrahamo, dum excelsi facti præclara quæque terrena despiciunt, ad superna tantum anhelantes quæ sola tantum magna arbitrantur.

Mirum sanè quod Iacob præstantis, ac fortis animi contra Deum euaserit, vnde & ei dixit: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, cui Iacob respondit, *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo, quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. At ille, nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Magna vtique est concertatio apud sacros Interpretes super significatione nominis Israel; omissísque multis, quæ longum esset recensêre, dicendum est genuinè duci à Sara, & el, idest, dominatus Deo, per allusionem ad id, quod illi dictum est, quod contra Dominum præualuerit. Sed adhuc inuestigandum superest, vnde tanta Iacobo accidit, & prouenit fortitudo; recolendum deinde, quod ipse n.10. dixerat: *Minor sum cunctis miserationibus tuis.* Quibus in verbis seipsum cum diuinis beneficiis mensus, humilitérque de se sentiens ad puluerem vsque deiectus ex contactu, & contemplatione propriæ vilitatis, minimum se respectu beneficiorum Dei deprehendebat; dúmque propriæ cognitionis puluerem attingit, velut alter filius terræ, fortior redditus sua hac demissione, cótra Dominum inualescens, Omnipotentem valuit detinere; quinimò ideo præualuit, quia humiliter luctari noluit. Etenim in hoc tantum concertationis genere, nempe in lucta, qui alium apprehendere, & ad terram trahere, ac deiicere nititur, se totum comprimit, deiicit, & humiliat. Vnde tota certaminis palma, & corona ex eo pendet, quod sciat luctator, se humiliter inclinare, & demittere, vt aduersarium supplantet. Hac igitur ratione contra Deum ipsum victor euasit Iacob, & Israël dictus, factúsque est, quod se submisse admodum deiicere, & humiliare nouit, reputans, & proclamans se minorem cunctis miserationibus Domini. En magnanimus Iacob ob propriam humilitatem, quę tam ingentes alit spiritus, vt in ipsum Deum, veluti audeat; imò & humiliter pugnando præualeat.

Gen. 32. num. 26.

Genes. 32. num. 10.

Hoc ipsum adhuc in humili Moyse videre possumus, dum se Deo subiicit, & humiliat, ipsum tamen Omnipotentem ligat, ac tenet ita, vt se constrictum fateatur, dicens: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Quod factum enarrans Dauid, in hunc modum dispungit, & elucidat. *Dixit, vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset, in confractione in conspectu eius.* Quibus in verbis ostendit Regius vates, propterea Moysen præualuisse erga Deum quia se humiliter coram eo deiecit, & prouoluit; at humilitas, quæ magnanima est, quanto magis deprimitur, tanto magis præualet: sic enim interpretatur Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 25. in medio, cum ait. Per nimiam humilitatem significat, scilicet Dauid, Moysen Deum tenuisse, dicendo in confractione: confractio namque nimia cordis humilitas est, quæ sola coram Omnipotente Deo, & Domino vniuersæ fortitudinis Principe, res fortis est, & valida, ita vt illa laborante, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extendere non valeat: regina virtutum agente ne refutetur ipsa, & vincente pro sua reuerentia. Distulit, ne tum faceret, non dimittente Moyse, sicut dictum est. Sic ille fortissimum ostédit Moysen in humilitate: vnde non mirum

Exod. 32. num. 10.

Psal. 105. num. 23.

rum

tum si Gedeonis submissionem dicat Deus fortitudinem illius, qua liberaturus erat populum à Madianitis, quando & eadem humilitatis fortitudine Moyses ab Omnipotente liberauit eundem populum. Nec mirum si humilis Iacob, dum se minimum dicit, superior euadit, ac prævalet contra Deum.

Et sane, quæ è longinquo intuemur, minora quidem apparét, quàm reapse sint, quæ verò è propinquo, talia percipimus, qualia sunt, imò fortassis si admodũ approximẽt, maiora esse videntur, quàm sint. Superbia quidem pusilla, infimáque, ac vilis à Deo censetur, & reputatur, qui res videt, & iudicat iuxta mensuram, quam habent; & cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius, nihilque eminus videat, perinde tamen se gerere videtur cum superbis, atque si eos è longissimo interuallo aspiceret, vt ostendat viles admodũ, & pusillos, omniúmque minimos apud Deum esse, quos planè præ prauitate, & pusillanimitate, neque oculis

Psal 137. num. 5. discernere videtur: *Magnus Dominus*, inquit Dauid, *& humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Vbi August. ait: Hoc sibi præstat superbus, vt à longe videatur, non vt non videatur. Non ergo putes te ideo securũ esse, quod minus te bene videat, quia à lõge te videt. Sed tu cum à longe vides, tũm nõ bene vides: Deus autem etsi à longè te videt, perfectè te videt, sed tecum non est: Basilius verò interpretatur de præscientia, dicens: A longe cognoscit, idest, alta non modo cognoscit, sed ex multo interstitio, antequam fiant, agnoscit. Similiáque habet Chrysost. At August. lib. 50. homil. 50. cap. 1. ad fin. versans eundem locum Psalm. sic exponit. Excelsa posuit pro superbis; & cum ait quod à longe excelsa cognoscit, ostẽdit eum humilia de proximo attendere: Deus excelsa cognoscit, nec se rursus superbia Deo coniunctam putet: excelsa enim à longe cognoscit, & humilia de proximo attendit, &c. Cum ergo Deus dicatur humilia de proximo attendere, & excelsa à longe, Dauidem interpretatur Augustinus per allusionem ad id, quod nobis accidit: nam cum à longe videmus, quantumcumque magna sint, quæ inspicimus, tamen minima nostris apparent obtutibus; imò cum à longe videmus, non satis quid sit, constituimus, sítne homo, an animal: at quæ è proximo cernimus, magnæ molis nobis repræsentantur, & proponuntur. Ad eundem modum, se videtur habere Deus; qui in sua cognitione, & scientia haudquaquam fallitur, superba enim, & arrogantia, minora ei videntur, quasi è longe cõspiciat, imo quodammodo non satis discernere, ac dignoscere videtur, adeò vt aliquando hominem rationis compotem, veluti belluam rationis expertem, censeat, & reputet; vnde ad superbum Babylonis Regem elatione intumescentem, & insana mole turgescentem ait: *Tibi dicitur Nabuchodonosor; ab hominibus eijcient te, & cum bestijs, & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, &c.* Dan. 4 num. 28. Insuper superbos à longe intuetur, quia minimos pusillos, & imbecillos censet, ac instar puerorum angustos animo iudicat eos, qui superbia intumescunt, dũmque se magnos efficere conantur, parui, & minimi deprehenduntur. At è proximo intuetur humiles, magnósque coram se inuenit, & reputat, quinimo eminus positos, quasi à propinquo magnos intuetur: etenim Publicanus ille humilis *à lõge stans, nec oculos ad cœlum audebat leuare*, sed ipsum cœlum Luc. 18 num. 13. ad se potuit inclinare, sicut aduertit Bernar. magnúsque coram Domino visus

visus est, à quo magna gratia ditatus, & iustificatus descendit; vbi August. libr. 50. homil. homil. 44. ad fin. ait: Publicanus de longè stabat, sed Dominus humili appropinquabat: nec oculos ad cœlum audebat leuare; quò oculos non leuabat, cor ibi habebat. Sic August. magni cordis, magnique animi humilem probat Publicanum, dum cordis magnitudine oculorum aspectum excedebat, eóque perueniebat animo, quò oculis præ humilitate peruenire non audebat.

Pusilli itaque animi sunt superbi, vnde & tanquam paruuli, paruique momēti qualibet efferuntur aura, inflantur prosperitate, euanescunt potentia, hac tamen re valent, & valentiori constant animo, vt scilicet sibi maius nocumentum afferant, quam quilibet potentissimus posset afferre, quod bene prosequitur Euseb. Emissen. homil. de Sanctis Epipharo, & Alexandro, vbi ait: An tu hunc potentem vocas, qui in mortem suam fortis est, cui prouentuum fallax vmbra præsentium, æternorum cōgregat causas malorum? Quis beatam dixerit validam in suum iugulum dextram? Quis probabiliter laudet velocem ad ardua festinantem? Quis eius miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum? Exultant in rebus pessimis, & de sua perditione lætantur, similes illis, qui fortè tumentes exitiales herbarum succos, cum risu perire dicuntur, &c. Ij igitur, qui tumore elati, sibi magni esse videntur, qui in propriam perniciem potentissimi sunt, re vera paruuli, ac infimi sunt animi, dum infimis rebus efferuntur, & quasi pueri longè aliter de rebus iudicant, quàm sint.

Sed iam imperfectionem, & errorem Ezechiæ in proponendis coram Deo virtutibus suis (cum potius humiliari deberet) proponamus. Imperfectio igitur in eo cernitur, quod oraturus Deum virtutes suas prædicabat, & proponebat, cum potius deberet imperfectiones, & defectus proprios agnoscere, tanquam nepos, & discipulus Dauid, qui nolebat secundùm propriam iustitiam, & perfectionem exaudiri, sed secundùm iustitiam Dei. Quod bene in præsens argumentum prosequitur Aug. serm. 49. de tempore post med. vbi exponit verba illa Psalm. 142. *Exaudi me Domine in tua iustitia.* Hoc est, inquit ille, non in mea. Si diceret: Exaudi me in iustitia mea, tanquam meritum vocaret. Vocat quidem & in nonnullis locis iustitiam suam: sed sic melius discernit, qui & suam quando dicit, datam dicit, quomodo dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quomodo nostrum? quomodo da? Ergo hic distinctius loquens ait: *Exaudi me in tua iustitia*; & sequitur: *Non intres in iudicium cum seruo tuo.* Quid est, non intres in iudicium cum seruo tuo? Ne stes mecum in iudicio, exigendo à me omnia, quæ præcepisti, & omnia, quæ iussisti: nam me inuenies reum, si in iudicium intraueris mecum. Opus est ergo mihi misericordia tua, potius quàm liquidissimo iudicio tuo. Quare ergo, ne intres in iudicium cum seruo tuo? Sequitur, & dicit: Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quid dixit? Quandiu viuitur in hac vita, nemo iustificatus est, sed in conspectu Dei. Non frustra addidit, in conspectu tuo; nisi quia potest esse iustificatus aliquis in conspectu hominum, vt & illud impleatur Philipp. 3. *Secundùm iustitiam, quæ ex lege est.* Qui sine querela in conspectu fuerit hominum, referat in conspectu Dei, non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Sic Aug. ostendit noluisse Dauidem exaudiri

Psal. 142. num. 1.

Matth. 6. num. 11.

Philip. 3. num. 6.

audiri ex propria iustitia, quia nullus in conspectu Dei propriam iustitiam allegare potest, imò quilibet admodum imperfectus censebitur; qua ratione imperfectio maxima Ezechiæ deprehenditur, qui se perfectum in conspectu Dei prædicauit, dicens: *Memento quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto*; cum potius propriæ imbecillitatis memor, imperfectiones suas deberet excusare, & commissa peccata recognoscere, ac pro eorum pœnis, nempe ægritudine, qua laborabat, Deum exorare; solent siquidem, qui perfectionem sectantur se imperfectos, vltimósque omnium agnoscere, sua verò minimè commendare, & extollere. Quod bene aduertit Theodoret. in tribus pueris, qui post cæteras creaturas conuocatas ad laudes Dei decantandas, dicunt: *Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino*; se post omnes creaturas, tanquam vltimos reputantes, & recensentes. Vbi Theod. ait: Ita seipsos vltimos eorum omnium, quæ creata sunt, existimabant, & omnium hominum abiectissimos. Talis etiam B. Paulus fuit, qui ad Ephesios 3. ait: *Mihi enim omnium Sanctorum minimo data est gratia*. & alio loco. *Christus*, inquit, *venit in mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum*: & peccatorũ quidem primum seipsum nominat, sanctorum verò vltimum vocat: sic etiam beati adolescentes seipsos vltimos hortantur ad celebrandum Dominum, & laudibus extollendum in sæcula. Sic ille. Vbi minimè prætereunda est locutio Pauli primo loco allata, cum se dicit Sanctorum minimum: Græca autem vox infimiorem sonat, q. d. Inferior, & infimior sum infimo, minorque minimo: qua in re nitet maximè, & supereminet humilitas Pauli, dum se non tantùm minimum, vel infimum vocat, sed minorem minimo, & inferiorem infimo, vt se magis infra omnes demittat, & diminuat; vnde Hieronym. ibi ait, per hanc humilitatem meruisse Paulum ad Apostolatum eucheri: est siquidem verum Deum secũdum proportionem, qua se quisque humiliat, eundem exaltare.

4 Reg. 20. num 3.

Dan. 3. num. 28.

Ephes. 3. num 8. 1. ad Tim. 1. nu. 15.

At dicet aliquis hanc humilitatem fictam, fucatam, mendacemque videri: enimuerò Paulus nouerat sibi plus gratiæ, & honorum à Deo concessum, quàm Ephesiis, aliisque Christianis, quos Sanctorum nomine ibi iuxta literam intelligit, quomodo ergo se omnium infimum appellat? Quæsito satisfacit Hieronym. dicens bene agnouisse Paulum se iis esse sanctiorem, attamen adeò se abiecisse, & demisisse, ac si omnium minimus esset; sicut etiam Princeps quandoque modestiæ causa primas in mensa, & concilio dat amicis, aliisque inferioribus, & ignobilioribus. Verum hæc responsio non vsquequaque satisfacit; non enim de praxi, & submissione externa in gestu, aut incessu, sed de sensu loquitur Paulus dicens, ac re vera in animo sentiens se esse omnium Sanctorum minimum; alioqui enim mentiretur, & hypocrita esset, quod à sanctitate Pauli longè abesse necesse est. Proinde in eo sensu intelligendus est Apostolus, quo D. Franciscus solebat se dicere maximum peccatorum, q. d. licèt maiorem à Deo, quàm alij, gratiam acceperim; si tamen me, meamque negligentiam, infirmitatem, malitiam, tum præsentem, tum præteritam, qua fuerim persecutor Christi, & Ecclesiæ (hanc enim maximè solet respicere, dum se humiliat Paulus) spectem, & hæc omnia meminerim; re vera videor mihi maximus peccator, indignus Apostolatu, ac minimus Apostolorum: recolo enim

mente, quod si gratiam, quam à Deo accepi, alius haberet, etiamsi maximus esset peccator, is profectò magis, quàm ego, illi cooperaretur, fortèque me longe perfectior, & sanctior. Quod iudicium, licèt fortè speculatiuè non esset verum, practicè tamen verum erat: quilibet enim non alios, sed seipsum, & suam infirmitatem considerans, potest, & debet ita humiliter de se sentire; quinimò hoc est verum dictamen virtutis, & qui verè humilis est, ita de se sentit, talísque sibi esse videtur. Vnde & tres pueri se omnibus postposuerunt creaturis, earum perfectiones longè maiores reputantes, séque admodum imperfectos censentes. Ipséque Paulus in eodem sensu ait: *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Super quæ verba sic ait Gregor. lib.34. Moral. cap.17. Superiores inuicem arbitrantes, vt in cogitationibus cordis, & ego mihi illum præferam, & vicissim ille me sibi: vt cum vtraque parte cor inferiùs premitur, nullus ex impenso honore subleuetur.

Philip.2. num.3.

Sed adhuc clariùs rem aperuit D.Thom.2.2.q.181. artic.3. cum ait humilem non debere, nec posse iudicare suam virtutem, aut donum maius, quod à Deo accepit (verbi gratia Apostolatum) esse minus eo, quod re vera minus alter accepit, (verbi gratia dono linguarum) nec in eo debere se æstimare inferiorem esse alio, sed in eo, quod considerans quæ habet à seipso, in proximo verò considerans ea, quæ à Deo habet, meritò hac ratione illum sibi præfert: quia dona, quæ proximus habet à Deo, maiora sunt iis, quæ quisque habet a seipso. Hoc enim est humilitatis ingenium intueri seipsum, & ea quæ habet à se, suos nimirum defectus, & vitia; & qualis tandem esset, nisi Diuina præuentus gratia à sceleribus retraheretur; in aliis verò considerare eorum bona, & dona, quæ habent à Deo: sicut è contrario superbiæ proprium est intueri sua bona & aliorum mala. Prædictam verò humilitatis indolem quinque regulis explicat Alphonsus Salmeron 4. tom. p.3. tractat.7. pag.440.

Insuper sicut aduertit D. Thom. loco citato in responsione ad 2. argumentum, verè iudicamus & æstimamus posse aliquid occultú esse in alio, quo nobis superior sit, etiamsi bonum nostrum, quo superiores videmur illo, non sit occultum. Sic ille, cui suffragatur August. lib. de sancta Virginit. cap.47. tom.6. cum ait: Vt vnusquisque nó infletur ex eo, quod videt se posse, cogitet fortè alios posse aliquid, quod ipse non potest; ita seruabitur non fallaci, sed veraci humilitate: honore mutuo præuenientes, & alterutrum existimantes superiorem sibi, &c. In quam etiam sententiam videnda sunt quæ habet eodem lib. cap.43. & 51. Itaque Sancti sua considerantes se humiliant, & eo recognoscunt quidquid habent, neque de Diuinis beneficiis gloriantur, quinimò verentur, ne ipsis in condemnationem cedant, si non cooperentur vt decet; quo timore grauissimè percelluntur arbitrantes à cæteris superari, qui Diuinæ gratiæ minimè desunt.

Vnde intelliges cur Sancti præ humilitate & submissione animi de aliis per excessum, & eminentiam loquantur; at verò de seipsis per defectum, & vsque ad vltimum contemptum; quod eleganter explicat D.Paulin. epistol.2. ad Seuerum statim post princip. in hunc modum. Hæc nobis præ nimio tuæ vnani-

miratis affectu expostulandi causa est, quod te multa dilectio vsque ad mendacij peccatum trahit. Siue enim ea reputem quæ de te, siue illa, quæ de nobis loqueris, onera nostra iniustis laudibus cumulans, tua falsis vituperationibus muniens, arguam. Nisi fortè id quidem altiore pietatis consilio facias, dum aliena nobis bona verba indulges, stimulum pudoris suggeras: vt legentes, quod esse debemus, boni esse discamus, nitamurque nos iuxta sermonem tuum promere, &c. Sed ipsum, quod in Seuero carpit, seu conqueritur humiliter Paulinus, fecisse eundem Paulinum erga Augustinum inuenio: etenim Augustin. epistol. 32. ad Paulin. ad med ait: Tu fecisti literis tuis, vt cùm tibi me refundo, si parum hoc tibi putem, non credidisse conuincar. Pudet me quidem tantum bonum de me credere, sed plus piget tibi non credere. Est quod faciã. Non me credam talem qualem putas, quoniam non agnosco, & credam me abs te diligi, quoniam sentio, & planè percipio: ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero. Et cùm me tibi totum offero, parum non est; offero enim quem vehementissimè diligis; & offero si non qualem me esse arbitraris, eum tamen, pro quo, vt talis esse merear, deprecaris. Hoc enim magis iam peto facias, ne minus opes mihi adiici ad id, quod sum, dum me existimas iam esse, quod nondum sum. Deinde commendans amicum, qui eandem epistolam ad Paulinum deferebat, ait: Neque huic tam familiari meo velim credas quæ de me, fortè laudans dixerit. Sensi enim etiam ipsum sæpe, non mentiendi studio, sed amandi propensione falli iudicantem, & arbitrari iam me accepisse quædam, quibus accipiendis à Deo patente ore cordis inhiarem. Et si hoc in os meum quis non coniiciat, quanta de me absente meliora, quàm veriora lætus effundat, &c. Solent itaque sancti viri alios summis laudibus vsque ad cœlum efferre, qui de seipsis humiliter admodum vsque ad infima & iudicant, & loquuntur, adeò vt præ humilitate in vtroque excedere videantur, dum & propriam laudem extenuant, & propriam gloriam extinguunt, alienam verò virtutem quasi per excessum exaggerant.

Hinc est quod Hierem. 15. cum Deo loquens de prophetiæ spiritu, quo à Deo donatus fuerat, ait: *Non sedi cum concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ.* Vbi Hieronym. primam partem ad nostrum argumentum optimè deducit. Solus, inquit, sedebam secundùm illud, quod scriptum est Psal. 25. *Non sedi cum cõcilio vanitatis. A facie manus tuæ.* Dum impendentem manum tuam timeo, &c. Quasi dicat; non sedi ego cum vanis superbis irrisoribus, vt me iactarem, & gloriarer de prophetiæ excellentia, vtpotè qui timuerim manum tuam, qua percutis, & deiicis potentes de sede, qui gloriantes se humilias. At si cum Sanctio, & Maldonato locum intelligamus, vt supplenda sit negatio. *Non sedi cum concilio ludentium, & non gloriatus sum à facie manus tuæ,* idest, *de spiritu prophetiæ,* manus enim Domini prophetia dicitur: vnde sæpe facta est super me manus Domini, idest, spiritus propheticus: non gloriatur itaque Hieremias de prophetiæ spiritu, quia sancti viri quantò maioribus ditantur donis à Deo, tantò magis seipsos intuentur, suáque infima contemplantur, vt sese demittant, & totum Deo recognoscant, cuius tantùm laudem, & gloriam ipsi maximè curant, & intendunt.

Hierem. 15. n. 17.

Psal. 25. num. 4.

Inebriatus

Inebriatus Noë nudus apparuit in tabernaculo suo; quod cum vidisset Cham, nuntiauit duobus fratribus foras;at verò Sem,& Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerũt verenda patris sui: euigilans autem Noë maledixit Cham in filio, cúmque deberet modestos filios ex opposito benedicere, & commendare, non ipsos, sed Deum benedixit: di-
Genes. 9. num.26. cens: *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius,&c.* Vbi Oleaster reddit rationem, cur pater filij laudem in Deum conuertat, dicens: Nõ benedicit filium, sed filij Deum, vt discamus bona opera nostra potius Dei esse, qui ad ea facienda, & animum,& vires dedit. Sic ille ostendit cur in rectè factis nihil sibi attribuant sancti viri, sed totum ad Deum referant.

Genes.41. num.57. Postquam Ioseph futuram famem prænuntiauit, & de remedio prouidit, Pharao vertit nomen eius,& vocauit eum lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. At verò ipse de se lo-
Genes.50. num.20. quens Gen.50.ait: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos.* Cur igitur sibi non attribuit Ioseph salutem populorum, quibus ipse alimoniam prouidit, & in pressura famis præbuit, ne omnino perirent? Rectè ibi Honcala exponit propterea Iosephum in Deum refudisse totam salutem populorum, vt inde etiam omnem laudem Deo adscribendam esse constaret; ipse siquidem est, qui nos assumit, vt cooperatores, præcipuásque vires tribuit, ac potissimas partes agit in operibus virtutum, & quæ potentiam nostram per imbecillitatem excedunt.

Saluum quidem, & incolumem reddidit Dauid Israëlitarum exercitum ab opprobrio, quod patiebatur à Goliath per singulos dies exprobrante,& à periculo, in quo Saül, & milites ipsius versabatur: opus sanè arduum, & quod totum temeritatem redolere videbatur; id tamen humilis aggressus est Dauid, & humilitate perfecit, omnẽ prorsus laudem in Deum refundens. Enimverò dum ipse interrogat, quid daretur viro, qui occideret superbum Philisthæũ, acriter eum obiurgauit maior frater Eliab, dicens: *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam,& nequitiam cordis tui.* Hoc sanè dixit, vel inuidiola excitatus, quemadmodum ibi arbitratur Theodoretus, & mox citandus Chrysost. vel quadam veluti prudentia, quod Dauidem iuuenili superbia, & temeritate correptum monomachiam quærere putaret, sicut ibi censet Serarius. Vtcumque tamen sit, nullam in Dauide extitisse elationem, ex ipso eius responso apertè cõstat: humiliter enim dixit: *Quid feci? Nunquid non verbum est?* Quasi dicat, merus sermo est: quæro tantùm, nihil adhuc feci, nondum congressus pugno, vel vt habet Stapletonus ser. de Quinquagesima. Nunquid non rumor est? Non res peruulgata,& publicè proposita? Vt sit sensus; Ego id quæro, quod omnibus notum est, & nihil inquiro ignotum. Videtur enim Abulensi ibi, & cap.18. q 23. publicum fuisse edictum de filia Saulis Regis victori in matrimonium locanda, qua de re quærebat, & interrogabat Dauid, cùm à fratre acriter fuit obiurgatus: meliùs tamen, & ad præsens aptius occurrit Chrysostom. homil. 46. in Genes. post med. dicens. Vide huius prudentiam,& mansuetudinem: nihil temerarium, vel asperum iis loquitur, sed reprimens eorum flammam, & demulcẽs inuidiam, inquit. Nunquid nõ verbum est? Nunquid, inquit,

1.Reg.17. num.28.

inquit, vidisti me arma arripere? Nunquid vidisti me adordinari cæteris in acie? Tantùm videre volui, & interrogare, vnde tantum huic insaniæ? Sic Chrysostom. ab elatione purgat Dauidem, dum superbire visus est fratribus. Et cum deinde Saül
1. Reg. 17. num. 34. diceret: *Nō vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eum, quia puer es; hic autem bellator ab adolescentia sua.* Dixit Dauid ad Saül: *Pascebat seruus tuus gregem patris sui, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebā, eruebamq́; de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum & suffocabam, interficiebamq́; eos: nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus: erit igitur, & Philisthæus hic incircūcisus quasi vnus ex istis, &c.* Quæ verba superbiam resonare videtur, & elationis fiduciam continere, sed audiamus Chrysost. loco citato rem congruenter dispungentem in hunc modum. Coactus fuit admirabilis ille vir hæc narrare, nolens hinc vanam gloriam aucupari, sed in necessitate constitutus, vt Sauli animum adderet, & ne spectaret ad vilitatem eius, quod apparebat, sed ad fidem quę intrinsecus latebat, supernúmque auxilium, quo adolescens inermis viris armatis, & pastor militibus fortior erat, &c. Ecce quomodò Dauidis verba non superbam fiduciam, sed supernam Dei opem indicabant. En quomodo strenuus adolescens non sibi laudem arrogare, sed Dei laudem, & gloriam conciliare intendebat. Vnde idem Chrysost. homil. 9. in Act. Apostol. statim post princip. ostendens quomodo viri sancti quidquid supremum, & excellens aggrediuntur, non suis viribus, sed Dei Omnipotentiæ tribuunt, vt tota gloria, & commendatio in laudem Dei cedat, ait. Dauid, *quando veniebat leo, & vrsus, in nomine Domini illos discerpebat, &c.* Quomodo igitur potuit superbire de leone, vrso occiso, qui, vt prævaleret, & occideret, propriis viribus diffisus, Diuinam opem, & adiutorium implorabat? Et homil. de Dauid, vbi Goliath hostem deuicit, introducens Chrysost. Dauidem loquentem ad Saül, cùm eum reuocare intendit à certamine, dicens quod puer esset, &c. ait: Pugna ista, quam loqueris, Dei est: bellum, quod geritur, cœleste, atque Diuinum. Nihil isthic humanum inuenies, nihil, quod hominis virtus conficiat, aut potentia bellatoris exerceat. Adest Dominus, adest, inquam, qui me in prælium cogit procedere: adest, qui me bellum desiderat gerere, &c. Quid igitur elationis subodorari potest in verbis Dauidis, in quibus totum resonat Dei auxilium, & adiutorium? Adeóque constanter de Dei assistentia confisus loquutus est, quod Saül tandem intellexit aliquid in eo Diuinitatis esse, nec illum tenera ætate sine Diuino instinctu talia posse præsumere, & coram Rege proponere, sicut aduertit August. serm. 4. de verbis Apostoli, & in Psal. 143.

Hinc iam est, quod adductus Dauid, vt armis Saulis indutus confidentiùs singulare, sed periculosum certamen aggrederetur, illa imprimis respuit, quia noluit Deus victoriam istam alienis armis attribui, sicut aduertit Chrysost. dicta homil. 46. in Genes. & Ambros. lib. 1. Officior. cap. 55. Quinimò & ipse Dauid agnoscens prælium illud non humanis viribus, aut armis conficiendum, sed superno Dei auxilio, & adiutorio, arma abiecit; vt totam victoriam Diuina virtute comparatam esse constaret; vnde Augustin. lib. 50. Homiliar. homil. 31. in fine ait: Noluit Dauid vetustatem armorum, abiecit, onera dixit esse, quæ implicabant

eum,

eum, fortis non in se, sed in Domino, armatus non tam ferro, quam fide: Golias autem de se & de viribus suis superbus, elatus, inflatus: & quia omnis superbia habet impudentiam frontis, in ipsa fronte lapide veniente deiectus est. Firmus itaque, & firmatus Diuina ope, spe, quam de Diuino auxilio conceperat, quamque explicat Iosephus, & Theodor. q. 40. ausus est puer iste Dauid, ait August. proxime citatus, non præsumens de viribus suis, sed in nomine Domini Dei sui procedere, &c. Quod magis adhuc constat ex eo, quod Dauid Gigantem alloquutus, dixit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo? Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*; quod sic explicat Chrysostom. dicta homil. de Dauide, vbi Goliath deuicit. Tu terrenis dimicas, ego cœlestibus pugno; tu in lancea, ego in fide, tu in clypeo, ego in prece. Tu venis ad me in armorum virtute, ego in potentissimo Genitore. Denique in te tua arma vertetur, in te tuus gladius exeretur: Dei enim est hæc pugna, Dei erit & ipsa victoria. Et homil. 3. de Dauide, & Saule post med. ait: Barbarum prostrauit, eo quod priusquam mitteret lapidem, cum precationis robore fuerat aggressus; neque enim vulgari more proiecit lapidem, sed prius dixerat: Tu venis ad me in Diis tuis; ego autem venio ad te in nomine Domini Sabaoth; atque hæc loquutus immisit lapidem, atque hæc vox lapidem, veluti manu direxit in Goliath, &c. Totus itaque Deo confisus, & viribus diuinitùs concessis roboratus, certamen aggressus est, nihil terrenum, aut humanum admittens, nihil suum interuenire professus, vt tota victoriæ laus soli Omnipotenti Deo cederet, sicuti fieri solet à Sanctis, qui per summā humilitatem se ineptos profitentur, & aptitudinem, & potentiam diuinitus datam confitentur, agnoscentes quidquid boni interuenit, totum à Deo prouenire.

Vnde Philo lib. 2. legis allegoriar. fures meritò appellat eos, qui sibi in bonis aliquid vsurpant, & gloriam rectè factorum attribuunt, cum totam debeāt in Deum bonorum omnium auctorem conuertere, & dirigere. Quisquis, inquit ille, aliquid sibi attribuit, aliena vsurpat, & simul vulnus accipit grauissimum, atque insanabile, arrogantiam cognatam tarditati, & ignorantiæ, &c. Melius hoc dixit Paulus 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod nō accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis?* Vbi Theodoret. ait: Nemo de alienis depositis se venditat, aut propterea pluris æstimat, sed vigilat, vt ea salua custodiat ei, qui tradidit. Similia sunt, quę habet Theophylact. dicens: Non enim quempiam decet, vt in his, quæ acceperit, insolescat, quippe quæ aliena sunt, & ab aliis collata, non per se parta, &c. Qui igitur alienis extollitur, & superbit, latro deprehenditur, dum sibi vsurpat, quæ alterius sunt. Vnde Bernard. ser. 84. in Cant. post princip. ait: Omnis inter vos quærens Deum, ne magnum bonum in magnum sibi detorqueat malum, nouerit se præuentam in illo, & ante quæsitam, quam quærentem. Sic enim de magnis bonis mala oriri non minima solent: cum facti eximij de bonis Domini, vtimur donis, tanquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profectò qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. Nam verè, & absque dubio eò quisque pessimus, quo optimus, si hoc ipsum, quo est optimus adscribat sibi. Nempe pessimum hoc, quod si quis dicat: absit, agnosco, *gratia Dei sum*

1. Cor. 4. num. 7.

1. Cor. 15. num. 10. *sum id, quod sum.* 1. Corinth. 15. Studeat autem captare gloriam pro gratia, quam accepit: nónne fur est, & latro? Audiat qui eiusmodi est: ex ore tuo te iudico serue nequam. Quid nequius seruo vsurpante sibi gloriam Domini sui? Et cætera, quæ in eandem sententiam latè ibi prosequitur, ostendens quomodo ad bonum prosequendum, & præueniamur à Deo, & adiuuemur, ac proinde nisi quæreremur ab ipso præuenti, & consentientes deduceremur adiuti, nihil prorsus salutare, ac supernaturale possemus exequi.

Ideo amplectendum hac in re consilium Chrysost. eiúsque doctrina præ oculis gestanda, quam ipse habet homil. 38. ad populum, vbi ita ait: Ne altum sapiamus, ô homines, nec inflemur, cùm terra simus, & cinis, fumus, & vmbra. Dic namque mihi cur altum sapis? Eleemosynam dedisti, & exhausisti pecunias. Et quid hoc? Cogita, nisi te Deus diuitem facere voluisset? Tu propter teipsum erogasti, Christus propter te: tu debitũ reddidisti, tibi Christus nõ debebat. Vis verè magnũ aliquid operari? Nunquam te suspiceris tanquam magnorum meritorum. Sit (quæso) mortuos aliquis suscitans, & sanans claudos, & leprosos emũdans cum insolẽtia, nihil hoc sceleratius, magis impium nihil, nihil profanius, nihil esse te putes. Et post multa addit. Si vis magnum ostendere meritum, noli altum sapere, & tunc hoc magis ostenderis. Ne te putes aliquid effecisse, & totum feceris. Nam cum simus peccatores, hoc nos esse, quod sumus, cogitantes, efficimur iusti, sicut & publicanus; quantò magis si, cùm iusti simus, peccatores nos esse putemus? Nam si iustos ex peccatoribus facit humilia de se sentire, licet hoc non sit humilitas, sed sanum iudicium. Si igitur in peccatoribus sanum tantum potest iudicium, quantum humilitas in iustis poterit, collige. Ne velis itaque labores corrumpere, neque sudores succidas, nec in vacuum curras. Nescis quod si temetipsum laudaueris, non iam te Deus laudabit? Sicut econtrà si te miserum vocaueris, nõ desinet apud omnes te prædicare. Nolimus igitur extolli, sed & nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Nam si te dixeris probabilem, licet probabilis existas, inutilis factus es: si verò te nominaueris inutilem, factus es vtilis, licet sis improbandus: propterea meritorum obliuisci necessarium est. Tutus enim meritorum penus, obliuio meritorum. Et sicut cum vestes, & aurum in foro quidem exponimus, multos prouocamus insidiatores: si verò domi reponamus, & celemus, in tuto reposuerimus omnia: ita profectò, & merita si iugiter mente gestemus, Dominum irritamus, armamus inimicum, ad furtum vocamus: si verò sciat ipsa nemo, sed quem scire solum oportet, in tuto iacebunt. Itaque noli iugiter circumferre, ne quis auferat ea. Propterea quantò maiora præstitimus, tantò minora de nobis dicamus: sic enim gloriam assequemur maximam apud homines, & apud Deum, quinimò neque gloriam tantùm apud Deum, verum & mercedem, & magnam retributionem. Ne mercedem itaque reputes, vt cupias mercedem: nam cùm bene quidem gesserimus, benefactorum dumtaxat habemus debitorem: cùm verò nihil nos meruisse putauerimus: ipsius quoque dispositionis huiusmodi magis, quàm illorum, vt æquiualens sit hæc meritorum. Si non igitur hoc adsit, nec illa magna videbuntur. Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus cum postquam omnia beneuolè

neuolè ministrauerint, nihil magnū fecisse se censent. Itaque si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, magna tunc erunt. Nihil Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus semetipsum connumerare. Sic ille docet quomodo bona sint occultanda, ne ab hostibus animi nostri deprædentur: iustum quippe est, vt qui inaniter se gloriando, & humanam laudem aucupando soli Deo debitam gloriam furatur, ipse etiam propriis meritis priuatus, & spoliatus appareat, vt verum sit, quod dicitur: Væ qui prædaris (Dominicam scilicet laudem, & gloriam) Nónne & ipse prædaberis merito quidem, & præmio virtutibus debito?

Facit etiam præsenti argumento Chrysost. cùm explicat verba illa iam multipliciter ab interpretibus exposita ex Epistol. ad Coloss. 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Vbi pro adimpleo, Syrus, Vatabl. & Erasmus vertunt, *suppleo*, quasi dicat Apostolus, Christus quidem in se satis abundè passus est, vt nos redimeret, nobísq; compararet libertatem; & vt pretium Redemptionis à Christo factæ, eiúsque passio hominibus præsertim infidelibus, & qui fidei notitiam non habent, applicetur, multa adhuc desunt, quandoquidē necesse est, vt gentes adeamus, & apud eas prædicemus Euangelium, & propter Christi fidē acerba plurima, & atrocissima sustineamus, vt iam ego vincula hæc patior: sic enim participes tandem reddentur meriti, & passionis Christi, si illius fidei assentientes, Ecclesiæ fuerint adunati, fiátque passionibus nostris, suppliciísque perpessis applicatio fidei Christi gētium multitudini. Quemadmodum, inquit Theophylact. si duce exercitus abeunte subimperator (idest, ducis vicarius) pro phalange dimicans in illius locum constitutus vulnera ipsius recipiat: ita Christo in cœlos abeunte Apostoli in acie depugnantes, pro eo vulnera recipiunt. Ita Ambros. Theodoret. Æcumen. Anselm. D.Thom. & August. in Psalm. 61. & satis patet ex sequentibus; subdit enim Apostolus: *Cuius factus sum ego minister, &c. vt impleam verbum Dei.* Et num. 27. *Quibus*, inquit, *voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti eius in gentibus.* Sic igitur prædicando gentibus fidem, & Euangelium Christi, adimplebat ea, quæ deerant passioni Christi pro Ecclesia: pollet quidem huiusmodi laboribus, & pressuris fidelium beneuolentiam conciliare, laudemque hominum aucupari tanto opere, quo Christi vices videbatur gerere; at totum in Christum refundit, ideóque non suas passiones, sed Christi prædicat, vt & fideles Christo deuinciat, & se nihil esse ea in re demonstret, sed Christum authorem suscipiendum, & credendum proponat, cui tota laus, honor, & gloria debetur. Sic verò habet Chrysost. homil. 4. ad Coloss. post principium, ad dicta verba: *Adimpleo quæ desunt passioni Christi, &c.* Videtur quidem magnum esse, quod est loquutus, sed non est arrogantiæ, & insolentiæ, absit, sed magnæ in Christum beneuolentiæ. Non enim vult esse suas, sed illius passiones, eos ipsi volens conciliare. Non solùm enim pro nobis est mortuus, sed etiam postquam fuit mortuus, paratus fuit pro nobis affligi: contenditque, & acriter conatur ostendere ipsum quoq; nunc periculum subire pro Ecclesia per proprium corpus; & ad illos verba dirigit, dicens: Non per nos adducimini, & accessum habetis, sed per ipsum, etiamsi nos hæc facimus: propterea dicit etiam quæ

Coloss. 1. num. 4.

dicunt, quod nondum existimat ipsum pro nobis passum. Dicit etiam eum post mortem pati: hoc in Epist. ad Romanos aliter facit, dicens: *Qui etiam interpellat pro nobis*, ostendens eum non sola morte fuisse contentum, sed etiam postea facere innumerabilia; non ergo seipsum extollens hæc dicit, sed volens ostendere Christum etiam adhuc curam gerere. Sic ille ostendit Paulum nihil gloriæ, & laudis in magnis operibus prædicationis, & passionis pro Christi fide sibi voluisse vsurpare, sed totum in Christum refundere, sicuti solent Sancti Dei, se deiicientes in virtutum operationibus, ita vt solum Authorem Deum profiteantur, & agnoscant, quò magis omnem commendationem, & gloriam declinent, & fugiant.

Philip. 4. num. 12. & 13. Gloriabatur Paulus Philipp. 4. se scire humiliari, & abundare; satiari, & esurire, abundare, & penuriam pati; denique omnia posse; sed statim, quasi se corrigens, aut explicans, addit, se omnia posse in eo, qui ipsum confortabat, nempe Deo, ne gloriam aucupari videretur, sed omnia in Deum referre, in quibus se potentem prædicauerat, quod bene aduertit Gregor. homil. 19. in Ezechiel. post med. in hunc modum. Cum statim subdiderit, *omnia possum*: ne elationis esse verba crediderimus, adiunxit: *In eo, qui me confortat*. Ecce in altum ramus prodiit, sed quia in radice se tenuit, in veritate permansit: in altum enim surgens aresceret, si se à radice diuisisset. Sibi enim nihil tribuit, quia omnia se posse, non in se, sed in eo, qui se confortat, fatetur. Sic ille ostēdit quomodo Paulus se potentem ad omnia dicendo, minimè se extulerit, sed potius Dei gloriam prosequutus fuerit, cedebat siquidem in magnam Dei laudem se omnipotentem in fragili, ac caduco homine ostentare, quod bene prosequitur Bernar. serm. 85. in Cant. ad med. cum ait. Quid ni omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox; omnia possum in eo, qui me confortat? Nihil esse potentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt? Ita animus, si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit vtique dominari sui, vt non dominetur mei omnis iniustitia. Ita inquam verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel stantem deiicere, vel subiicere dominantem. Vis non timere impulsorem? Ne veniat tibi pes superbiæ, & manus impellentis ne moueat te. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Psal. 35. num. 13. Ibi diabolus, & Angeli corruerunt, qui licet non pulsi extrinsecus, expulsi sunt tamen, nec potuerunt stare. Denique in veritate non stetit, qui non innixus est Verbo, qui in sua virtute confisus est; & ideo fortassis sedere voluit, quia stare non valuit. Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur; *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. num. 5. Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine Verbo. Tu ergo, qui stas, da gloriam Deo, & dic: *Statuit supra petram gressus meos.* Psal. 39. num. 3. Cuius manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis. Hæc Bernar. Cum ergo Paulus bene agnouerit se nihil posse ad meritum, & opus supernaturale, nisi à Deo adiuuaretur; dum conspicit se in eo omnia posse, tam prospera, ne efferretur, quàm aduersa, ne deprimeretur, hoc sibi diuinitus datum confitetur, vt clarior appareret Dei virtus, quæ in infirmitate nostræ impotentiæ perficitur, & relucet.

Cum

Cum nullus reperiretur, qui Nabuchodonosori somnium, eiusq; interpretationē indicasset, rogauit Daniel Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandā Regi, imò ingressus domum suam Ananiæ, Misaëli, & Azariæ sociis suis indicauit negotiū, vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli super sacramēto isto. Hoc totum ea mente factum exponit Hieron. ne postea cùm Daniel exposuisset somniū, & interpretationem, eius ingenio, & industriæ attribueretur, sed potius Deo, quem ille pro interpretatione deprecatus fuerat, imò ne illius tantùm orationi hoc tribueretur, socios sibi pro Deo exorando assumit, vt ad eos prosperus euentus in exponendo occulto somnio referretur. Daniel, inquit Hiero. tēpus postulat nō quo tractatione, & sagacitate mētis occulta perquireret, sed quo occultorum Dominum precaretur, & ideo Ananiam, & Misaëlem, & Azariam iungit ad preces, ne solus de suo merito videatur præsumere, &c. Postquā autem ei reuelatū est mysteriū per visionē, in Dei laudes statim prorumpit, dicens n. 23. *Tibi Deus Patrum nostrorum confiteor, teq; laudo quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te.* vbi etiam Hieron. ait: Ne sui videatur meriti quod impetrauit, refert ad Patrum iustitiam, & ad veritatem Dei, qui seminis eorū etiam in captiuitate miseretur, & quod quatuor rogant, vni ostenditur, vt arrogantiam fugiat, ne solus impetrare videretur. Sic ille humilitatem Danielis in præclara virtute exponendi occultum omnino somnium ostendit, dum & Deo gratias agit, & virtuti, ac iustitiæ Sanctorum Patrū attribuit, & orantibus sociis laudem communicat, sibi verò nihil omnino reseruat. Haud tamen omittendum id, quòd acutè obseruat Hieron. in

Dan. 2. num. 23.

Principe militiæ Regis, dum Regi nuntiat se inuenisse hominem, qui posset interpretationē indicare, cùm tamen neque quæsierit, neque inuenerit, quandoquidem Daniel interrogauit ipsum Principem militiæ, vt constat ex n. 14. sic verò habet sacer Textus n. 25. *Tunc verò Arioch festinus introduxit Danielem ad Regem, & dixit ei: Inueni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem Regi annuntiet.* Meritum itaque inquisitionis, & inuentionis sibi tribuit, quod non habebat: hoc enim in aulis Regum sæpe euenire solet, vt merita sibi attribuat, imò & ab aliis deprædetur, qui non habet, cùm tamē apud Omnipotentem Regem præ animi humilitate, & submissione, meritis suis libenter renuntiant Sancti, & totam gloriam Deo decantent, & conseruis suis attribuant. Dei gratiam, inquit Hieron. ad suam refert diligentiam: & inuenisse se dicit, cùm Daniel vltro se obtulerit, vt introduceretur ad Regem, in quo conditio ostenditur nuntiorum, qui cùm bona nuntiant, sua videri volunt. Sic ille describit morem, & ingenium aulicorum, aliena merita in proprium commodum deprædantium, quod longè aliter fieri conspicimus à seruis Dei, sicut ibi obseruat Maldonat. num. 28. cùm Daniel ait: *Est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui ostendit tibi quæ ventura sunt.* Illi (scilicet Deo) ait Maldonatus, non sibi, somnij explanationem acceptam refert, &c. Quod bene monuerat Salomon Prouerb. 16. cùm dixit: *Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* Vbi noster Interpres reuocauit, quod in Hebræo habetur *gol*, ad verbum *galath*, quod est, reuelare, & discooperire: reliqui verò interpretes à verbo, *gollal*, duplicante secundam, quod significat dissoluere, aut vertere; vnde Caietan. ex Hebræo legit:

Prou. 16. num. 3.

Verte ad Deum opera tua. Vatabl. & alij: *Deuolue ad Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ.* Apud L X X. desiderantur verba ista, sed in Codice sub Asterisco sic leguntur: *Deuolue super Dominum opera tua, & stabilientur cogitationes tuæ:* Quasi nobis per os Salomonis inculcatum velit Diuinus spiritus seruorum Dei ingeniũ, & supremi Domini placitum, vt scilicet ad ipsum deuoluamus & & referamus quidquid boni, ipso tribuente operamur; quod Rodolphus, à quo libauit Iansenius, in hunc modũ explicat. Vt scilicet quidquid boni fecerimus, id quidem in Deum coniiciamus; si enim ex his, quæ benefacimus, quidquam nobis arrogauerimus, inutiles profectò per vanitatẽ, qua nobis placemus, reddemur. Quod eleganter explicat Chrysost. homil. 8. ad pop. dicens: Opera nostra in Deum referre debemus, quemadmodum in sphæræ ludo iacit vnus, alter verò refert pilam, &c. Vide Paulum hoc facientem ad Galat. 1. cum ait: *Notum vobis facio Euangeliũ, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque ego ab homine illud accepi,* &c. Vbi totum in Deum refundit, nec quid sibi adhærendum censet in sublimi Euangelij prædicatione, de more seruorum Dei, qui nihil laudis sibi referri patiuntur.

Galat. 1. num. 11.

Ex quibus iam intelligetur cur Dei Sponsa, & perfecta anima, postquam summis laudibus fuerat à Diuino Sponso sigillatim commẽdata; quasi pro reddendo responso addit: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collẽm thuris.* Videtur quidẽ velle volare, & quàm citissimè currere, ne proprias laudes audiat, quas omnes in Deum referre solet, & præ modestia nihil sibi imputandum arbitratur; sic enim acutè exponit Sanctius, dicens: Quo Sponsa est virginali pudore, atq; modestia ægrè fert laudari se effusè. Ait ergo velle se inde in montem abire, ne coram de se tam magnificè audiat, quæ solum Deum magnificare vult, & quidquid boni apud se conspicit, aut habet, ad ipsum deuoluere, & referre. Et sanè hæc est perfectio eiusdem Sponsæ eodem in c. n. 5. vbi Diuinus Sponsus ait: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo, quod intrinsecus latet:* vbi LXX. habent, *Præter taciturnitatem tuã.* ita habent omnes Græci, atque etiam plerique ex Latinis, qui ad tempestiuum silentium referunt, vt Theodor. ibi, & Ambr. lib. de Inst. Virginum c. 1. ac D. Chromat. Aquileiensis Episcop. conc. 1. in c. 5. Matt. ad illa verba ex cap. 6. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua:* docens quomodo occultandæ sint virtutes, ait: Huius fidelis operis sub Religiosæ taciturnitatis silentio Salomon Ecclesiam collaudans olim protestatus est, dicens: *Speciosæ sunt genæ tuæ præter taciturnitatem tuam:* hanc scilicet taciturnitatem, de qua ait Dominus: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua,* &c. Dum igitur commendatur taciturnitas in Sponsa, id maximè in ea elucere asseritur, quod scilicet taceat proprias virtutes, neque sui commendationem curet. Pro qua re facit optimè Author operis imperfecti in Matth. homil. 13. post med. vbi contra captantes humanas laudes inter alia ait: Melius est non facere, quàm propter homines facere: qui enim non facit, etsi in cœlo nõ inuenit, vel super terram nihil perdit: qui autem propter homines facit, & in terra perdit, & in cœlo non inuenit. Vel illum aspice, à quo laudem expectes, quid sentit de te? Ideò te laudat, quia propter Deum te facere putat. Si autem intelligeret, quia propter eum facis, non te laudaret, sed vituperaret magis. Quid ergo illi placere festinas, qui si te aliquando intellexerit, deridebit? Sic est homo

Cant. 4. num. 6.

Matth. 6. num. 3.

mo,qui propter homines facit bonũ, ſicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis ſuæ comedit omnes mercedes ſuas; cũ auté tempore completo recedit, nudus egreditur. Vt quid vis,vt videaris orans? Nónne quia laudabilis res eſt orare? vt quid ergo non vis eſſe laudabilis qui vis,vt lauderis? O inſania vanitatis,eſſe nolunt, quod deſiderãt apparere. Mendaciter orant cùm non orent,& mendaciter laudantur, cùm non ſint laudabiles;ſpecié vacuã Religionis vendũt, & verbum vacuum laudis emunt.Sicut oratio eorũ Deũ non delectat, ſic nec laus hominum eos adornat, &c. Cùm igitur ex eo non proficiat laus,quod iniuſtè quis eam aucupatur abſque merito, iure optimo iuſta anima taciturnitatem diligit,neque laudari patitur,& tunc maximè laudabilis deprehenditur, cùm totam laudem Deo referendam enititur;vbi notãdus occurrit verus Chryſoſt.hom.72.in Matt.poſt med. cùm ita ait. Si miſericorditer operãdo ſimilis Deo factus es, diligenter ſtude,vt in cõtemnenda etiã oſtentatione ſimilis ei efficiaris,qui morbos hominum curans præcipiebat ne alicui dicerent; ſed miſericors forſan, ac liberalis ab hominibus vocari deſideras.Quamobrem?Nónne nullum eſt huius rei lucrum,damnum autem inæſtimabile? Ipſi enim quos ad teſtimoniũ tuæ benignitatis citas, latrones abs te conſtituuntur, qui te Regno cœlorum ſpolient: imò verò non ab ipſis hoc patimur,&c.quę latè ibi proſequitur, oſtendens quomodo nullatenus ſit quærenda hominum gloria, ſed in operibus iuſtitiæ ſumma humilitas ſeruanda, & tota laus Deo deputanda, à quo verè Iuſti laudantur in cœlo, vbi veræ tantùm laudes conceduntur, ſicut bene proſequitur Auguſtinus. 22. de Ciuit.cap.30.poſt princ.cùm ait:Verè ibi erit gloria, vbi laudantis, nec errore quiſquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, ſed nec ad eum ambiet vllus indignus, vbi nullus permittetur eſſe indignus,&c.

Mulier illa,quæ ſanguinis fluxum patiebatur, acceſſit retro, & humilis tetigit fimbriam veſtimenti Chriſti,illicóque ſanata eſt; & cũ Dominus interrogaſſet; *Quis me tetigit?* & circumſpiceret videre eam,quæ fimbriam tetigerat, mulier timens, & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem; at vbi Chriſtus Dominus eam ad pedes ſuos prouolutam conſpexit, ait: *Filia fides tua te ſaluam fecit.* Marc. 5. Aduertit autem Chryſoſtomus propterea appellatam fuiſſe filiam,quod ſe totam deiecerat ante pedes Chriſti, ſalutem aſſecutam confitendo, & ſe tanto beneficio indignam profitendo; ſic verò habet Chryſoſtom. homil.7. in Marc.poſt princip. Procidit ante pedes eius, & dixit ei omnem veritatem. Videte gradús, videte profectus. Quandiu ſanguine fluebat, id anteuenire non poterat. Sanata eſt,& id anteuenit. Et procidit ante pedes eius. Necdum audebat vultum aſpicere: modò vt ſana fuit, ſufficit ei, vt pedes teneat. Ille auté dixit ei. *Filia fides tua te ſaluã fecit.* Digna,quæ vocetur filia,quæ ſic crediderat: turba, quæ comprimit, filia non poteſt appellari. Iſta verò quæ ante pedes cadit, & confitetur, filiæ nomen meretur accipere. *Fides tua te ſaluam fecit.* Vide humilitatem. Ipſe ſanat,& ille refert,&c.Illius ſcilicet fidei, & humilitati, quibus & credidit, & ſeſe ad pedes Domini deiecit ac prouoluit; nihil omnino de fide, ac humilitate, & deuotione præſumens, quod apud Deũ magnum

Marc. 5. num. 34.

gnum ſortitur præmiũ, & cumulum meritorum: etenim ſi in peccatis,& impietatibus humiliter de ſe ſentire magni fit apud Deum, neceſſariò magnum meritum, & laudem conſequetur, qui in virtutibus ſe demittit, & deiicit, eáſque illuſtriores, & præclariores reddet.

Hoc benè proſequitur Iſidor. Peluſiot. lib.2. Epiſtolar. Epiſt.273.vbi oſtendit humilem virtutem duo aſſequi præmia à Deo, alterum prouemens à peculiari virtute, alterum verò ab humilitate, quæ circa illam verſatur; ſic enim habet. Is quidem, qui virtutem colit, præclaram coronam habet: at qui virtutis officia præſtans, minimè tamen ſe præſtitiſſe exiſtimat, hoc etiam ipſo, quod ita affectus ſit, ſplendidiorem coronam habiturus eſt; non minoris enim, quam virtutes ipſæ,laudis eſt, cùm ex virtute aliquid geras, minimè tamen te geſſiſſe arbitrari; imò, vt rectiùs loquar, hoc cùm adeſt, illam quoque magnam eſſe indicat, cùm autem abeſt, etiam maxima quæque imminuit. Quamobrem qui virtutes ſuas magnas reddere cupit, nec eas magnas eſſe exiſtimet, ac tunc magnæ erunt. Sic ille;qui etiam Epiſtol.309. eiuſdem lib.dicit, quomodo magnas poſſimus reddere virtutes, ſi, ſcilicet, magna cum humilitate in eis nos habuerimus; ſic enim ait. Si illud tibi ſtudio eſt, vt quæ abs te cùm virtute geruntur, magna eſſe videantur, ne ſubl[illegible]r, ac magnifice de te ſentias ac [illegible]n ampliora ea reddes:ne te fec[illegible]ſe exiſtimes, ac tum maiorem ſplendorem cõſequeris:nam ſi peccator id de ſe, quod eſt eſſe iudicans, iuſtùs efficitur (quemadmodum publicano contigit) quid tandem afferri poteſt, quin iuſtus peccatorem ſe eſſe exiſtimans, maiorem hinc venerationem, gloriámque ſibi comparet? Si candida peccati agnitio coronam peccatori attulit (non enim per animi ſubmiſſionem, ſed veritate ductus hoc dicebat) quid cauſæ eſt quamobrem humilitas Iuſto ſexcentas coronas non nectat?

Videndus in hanc ſententiam Auguſtin. lib. 50. Homil. homil. 49. cap.2.vbi ex Dauid oſtendit quo pacto Deus humiles exaltare ſoleat. Alia, inquit ille, eſt ſoliditas magnitudinis, alia eſt inanitas inflationis; qui foris tumeſcit,intus tabeſcit;qui eligit abiici in domo Domini magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, Pſalm.83. eligit illum Deus inhabitare, vt inhabitet in atriis eius, & nihil ſibi aſſumentem, ille in ſedem beatitudinis aſſumit; vnde in Pſal.83.ſuauiſſimè,& veriſſimè canitur. *Beatus vir,cuius ſuſceptio* *Pſal. 83.*
abs te. Ne putes eum,qui ſe humiliat *num.6.*
ſemper iacere, cùm dictum ſit, exaltabitur: conſequenter connexuit, & oſtendit eiuſdem ſuſceptionis celſitudinem ſpiritualem. Aſcenſus in corde eius diſpoſuit. Vbi ergo diſpoſuit aſcenſus? In corde,in valle,ſcilicet plorationis. Sicut aſcẽſus exaltationẽ indicat,ita vallis humilitatem. Sic Auguſtin.ex Regio vate demonſtrat, quomodo Deus diſponat exaltationem, & aſcenſum ei, qui ſe depoſuit, & per humilitatem deiecit. Quod etiam bene proſequitur Albinus Flaccus Alcuinus ad Pſalm.129. cum ponderat primum illa verba eiuſdem Pſalmi: *De profundis clamaui ad* *Pſal.129.*
te Domine. Domine exaudi vocẽ meam. *num.1.*
Vult enim ideo, exauditum fuiſſe, quod de imis, ac profundis humilitatis clamauerit; qui enim ita ſe deiiciunt, Deus vſque ad ſui vicinitatem eleuat. Ipſi ſunt, inquit ille, Altiſſimo viciniores, qui de ſanctæ humilitatis viſceribus eruperunt, ſe confitentes eſſe peccatores, & de profundis clamaſſe iniquitatis,&c.

Facit

Facit etiam ad hunc sensum August. cum ponderat infirmos, qui sanitatem consequebantur in piscina, prius descendisse, vt firmi, & sanati surgerent; inquit enim sacer Text. Ioan. 5. *Qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate:* quo descensu vult August. humilitatem, & descensum deiectionis significari; ille siquidem consequitur sanitatem, & in melius conualescit, ac resurgit, qui per humilitatem descendit, & se deiicit. Sic ergo habet serm. 42. de verbis Domini ad med. vbi loquens de superbis, eorúmque difficili curatione ait: Superbi sunt, nolunt descendere, non sanantur. Ideo à talibus longe fit sanitas. Noli te extollere, si vis sanari, descende, &c. In quam sententiam videndus Cæsarius Arelatens. Episcop. hom. 34. vbi inter alia ait: Ad Ecclesiam fratres, quasi ad fontem viuum, & ad spiritualem fluuium côuenire debemus, vt accipiamus aquam illam viuam, de qua Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Et iterum Ioan. 4. *Qui biberit aquam, quam ego dabo, non sitiet vnquam, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ad istum ergo fontem feliciter currit, quicumque ad Ecclesiam feliciter venit. Sed sicut de fonte terreno, & corporali fluuio non potest aliquis bibere, si se noluerit inclinare; ita & de viuo fonte Christo, & sancti Spiritus fluuio non potest aliquis bibere, nemo aquam viuam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter quod scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sic ille petita similitudine ab eo, qui vt aquam è fonte, vel è fluuio hauriat, se totum supprimit, deiicit, & humiliat, ostendit Diuinæ gratiæ largitatem eis tantum contingere, qui Diuinam agnoscentes altitudinem, & propriam profitentes paruitatem, se totos deprimunt, & abiiciunt.

Ioan. 5. num. 4.

Ioan. 7. num. 37.

Ioan. 4. num. 14.

1. Petr. 5. num. 5.

Prouerb. 2. dicitur: *Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam,* quod Beda, Hugo, & Dionysius de humilitate interpretantur; etenim qui se demittit, & humiliat, à Domino eruditur, & instruitur, animúsque demissus, & totus in se reflexus ad Diuinæ Sapientiæ fontem, & fluuium, vberiora flueta participat, ideóque Hieron. in Comment. ad dictum locum ait: Inclinare quippe est cor ad cognoscendam scientiã humiliare, &c. Vbi minime omittendus idem Hieron. in Proœmio ad prophetiam Michææ, vbi in nostram sententiam ait, Michæam sonare humilitatem; Morasthi verò, vbi dictus Propheta natus fuerat significare hæredem; quia ille re vera hæres est constitutus à Domino, & postea in futuro Regni cœlorum, & nunc cognitionis mysteriorum Dei, & donorum Spiritus sancti, qui humilis corde existens, nouit inclinare cor suum iuxta Salomonis monitum; vnde Christus Dominus apud Matth. cap. 11. Diuinum Parentem alloquens, ait: *Reuelasti ea paruulis.* Altissimus namque Dominus se humiliantibus demittit, & peculiari titulo, ac iure participandum exhibet.

Prouer. 2. num. 2.

Matt. 11. num. 26.

Possumus adhuc illustrare dictam à Salomone inclinationem cordis pro recipienda Diuina manifestatione, doctrina, ac sapientia ex eo, quod Ioannes refert de Magdalena, in cap. 20. dicens: *Maria stabat ad monumentum foris plorans: dum ergo fleret inclinauit se, & prospexit in monumentum & vidit duos Angelos in albis sedentes &c.* Quam Mariæ inclinationem subtili discussione in rem nostram conuertit Origenes, vt ostendat eos, qui se præ humilitate demittunt, abiiciunt,

Ioan. 20. num. 11.

ciunt, & humiliant, à Deo infundi, & repleri sapientia,& consolatione; sic enim habet in celebri illa homil. de Magdalen. in fin. Disce peccator homo à peccatrice muliere Iesum amare, & in Iesum sperate: & quærendo Iesum inuestigare, nulla aduersa formidare, nullam consolationem extra Iesum accipere, omnia propter Iesum contemnere. Disce à Maria quærere Iesum in monumento cordis tui, reuolue lapidem ab ostio monumenti Dei, amoue omnem duritiam. Tolle omnem concupiscentiam mundi à corde tuo,& diligenter perscrutare si sit Iesus in eo. Si autem non inueneris in eo Iesum, sta foris,& plora,& plorando ora Iesum, vt dignetur intrare ad te, & inhabitet in te. Et ne fortè erecta ceruice repellas eum à te humiliando inclina te, & iterum respice in monumentū Dei,quod est in te.Quod si videris ibi Angelos,noli his contētus esse, noli adhuc deficiendo quiescere, sed plora, & quære Iesum in te, donec inuenias. Et si forte aliquando tibi apparuerit, & desiderio tuo se repræsentauerit, noli te præsumere tanquam tu eum agnoscas, sed interroga illum, & ora, vt indicet tibi seipsum. Audeo tibi confidenter promittere, si in fide ad monumentum cordis tui steteris;si plorando Iesum quæsieris, si te cum humilitate inclinaueris, ipso reuelante, ipsum inuenies, & ipsum cognosces: ita vt non sit tibi necesse ab aliis quærere vbi est Iesus, sed tu magis indicabis eum, nuncians aliis,quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Sic Origenes congruenter ostendit quomodo Deus sui manifestationem, & sapientiam impertire dignetur iis, qui præ humilitate cor suum inclinant, & præ animi submissione se totos demittunt.

Vnde iam intelligetur illa confessio, & gratulatio Christi Domini apud Matth.c.11. cùm dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quoniā abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea paruulis.* Matt. 11. num.25. Quæ verba pro humilibus, quibus sese Deus aperire,& communicare solet, sic versat August. ser.48. de Tempore ad med. Quid confiteor? In quo te laudo? Hæc enim confessio,vt dixi,laudem habet; *Quia abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea paruulis.* Quid est hoc fratres? A contrario sensu intelligite: *Abscondisti hæc,* inquit,*à sapientibus,& prudentibus,*& non dixit,reuelasti ea stultis, & imprudentibus: sed dixit,abscondisti à sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Sapientibus,& prudētibus irridendis, arrogantibus, falso grandibus,verè autem tumentibus opposuit, non sapientes, non prudenres, sed paruulos. Qui sunt paruuli? Humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus & prudētibus;nomine sapientium,& prudentium superbos intelligi posse ipse exposuit, cùm ait: *Reuelasti ea paruulis.* Ergo abscondisti, non paruulis? Quid est non paruulis? Non humilibus. Quid est non humilibus,nisi superbis?Hęc via Domini,aut non erat,aut latebat, vt reuelaretur nobis. Vnde Dominus exultauit nisi quia reuelatum est paruulis? Debemus esse paruuli:nā si voluerimus esse magni,quasi sapientes,& prudentes,non nobis illud reuelatur. Qui sunt magni? Sapientes, & prudentes, dicentes se sapientes stulti facti sunt. Habes remedium à contrario: si dicendo te sapientem stultus factus es,dic te stultum,& sapiens eris, & cætera, quæ in eandem sententiā latè ibi prosequitur, ostendens quomodo ille, qui de se humiliter sentit, & propriam agnoscit inscitiam,diuinitus illustretur, & sapiens reddatur ā Deo,qui se humilibus

bus largiſſimè participandum reuelat,& præbet.

Pro quo adhuc argumento recolendus venit locus optimus apud Philonem lib. de Somniis ante med. vbi ponderat Deum ſe communicare, ſuamque largiri ſcientiam,& doctrinam iis,qui ſe humiliant, & ſubiiciunt, & in obſequium Dei captiuant intellectum, cogitationemque ſenſuum externorum, ac denique omnem humanam ſapientiam, & gloriam humiliter deponunt, & renuntiant: in cuius rei ſymbolum, & figuram vult effectum, vt poſt Solis occaſum legalis mundities declaretur Leuit. in cap. 22. cùm dicitur: *Qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cuius tactus eſt ſordidus, immundus erit vſque ad veſperam: ſed cum lauerit carnem ſuam aqua, & occubuerit Sol, tunc mundatus veſcetur de ſanctificatis,* &c. Quæ verba ſic explicat Philo: Sol ſenſum figuratè ſignificat, quia ſenſus menti indicat omnia ſenſibilia, in quo ſignificato dicuntur hæc. Exortus eſt ei Sol quando præteriit Dei viſio, quamobrem ante veſperam neminem purum eloquia ſacra pronuntiant, turbantibus mentem in compoſitis ſenſuum motibus. Ibidē & ſacerdotibus lex ſancitur interdicens ſic: Non edet de ſacris, niſi abluto aquis corpore, purificatus poſt Solis occubitum: docemur enim apertè his verbis, neminem ſatis ſanctum eſſe ad obeunda ſacra myſteria, qui mortalis vitæ claret honoribus: ſed ſi quis horum contemptor, vt par eſt, illuſtratur à prudentia, vt ſic poſſit eluere vanæ gloriæ maculas. Nónne vides Solem ipſum aliud Orientem, aliud Occidentem efficere? Poſt exortum enim eius illuſtrantur in terris omnia, in cœlo verò celantur: è diuerſo poſt eius occaſum ſydera quidem promicant, cœleſtia verò cuncta obteguntur vmbris ſuperuenientibus. Ad eundem modum res noſtræ ſe habent, quoties ſenſuum ſplendor, tanquam Sol, oritur, tum ſcientiæ re vera cœleſtes occultantur: quoties autem ad occaſum accedit, tum fulgentiſſimę virtutum ſtellæ ſe proferunt, quando etiam mens ipſa re nulla velante fit ſenſibilis. Sic ille oſtendit cœleſtem ſapientiam ſe prodere, & manifeſtare iis quibus humani Solis gloria occumbit, & prę humilitate deſinit apparere ſecularis ſcientia; humiliatis enim, & deiectis, tanquam paruulis reuelat Deus myſteria ſua; & inclinantibus cor ſuum cognoſcendam præbet Deus cœleſtem prudentiam.

Leuit. 22 num. 6.

Tanta verò copia, & abundantia Diuinorum beneficiorum ditatur, ac donatur humilis,& abiectus animus, vt neceſſe ei ſit ſeipſum extendere, quo capacior reddatur ad recipiendam præſtitam ſapientiam: vnde dicto loco à nobis citato ex Prouerb. vbi nos habemus: *Inclina cor tuum.* Hebraicè habetur *thateh*, à verbo *natah*, quod eſt inclinare, quod etiam ſæpius ſignificat extēdere, & expandere, vt Ioſue 8. cùm dicitur: *Ioſue non reduxit manum, quam extenderat*; idcóque alij legunt: *Extende,* vel *expande cor tuum ad cognoſcendum*, id eſt, anguſtos animi tui ſinus explica, vt tantam ſapientiæ abundantiam excipere poſſint, quantam Deus humilibus communicare ſolet; nam cum Chriſtus Dominus de incapacibus, & ineptis ad percipiendam Diuinam doctrinam per conſilia traditam, dixerit Matt. 19. *Non omnes capiunt verbum iſtud.* Et iterum, *qui poteſt capere, capiat*: vbi non capere (ex ſententia Nazianz. Orat. in hæc verba, Ambr. in Exhorta. ad Virgines. Orig. Tract. 7. in Matth.) idem prorſus eſt, ac non eſſe aptum, & capacem ad ſuſcipiendam tantam virtutem, & perfectionem, quanta per conſilia tradebatur.

Prouer. 2. num. 2.

Ioſue 8. num. 26.

Matt. 19. num. 11.

Hinc igitur est quod Deus, qui secreta sua reuelat paruulis, qui humilibus dat gratiam, & sese participandum maximè applicat, & effundit, eisdem per Salomonem præcipit, vt cor extendant, & veluti amplificent pro suscipienda tanta gratia, & abundantia, & doctrinæ effluentia.

Cum verò humilibus sese Deus communicet, & suam sapientiam largiatur, superbos deprimere solet, & de se præsumentes deiicere; vnde Prouerb. 16. dicitur: *Spirituum ponderator est Deus*; vbi aduertendum est nomine spiritus, superbiam, & elationem significari, vt patet ex Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte, & in Psalm. 75. Gregor. 7. Moral. cap. 3. & lib. 12. cap. 24. & lib. 24 cap. 20. & in Psalm. 142. patétque ex illis verbis Psalm. 75. *Qui aufert spiritum principum*: & Isai. 25. *Spiritus enim robustorum quiescet*, & passim alibi. Deinde etiam aduertédum est quod verbum Hebræum *thacan*, quod hoc loco habetur, non solùm significat ponderare, librare, & expendere, sed etiam pondere aliquo superimposito grauare, onerare, ac deprimere; quo sensu Hugo docuit dicta verba posse explicari, vt reddant hunc sensum: *Spirituum ponderator est Deus*: idest, pondus imponit Deus spiritibus elatis, & superbis, iuxta illud Iob 28. *Qui fecit ventis pondus*; eosque deprimit, & deiicit. Qua de re videndus Aug. serm. 53. de Verbis Domini ante fin. cum ponderat verba illa, *qui se exaltat, humiliabitur*; vbi inter alia ait: Si extollis te, Deus deiicit te; si tu deiicis te, Deus eleuat te. Sententia Domini est; nec addi aliquid, nec detrahi potest, &c. Cum igitur iusti optimè nouerint Deum superbos deprimere, se verò effundere communicandum humilibus, inde est quod se humiliant, & deiiciunt coram Deo, nihilque sibi laudis arrogant, sed totum in Deum transferunt, magísque expendunt, quid sibi desit boni ad perfectionem, quàm quid perfectionis habeant: quod prosequitur Chrysost. hom. 26. in Matth. post med. vbi ait: Age igitur, nos quoque quantum in virtute proficimus, tanto nosmetipsos amplius conteramus: quoniam & hoc magnę virtutis est. Sicut enim quanto acutius viderimus, tanto magis discimus quàm longè à cœli regione distamus: sic etiam quanto superius ad virtutis ascendimus excelsum, tanto amplius docemur, quàm sit inter nos, & Deum grande discrimen, nec sanè minima est philosophiæ pars ista, meritum suum posse dignoscere. Ille est maximè seipsum sciens, qui se esse nihil existimat. Propterea quippe & Dauid & Abraham postquam ad summum iam fastigiũ virtutis euaserant, tunc istud, quod dico, præcipuè videntur impleuisse. Nam vnus quidem se esse dixit terram, & cinerem. Genes. 18. Alter verò se vermem Psal. 21. vocabat, & cuncti omnino sancti, horum se more deiiciunt, & Paulus abortiuum se, & minimum Sanctorum vocabat, & ne appellatione quidem Apostoli dignum se esse dicebat, post tot certè illas, tantásque virtutes.

Prou 16. num. 2.

Psal. 75. num. 3. Isai. 25. num. 4.

Iob 28. num. 25.

Luc. 18. num. 14.

Gen. 18. num 27. Psal. 21. num. 7.

Videndus pro hoc argumento August. serm. 53. de Verbis Domini secundùm Matth. ad med. vbi meminit consuetudinis Sanctorum, qui vt se inferiores agnoscant, & humiliter de se sentiant, aliorum perfectiones sibi proponunt, vt recolentes aliorũ profectum, & excellentiam inferiorem de suis rebus cogitatum testentur, neque pro suis virtutibus efferantur; sic verò habet. Non frustra dicit Apostolus omnibus membris Christi, alter alterum existimantes superiorẽ sibi, & honore mutuo præuenientes; hæc etenim si cogitetis, non eritis apud nos magni. Magis enim cogitare

Philip. 2. num. 3.

gitare debetis quid vobis desit, quàm quod vobis adsit. Quod habes, cauéne perdas: quod nondum habes, supplica vt habeas. In quantis sis minor tibi cogitandum est, non in quantis sis maior. Si enim cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem. Si verò cogitas quantum tibi deest adhuc, ingemiscis, & cum ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis, &c. Similia sunt, quæ habet Plotinus Platonicus libr. 6. de Pulchro, vbi monet nos imitari statuarios, qui semper imperfecta curant, vt ad perfectionem perueniant, proindeque abscindenda superflua sibi proponunt, ita vt non glorientur de perfectione, neque exultent de consummatione, cum circa imperfecta versentur. Quod si nos etiam obseruemus, nullatenus superbiemus de comparata perfectione, sed laborabimus in remouendis imperfectionibus. Age, inquit ille, te reuoca in te ipsum, statuarium imitabere, qui statuam partim abscindit, dirigit, expoliturus abradit, leuigat, abstergit, donec in statua speciem exprimat speciosam. Ita & tu tolle superuacua, obliqua dirige, obscura purgando illustra, nec desinas circa statuam tuam laborare, &c.

At sunt, qui non cessant gloriari, & præsumere, cum potius humiliari deberent, & submisse de se sentire, quod tunc maximè facient, cum aliorum virtutes contemplantes, quid sibi ad perfectionem desit, agnouerint; quod elegāter prosequitur Gregor. afferens in hanc sententiam illud

Ezech. 3. num. 13. Ezech. 3. *Audiui post me vocem commotionis magnæ, & vocem alarum animalium percutientium alterius ad alterum.* Vult enim dictū locū nos admonere vt ex iis virtutibus, quas in aliis conspicimus, sumamus occasionem eas admirandi, & imitādi oculos in alienas coniiciendo perfectiones pro imitatione, non proprias intuendo pro elatione; sic verò ille habet Homil. 10. in Ezech. post med. Mira dispensatione Omnipotens Deus sic in electis suis sua dona dispensat, vt & isti det, quod illi denegat: & alteri maius, quod alteri minus tribuit: quamuis dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet, vel ille hunc maius accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei alter in altero, idest, vicissim omnes admirentur: atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri, & quem videt habere quod non habet, eum Diuino iudicio sibi prælatum putet. Alis ergo suis vicissim se animalia feriunt, cum sanctæ mentes alterius se virtutibus tangunt, & tangendo excitant, atque excitata ad profectum volāt. Videamus Paulum, quomodo Apostolorum alis tactus, atque excitatus ad pœnitentiam fuerat: qui mala præteritæ persecutionis suæ, ad Apostolorum innocentem vitam considerans, dicebat 1. Corint. 15. *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Cor. 15. num. 9. Considerauit quippe Apostolorum innocentem vitam, & propter præcedentem malitiam vilis in eius oculis facta est omnis, quam exhibebat in Ecclesia, solicitudo sua: & quam multos ex accepto intellectu præcederet, non attendit: quia illorum innocentiam pensans, persecutorem aliquando fuisse se doluit Sed videamus si quis ex Apostolis eum, qui Paulo datus est, intellectum miretur. Ipse nobis Apostolorum primus requirendus est, qui discipulos admonens ait 2. Petr. 3. *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundū datam sibi sapientiam scripsit vobis: sicut in omnibus Apostolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu,* 2. Petr. 3. num. 15.

quæ in.lecti,& instabiles deprauant. Miratur itaque in Apostolis omnibus Paulus innocentiam: miratur Apostolorum primus in Paulo sapiētiam. Alis ergo se tangunt, qui inde se vicissim ad profectum excitant, vnde volant. Hoc itaq; Omnipotens Deus agit in cordibus hominum, quod facit in regionibus terrarum. Poterat namque vnicuilibet regioni fructus omnes tribuere: sed si vna quælibet regio alterius regionis fructu non indigeret, communicationem cum altera non habuisset: vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abundantiam tribuat; hanc multitudine pecudum, illam verò vbertate abundare fructuum: vt cum illa defert, quod ista non habet, & ista reddit, quod illa non detulit, per communionem gratiæ sibi simul etiam diuisæ terrę coniunctæ sint. Sed inter hæc sciendum est, quia sicut electi quique hoc semper in aliis attendunt, quod à Deo melius acceperunt, quàm ipsi, vt eos sibi in cogitatione præferant, seque illis in humilitate substernant: ita reproborum mens nunquam considerat quid alter boni amplius, quàm ipse, sed quid boni ipse amplius, quā alter habeat; neque enim pēsant quæ bona spiritus alter acceperit, & ipsis desint: sed quæ bona ipsi, & quæ mala adsint alteri. Et cum Omnipotens Deus ad hoc virtutes singulas diuidat, vt alterum alteri in cogitatione humiliet: ad hoc reprobi pertrahunt bonum, quod acceperunt, vt ex eo in elatione perdantur: dum semper considerant bona, quæ ipsi habent, & alij non habent, & nunquam perpendere student quanta bona alij habeant & ipsi non habeant. Quod ergo Diuina pietas in augmentum humilitatis, hoc mentes reprobæ in augmentum vertunt elationis. Et ex diuersitate munerum à bono deficiūt, vnde crescere in humilitatis bono debuerunt. Propter hoc necesse est, fratres charissimi, vt in vobis hoc sēper debeatis aspicere, quod minus habetis: in proximis verò hoc, quod vobis amplius acceperunt: quamuis dum semper vosmetipsos, eos pro bono, quod ipsi habent, & vos non habetis, aspicitis, ad hoc quoque obtinendum etiam vos ex humilitate crescatis. Si enim & vos in illis accepta bona perpenditis, & illi in vobis considerant dona, quæ habetis: vicissim vos alis tangitis, vt excitati semper ad cœlestia voletis. Sic ille docet quomodo Sancti, vt melius totā gloriam rectè factorum declinent, & effugiant, respicere potius soleant ea, quæ sibi ad consummationem, & apicem perfectionis desunt, in aliis verò relucent, quàm glorientur de his, quibus pollent, & præstant; sic enim dum se deiiciunt propriæ humilitatis mercedem lucrantur; & aliorum meritis, ac virtutibus eas recolendo & imitando, in melius proficiunt, & ascendunt.

Videndus hac de re Aug. serm. 49. de Tempore post med. vbi ex Paulo ostēdit imperfectum admodum esse eum, qui de propriis meritis gloriatus pro assequendo adhuc ampliori non laborat sollicitus, neque anxius ad vlteriora festinat, cum tamen iusta anima potius debeat recolere, & contemplari ea, quæ sibi comparanda supersunt, quàm quæ assequuta possidet; sic verò habet August. Quisquis putat se modo posse implere iustitiam, & cum vixerit bene, atque innocenter secūdùm probabilitatem existimationis humanæ, in via remāsit, non desiderat melius, quia impleſſe putat, maximeque sibi tribuēs, erit superbus: & melior est peccator humilis, quàm iustus superbus. Apostolum audi dicentem Philipp. 3. *Si quomodo occurrant in resurrectionem inſtornm, non quia iam acceperim, aut iam perfe-* Philip. 3. num. 11.

perfectus sim; & contexit inde. *Fratres ego me non arbitror apprehendisse.* Quomodo comparat iustitiam iustitiæ, salutem saluti, fidem spei, peregrinationem ciuitati? Attendite quomodo hoc impleat: fratres, ego me non arbitror apprehendisse. Vnum autem. Quid vnum, nisi ex fide viuere spe salutis æternæ, vbi erit plena, & perfecta iustitia? In cuius comparatione damna sunt, quæ transitura sunt, & stercora, quæ reprobanda sunt. Quid ergo? Vnum autem, quæ retro sunt oblitus, in ea, quæ ante sunt, extentus; secūdum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Et ad eos, qui de sua perfectione possent præsumere. *Quotquot autem perfecti sumus, hoc sapiamus.* Iamdudum dixerat se imperfectum, nunc autem perfectum. Quare, nisi quia ipsa est perfectio hominis inuenisse se non esse perfectum? Quotquot autem perfecti, hoc sapiamus: & si quid fortè aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelauit. Idest, vt si vos in aliquo profectu animi iustificatos probatis, legendo scripturas, & inueniendo quæ sit vera, & perfecta iustitia, inueniatis vos reos, & desiderio futurorum damneris præsentia. Hæc Augustin. qui ex Paulo ostendit sanctorum perfectionem in eo maximè consistere, quod se imperfectos reputent, & præ humilitate oculos auertant à propria perfectione, quam iā assequuti sunt; figant verò, & collocent in eis bonis, quæ in aliis cernunt, & quibus ipsi carent; sic enim fiet, vt minimè efferantur, aut de se præsumant, quinimò imperfectos se cognoscendo pro comparāda vlteriori iustitia enitantur, Deúmque humiliter precentur.

Vnde iam constabit non prudenter se habuisse Ezechiam, dum recta opera sua Deo proposuit, quasi de eis gloriatus, cum potius deberet occultare, aut saltem humiliter de se sentiendo totum ad Deum referre, & meminisse potius quid adhuc acquirendum, & operandum restaret, quàm quid iam meriti fuisset assequutus; aliter enim videbatur velle potius lucere, quàm ardere, ac externam commendationem, & gloriam appetere, quam internam, & veram, quæ tacendo, & subiiciendo se comparatur: at verò lucere tantùm frigidum indicat animum, proximum casui, & ardoribus æternis cum apostatis angelis affinem, quorum tota perditio inde processit, quod lucere, & superbire potius elegerunt, quàm ardere, & humiliari, sicut prosequitur Bernard. ser. 3. de verbis Isaiæ, *vidi Dominum*, cum ait. Vt quid ergo tu, qui manè oriebaris Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens, vel incedens interpretatur. Tu verò habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quam lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem; dixisti enim Isaiæ 14. *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis*: quid festinas manè oriri lucifer? Breuis omnino erit gloriatio tua. Quàm melius Ioannes Baptista non sua præsumptione, ne, & ipse fur esset, & latro, sed Dei Patris authoritate præmissus est ante Dominum! *Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Stat ergo Ioannes, quia ardens, & Seraphim stare describūtur. Lucet ergo Ioannes tantò vtique clarius, quantò amplius feruet: tantò verius, quantò minus appetit lucere. Quid lucere festinas? Nondum illud aduenit tempus, in quo fulgebunt Iusti, sicut Sol, in Regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste

Isai. 14. num. 13.

Ioan. 5. num. 35.

appetitus lucendi: feruere enim multò melius. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quòd videri vis, esse curato, & primum quære feruorem, nec dubium quin, & splendor adiiciatur tibi. Alioquin incassum laboras, quia vanus splendor absque feruore. Mutuata, aut magis certe simulata lux est, quæ non ab igne procedit, &c.

Dum igitur Ezechias coram Deo virtutes proprias prædicat, ac refert, eis lucere tantum videtur, non vera charitate, & sanctitate ardere; & cum tota virtutum laus ad Deum pertineat, dum sibi gloriam adscribit, vana luce, quasi Luna, lucere stultè vult: statum quippe cum sit propria beneficia coram hominibus referre, stultius sanè erit ea coram Deo explicare. Hinc enim est, quod Paulus se insipientem vocat, sicut bene expendit Chrysost. tom. 3. hom. 5. de laudibus Pauli post med. dicēs de Paulo. Cum gloriaturus esset, non semel, non secundò sed sæpius differendo, atque cunctando dicebat 2. Cor. 11. *Vtinam sustineretis modicum quid insipientia mea.* Cúmque tanta dixisset, non tamen ea præmisisse contentus est, sed rursus ingressurus in laudes, semetipsum occultat, & dicit: *Scio hominem*; & iterum *pro huiusmodi gloriabor*, postque hæc omnia: *Factus sum insipiens.* Quis ergo tam stultus, quis inuenietur omni sensu, ac ratione priuatus, qui videns sanctū illum, etiam cùm tanta ei necessitas immineret, cunctantem tamen, atque metuentem, grande aliquid de seipso loqui? Quis sic sit insipiens, qui non etiam maiori abundantia cantionis laudes suas fugiat, & tunc fortè solùm de illis aliquid attingat, quando id opportunissimum tempus exegerit? Grande malum, dilectissimi, de seipso aliquid grande dicere, atque mirabile, extremæque omnium dementiæ est propriis velle laudibus decorari; non est hoc secundū Deum loqui, iudicium potius est insaniæ. Hoc enim nobis prorsus omnē mercedem euacuat, & quidem plurimis laboribus, sudoribúsque quæsitam. His profectò maius est, quia necessitate cogente non vniuersa fudit Paulus in medium, sed plura etiam, & maióra celauit, &c. Vnde intulit bene idem Chrysost. ibi. Quod sic gloriando Paulus amplius placuit, quam alter proprias laudes occultando, nec tātum quisquam profuit, cùm sua merita celaret, quantum iste cum proderet, &c. Si igitur, dum necessitate instante, & vrgente propria bona proferr Paulus, se insipientem vocat, insipiens profectò conuincitur ille, qui coram Deo propria merita refert, quæ potius celare deberet, & soli Deo attribuere. Quod bene prosequitur Aug. Concion. 2. in Ps. 31. cum ponderat insaniam Pharisæi virtutes suas coram Deo ostentantis, ac dicentis: *Non sum sicut cæteri, ieiuno bis, &c.* Nesciens, inquit Augustin. quò venire, sana membra ostendebat, vulnera tegebat: quibus similia habet Gregor. in expositione 2. Psalmi Pœnitentialis.

2. Cor. 11. num. 1.

Luc. 18. num. 11.

Gloriabatur quidem Elias de zelo, quo zelatus fuerat pro Domino Deo exercituum, seque solum superstitem remansisse dicit 3. Reg. 19. Sed statim illius errorem corrigit Deus, dicens, septem millia virorum remansisse, quorum genua non sunt incuruata ante Baal. Mirum sanè quod sanctus Propheta prægrādem seruorum Dei numerum prorsus ignorauerit; vnde tanta insipientia videnti abscondita, & futura adhuc agnoscēti? Nō aliunde sanè, quàm ex arrogantia, qua de se solo in Dei obsequio seruato gloriabatur, qua se tātùm Dei cultorem iactabat: quod bene ibi prosequitur Rabbanus Maurus. dicēs. Tanto Prophetæ

3 Reg. 19. num. 14. Sup. n. 18.

phetæ quid difficile fuit cognoscere in hoc mundo famulos remansisse Deo? Sed qui humilis etiam occulta Dei nouerat, elatus & aperta nesciebat. Hinc est quod voce Dei ad Eliam solum se æstimantem dicitur: *Reliqui mihi septem millia*, vt dum, non solum se remansisse cognosceret, elationis gloriam, quæ ei de singularitate surgebat, inclinaret, &c. Quæ maior igitur potest esse insipientia, quàm ea, quæ & insipientes reddit, vel ipsos Prophetas futura agnoscentes, & abscondita quæque penetrantes: hoc autem efficit elatio, & præsumptio etiam in ipsis virtutibus, & iustitiæ operationibus, vt in insipientiam conuertatur.

Cauit Christus Dominus, & prohibuit ne quis opus virtutis coram hominibus ad gloriam eorum aucupandam faceret, sed pro vitanda gloriola abdita quæque loca, & secretiora latibula intraret, vt patet ex cap. 6. apud Matth. à princip. hoc totum versat Chrysost. & vertit ad nostrum argumentum homil. 11. ex variis in Matth. in med. vt ostendat nullatenus nobis complacendum in virtutibus, aut de eis gloriandum, quod nobis magis nocet, quàm si ab aliis videamur, iuxta illud Prou. 27. *Laudet te alienus, & non os tuũ.* Er formam humilitatis traditam à Christo Domino Ioann. 5. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum.* Quid facturi sumus inquit Chrysost. qui non possumus nocte surgere, facere eleemosynam, ne videamur ab hominibus? Interdiu potest ne fieri, vt non videatur homo faciens eleemosynam? Tu te noli videri, & non videt te alius. Tu ad aucupandam laudem humanam hoc noli facere, & nullus te videt, sed dic in corde tuo, dic Deo tuo. Dedimus tibi de tuo: quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, nihil habemus,

Prou. 27. num. 2.

Ioan. 5. num. 31.

quod non accepimus. Et si accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus? Quod damus, ex donis tuis damus, non ex laboribus nostris. Ipse dedisti, vt demus, &c. Qui itaque se non commendat, laudabilis est ante Deum, & tunc propriæ virtutes nobis proderunt ad salutem, & proficient ad meritum; cum meminerimus, nullatenus inde gloriandum, sed totam laudem, & gloriam Deo fore tribuendam. Quomodo verò laudabilis coram Domino erit, qui gloriatur de virtutibus propriis, sic nec etiam ad Deum laudandum aptus inuenitur; nam nec laudem merebitur apud Deum, qui nec etiam Diuinas laudes ore sumere potest; quod bene obseruat Diuus August. lib. 50. homil. homil. 2. post med. ad illa verba Psal. 49. *Peccatori dixit Deus: Vt quid enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Vbi vult non solùm peccatorem reiiciendum à laude Dei, sed & gloriantem de virtutibus suis. Sic verò habet. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Si enim malè viuis, & bona dicis; non Deum laudas. Sed rursus si cum cœperis bene viuere, meritis tuis tribuis, non Deum laudas. Nolo te esse latronem insultantem Cruci Domini: sed nec te illum volo esse iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus, & perseueras in illa iniquitate, non dico tibi, non proderit laus, sed non me laudas, istam laudem non depuro. Rursus si fueris quasi iustus, idest humilis, & pius, & de iustitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, aut superextuleris te tanquam glorians de meritis tuis, non me laudas. Nec ille me laudat, qui male viuit; nec ille me laudat, qui quasi de suo bene viuit. Sed nunquid ille Pharisæus quasi de suo talis erat, cum

Psal. 49. num. 16.

Eccl. 15. num. 9.

Luc. 18. num. 11. cum diceret: *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines?* gratias Deo agebat ex eo, quod bonū in se habebat. Quamuis ergo boni aliquid in te sit, nō ex te esse, quod bonum est, sed à Deo te accepisse profitere. Tamen in eo ipso, si te extuleris supra aliū non habentem, elatus teneberis, nondum laudator meus eris. Non ergo laudat qui cum iā cœperit bene viuere, de suo putat esse, quod bene viuit, non acceptum à Deo. Ergo audite qui bene viuitis, audite qui male viuitis. Sic ille ostēdit ineptum pariter esse ad laudes Dei decantandas, & impiū, qui malè viuit, & gloriantem in virtute sua, qui bene viuit. Quid proinde meriti, aut laudis merebitur ille apud Deum, qui nec ad laudes Dei sufficiens inuenitur?

Hinc est, quod sicut superius furē Diuinæ laudis, & gloriæ gloriantem in virtutibus diximus, sic & propriarum perfectionum latrocinium patitur, qui eas sibi arrogat; imò etsi alioqui perfectus videatur, imperfectissimus redditur dictæ arrogantiæ demerito. Quod totum aduertit Saluian. lib. 4. de Prouident. post med. vbi ait: Maxima accusatrix hominum noxiorum est vsurpatrix innocentiæ arrogantia: inter multos siquidem eorumdem criminum reos nullus est criminosior, quàm qui se putat non criminosum. Itaque & nos hoc solum malis nostris addere possumus, vt nos innoxios iudicemus, &c. Innoxium quidem, & iustum se prædicabat coram Domino Ezechias, cum alioqui peccator esset, vt patet ex nostro Textu, cum ait. *Proiecisti post tergum tuū omnia peccata mea.* Quid igitur gloriabatur de perfectione virtutis coram Domino? Hac tantum ratione bonis omnibus priuaretur, quod arrogāret se innoxium, & perfectum reputabat, & prædicabat; & cum potius cum timore, & tremore salutem suam operari deberet, securus de propriis virtutibus superbiebat, & præsumebat.

Dolet vtique Tertullian. quod de serpentis capite gemmæ eruerentur ad ornamentum mulierum in capitibus, cum potius tenerentur conterere, & conculcare capita serpentum, sicut verè conculcauit Benedicta illa Mulier, vel per seipsam, vel per semen suum; sic verò habet Tertullian. lib. de Cultu muliebri cap. 6. Aiunt de frontibus draconum gemmas erui, sicut in piscium cerebris lapidositas quædam est: hoc ergo deerit Christianæ, vt de serpente cultior fiat? Sic calcabit diaboli caput, dum de capite eius ceruicibus suis, aut ipsi capiti ornamenta struit? Sic ille carpit earum capita, quæ ornabantur gemmis erutis ex capitibus serpentum. Nihil magis intendit serpens antiquus, quàm nobis suadere, vt de virtutibus gloriemur, & superbiamus, capútque erigamus de nobis præsumendo; quod patet ex Genes. 4. *Nónne si bene egeris recipies?* Genes. 4. num. 7.
Vbi in Hebr. est Seth à nasa, quod multa significat, tamen inter alia sæpe significat eleuare, sicut aduertit Oleast. & ita transtulit Arias Montan Superbire, ac præsumptuosè sentire, & euanescere, vt Numer. 16. *Cur* Num. 16. num. 3.
eleuamini super populum Domini? Atque adeo sensus est. Nónne si bene egeris, eleuaberis? Et ita ferè transtulit Montanus. Tam certa enim adest superbia, & præsumptio in operibus iustitiæ; nam sicut dixit Augustin. cætera vitia in malefactis gaudent, superbia in benefactis, magisterque & suasor superbiæ diabolicus serpens statim obrepit, & mediis virtutibus sese interserit, vt in elationem, & arrogantiam inducat.

Obuius processit Melchisedech Hebr. 7. num. 1.
Abrahæ regresso à cæde Regū; aduertit autē Salmeron ideo occurrisse vi-

ctori,

ctori, ac triumphatori, vt Abraham agnosceret per quem victor euaserit, & ei soli, non sibi gloriam tribueret: nihil enim tam sedulò obseruare debent viri iusti, quàm ne appetitus alicuius gloriæ post patratum illustre virtutis opus subrepat; nititur siquidem callidus inimicus arrogantiam statim suggerere, quod bene aduertit Nazianz. Orat. 7. ad med. vbi miseriam nostram deplorat, qui in mediis virtutibus, & operibus ad vitã mortem incurrimus. Sic verò habet: Sæpe gratia ipsa (vt quod omnium malorum nostrorum miserrimum est, maximeque mirandum, dicam) fastum nobis, & eleuationem parit, sicque vt à Deo, ad quem, nõ vt decuit, accessimus, exturbet, ac deiiciat, atque ita dum extollimur, corruamus: vt fiat supra modum peccans peccatum, nimirum per id, quod bonũ est necem mihi afferens. Hęc sunt, quæ ego metuens, acerbitate, ac mœstitia impletus sum, eodemque modo affectus, quo pueri ad fulgura, ex quorum spectaculo coniunctam cum admiratione, ac stupore voluptatem capiunt. Spiritum enim simul, & amaui, & extimui, &c. Et sanè diligenda, inquirenda, & postulanda est Diuina gratia, simul tamen timenda, ne inde ansam gloriãdi arripiamus, cùm mediis ipsis virtutibus, quasi in herbis lateat anguis, imò serpens decipiens, & in arrogantiã inducens; vnde gratia, quę à Deo nobis ad vitam, & meritum data est, in mortem, & venenũ nobis conuertitur; ideoque Aug. in Psal. 7. ad illa verba: *Gloriam meam in puluerem deducat*, ait: Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superãdorum gradus intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maximè cauendũ esse perfectis, &c. Proinde caput serpentis hac in re conculcandum est, & quæ ex rectis operibus nascitur præsumptio conculcanda.

Psalm. 7. num. 6.

Hinc enim est, quod seruos suos alioqui perfectos humiliat Deus, ne in superbiã efferatur. Quis non miretur tot mirabiliũ patratorem Eliam impauidum vtique ad pręsentiam armatorum militum semel, & iterum ad ipsum missorũ, quique Prophetas Baal strenuus occidit, vnam tamen mulierẽ vsque adeo pauere, vt fugam arripiat, imò & animæ suæ petat vt moriatur? Hoc totũ ideò factum est diuinitus, ne ipse de se superbè præsumeret, quin potiùs propriam recognoscens imbecillitatem deprimeretur, & humiliaretur. Sic enim habet Theodoret. ibi q. 47. Cur cùm tantas habeat vires solam timuit Iezabelem Elias? Quoniam non solùm erat Propheta, sed etiam homo, & alioqui timor erat Diuinæ dispẽsationis. Nam ne miraculi magnitudo eius spiritus nimis attolleret, concessit gratia naturæ, vt timorem susciperet, vt suam agnosceret imbecillitatem. Similia prorsus sunt, quę ibi habet Rabanus. Nouit vtique Deus periculosam esse virtutis excellentiam, arrogantiæque proximam, habet enim se huiusmodi perfectio instar terrenarum facultatũ, ac diuitiarum; sicut enim non tam facilè paupertati adhæret arrogantia, & superbia, sicut diuitiis, & potẽtiæ; quod elegãter prosequitur Philo de Charitate: Sic & pręsumptio spiritus non tam petit imperfectum, & scelestum peccatorem, quàm spiritualem, & virtutis sectatorem. Proinde Deus, qui nouit huiusmodi periculum, & plerosque ad ima decidere, dum excelsa, ad quæ ascenderant, contemplantur, proprię vilitatis pondere deiicit, & deprimit, ne omnino intereant. Nouerant vtique sodales Sponsæ ipsam cãdidam, & pulcherrimam, postea verò mirabantur eam iam nigram redditam, quibus ipsa respõdit Cantic. 1. *Nolite me considerare* (idest mirari) *quod fusca sim, quia decolo-* *rauit*

7. Reg. 19.

Cant. 1. num. 6.

rauit me Sol; quod D. Bernard. serm. 28. in Cantic. in fin. sic explicat. Decolorauit me Sol, sui nimirum comparatione splendoris, dum appropians illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam despicio, &c. Decolorauit vtique eam Sol iustitiæ, vt omnem prorsus se iactandi, & efferendi occasionem auferret, sicuti facere consueuit cum suis, quos deprimit, ne in propriam ruinam eleuentur. Clarius adhuc locutus est in nostrum argumentum Placidus Nigidus dicens: Decolorauit me Sol. Communes quasdam rationes me subire faciens iusto iudicio, & per eas ad humilitatem, & humiliationem inuitans. Sic vtiq; pulchras, perfectásque animas ipsemet Diuinus Sponsus, & Sol torue intuetur, ac despicit, sicut habent L X X. Alij vt Aquila, Theodot. comburit, ac torrefacit: ne gloriantes de spirituali pulchritudine eam amittant, sed se nigras agnoscentes humilientur, ac caput superbientis draconis conterant, & conculcent.

Hinc iam liquet agnoscere imperfectionem Ezechiæ, dum se perfectum arbitratur, & prædicat coram Deo, cui omnis arrogantia admodum displicet, & humilitas summè placet; proindéque tum illi placuit Deus, cum se peccatorem confiteretur, dicens: *Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea*; qua in re nos ipsum imitari debemus, vt dimissa nobis à Deo peccata gratulemur, nosque peccatores, & sceleratos confiteamur potius, quàm iustos, vt veram iustitiam possimus à Deo impetrare, & impetratam conseruare.

***

ANNOTATIO II.

Bona, quæ facimus, reijcienda post terga, ob oculos verò peccata ferenda; quod totum monet Deus, dum peccata nostra post tergum reijcit.

POstquam hucusque ostendimus qualiter nobis noceat præsumptio, & elatio in operationibus virtutum, quantáque humilitate opus sit, ne illarum meritum, & coronam amittamus, superest, vt in præsenti prosequamur, quanam ratione occurrendum erit arrogantiæ innatæ virtutibus, & amplectenda humilitas virtutum custos. Id igitur non aliunde melius eliciemus, quàm ex eo, quod Deus propterea peccata nostra post tergum proiicit, docens nos ea perpetuo habere præ oculis, vt lugeamus, & caueamus; at è contra virtutes, & si quid rectè gerimus, id post tergum abiiciendum, & omnino tradendum obliuioni, & despectui habendum; quod optimè prosequitur August. lib. 50. homil. homil. 2. ad med. vbi ait: Qui de animæ suæ salute attentius cogitant, bona, quęcumque fecerint, post dorsum proiiciunt; mala autem, quæcumque surrepserint, ante oculos ponunt: & dum de ipsis in præsenti seculo erubescunt, & vulnera curare, & mortua suscitare, & sordida abluere, tota fidei deuotione contendunt: cum in die ante tribunal Christi venerint, mala, quæ ante faciem suam posuerunt, & bonis operibus redempta sunt, auferentur: bona, quæ propter vanitatem post dorsum proiecerint, ante oculos collocabuntur.

cabuntur. Veniet Dominus Deus noster,& non silebit, & tunc arguet, quando correctionis locus non erit.
Psal. 94. num. 21. *Statuam te*, inquit Psal. 94. *ante faciem tuam*. Modo ergo quisquis talis es, fac quod tibi minatur Dominus facere: tolle te de dorso tuo, vbi te videre non vis, dissimulans à factis tuis,& constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ. Esto tibi iudex: torqueat te timor, erumpat confes-
Psal. 50. num. 3. sio; dic Deo tuo: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper*; quod erat post te, fiet ante te, & cùm factum fuerit ante te, puniatur à te, ne tu ipse postea à Deo iudice fias ante te,& non sit quò fugias à te.

Rem illam magnam, & penitus præ perfectione sua innominatam, quam fecit Abraham, dum iussus filiuum suum immolare, festinauit propria manu iugulare, quod nunquam satis laudant Sancti Patres, voluit quidem ipse, vt Deus videret, vnde Genes. 22. appellauit nomen
Gen. 22. num. 14. loci illius, *Dominus videbit*. Vbi Hebræ. Chaldæus,& Peter. Dictus est, inquiunt, mons hic, Dominus videt, quia Dominus in hoc monte vidit afflictionem, obedientiam, & sacrificium Abrahæ, illudque acceprauit. At ipse factum celebre post terga reiecit, dum post terga testes, qui possent adesse, reliquit, dicens: *Expectate hic cum asino: Ego, & puer illuc vsque properantes*, &c. Quod bene expendit Philo libr. de Abraham post med. vbi explodit rationes alias, quibus fortassis ducti aliqui parentes proprios filios immolarunt, & inter cætera sic ait: At laudis apud vulgum parandæ cupidine ad hoc facinus concitatus est? At quæ laus captabatur in solitudine, vbi nemo erat applausurus: data opera, longè à tergo relictis etiam duobus famulis, ne se coram testibus ostentare videretur? Sic ille ostendit Abrahamum insigne illud opus, quod præstare intendebat, post se reiecisse, cum testes remouet, ac post se remanere præcipit, ne aliqua ex tanto facto inanis gloria subreperet; vbi minimè omittenda sunt, quæ præclarè scripsit Seneca longissima illa Epist. 95. in fin. vbi ostendit veram virtutem abstrahendam esse à cœtu hominum, quos ambitio, & vana gloria quærit, cuiusque laude fucata virtus delectatur, ita vt semotis testibus, nemo ad aliquid magnum operandum accingatur. Inducenda, inquit ille, est in occupatum locum virtus, quæ nos à populo, cui nimis credimus, separet, ac synceris opinionibus reddat. Hæc est enim sapientia, in naturam conuerti, & eò restitui, vnde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est hortatores insaniæ reliquisse, & ex isto cœtu inuicem noxio procul abiisse. Hoc vt esse verum scias, aspice quanto aliter vnusquisque populo viuat, aliter sibi. Non est per se magistra solitudo innocentiæ, nec frugalitatem docent rura, sed vbi testis, ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari, & conspici fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet, induit purpuram? Quis posuit secretam in auro dapem? Nemo oculis suis lautus est, nec paucorum quidem,& familiarium, sed apparatu vitiorum suorum pro modo turbæ aspectantis expandit. Itaque irritamentum est omnium, in quæ insanimus, admirator, & conscius: ambitio, & luxuria, & impotentia scenam desiderant; sanabis ista, si absconderis. Itaque si in medio vrbium fremitu collocati sumus, stet ad latus monitor, & contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet paruo diuitem, & vsu opes metientem. Contra illos, qui gratiam, ac

potentiam attollunt, otium ipse suspiciat traditum literis, & animum ab externis ad sua reuersum, &c. Rectè hac in re loquutus est Epictetus in Enchiridio cap. 28. dicens: Satis tibi sit in omnibus philosophum te esse; si autem videri etiam vis, tibi ipsi videare, & satis est, &c. Vbi bene operantem remittit ad ipsum, non vt glorietur, sed vt gloriam ab aliis prouenientem omnino effugiat. Melius quidem Author operis imperfecti in Matth. homil. 19. post med. ostendit quantas vires habeat vana gloria ad exercenda opera virtutum, vt inde eliciat vitandam omnino esse huiusmodi vanitatem. Multam dat, inquit, virtutem homini ad laborandum concupiscentia vanæ gloriæ; & si cum indulgentia possum dicere, maiorem dat virtutem homini hipocritæ concupiscentia vanæ gloriæ, quàm fidelibus spes Regni cœlestis; proinde accuratè vitanda quęlibet gloriandi occasio, quæ veræ virtuti opponitur, admodumque officit.

Magna apud Pharisæos inerat vanæ gloriæ auiditas, sicut ipse Christus Dominus proprio ore testatus est, dicens Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria, magnificant fimbrias, amant primos accubitus, salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi*, &c. His similes dixerim, qui opera sua exponunt, & in conspectu hominum faciunt ad eorum laudem aucupandam; ideóque Hieronym. in dictum cap. Matth. ait: Quicumque ita facit quodlibet, vt videatur ab hominibus, & Scriba, & Pharisæus est, &c. Quæ fuit ratio cur Nazianz. maximè commendauerit Patrem suum quod eleemosynas vxori largiendas commiserit, ne si per se eas faceret, aliquod vanitatis vestigium appareret; sic enim habet Orat. 19. ad med. Huic (scilicet vxori) totas largitionis habenas ille permiserat, quæ res, mea quidem sententia, omni exemplo præstantior est; nam animi quidem in pecuniis magnitudinem apud alios quoque facile reperire est, siue ea spectes, quæ in publicas, & vrbanas ambitiones perdite effunduntur, siue quæ Deo per pauperes fœnori dantur; solæque iis, qui eas expendunt, reconduntur: at qui gloriam ex ea re collectam concesserit, haud ita facilè reperiemus. Permulti siquidē ad sumptus promppto animo faciendos sola honoris cupiditate ducuntur; vbi autem largitio arbitris caret, ibi quoque largitio languescit, & obtunditur. Cum ergo hoc ita se habeat, támque innatus sit homini gloriæ, & laudis appetitus, ille profectò veram animi sui testatur virtutem, qui quod rectè, aut laudabile operatur, post terga remittens despicit, ne de illo glorietur; oculósque, & mentem in solum Deum dirigens, ab eo tantùm laudem, & coronam quærit; laudes verò hominum, ipsorumque conspectum omnino effugit, sicut fecisse Abrahamum diximus, dum testes futuri sacrificij post se reliquit, & vlterius ad videntem Deum progressus est.

Matt. 23. num. 5.

Videndus in hanc sententiam est Philo lib. quod deterior potiori insidiari soleat non longè à princip. vbi errare prorsus ostendit eum, qui in via virtutis, dum rectè operatur, aliqua laudis cupiditate effertur, & extollitur; idque figuratum esse vult in eo, quod dicat sacra Scriptura Gen. 37. *Inuenit eum (scilicet Ioseph) vir errantem in agro.* Declarans, inquit ille, quod non labor per se, verùm coniunctus cum arte res bona sit. Ergo si videris aliquem cibos, potusque serius accipientem, aut lauacrum; vnctionemque recusantem, Gen. 37. num. 15.

aut

aut negligentem operimenta corporis, aut humi cubantem, malovè tecto vtentem,& posteà placentem ob hanc temperantiam, miseratus eius errorem ostende veram viam temperantiæ, nam quæ hactenus excreuit, inutiles vexationes sunt, fame, aliísque afflictionibus,& corpus opprimentes,& animam. Sic Philo errare prorsus ostendit, & se penitùs perdere illum, qui sibi ob virtutum operationes complacet, eásque præ oculis habet, vt de illis arroganter præsumat. Vbi recolenda est doctrina Chrysost.homil.5.in Genes.in fin. cum petita similitudine seruorum ludentium coram Regibus terræ, aperit, & illustrat quid facere debeamus,vt Regi Regum placeamus. Non vides,inquit, in equorum ludis quomodo hi, qui equos agitant,non aduertunt plausum populi assidentis,& celebrantis,neque ex eo plausu voluptatem capiunt,sed ad vnum solum spectát Regem, in medio sedentem, & ad nutum illius attendentes,totam multitudinem despiciunt, & tunc solùm omnino extolluntur, cùm ille eos coronauerit. Hos igitur & tu imitaberis,non magni momenti facito hominum famam, neque propter eam exerceas virtutem, sed à iusto Iudice sententiam expecta, & ad illius nutum contentus esto; is, qui vt ab hominibus gloriam venetur, quid boni operatur? Satis hic retributionis accipit, & alibi nihil accipiet præmiorum. Contrà si propter hoc solum operemur spiritale aliquod bonum,vt placeamus oculo illi soli,qui sopiri nescit,& cui nuda, & aperta sunt omnia, thesaurus noster indeprædabilis, & incorruptæ retributiones, & suauis expectatio manebunt,&c.

Virtus, inquit Plinius lib.1.Epist. 22. nihil ad ostentationem, omnia ad cõscientiam refert, rectéque facti non ex populi sermone mercedem, sed ex facto petit,&c. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, cum mortem obiret in portu,qui Menelai dicitur, teste Plutarch.in eius vita,seriò mandauit his, qui aderant, ne quam vel statuam, vel imaginem in suum honorem erigerent, inquiens: Si quod præclarum facinus gessi, hoc erit monimentum mei; sin minus, ne omnes quidem statuæ, cum sint vilium, ac nullius rei opificum opera,&c.Bene Socrates apud Stobæum. Inanes vtres ventus inflat; sic stultos homines opinio.Videndus Plutarch. lib. de Profectu morum, vbi inter alia ait:Spicæ,quæ ob leuitatem sursum tendunt, inanes esse creduntur ita Philosophastri quidam vani,nihil habentes ponderis, aut grauitatis, elato sunt animo,& in habitu,incessu, vultúque nihil,præter merum fastum aliorúmque præ se contemptum produnt. Agricolis iucundum est videre spicas inclinatas ad terram, & nutantes,&c. Et iterum eodem lib. Quemadmodum ex vasis liquorem aliquem recipientibus aër inanis expellitur, sic qui in philosophiæ studiis veris implentur bonis, fastum exuunt,&c.

Manna cœlitus datum si ad solem proponebatur, euanescebat, ad ignẽ verò applicatum conseruabatur,iuxta illud Sapient. 16. *Ab igni non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*; quod ad rem præsentem sic conuertit Author Cosmopeiæ fol.102. dicens: Opera, quæ per cœlestem gratiam fiunt, si soli huius mundi apponantur, ita vt eius gloriam per eam captare voluerimus,tunc omnis amittitur fructus; si autẽm ad ignem Diuini amoris applicentur, omnia ei referendo, tunc certè progressus multos faciemus. Sic ille ostendit vitandos oculos mundi,& occultanda bona opera

Sap. 16. num.27.

 nostra,

noſtra, ne inutilia per eorum complacentiam,& gloriam reddantur.

Aderant quidem turbæ ſequentes Chriſtum Dominum, quas mirabiliter pauit, imò & ſaturauit de quinque panibus, & duobus piſcibus;editurus verò miraculum oculos à panibus,quos multiplicaturus erat, & à multitudine eleuat, ac in Cœlum coniicit, facto docens nullatenus ob oculos proponenda eſſe opera præclara, quæ gerimus, ſed totam mentem, animique oculos ad Deum referendos,illius agnoſcentes potentiam,gratiam, & virtutem;qua adiuti ea operamur. Prædictum ergo miraculum pertractans Chryſoſt. homil. 41. in Ioan. in med. ait: Quid tandem, cùm ſanaturus eſſet Paralyticum, cùm ſuſcitaturus mortuum, cùm maris ſedaturus tempeſtatem non agit gratias, hic agit? Multitudo magna aderat, quam perſuaderi oportebat Diuina id fieri voluntate. Quamobrem cùm ſolus facit ſigna, nihil eiuſmodi dicit;præſente autem multitudine,ne Deo, & Patri aduerſati putaretur, gratias agendo omnem penitus aufert ſuſpicionem,&c. Occurrendum vtique elationi, & poſtponenda,quæ recta facimus,maximè cùm teſtes adſunt, vt tota gloria, & laus, in primum totius virtutis fontem refundantur, ad quem ſi oculos conuertamus, ita abſorbebimur ab illa luce, vt iterum ad nos ipſos conuerſi minimè nos, noſtráque intueri poſſimus; nam ſicut dixit Nazianz Orat.7. ante med. Deus aliis quidem lux, aliis ignis eſt, &c. Imperfectis quidem ignis conſumens eſt, imperfecta quæque abſumens, & deuorans; perfectis verò lux inacceſſibilis quoſque perſtringens oculos, ne apud ſeipſos quid imperfectum intueri,& contemplari valeant. Minimè itaque debemus gloriari de operibus virtutum,neque eorum laudem vſurpare, aut in propriam elationem ante oculos gerere,ſed ſicut Deus peccata noſtra poſt terga reiicit;ita & nos debemus quæcumque rectè operamur poſt terga reiicere, quæ autem mala commiſimus ante oculos noſtros verſare.

Ioan. 6. num. 11.

Inculcauit hoc Chriſtus Dominus Matth.6.cum dixit. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis:alioquin mercedem non habebitis apud Patrẽ veſtrum. Cum ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis,receperũt mercedem ſuam.* Quem locum optimè verſat Auguſt. ſer.59. de tempore poſt med. in hunc modum. Cauete iuſtitiam veſtram facere coram hominibus, ideſt, hoc animo iuſtè viuere, & ibi conſtituere bonum veſtrum,vt vos videant homines. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum:non ſi ab hominibus videamini, ſed ſi propterea iuſtè viuatis, vt ab hominibus videamini. Nam & Apoſtolus dicit Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*, cum alio loco dicat:*ſicut & ego omnibus per omnia placeo*, 1. Corinth. 10. omnem curam rerum præſentium amouet, & attentos tantùm eſſe in ſpe futuri iubet, neque ſectari, vel hominum fauorem oſtentatione bonitatis, vel iactantiam Religionis orationis publicæ copia, ſed intra conſcientiam fidei fructum boni operis continendum, quia humanæ laudis ſectatio eam tantùm, quam ab hominibus expectat, mercedem ſit receptura. Non itaque virtus, ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet. Signanter autem dicit. *Receperunt mercedem ſuam*, hoc eſt, non Dei, ſed ſuam; laudati enim ſunt ab hominibus, quorum cauſa exercuere virtutes. Te autem faciẽte eleemoſynam, neſciat

Matth. 6. num. 1.

Galat. 1. num. 10.

1. Cor. 10. num. 33.

nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. In dextera intelligitur amor Dei, in sinistra vanitas, vel cupiditas mundi. Si pro humana laude dederis eleemosynam, totum est sinistra; si verò pro remissione peccatorum, totum dextera facit. Quid est ergo, nesciat sinistra quid faciat dextera, nisi quod facit Dei amor, non corrumpat inanitas, vel cupiditas mundi? Multi faciunt eleemosynam, & intus non faciunt; qui vel ambitione, vel alicuius rei temporalis gratia misericordes volunt videri; *& Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi.* Rectissimè omnino, & verissimè. Si enim præmiũ ab eo expectas, qui cõscientiæ inspector est, sufficiat tibi ad promerendum Deum ipsa conscientia. Neque ab hominibus videri nefas est, sed ideo hæc agere vt videaris, & fructus in eis expectetur placendi hominibus. Sic August. ex Christi doctrina docet quomodo vitanda sit hominũ laus, & oculus animæ nostræ, idest intentio, in Deum collocandus, vt illi soli placere velimus, nõ nobis, aut hominibus. Quam doctrinam iterum explicat ser. 60. de tempore post princip. vbi duo loca, quæ videntur opposita conciliat, primum quidem ex Matth. 6. iam allatum: *Attendite ne iustitiam vestram*; alterum ex Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videantur opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ait ergo August. Non sibi ipse Dominus in Euangelica lectione contrarius esse potest; nam quia eleemosynam & occultè fieri ipse dixit, & publicè ipse admonuit, vt sibi præcepta eius non videantur esse contraria, intellectum sobrium quærit. Qui enim ideo facit eleemosynam, vt ab hominibus se laudari desideret, etiamsi occultè fecerit, publicè facit, quia laudem ab hominibus quęrit. Qui verò eleemosynam pro solo amore Dei facit, vt ad opus bonum illum reliqui imitentur, & non ipse, sed Dominus collaudatur, etiamsi publicè faciat eleemosynam, absconsè facit, quia pro eleemosyna illa non hoc, quod videtur, sed quod non videtur desiderat, nec ab hominibus laudem, sed mercedem à Deo optat accipere. Cum enim ipse Dominus dicat. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ieiunans hominibus.* Ergo contra Christi præcepta facimus, qui publicè ieiunium indicimus? Et in hoc sensu oportet intelligi, vt nemo pro laude humana, sed pro peccatorum indulgentia, vel pro misericordia Diuina ieiunet; & vnusquisque interroget conscientiam suam, & si pro solo Deo facit eleemosynam, securus, & publicè faciat, vt quicumque viderint, imitentur. Quid est ergo, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*, nisi quod facit amor Dei, non corrumpat, aut perdat vanitas, vel cupiditas mundi? Nam si hoc aliquis secundum literam impleri posse credit, quid faciet, si ei manus dextera doluerit?

Matth. 6. num. 1. — Matth. 5. num. 16. — Matth. 6. num. 17.

Vnde constat minimè nos debere gloriari de virtutum operibus, eorúmve laudem vsurpare, ac ea ante oculos gerere, imò sicut Deus peccata nostra post terga reiicit, vt absoluat, sic & nos, vt tantum debitum supremo Domino soluamus, quæcumque rectè operamur, post terga debemus reiicere: quæ autem mala commisimus coram nobis iugiter versare, imò, & ante oculos omnium proponere, vt de illis erubescamus, & per talem verecundiam corrigamur, quod expendit August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. in princip. in leprosis, quos iussit Sacerdotes conuenire, dicens: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Luc. 17. Docens, inquit August. corporali præsentia

Luc. 17. num. 14.

ſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcripta manifeſtanda. Dixit enim, ora monſtrate, & omnes, non vnus pro omnibus. Non alium ſtatuatis nuntium, ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis; ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, vt neminẽ pœniteret in occulto. Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominãs nihil eorum, quæ cõmiſit, nuntio Dei denegauit. Deus enim miſericors, & iuſtus eſt, ſicut conſeruat miſericordiam in iuſtitia, ita & iuſtitiam in miſericordia. Opus enim eſt miſericordiæ peccanti peccata dimittere. Sed oportet vt iuſtus miſereatur iuſtè. Oportet enim vt non ſolùm quid, ſed in quo doleat, conſideret, ſi dignus eſt, non dico iuſtitia, ſed miſericordia. Sed dignus eſt miſericordia, qui ſpiritali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubeſcentiam; & quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit proximo, fit dignus miſericordia. Et cap. 13. ſtatim poſt princip. ait: Semper doleat, ſemper coram Domino, ante quem peccauit, erubeſcat, dolorem cum vita finiat.

Hæc eſt ratio, cur Deus poſuerit Adamum poſt peccatum è regione Paradiſi, ſicut in alio ſenſu iam ſuperiùs aduertimus, & ad rem noſtram ponderat Theodoret. q 40. in Geneſ. Vt priſtinam vitam, inquit Theodoret. dolore carentem in memoriam reuocans odio proſequeretur peccatum, tanquam authorem laborioſæ vitæ, &c. Idémque fuit proponere ante oculos Adamo paradiſum, atque velle vt perpetuò peccatũ ſuum contemplaretur, & coram ſe haberet. In quam ſententiam facit, quod

1. Reg. 17. num. 1. eleganter notauit Beda in lib. 2. Reg. cum ponderat verba illa. *Porrò Saül, & viri Iſraël venerunt in vallem Therebinthi.* Therebinthus, inquit ille, arbor eſt lacrymas, & reſinam præſtantiſſimam manans, quæ diſſoluta quæque coniungit, & ſciſſa cõglutinat: talis autem eſt ea anima, à cuius memoria nunquã excidit vetus peccatum; ſe enim adglutinat, & coniungit Deo, ne vlteriora adhuc incurrat ſcelera. In quam ſententiam etiam facit Hugo, cùm exponit verba illa Pſal. 106. *Dicant qui redempti* Pſal. 106.
ſunt à Domino, quos redemit de manu num. 2.
inimici. Vbi docet eos, quibus à Deo ſunt remiſſa peccata, adhuc ea debere dicere, & referre Domino, recognoſcendo veniam impetratam Diuina miſericordia, ac liberalitate conceſſam, quaſi non ſatis ſit ſemel ea dicere, & confiteri, ſed iugiter adhuc poſt veniam Deo ſint referenda, & confitenda; quod etiam docet Gregor. in Pſal. 37. *Iniquitatem meam* Pſal. 37.
annuntiabo. Veræ humilitatis, inquit, num. 19.
teſtimonia ſunt & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis nuntiare, & nuntiatam pœnitentiæ ſatisfactione delere. Videndus idem Gregor. in 1. Reg. cap. 14. vbi dicit nullatenus minuenda peccata quibuſdam vocibus, ſed vt magna pronuntianda. Quod etiam proſequitur Cyrill. lib. 3. in Leuit. cùm ponderat verba illa: *Pronuntiet peccatum, quod peccauit.* Addit vero Dauid: *cogitabo pro peccato meo.* Vbi Hieron. *Sollicitus ero.* Auguſt. *Curam geram.* Vbi, vt vides, de futuro loquitur, & pollicetur Dauid ſe ſemper ſollicitum fore de peccatis ſuis etiam dimiſſis, ne vnquam illorum obliuionem ſubeat, qui alibi dicit peccatum ſuum ſemper coram ſe habere. Multum ſiquidem prodeſt peccatoribus (inquit Hieronym. tractans illud Ezech. 16. *Fili hominis no-* Ezechiel. 16. num. 1.
tas fac Hieruſalem abominationes ſuas) ſcire quid fecerint.

Optima

Optima sunt, quæ habet Euseb. Emissen.hom.de Pœnit.Ninivitar.in fin. vbi ait: Beatus, qui hic mala sua deflere, qui hic debita sua festinet euoluere;& innocentiam, quam iam non potest reparare per baptismum, recuperare studeat per summum pœnitentiæ fructum. Qui placiturus est Deo,ipse sibi displicet,ipse sibi quodammodo sub priuatæ cognitionis sententia & testis,& accusator,& iudex est. Sed ad tales meritò ipse Dominus loquitur: *Non iudicabo bis in idipsum*, idest, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscam: quod tu tristis accusas,ego lætus absoluam:quod tu recordaris in publicum, ego obliuiscar in æternum. Et quia per pœnitentiam tuã præuenisti sententiam meam, recondam gladiũ meũ,ac me quidem ad remunerationum tempora reseruabo.Ergo charissimi vnusquisq; respiciens se, arguat intra se gesta improba,& ante se cõstituat peccata sua,pronuntians cum Propheta;*& delictum meum contra me est semper*. Ante vos sit, vt contra vos esse non possit.Illud cõuersatio obliuiscatur, vt compunctio recordetur. Ita illud reatus cõfessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat.Ita viuat in conscientia, vt moriatur in vita.Sic ille sermonem claudit.

Facit in rem præsentem Gregor. 2.Mor.c.22.post med.vbi interpretatur verba illa Christi Domini Ioan.9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident,videant,& qui vident, cæci fiant*. Quorum verborum sensum vult esse,quod Christus Dominus ad hoc venit in mundum, vt proiiciens post terga nostra peccata, ea nobis proponeret,qui eũ sequimur,ac proinde iudicium de nobis peccantibus faciamus dolendo,lugẽdo, & iugiter pœnitendo; inde enim fiet,vt qui in tenebris,& vmbra mortis sedebamus post peccatũ,iam deinceps in lumine

Ioann 9. num. 29.

Dei nostri ambulemus, & semitas iniquitatis contemplãdo melius post semitas Dei nostri ad Patriam pergamus,longè aliter autẽ eueniet iis,qui de se præsumentes Diuinũ ducatum respuunt,confidentes in iustitia propria.Hoc autem adumbratum vult in columna ducente filios Israël de Ægypto,quæ sequentibus illã lucidum monstrabat iter,& splendentem proponebat viã; sic ergo habet de Christo loquẽs.Saluandis se peccatoribus dedit: dumq; eos,qui sibi iusti videbantur,deseruit: hos,qui se iniustos & fatebantur,& nouerant,assumpsit. Hinc ipse in Euangelio dicit: *Ego in iudicium veni in hunc mundũ,vt qui non vident,videant;& qui vident cæci fiant.* Hinc & colũna nubis,quæ in eremo populũ præibat,splendore ignis non in die,sed in nocte radiabat: quia videlicet Redemptor videtur suæ conuersationis exemplo,ducatũ sequentibus præstans, de iustitia sua confidentibus, nulla luce claruit:peccatorũ verò suorũ tenebras agnoscẽtibus, ignẽ sui amoris infulsit. Sic ille ostẽdit quomodo qui post se nos abire præcepit,qui etiã peccata nostra post terga abiecit, ea nobis proponat sequentibus se, vt agnoscentes doleamus,& lugeamus,diuinitúsq; ab ipso illustremur pro cõprehendenda terra promissa æterna scilicet beatitudine.

Est aptus in hanc sententiam locus ille Numer.21. vbi mittens Deus ob murmur populi ignitos serpentes;in medelam morsorũ iussit fieri serpentem ęneũ,& poni pro signo,quẽ cùm percussi aspicerent,sanabantur:quod ad rem præsentem satis congruenter aptat Cæsar.Arelat.hom.3.de Pascha post med.dicens:Etiam modo,medelam si volumus,nobis cõtra morsum serpentis,viso serpẽte cõfertur,quod túc euidẽter impletur, quãdo peccatũ ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis cõfessione abole-

Num.21. num.9.

 tur.

tur. Ac sic homo quando dixit cum Propheta, quoniam iniquitates meas ego cognosco, & delictũ meũ contra me est semper, quando bene respicit peccatũ suum, sanat morsum serpẽtis per serpentis aspectum. Sic ille nobis medelam peccatorum ostendit in eo, quod peccata corã oculis habeamus detestanda, & deploranda, ideóque Dauid dicebat: *Peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 50. Hieron. in c. 6. Ezech. legit: *contra me*, sicque legunt plerique. Chald. *In conspectu meo.* Aug. in Psal. 122. *ante me*, alludens fortasse ad id, quod post se proiiciat peccata nostra, ideóq; ille ante se habere vult. Sed audi quomodo ex dicto loco argumentatur. Non Domine, ait, non erit impunitum peccatum meũ, noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam: nõ impunitum erit, sed ideo nolo, vt tu punias, quia ego peccatum meum punio, ideo peto vt ignoscas, quia ego agnosco, &c. Vide hominẽ se agnoscentem post indulgentiam, post remissionẽ confitentem, & peccata sua ante se iugiter ferentem, post deletionem in vas ad portandum Dei nomen, Paulum scilicet. 1. Tim. 1. qui de se ait: *Gratias ago ei, qui me confortauit in Christo Iesu Domino nostro, quia fidelẽ me existimauit ponẽs in ministerio. Qui prius blasphemus fui, persecutor, & contumeliosus*; vbi Chrysost. homil. 4. ait: Intuere diligentiùs quanto se deiiciat studio, quàm nõ sit amator sui, quàm non se palpet, vtque humilem possideat mentem. Non sufficiebat se appellasse blasphemum, nisi etiam persecutoris sibi crimen iniungeret, rursumq; idipsum persecutionis augeret malum, &c. Meruit vtique vt Deus ipsum præ oculis haberet, & magnificaret in Ecclesia, qui præ oculis semper peccata sua habebat, & qui ante se perpetuò portabat scelera sua, meruit portare nomen Domini coram gentibus & regibus, &c.

Psal. 50. num. 5.

1. Tim. 1. num. 13.

Vnde iam innotescit quantũ conducit ad iustitiam, & perfectiõnem cõmissa peccata iugiter recolere mẽte, & memoria versare; iuxta celebre Petri exemplũ semper tota vita peccatum suũ deflentis audito galli cantu, & sanè sicut dixit Lactant. lib. 6. Diuin. Inst. c. 24. Is, quẽ facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit, menteque versat, ac reuersat. At impiissimus hostis diabolus tanquam Naas, de quo 1. Reg. 11. & sicut Philistæi, quemadmodum habetur lib. Iudic. c. 16. capto cuilibet, & in ditionẽ suam redacto, oculos eruit, vel obturat, mentemque omnino excæcat, ne deinceps turpitudinem peccati intueri, & contemplari valeat. Quod bene aduertit D. Paulin. ad Cythericũ explicans & excæcationem Samsonis, & capillorum rasuram, cum ait.

1. Reg. 11. num. 2.

Iudic. 16. num. 21.

Excæcat oculos mentis, & radit caput,
Spolians, & exarmans fidem, Dalila.

Id namque nititur diabolus à suis exscindere prius, scilicet, cogitationes, ne de Deo, deq; beatitudine cogitet: oculos insuper eruit, ne scelerũ turpitudinem & supplicium cogitare valeat, sed securus, & obliuiosus dormiat; cùm tamen dicat Ecclesiast. c. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adiicias peccatum super peccatum.* Græc. *De propitiatione non sis securus multum, vt adiicias peccata peccatis*; vbi Iasen. ait: Dupliciter intelligi potest, quod monet; ne simus sine metu de propitiatione peccatorum: nam accipi potest de propitiatione obtenta, vt significet etiam obtenta remissione peccatorum non debere hominem minus esse securum, sed adhuc metuere debere, siue propter periculum relapsus, siue quod de remissione nõ sit omnino certus, quia nescit homo vtrum odio an amore dignus sit, siue etiam quod remissione impetrata digna pœnitentiæ opera sint in timore Dei peragenda, quo temporalẽ vltionem

Eccles. 5. num. 5.

nem etiam dimissis peccatis debitam effugiamus. Secundò intelligi potest de propitiatione, & venia obtinenda, vt significetur neminè nimis securũ esse debere de remissione cõsequenda, quasi ea facillima, & cum quis voler, etiamsi nõ pœniteat, obtineatur, cùm ea singulari Dei gratia donetur, & plerisque non contingat, nec nisi pœnitentibus, &c. Vtroq; igitur modo locus intelligatur, monet peccata semper cogitatione, ac dolore versanda, neque per securitatẽ post terga reiicienda, etiamsi dimissa sint à Deo, nec eorum amplius ipse recordetur. Ipse obliuionem pollicetur nostrarũ impietatum pro nostra earundem recordatione; vnde Isai.43. dicit: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorũ tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam:* vbi L X X. habent: *Tu verò memento*; quod ad rem nostram sic explicat Ambr. lib.2. de Pœnit. c.6. dicens: Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per Prophetam vocauit, dicẽs: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor esto*; hoc est, non reuoco illa quęcumque delicta donaui tibi, velut quadam obligatione tecta sunt; tu autem memor esto. Ego, inquit, memor non ero propter gratiam, tu memor esto propter correctionem: memor esto, vt scias donatum esse peccatum, ne glorieris quasi innocens, &c.

Isai. 43. num. 25.

Optimum hac de re habet documentum August. lib. de Vera, & falsa pœnitent. c.13. vbi ita incipit: Ex fide pœniteat, credat hãc esse medicinam, omnes fructus suæ pœnitentiæ paruos habeat, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccauit, erubescat, dolorem cum vita finiat. Nam si & Apostolus etiam peccata per baptismum remissa continuè plorat, nobis etiam super fundamentum Apostolorum positis quid præter plorare restat? Quid, nisi semper dolere in vita? Vbi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tandiu enim gaudeat, & speret de gratia, quandiu sustentatur à pœnitentia. Dixit enim Dominus Ioan.8. *Vade, & amplius iam noli peccare.* Non dixit; nec pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentia custodiatur? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, si contigerit, semper doleat. Et non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, & nõ semper doluisse doleat. Sic Aug. cui suffragatur Chrysost. hom.5. de Pœnit. vbi versat locũ illum Isai. in c.1. *Auferte malũ de cordibus vestris à conspectu oculorum meorum*, sic enim habet. Quoniam secus, atq; aliter hominum oculi vidẽt, & aliter Dei oculus videt; homo in facie, Deus in corde; decet nos purgatos à peccatis eadem ante oculos habere peccata; pro tuæ animę stabilitate, & salute habe ante oculos peccatum, etenim præcedentium memoria, futurorum cõtinentia fiet: propterea Dauid, peccatum enim, inquit, contra me est semper: quia ante oculos habens pręcedentia, in futura minus defluĩs. Quod verò hunc ipse à nobis Deus expetat statum, ipsum audi dicentem Isai.43. *Ego sum, qui deleo peccata tua, & non recordabor, tu autem recordare*, &c.

Ioann. 8. num. 11.

Isai. 1. num. 1.

Isai. 43. num 25.

Optima sunt, quæ habet Gregor. in Psalm.50. ibi: *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Quia peccata sua, inquit Gregor. semper habet præ oculis, meritò rogat, vt Deus faciem suam auertat ab ipsis. Superiùs nempe Propheta dixerat: *Peccatum meum contra me est semper.* Qui ergo peccatum suum semper videbat, cõtinuum pro eo dolorem in corde gestabat,

Psal 50. num. 11.

& ideo oculos ab eius peccatis Deus auertit, quia ipse illud sine cessatione animaduertit. Non enim Deus corũ peccata vlciscitur, qui in occulto cordis de prauorum operum memoria affliguntur. Qui nimirum ad hoc semetipsos iudicant, vt terribile Omnipotentis iudicium euadant, iuxta
1.Cor.11. num.31. illud Apostoli 1.Cor.11. *Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.* At contrà reprobi quia ea, quæ commiserunt, nequaquam conspiciunt, actus suos à conspectu Iudicis non abscondunt. Et quantò magis errores suos ipsi considerare refugiunt, tantò magis eos conspectui Diuinæ maiestatis opponunt. Delinquentium autem mala Deus videt, non vt approbet, sed vt condemnet: non vt foueat, sed vt puniat: non vt semper patiatur, sed vt in iudicio vlciscatur. Consideremus ergo mala, quæ fecimus, & ea ante mentis oculos sine intermissione ponamus: ne cùm ante Iudicis illius cõspectum venerimus, tunc primum quidquid gesserimus nolentes videamus. Impœnitente enim Deus terribiliter minatur dicens Psalm.49.
Psal.49. num.21. *Existimasti iniquè quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciẽ tuam.* Similis tui essem, si peccatum tuum impunitum dimitterem. Tu enim non solùm non vis punire illud, sed sed & post tergum proiicis, ne possis videre. Sic ille ostendit quomodo iusti ante oculos suos habeant peccata lugenda & detestanda; impij verò post terga reiiciant obliuiscenda.

Præclara item sunt, quę habet idem Greg.lib.25. Moral.c.6. vbi ita incipit: Debet vniuscuiusq; mens & causas suas apud Dominum; & causas Domini contra se sollicita inquisitione discutere. Debet cautè pensare vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuẽdo responderit, quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Vnde bene Salomon ait Prouerb.12. *Cogitationes iustorum iudicia:* metuunt in his, quæ se egisse meminerunt, & puniunt flendo quod perpetrasse se intelligunt. Vident enim videri diuinitus, quod ipsi in se per humanitatẽ non vidẽt. Ibi aduersum se quidquid se impugnat, enumerãt, ibi ante oculos suos omne, quòd defleãt, coaceruant: ibi quicquid per iram districti Iudicis discerni possit, intuentur, ibi tot patiuntur supplicia, quot pati timent. Quia ergo nunc in potestate est internũ mentis nostrę contra nos subire iudicium, recognoscendo accusemus nosmetipsos, & quales fuimus, pœnitendo torqueamus, non cessemus dum licet iudicare quod fecimus. Reproborũ namque esse proprium solet semper praua agere, & nunquam quę egerint retractare, &c. Prou.12. num.5.

Proponendæ itaque nobis sunt à nobis proprię iniquitates, vt & ab eis mereamur absolui, & absoluti grati simus Indultori, nec in alias denuò relabamur, dum pristinarum recordamur, vt caueamus, & euitemus, & nouam promereamur gratiam, qua occurrentia mala superemus. Semper tamen recolendum erit in huiusmodi memoriam peccatorum, ne per illorum recordationẽ, & reductionem in mentem aliqua obrepat delectatio, aut contagium pristinæ impietatis adhæreat, quod bene docuit Pynufius apud Cassian. collat.20.cap.9. statim post princ. vbi ait: Dum recolis ea, quæ secundùm Principẽ seculi huius siue per ignorantiam, siue per lasciuiã commisisti, vt cõcedam tibi, quod in hac cogitatione posito oblectatio nulla subrepat certè antiquæ putredinis vel sola contagio, necesse est vt retro mẽtem fœtore corrũpat, & spiritualem virtutum flagrantiam, idest, suauitatẽ boni odoris excludat. Cum ergo præteritorũ memoria vitiorum pulsauerit sensum, ita ab ea resilien

resiliendum est, sicut refugit vir honestus, & grauis, si impudicæ, ac procacis fœminæ in publico, aut colloquiis, aut amplexibus appetatur. Qui vtique nisi se à contactu eius festinus abstraxerit, & vel breuissimam moram inhonestæ confabulationis admiserit, etiamsi consensum impudendæ respuat voluntatis, infamiæ tamen, ac reprehésionis notam cunctorum prætereuntium iudicio non euadit. Ita igitur etiam nos oportet cum fuerimus in huiusmodi cogitationes pestifera recordatione deducti, raptim ab earum contemplatione discedere, & implere illud, quod à Salomone præcipitur: sed exili, inquit, noli demorari in loco eius; neque intendas oculum tuum in eam, ne videntes nos Angeli immundis, ac turpibus cogitationibus inuolutos, non possint de nobis prætereuntes dicere. Benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini, &c. quæ in eandem sententiam prosequitur.

Optimè in eundé sensum ait Author. lib. de Contritione cordis apud August. tom. 9. c. 4. ad medium. Anima mea ante omnia te sicut matrem virtutum moneo, ne in recordationibus malorum tuorū alicuius diaboli laqueos incurras, quos multi incauti incurrunt, quando de malis suis, quasi pro eis plorátes, ante mentis oculos reducūt, & per easdem recordationes in ipsas malorum delectationes insipienter incidunt, &c.

Sic proinde adducenda sunt in memoriam priora peccata, vt dolore quidem, & lacrymis percurrantur, & conterantur, nullúsque delectationi supersit locus, aut lætitiæ aditus pateat, sed omnino pœnitentia inuoluantur, lacrymísque ita demergantur, ne vnquam aliquod eorum in nostrum detrimentum caput attollere possit.

ANNOTATIO III.

Dum Deus post terga abijcit peccata nostra, & suam nimiam misericordiam ostentat, & nos docet alienas offensas non præ oculis, sed post terga reijcere.

SVam multam misericordiā non potest melius probare misericors Dominus, quàm scelera nostra, & multas in se offensas post terga remittendo: vnde Bernard. ad verba nostri Textus; *Proiecisti post tergum tuum*, addit, secundum multitudinem miserationum tuarum: in eo autem Deus dicitur post terga reiicere peccata, quod illorum amplius non recordatur vt puniat, nisi denuò alia miser peccator committat; ideo Bernard. de Interiori domo cap. 31. ait: O Domine credo quidquid mihi donare decreueris sic erit, quasi nunquam fuerit; non est quidem Dei ingenium quale hominibus à corruptione naturæ inditum est, cuius enim aliquid errati deprehensum est, aut æterna in eo, aut certè diuturna valet opinio improbitatis. Cæterùm si pœnitentiam peccator aget, in obliuione coram Deo deinceps illius delictum erit.

Leuit. 1. circa oblationem holocausti præcipiebat Deus vt offerendam victimam offerens poneret manum super caput hostiæ, vt acceptabilis esset, qua quidem impositione testabatur pœnas sibi debitas à se per Dei misericordiam interuentu mactandæ hostiæ quodammodo transire in ipsam, eámque loco eius occidi, sicut ibi probat Abulens. q. 15. confirmátque ex cap. 16. nu. 10. Leuit. ex Sacerdote magno imponente ma- *Leuit. 1. ver. 4.*

nus super hircum viuum confitendo peccata populi, & precando, super hirco, tandémque emittendo in solitudinem. Quis nesciat holocaustum pœnitentiam adumbrare, qua totus homo ad Deum conuertitur, & offeretur? Huius igitur interuentu ita Deus peccata nostra post terga remittit, ac si in alium ea transferret, & non esset ille, qui pœnituit, qui talia commiserat peccata, sed alius, cuius omnino abolita, & abluta, ac ablata, sunt peccata.

Et hoc sanè videtur illud Salomoni absconditum, & occultū Prouerb. 30. natura, scilicet, mulieris
Prou. 30. num. 20. adulteræ, *quæ comedit, & tergens os suum dicit; non sum operata malum*; quæ verba ad rem præsentem aptat Ambros. lib. de Salomone cap. 4. dicens: Meretrix ista Ecclesiæ typus est aliquando in gentibus constituta, idolorū cultibus vitiata: hanc posteaquam Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit, & nominis accipit per gratiam fidei, post meretricem fit virgo, quia vni se destinauit sponso, &c.

Ecce quomodo Deus proiiciat peccata post terga, vt simul etiam & peccatoris nomenclaturam auferat, ac misericordia sua omnia prorsus absorbeat, & euacuet peccata; in tantum, vt nullam coram se pristinæ impietatis memoriam admittat, quod adhuc in sacrificiis victimarum acutè obseruat Philo lib. de Victimis ante med. vbi aduertit Deum sibi iussisse offerri renunculos, & adipem & fibram iecinoris; cordis verò, ac cerebri nullā omnino mentionem factam, cùm tamen præcipuæ, ac principes partes sint corporis humani, è quarum altera animales, ab altera profluunt vitales spiritus. Hoc ideo à Deo dispositum arbitramur, quia ille, qui præ benignitate sua post terga proiicit peccata, neque illorum officinam in conspectu suo patitur. Miratus sum, inquit Philo, cur ex ea visceratione lex desumens ceu primitias fibram iecinoris, & renes cum adipe, nec cor requirit; nec cerebrum, vtramque sedem principalis partis animæ; nec dubito aliis quoque nonnullis, sacras literas magis mente, quam aspectu perlustrantibus eandem quæstionem occurrere: qui causam probabilem inuenerint, & sibi, & nobis profuerint; sin minus nostrū commentum iudicent, an videatur verisimile. Est autē hoc, principalis nostri pars, capax est iniustitiæ, timiditatis, imprudentiæ, cæterorúmque vitiorum: habitat autem in duabus modo dictis sedibus, corde, atque cerebro. Itaque sacra lex æquum iudicat non oportere ad altare Dei, vbi solet impetrari omnium peccatorum, & iniquitatum remissio, inferri vas illud, & conceptaculum, in quo mens proclinauit ad iniustitiam, ac insipientiam, deflectens à via ducente ad virtutem, honestatémque. Stultū enim fuerit in ipso sacrificio refricari, non aboleri peccatorum memoriam. Et hoc est, opinor, cur neutrum offeratur principalis partis cōceptaculum, neque cor neque cerebrum, &c. Qui igitur à conspectu suo ipsa etiam peccatorum receptacula, & officinas relegandas præcipit, apertè ostendit post se peccata pœnitentis, & se Deo offerentis, omnino proiecisse.

Videndus Chrysost. tom. 5. hom. 3. de Pœnitent. post princip. vbi Ecclesiam confert cum arca Noë, in qua diluuij mortem euaserunt viuentia, quæ ipsam ingressa sunt, & non amisere naturam, neque conuersionem subiere, aliter tamen fit in Ecclesia, interueniente Dei indulgentia, & pietate; sic enim donante, & indulgente Domino, remittuntur peccata,

peccata, & post terga abiiciuntur, vt aliam iã sortiantur nomenclaturam, & antiquo nomine minime censeantur. Arca quidem, inquit Chrysost. animalia suscepit, & animalia conseruauit; Ecclesia verò animalia suscipiens, eadem transformauit, vtputà accipiter illuc introiuit, columba exit; introiuit lupus, & ouis egreditur, ideo ad pœnitétiam assiduo sermone admoneo, sed acerba, & horrida est peccatori: est enim delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lacrymarum impensa, fiducia ad Deum, aduersus diabolum arma, gladius vim eius præcidens, caput eius amputans, salutis spes, desperationis occasus. Tametsi quotidie peccas, quotidie pœnitentiam age. Penitentia Dei clemétia, Deique pietas coniuncta est. Tua malitia mensuram habet; Dei verò clementia, & pietas mensuram non habet. Tua malitia qualiscumque fuerit, humana malitia; Dei clementia, & pietas incircumscripta. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare, aut apparere? Quantum scintilla ad mare, tantum hominis malitia ad Dei clementiam, pietatémque, &c.

Optima sunt, quæ habet hac de re idem Chrysost. hom. 18. ad popul. & Gregor. lib. 9. Epistolarum epist. 39. & Ambros. lib. de Salomone cap. 5. ad fin. qui omnes ostendunt vsque adeo Deum post terga reiicere peccata, & perfectam salutem conferre, vt neque vestigium, aut cicatrix remaneat, quod tamen quomodo sit intelligendum diximus ad Canticum magnum Moysis ad illa verba; *Dei perfecta sunt opera.*

Commendat autem maximè charitatem suam Deus erga nos, dum non semel peccata dimittit, ac remittit post terga, sed iterum, sæpe, ac sæpius parcendo maximè, & miserendo benignitatem suam probat, & ostentat, quod bene ostendit August. tom. 4. lib. de Vera, & falsa pœnitent. cap. 5. statim in princip. vbi argumentatur contra eos qui hallucinari dicebant Deum non amplius, quam semel offensas suas, & impietates nostras dimittere; sic verò habet. Dicunt vt si semel peccantibus post baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus valeat iterata, alioquin remissio ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim, quis non semper peccaret, si redire semper posset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper pœnitentibus subueniret; & etiam ei placere peccata, quibus semper præsto est gratia. Errant autem, imò constat ei peccata multum displicere, qui semper præsto est ea destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret, sed conseruaret, atque vt sua munera foueret. Semper destruit peccata, quæ inuenit, ne soluatur, quod creauit, ne corrumpatur quod amauit. Et iterum post med. in eodem cap. ait: Quid aliud est desperare, quam Deum sibi comparare? Nam qui de Deo non præsumit veniam, non animaduertit plus peccato suo Dei posse clementiam. Si enim sentiret Deum magis bonum, quàm se malum, quidquid in se iustitiæ non inueniret, à Deo magis bonum expectaret: & quidem diffidit, qui summi boni bonitatem maiorem sua nequitia non sentit. Ille solus diffidat, qui tantum peccare potest, quãtum Deus bonus est. Cum sit autem nullus, qui hoc possit, qui timet de se malo, præsumat de meliori. Diaboli enim, & omnis nequitia minor est, quam Dei misericordia. Ipse enim, si posset sperare, & culpam in se sentire, quod non inuenit in se, præsumeret in Dei bonitate, adhuc qui diffidit, & suam nequitiam Dei pietati compatat, finem imponit

imponit Diuinæ virtuti, dans finem Infinito, & perfectionem Diuinitatis auferens Deo: cui nihil deest, quod etiam cogitari non potest. Sic ille ostendit Deum nunquam à parcendo cessare, & quantumcumque hominum impietas coram omnium inspectore Deo delinquat, magnanimum, & benignum Deum minimè ita offendi, aut grauari sceleribus nostris, vt terminum indulgentiæ præfigat.

Sed adhuc expendendum restat quod Ezechias Diuina luce illustratus, & reuelatione edoctus potuit mentis aciem in eum intendere, qui mala nostra portanda in corpore suo & soluenda in carne suscepit, nempe in Christum Dominum, qui peccata nostra portauit in corpore, ac humeris suis, vnde nostra omnium salus, & redemptio prouenit. Quid mirum autem si Ezechias salutem consequutus est illius merito, & indulgentia, qui peccata omnium post tergum suum proiecit, vt solueret Parenti Deo, & de rigore iustitiæ satisfaceret. *Omnes nos*, inquit Isai. 53. *quasi oues errauimus, & vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hinc est, quod perdita ouis huius benignissimi humeris reportatur Pastoris Luc. 15 vbi Ambros. in Psal. 118. Octonar. 20. ait: Pro rationabili grege Christus seipsum passioni corporis nō negauit, vt ouem lapsam Crucis suæ humeris superponēs, pij oneris functione recrearet, &c. Et Octonar. 22. ait: Inuentam ouem pastor humeris imponit suis. Agnoscit vtrique mysterium, quo modo ouis lassa reficiatur, quia non potest aliter humana conditio lassa recreari, nisi Sacramento Dominicæ passionis, & sanguinis Iesu Christi, *Cuius principatū super humerum eius*, Isai. 9. In illa enim Cruce infirmitates nostras portauit, vt ibi omnium peccata vacuaret, &c.

Isai. 53. num. 6.

Luc. 15. num. 5.

Isai. 9. num. 6.

Hinc intelligetur cur olim in calice, quo sanguis Christi Domini cōsecrabatur, pastor pingebatur humeris ouem gestans, sicut refert Tertullian. lib. de Pudicitia c. 6. & c. 10. qua de re videndus Baron. tom. 2. annaliū pag. 308. vt denotaretur Christum Dominum patiendo, & sanguinem suum fundendo, perditas oues reduxisse. Videndus Tertull. lib. de Patientia cap. 2. post princip. vbi ait: Erroneam ouem patientia Pastoris requirit, & inuenit. Laborem inquisitionis patientia suscipit, & humeris insuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam, &c. Ipseque ex communi sententia Interpretum Isai. 50. ait: *Corpus meum dedi percutientibus*. LXX. habent. *Dorsum meum dedi ad flagella*. Et in eodem sensu ex interpretatione Cardinalis Hugonis de Sacramento Dominicæ passionis. Rikelij Gretseri de Cruce lib. 1. c. 9. & Villalpandi tom. 2. in Ezechiel. p. 2. lib. 5. disput. 1. c. 13. Psal. 128. dicitur: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*; quasi dorsum Christi Domini, ait Drogo, incudem facerent, vt repetitis ictibus verberarent, & percuterent. Vbi recolendus est Bruno, cum explicat verbum illud fabricandi, pro quo apud Græcos habetur verbum, quod non de ædificiis tantum, sed de fabrilibus quoque aliis operibus accipitur: Bruno ergo ait flagellationem Christi adeo vehementem, iugémque fuisse, vt solent fabricatores vehementer, & assiduè incudem malleis contundere. Vbi etiam Chaldæus obseruari debet, dum habet; *Supra dorsum meum arauerunt arantes*: nam vt fructus nostræ salutis resurgeret, & multiplex pullularet nostra redemptio, aperta quidem est sacratissimi dorsi terra, non vt semen ei committeretur, sed vt inde totius nostri meriti, & profectus

Isai. 50. num. 6.

Psal. 128. num 3.

fectus semen prouenitet; seu vt in aperturis, & sulcis illius nos reconderet, & fouetet, ac è vitiorum volutabro tolleret, qui iacebant, nec viribus suis euadere, & surgere poterant.

Vidit Christus Dominus hominē sedentem in telonio Matth. 9. vbi Chrysolog. serm. 29. in princ. ait. Sedebat vtique, quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incutuus, aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est quod plus habentem deprimit, quàm ferentem. & vehementius aggrauat corda, quā corpora, &c. Vocauit sedentem, imò subleuauit attrahente Diuina gratia, vt ad altiora supra dorsum eleuatus ascenderet, qui auaritiæ pondere depressus descenderat. Descendunt autem in tam miserum statum miseri, vt infra homines remaneant, sicut rectè ostendit Gregor. lib. 24. Moral. cap. 6. post princip. vbi explicat illud Iob 33. *Respiciet homines, & dicet, peccaui.* Ideo, (inquit Gregor.) nonnulli peccasse se nesciunt, quia homines non attendunt; nam si considerarent homines, citiùs agnoscerent quantum peccando infra homines cecidissent. Et quamuis sacra Scriptura aliquando homines ponere soleat humana sapientes, sicut ait Apostolus 1. Cor. 3. *Cum enim inter vos sit zelus, & contentio, nónne carnales estis?* Et paulò post subiicit, dicens: *Nónne homines estis?* Nonnunquam tamen homines dicit eos, quos à bestiis ratio distinguit, idest, quos nō alterari bestiali passionum motu demonstrat. Quibus per Prophetam Dominus dicit Ezechiel. 34. *Vos autem greges pascuæ meæ homines estis:* quia illos nimirum Dominus pascit, quos voluptas carnis iumentorum more non afficit. At contra hi, qui carnali affectioni succumbunt, non iam homines, sed iumenta nominantur: sicut de quibusdam, qui in peccato suo moriuntur, per Prophetam dicitur: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Iumenta quippe in stercore suo cōputrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, &c. Quibus similia sunt quæ habet Origen. homil. 24. in Numer. & homil. 3. in Ezechiel. Cum ergo in tam miserum, infimumque statum se demittant homines peccando, neque inde surgere valeant, accedit Diuinus pastor, perditasque oues humeris suscipit, & reportat qui omnes portauit, vt pro eis solueret.

Matth. 9. num. 9.

Iob 33. num. 27.

1. Cor. 3. num 4.

Ezec. 34. num. 31.

Ioël 1. num. 17.

Periit olim, & se deiecit in voluptatis lutum dilecta ouis, nempe Dauid, at quæsiuit illam Bonus pastor, Prophetam misit qui pereuntem reduceret ad pastorem: respexit ille ad infelicem casum suum, & reuersus in se dixit, *Peccaui.* Cui ait Propheta Nathan: *Dominus transtulit peccatum tuū; non morieris.* Rogabis, quò transtulit Deus peccatum Dauidis, dum ab illo dicitur translatum? Nulla aptior responsio, quam quod in humeros, tergumque optimi pastoris, qui post tergum suum omnia peccata proiecit, vt omnia solueret, ac pro omnibus satisfaceret: minimè posset depressus in homicidium, & adulteriū surgere Dauid, ad Deum redire, & viam iustitiæ decurrere, nisi onere alleuiatus, illud in se susciperet idem Dominus, qui erexit. Sic omnium peccata suscipit, sic omnes depressos erigit, & subleuat; quod bene prosequitur Chrysost. in Psal. 143. ibi: *Alleuat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos,* vbi ita ait: Dicit de clementia esse maximam Regni sui gloriam, quod non stātes solùm contineat, sed etiam qui sunt casuri, non permittat vt id accidat, & qui iacent, erigat,

2. Reg. 12. num. 13.

Psal. 143. num. 14.

erigat, & quod est magis admirabile, non huic, aut illi, sed omnibus id faciat, seu sint serui, seu pauperes, seu obscuri, seu insignes. Est enim omnium Dominus, & nec eos, qui iacent, prætercurrit, nec eos, qui labât, despicit. Quod si qui ex iis, qui iacêt, non surgunt, non in causa est, qui vult erigere, sed qui nolunt surgere. Nam Iudam quoque, cum cecidisset, voluit erigere, & vt surgeret nihil non fecit, sed ille noluit. Dauid certè, cum cecidisset, erexit, & firmum, validumque reddidit; Petrum, cum esset casurus, retinuit.

Ex dictis igitur constat Filium Dei in carne nostra peccata super se assumpsisse soluenda, & portanda in corpore suo, & proiecisse post tergũ, dum pro eis flagellari, & pati voluit, dumque insimul vidimus eundem post terga reiecisse indulgendo, ne eorum amplius recordaretur; meritò, & nos ad conspectum tantæ humilitatis, & benignitatis aliorum defectus post terga debemus reiicere, nec in conspectum aliorum adducere, vt notiora fiant, & publiciora reddantur; imò & proprias iniurias, & offensas debemus post terga proiicere indulgendo, & dissimulando, vtrumque exigit Dei clementia, dum peccata nostra post terga reiicit, vtrumque prosequendum postulat præsens locus.

Patronum habemus Aug. lib. 83. q.q. 71. vbi versat locum illum Pauli Galat. 6. *Alter alterius onera portate*, di-
Galat. 6. num. 2. cens: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, ad hoc dunitaxat, vt quemadmodum in eo, quod Verbum caro factum est & habitauit in nobis, & sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua, sed nostra; ita, & nos libenter ad eius imitationem inuicem onera nostra portemus, &c. Et serm. 23. de Verbis Apostoli statim in princip. ait: Non potuit apertiùs significari noui testamenti donum esse charitatem, quã hoc loco, vbi Apost. ait; Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Hanc enim legẽ Christus dicere intelligitur, qua ipse Dominus præcepit, vt nos inuicem diligamus, tantùm in ea senteñtia præcepti pondus constituens, vt diceret: *In hoc cognoscent quoniam disci-* Ioann. 13.
puli mei estis, si vos inuicem diligatis. num. 35.
Huius autem dilectionis officium est inuicem onera vestra portare: sed hoc officium non est sempiternum. Perducet sanè ad beatitudinem sempiternam, in qua nulla erunt onera nostra, quæ inuicem portare iubeamur. Cum in hac via sumus, onera nostra inuicem portemus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere, peruenire possimus. Sicut enim nonnulli talium cognitionum studiosi scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt, pascuarum gratia: sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus super inuicem portent, ita vt posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia necesse est vnum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, vt lassatus sui capitis onere, ille, qui præcedit, post omnes redeat, & ei succedat, cuius ferebat caput, cum ipse præiret: ita inuicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Istam ceruorum naturã fortasse intenderit Salomon, cùm ait Prouerb. 5. *Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum colloquatur tecum.* Nihil enim sic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio, &c. Sic etiam legit eundem locum D. Ambros. lib. 3. officior. cap. 1. sequuti lectionem LXX. tum deinde post multa addit Aug. Neque vlla res officiosum istum laborem ad portanda onera

onera aliorum facit libenter impendi, sicut, cum cogitamus quanta pro nobis protulerit Dominus. Huic cogitationi accedit etiam illa cogitatio, qua ille suscepit hominem; nos autem homines sumus, & considerare debemus, quod ægritudinem siue animæ, siue corporis, quam in homine alio videmus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus ei, cuius infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis velimus exhiberi: si fortè nos in ea essemus, & ipse non esset. Tandemque concludit sermonem. Ipsa est ergo lex Christi, vt inuicem onera nostra portemus. Christum autem diligendo facilem sustineamus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter sua bona diligimus. Cogitamus enim quia ille quem diligimus, Dominus propter eũ mortuus est. Sic ille docet quomodo inuicem debeamus portare onera, dissimulare defectus, & post terga remittere, ne in memoriam redeant, ne charitatis vnionem scindant.

Qua in re præclarum nobis reliquit exemplum Christus Dominus, dum cædendus alapis, prius voluit, imò disposuit, sibi velari faciem. Marc. 14. ne offensi, & ab aliquibus læsi ipsos agnoscere curaremus, imò offensorum notitiam prorsus amittere, non sic verò benefactorum; istorum siquidem inquisitionem debemus facere pro gratitudine exhibenda: illorum verò memoriam, & notitiam prorsus abiicere, & post terga in perpetuum remittere, sicut bene aduertit Oleast. in cap. 15. Genes. prope fin. vbi ponderat Deum prædixisse Abrahæ posterorum suorum captiuitatem, non tamen peculiarem locum, aut gentem, à qua detinendi essent captiui, enumerasse. Quo nos pulchrè docuit (ait Oleast.) velle ignorare eos, qui malorum nobis autores sunt, operæ pretium verò esse laborare vt scias, vnde tibi veniant bona; vt gratus sis, sed malum scire, vnde tibi mala procedant, ne aliquem odio habeas, & fortè eum oderis, qui tibi nihil mali intulerit. Duo in Euangelio legis, alterum, Regulum: cuius filium Christus sanauerat, sollicitè quæsiisse qua hora filius melius habuisset, vt sciret, an filij salus à Christo, quasi illi gratus credidit cum tota domo, Ioan. 4. Alterum Christum, cum alapis à ministris Pilati cæderetur, voluisse monere non esse multum laborandum, vt authorem percussionum sciamus, authorem verò bonorum sollicitè inquiramus. Primum, ne quemquam odio habeamus, ignorare optimum: secundum verò, ne ingrati simus. Hæc ille. Ex cuius doctrina, & Christi facto docemur ita oportere post terga remittere offensas, vt si illa sese nobis obiiciant, oculos claudamus, ne illas aspiciamus.

Marc. 14. num. 65. — *Genes. 15. num. 13.* — *Ioann. 4. num. 52.*

Pepercit fratricidæ Absalon offensus pater Dauid interuentu, & industria Ioab, cui tandem Rex Dauid ait: *Reuertatur in domum suam* (scilicet Absalon) *& faciem meam non videat.* Vbi Abulens. q. 17. id propterea sic factum à Dauide aduertit, quia voluit oculos sibi claudere, ne offensorem ante se conspiceret. Hoc faciebat, inquit ille, Dauid, ne recordaretur de morte Amnon, & tristaretur, vel induceretur ad occidendum Absalonem, &c. Est siquidem optimum remedium indulgentiæ, si offensorem nolimus intueri, agnoscere, & ante nos versari. Quod si adhuc sese offensæ nobis ingerant, illas debemus dispungere, emollire, & aliò distrahere, ne animum nostrum pungant & agitent. Quod etiam docuit Christus Dominus, dum Iudam frementem ob effusum vnguentum non sigillatim carpit, sed in omnes

2. Reg. 14. num. 24. — *Marc. 14. num. 6.*

correctionem acuit, & dirigit, vt sic magis offensam distrahat; quod bene aduertit D. Gaudentius tract. siue serm. 13. de Natali Domini contra auaritiam Iudæ post princip. tom. 2. Bibliot. vbi ita ait: Iudas pio, debitoque aduersarius obsequio, dum patronus pauperum vult videri, furti reus arguitur. Sed illud omisimus, vel potiùs reseruauimus, quid inter hoc locutus fuerit Dominus Iesus. *Sine*, inquit, *eam*, siue *sinite*: vtrumq; enim & in Græcis, & in Latinis exemplaribus inuenitur; sed magis congruere videtur sensui, cum legitur, *Sinite*, &c. propter illa, quæ pluraliter subsequuntur; *pauperes enim semper habebitis vobiscum*. Matth. 26. & Marc. cap. 14. Quærendum ergo dilectissimi quamobrem ad Iudæ solius verba pluraliter responderit Dominus: *Sinite eam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud; pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Admirabilis verò, ac nimium prouidens Christi patientia! In commune omnibus discipulis loquitur, vt aduersantis Iudæ contumeliam temperet. Neque acriter vt in fraudatorem inuehitur; sed dissimulato eius crimine, quem & Euangelista furem nouerat, leni monitu vniuersos pariter instruit. Idcircò autem supradicta lenitate, ac promiscuo monitu Iudę sermones Christus euacuat, ne aut ipsi Iudæ occasionem excusandi furoris tribueret, aut alicui Apostolorum quicquam scrupuli daret, piam fortasse suspicanti Iudæ suggestionem, &c. Dum igitur leni, ac communi reprehensione impiam detractionem Iudæ Christus Dominus diluit; docuit qua benignitate iniurias nobis illatas, & oblatas dissimulare, & distrahere debeamus.

Matt. 26. num. 11. Marc. 14. num. 6.

Durum tamen alicui videbitur durissimas iniurias blandis verbis emollire; & post terga reiicere, quæ in faciem nobis obiiciuntur, & exprobrantur; nam & Dauid hoc nimis arduum, & difficile iudicauit, cum dixit Psal. 16. *Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras*; vbi Lorin. sic explicat. Sic abstinui ab iniquitate, vt ne sustinuerim loqui de his, quæ inimici homines contra me loquuti sunt, siue fecerunt: difficile id sanè, ac durum, sed amor præceptorum, ac minarum tuarum compulit ad ea. Eleganter in eandem sententiam Petrus Blesens Epistol. 137. Duras nunc pro Deo vias expedit tolerare, ne veniant ad duriores: Similiter & August. serm. 254. de Tempore de hoc eodem argumento ait: Dura iussit, sed magna promisit. Si autem quæras quæ magna fuerint à Deo promissa custodientibus vias duras in diligendis inimicis, & remittendis offensis; ea sanè mihi videntur contenta in illis verbis: *Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est*. Magnum vtique donum, præclarum munus, si filij Dei esse mereamur, Patremque cœlestem in terris referamus, quod indulgendo, & benefaciendo inimicis, & offensoribus consequimur. Ipse siquidem naturalis, & vnigenitus Dei Filius talis è cœlo designatus, ac prædicatus est, cum se inimicis præbuit beneuolum; nam si velimus recolere tum in Iordane, tum in Tabor à Patre dictus est Filius cum de inimicis sibi, Patrique conciliandis agebat; etenim baptizatus in Iordane sacramentum Baptismi instituit, sicut docet D. Thom. 3. p. q. 66, art. 2. & Magistr in 4. distinct. 3. & Ambr. lib. 2. in Luc. ait: Baptizatus est Dominus, non mūdari volens, sed mundare aquas; vt ablutæ per carnem Christi Baptismatis ius haberēt, &c. & August. ser. 36. de tempore. In baptismo,

Psal. 16. num. 4.

Matth. 5. num. 45.

ptiſmo,inquit,Chriſti,non tam lauit vnda, quàm lota eſt; purgantur potius fluenta, quàm purgant. Ex quo Saluator in aqua ſe merſit;ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorúmque fontium venas myſterio baptiſmatis conſecrauit,&c. Similia prorſus habet ſer.1.de Epiphan.& ſer.37. de Tempore,Tertull.lib.aduerſus Iudæos cap. de Paſſione Chriſti, Beda homil.de Octaua Epiphan. Nazianz. Orat. de Chriſti Natiuitate, & Orat. in ſancta lumina. Damaſcen. lib. 4. Fidei cap.10. Abulenſ.Matth.3.q.74. Quando igitur Chriſtus Dominus baptizatus aquas lauit, & ſanctificauit, ſacramentúmque baptiſmatis inſtituit, quo inimicis, & peccatoribus ianuam reconciliationis aperiret,ſibi attraheret, & vniret diſſitos, & per peccatum ſeparatos, tunc iure à Patre Filius dilectus annuntiatur Matth.3. *Matth. 3. num.17.*

In monte etiam Tabor voce de nube auditum eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui.* Vbi ſi velimus recolere quid tũ temporis ageretur, inueniemus apud Lucam 9. *Erãt Moyſes,& Elias viſi in maieſtate:& dicebant exceſſum eius,quem cõpleturus erat in Hieruſalem*; vbi etiamſi nouerim exceſſum Græcè exitum ſignificare, imò Latinè exceſſus mortem ſignificat, qua è vita exceſſit; attamen Lyran. ad rem noſtram exceſſum intelligit de paſſione, quia exceſſiua fuit propter eximiam charitatem. Nam eximia fuit charitas, qua pro inimicis reconciliandis Deo ſeſe obtulit, vnde Paulus Roman.5. *Commendat charitatem Dei in nobis: Quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*:vbi Cardin. Caiet.ait: Commendare Deum charitatem ſuam in nobis, eſt oſtendere, ac manifeſtare nobis charitatem ſuam erga nos eſſe valde admirabilem,& commendabilem. Quando igitur de eximia,& mirabili charitate, qua Chriſtus pro inimicis mortuus eſt,agebatur,& de reconciliandis Deo hominibus inimicis, tũc meritò de cœlo proponitur,& prædicatur Filius Dei naturalis, qui talem pro inimicis ſuſtinuit paſſionem. *Luc. 9. nu.31. Rom. 5. num.8.*

Ioan.2.poſtquã vendẽtes flagellauit, eiecit boues, protulit pecunias, & menſas ſubuertit;his, qui colũbas vendebant,dixit: *Auferte iſta hinc,& nolite facere domũ Patris mei domũ negotiationis.* Quibus in verbis ſe Filium Dei naturalem probauit. *Reſpõderunt ergo Iudæi,& dixerunt ei: quod ſignum oſtendis nobis,quia hæc facis? Reſpondit Ieſus,& dixit eis:ſoluite templum hoc,& in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Aſſerendo igitur ſe eſſe Filium Dei,& petentibus ſignum, vt conſtaret ſe ſuprema authoritate vti in eiectione vendentiũ è templo, non aliud præbet,quàm mortem ſuã, quam ſubire cõſtituerat pro redemptione hominum,& eorum reconciliatione, Soluite, ait Euthym. non adhortans eos ad ſui interfectionem, ſed quia cognouit, quod facturi erãt,figuratiuo ſermone prædixit: ſoluite ergo, ſiue in terram ſubuertite, ab anima ſeparate,& coniunctionem,quæ cum illa eſt,diſſoluite,&c. Nam nullo meliori modo potuit comprobare ſe Filium Dei naturalem eſſe, quam morte ſua pro inimicis perpeſſa,& pro abolendis iniuriis Patri ſuo illatis oblata. *Ioan. 2. nu.16.*

Hanc igitur Filiationem Dei, offenſas dimittentibus,& inimicos diligentibus pollicetur Deus;durũ vtique iniuriarũ obliuiſci,ſed magnum & præclarum Filium Dei nominari, & eſſe:Vnde Chryſolog.ſerm.139.in med.ait: Agè homo,mandante Deo, dimitte, dimitte peccata: eſto miſericors ad delicta:in te commiſſorum tu remiſſor eſto peccatorũ:tu modo ne perdas Diuinæ infulas poteſtatis:

quidquid in alio tu remiseris, tibi in alio tu negabis, &c. Videndus pro hoc argumẽto Chrysost. hom. 79. in Matt. post med. vbi acutè ponderat nostra verba nõ tãtum referre Filij Dei verba, aut illius os imitari, cũ mirabilia edimus, & inusitata patramus, sed tũc maximè, cum benignè in offensores nostros nos habemus, & offensas remittentes ad nos attrahimus, leniterque amplectimur, & cõiungimus: sic verò habet. Ea ergo loquamur, quæ Christi verba confestim esse cognoscuntur; nec enim cũ dixero: *Surge, & ambula:* Neque cũ dixero, *Tabita surge,* tum solùm Christi verba loquor, verùm etiam multo magis si contumeliis agitatus benedixero, si oppressus iniuria, pro opprimentibus orabo. Et in superioribus quidem me dixisse memini, manum esse linguam nostram, quæ pedes Dei attingat: nunc verò maius quidem adiicio, quia lingua nostra, lingua est Christi: Christi linguam imitamur, si diligentiam adhibemus, vt illa loquamur, quę ille præcipit. Quæ verò sunt illa? Humilitatis certè, benignitatisq; plenissima verba. Sic ille cõtumeliãtibus respõdebat dicens Ioan. 8. *Ego dæmonium non habeo.* Et rursus Ioan. 18. *Si male loquutus sũ, testimonium perhibe de malo.* Si hoc pacto tu quoque respõdes, si ad emẽdationẽ proximi loqueris, linguæ illi lingua tua simillima est. Hæc non ego, sed ipse Deus cõfirmat. *Qui eduxit honorabilẽ,* inquit, *ex indigno, os quasi os meũ erit.* Cum igitur tua lingua sit Christi, & os tuũ Patris fiat, & Sancti Spiritus templum sis; quis honor, quod decus maius hoc excogitari poterit? Non si ex auro os tibi conficeretur, non si gemmis construeretur, ita præfulgeret, vt tũc hoc humilitatis ornatu resplenderet. Quid enim optabilius ore, quod maledicẽdi studium penitus ignorat, & benedicẽdi solum cognouit? Quod si benedicere

Matth. 9. num. 5.
Act. 9. nu. 40.
Ioan. 8. nu. 4.
Ioan. 18. nu. 23.
Ierem. 15. nu. 19.

maledicẽti aspernaris, saltem taceas, hoc interim facito: postea ratione, ac via vlteriora petẽs, ad illud quoque perueniẽs, & huiusmodi os habebis, quale prædiximus: nec putes nimium dictũ esse. Misericors enim Dominus est, & suæ hoc donũ bonitati tribuitur. Non ergo audaciæ attribuas, si te Christi os quispiã dixerit. Data est tibi diuinitus potestas imitari Christũ pro viribus, & similẽ illi fieri: noli expauescere hoc audiẽs: timendũ enim tibi potiùs est, si similis illi fieri negligas. Loquaris igitur, vt ille, & eris talis, quãtum ad hoc, qualis ipse fuit, prout humanæ vires patiuntur: huius rei gratia maior, qui ita loquitur, quàm qui futura prædicit: hoc enim totum ex dono est, illud etiam ex labore, atque sudore tuo procedit. Fac vt ex animo tuo os tuum ita confirmetur, vt os Christi esse videatur, &c. quæ prosequitur, ostẽdens quomodo Dei verba os, & linguã imitetur homo humiliter, blandéque loquens, etiam dum læditur, & offenditur.

Optima sunt, quæ habet Nazianz. Orat. 2. contra Iulian. prope fin. cum ait: Non iram remitti velimus, neque punitores præter dignitatem appareamus. Fiamus in hoc meliores offensoribus nostris, & animo sublimiores. Ostendamus quid illos erudierint dæmones, & quid nos docuerit Christus, qui ob ea, quę passus est, inclaruit, & nihilominus vicit iis, quæ, cum posset, nequaquam faciebat: reddamus illos nostro exemplo, si saltem fieri potest, modestiores. Si cui filius passus est, si cui pater, si cui vxor, aut cognatus, aut amicus, aut alius quispiam nobis charus, demus operam, vt cuique eorum mercedem cruciatus afferat, ipsis nimirum persuadentes, vt forti animo ferant, quæ passi sunt, &c.

Quia verò, & qui magno animo pollet ad Deũ accedit, eúmque refert

in

in terris; audiamus Senec.1.de Clement.cap.5.post med.cum ait:Magni animi est propriũ placidũ esse, tranquillúmque, & iniurias,atque offensiones semper despicere.Muliebre est furere in ira.Ferarum verò,nec generosarum quidem præmordere, & vrgere proiectos.Elephantes,leonésque transeunt,quẽ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet Regẽ sæua,nec inexorabilis ira. Deorũ sibi animũ asserens Princeps alios ex ciuibus suis,quia vtiles, boniq; sunt, libens videat, alios in numerum relinquat:quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur. Et cap.7.in princip.ait: Hoc exemplum Principi constituam, ad quod formetur,vt se talem esse ciuibus,quales sibi Deos velit,&c.

Cum igitur Christus Dominus promiserit filiationem iis, qui iniurias,& offensas post terga reiicerent, & offensores diligerent, inde est, quod Dauid præuidens hoc dixerit se dura custodiuisse, nempè obliuionem iniuriarum, & amorem inimicorum propter verba labiorum Dei.

Possumus tamen hoc referre ad verba labiorũ nostrorum, quod scilicet duras huiusmodi vias debeamus custodire propter verba labiorũ nostrorum; cum enim Deũ oremus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, (*Matth. 6. num. 12.*) sanè qui petimus, vt Deus offensas, & iniurias sibi à nobis oblatas remittat post terga,& in æternum obliuiscatur; tenemur propter hæc verba nostra duras vias custodire,atq; adeò inimicos diligere, offensas remittere, & iniurias post terga proiicere. Quod bene versar August.lib.80.homil. homil.42. in med. cum explicat verba prædicta: *Dimitte nobis debita nostra,&c.*vbi ait: Qui vult dicere efficaciter; *dimitte nobis debita nostra*, oportet quod dicat veraciter,*sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,&c.*

Acutè sanè in hâc sententiã obseruat Nyssen.qua benignitate,indulgẽtia,& charitate nos debeamus habere erga inimicos, & offensores nostros, cum Deus velit,vt ab eo postulemus nostrã imitari propitiationẽ,& mansuetudinẽ dicẽtes: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*.Nã si in cæteris actionibus sũma debet relucere perfectio ex eo, quod Deũ tenemur imitari,illiúsque vestigiis insistere; quãto magis in eo exigetur perfectio in remittẽdis iniuriis, cũ eã velimus, & postulemus vt Deus perfectissimus in omnibus operib⁹ suis imitetur:sic ergo habet Nyss. lib. de Orat ad dicta verba. Quemadmodũ Deus bene, ac rectè agentibus ad imitandũ propositus est,sicut dixit Apost.1. Cor. 4. *Imitatores mei estote,sicut & ego Christi*: (*1. Cor. 4. num. 16.*) ita vice versa tuã affectionem Deo ad bonum pro exẽplo esse vult;atque ordo quodam modo inuertitur,vt audeamus,quemadmodum bonũ in nobis imitatione Diuini nominis perficitur,ita sperare futurũ,vt Deus nostra facta imitetur, cum aliquid boni cõfecerimus, vt tu itẽ ad Deũ dicas, quod ego feci,fac; imitare seruũ tuum,tu Domine. Par ambobus remissio decernatur, tuo simul, & meo debitori. Quo animo ego fui aduersus hũc,quamque de eo sententiã sequutus sum,hæc itẽ apud te obtineat. Magnam ego proximo exhibui misericordiã;imitare tu Domine serui tui humanitatem, vt grauiora mea in te peccata, quam quæ hic aduersum me commisit, dimitte. Exiguam humanitatem ego exhibui, non enim amplius capiebat natura, tua verò munificẽtia exiguitate potẽtiæ nõ prohibetur,quin quantũ velis tantum largiaris,&c.Qui igitur Deo proponimur, tanquam regula indulgentiæ, debemus summam præbere benignitatem, & omniũ offensarum penitus obliuisci; alioqui maximam

incurre

incurremus offensam Dei, si in illius benignitatem iniuriosi iniurias ante oculos habeamus.

Vnde iam intelligetur locus ille Psal.129. *Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine*. Vbi Vatabl.ex Hebr.legit: *Verùm apud te clementia est;& propterea timeris*. Masoretæ legunt:*Vt timearis*,Genebr. explicat. *Apud te est indulgentia, & propitiatio*: tu soles esse propitius pœnitentibus, vt te homines timeãt.Videtúrq; sensus totius loci esse:cum tu propitieris peccatis nostris & offensas nostras remittas cũ postulamus;grauis inde nobis suboritur timor si iuxta id,quod postulamus,& à te cõsequimur,non etiã propitiemur offensoribus,iniuriarúmq; obliuiscamur: iustè enim à te timetur supplicium, quem conuenimus pro indulgentia, si tuã benignitaté non imitemur,ac dũ post terga proiicis peccata nostra,nos aliena non remittamus.

Psal.129. num.4.

Debemus proinde duras indulgétiæ vias custodire propter verba labiorum nostrorũ, dum volumus talem à Deo consequi remissionem,& benignitatem, qualem inimicis impertimus; & dum volumus vt Deus nostram imitetur indulgentiã, debemus libenter offensoribus indulgere, & ignoscere, imò hoc quidé sacrificio Diuinam placabimus irã, & misericordiã nobis conciliabimus:cum enim charitas maximè Deo placeat, & potissimum sit donum inter omnia,quæ in hac vita à Deo participamus, eam præcipuè testamur nobis adesse, cum iniurias dimittimus, & inimicos charitate prosequimur: quod bene prosequitur Chrysostom. homil.80. in Matth.in fin. Sicut illi flores colorũ pretiosissimi sunt, quibus trabea Imperatoris tingitur; sic illæ virtutes magni pretij sunt, quibus charitas continetur. Nihil porrò charitatem ita continet, atque conseruat, vt commissorum aduersus te peccatorum obliuio. An forsan de altera parte nihil Deus curauit, an lædentem ad Iesum non misit? Imò ab altari ad illum misit, & post reconciliationem ad mensam quoque vocauit, sed noli tu hac de causa illum expectare, omnia enim sic perdidisti, propterea enim ineffabilis tibi merces reposita est,vt illum præuenias. Sed malè me vexauit, inquies. Nunquam ille tantum tibi facere potuit,quantum tu ipse tibi,læsionis memoriam retinendo. Liberos eius interimat alius, quid ad eũ, qui de resurrectione cogitauit? Vxorem occidit quispiam: quid hoc ad eum, qui doctus est non lugere dormientes?Vituperationem alius ei afferat; quid ad eum, qui florem fœni præsentia cuncta existimat? &c.

Videnda sunt,quę in hanc sententiam habet Aug.serm.39.de tempore in med. vbi Paulo adhærens charitatatem in hunc modum commendat. Sectamini, inquit,charitatem,dulce, ac salubre vinculum. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat,in duris passionibus fortis. Quid tam magnanimum, quàm pro impiis mori? Quid tam benignum, quã inimicos diligere?Sola est,quam fœlicitas aliena nõ premit, quia non æmulatur. Sola est, quam fœlicitas sua non extollit, quia non inflatur. Sola est, quam conscientia mala non pungit,quia non agit perperam.Inter opprobria secura est, inter odia benefica est, inter iras placida est,inter insidias innocens, inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illa fortius, non ad retribuendas,sed ad nõ curãdas iniurias?Quid illa facilius nõ vanitate,sed veritate?Nã ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita;& suffert omnia,quæ hic irrogãtur,quia sperat omnia,quæ ibi promittuntur,&c.

Vnde

Vnde item intelligetur cur Magister Charitatis Christus Dominus cautum voluerit discipulis suis virgas in via deferre, quæ supplicium, vel vindictam, vtcumque minitari viderentur. *Nihil*, inquit, *tuleritis in via, neque virgam*, &c. Quod ad rem præsentem congruenter versat Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 10. ad illa verba numeri 4. *Neque peram, neque calceamentum.* Non virgas, inquit, in manu iubetur tollere Apostoli. Quid est virga, nisi proferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Ergo humilis Domini (in humilitate enim iudicium eius sublatum est) humilis inquam Domini præceptum discipuli eius humilitatis officiis exequuntur: eos enim misit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent: nec vim potestatis exercerent, sed doctrinam humilitatis attollerent. Quo loco humilitati putauit etiam patientiam copulandam; de ipsa quoque iuxta testimonium Petri, *Cum malediceretur, non remaledixit, cum percuteretur, non repercussit.* Hoc est ergo dicere: Imitatores mei estote, vltionis studia deponite, insolentia verberantium non iniuriæ relatione, sed magnanimitate patientiæ supportatur. Nemo in se debet, quod in alio reprehendit, imitari: grauiora contumacibus mansuetudo vulnera refert. Hoc pugno repercussit Dominus verberantem dicendo: *Qui te percusserit in maxilla, præbe illi & alteram.* Fit enim, vt iudicio suo ipse se damnet, & quodam stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro iniuria, quam fecit, aduerterit. Sic Ambros. proponit quomodo Christus Dominus omnem prorsus vindicādi iniurias ansam abstulerit à discipulis, quos magistros orbis terrarum constituerat; nullo siquidem aptiori modo possent homines charitate instituere, quam si eiusdem charitatis igne docerent dura quæque, & aspera emollienda esse, & superanda: fortius siquidem telum ad expugnandas iniurias & offensas est illud, quo excipiuntur, non quo inferuntur; quo retusæ post terga reiiciuntur, non quo pro vindicta ante oculos proponuntur.

Luc. 9. num. 3.

Luc. 10. num. 4.

1. Petr. 2. num. 23.

Matth. 5. num. 39.

Quod si velis superiorem cernere mansuetudinem, & illæsam, ac tranquillam charitatem de lædentibus triumphantem conspicere, attende quid Bernard. dicat serm. 48. in Cantic. post princip. dum spinas illas lilium pungentes sic dispungit. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Spina, inquit Bernard. pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. In terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi, Diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Et si igitur vndique tibi intendi prospicias tribulationum, tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum, neque formidet. Considera lilia agri quomodo inter spinas vigent, & nitent. Non mediocris titulus profectò virtutis inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocētiæ retinere candorem, & morum lenitatem: magis autem si his, qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id planè tibi similitudinem datam de lilio iure quodam proprietatis specialiter vendicabit, quod ipsas vtique pungentes spinas candore proprio illustrare, & venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur implere quodammodo Euangelij perfectionem, qua

Cant. 2. num. 2.

Matth. 5. num. 44. orare iubemur pro calumniantibus, & persequentibus nos, benefacere his, qui oderunt nos. Sic ille pulchrè rem aperit, si illius loquendi modum in præsenti aperiamus, dum ait lilium pungentes spinas candore proprio illustrare, & venustare. Quid enim est aliud lilium apud pungentes spinas candoris sui partes deponere, & lædentes tribulos pulchros reddere, quam iustam animam offensores suos amplecti, & pacis signa præbere in mediis etiam iniuriis, & offensis, ac dum vulnera intentant, & infligunt, non sanguineam vltionem reddere, sed candorem pacis iniungere.

Nisi fortè Bernard. alludat ad signa, & vexilla, quæ in compitis murorum, & arcium eriguntur, & proponuntur in signum victoriæ ab ingredientibus, & expugnantibus. Sicut igitur proprio candore pungentes, & perforantes spinas lilium illustrant, & apud illas aliquid sui relinquendo, veluti vexilla adfigit: sic iusti dum ab impiis opprimi, & affligi, ac iniuriis pungi leni vultu patiuntur, profectò dum pro calumniantibus & persequentibus orant, dum inimicos sibi charitatis vinculo adstringunt, dum offensarum memoriam penitus sepeliunt, dum amarè pungentes ipsissimet punctionibus dulcescere faciunt, pulchrioresque, ac sanctiores reddunt, quid aliud faciunt quàm propriæ signa victoriæ in spinis erigere, & vincere in bono malū? Quod optimè obseruat Chrysost. serm. de duodecim Apostolis, vbi de eis loquens, ita ait: O incudes animatæ, quæ dum feriremini, eos, qui feriebant, ad intelligentiam fabrefecistis, &c.

Vide item quomodo stridentes, exclamantes, ac lapidantes superauerit inimicos B. Stephanus, dum pro Act. 7. num. 60. ipsis Deo plenus exorat, ac veluti lilium pungentes spinas candore suo illustrare, & venustate non cessat, quod bene versat, & expendit Gregor. Nyssen. Orat. de S. Stephano ad med. in hæc verba: Cognoscant Iudæi arma Christianorum, quibus iniuriam vlciscendo magnus Stephanus vsus sui facti exemplo legem vitæ sanxit. Nam illi quidem festina quadam, ac immani rabie vndique Sanctum circumstantes in vnum illum, tanquam scopulum, omnes intenti erant, quidquid ad manum esset, eo vice teli aduersus Stephanum vtentes. Hic verò, tanquam sacerdos quidam, iuxta legem spiritualem puram hostiam immolans, non alienū, sed suum altaribus admouēs corpus, & loco libaminis sanguinem spargens per sese Deum, quem in cœlestibus adytis cernebat, delinquentibus placabat, beneficio nefariam cædem eorum compensans, clamans audientibus homicidis, ac dicens: Ne statuas illis hoc peccatum. In medio tot, ac talium stans contra omnem vim aduersariam, quæ à sanguinariis illis repræsentabatur, sese contra exsuscitans per omnia magnitudine animi, atque indolis excellebat, iræ quidem lenitatem, minis verò despicientiam, mortis terrori vitæ contemptum, odio dilectionem, maleuolentiæ beneuolentiā opponens: non enim vno modo victor declarabatur, sed aduersus omnem malitiæ speciē, quæ tunc ab Iudæis repræsentabatur, sese per varias virtutes distribuens. Illi ad cædē spectabant, & iam manus lapidibus armabant, obtutu, anhelatione, dentium collisione sæuitiam præ se ferentes. Hic verò tanquam fratres aspiciebat, & tanquam patres salutabat. *Viri fratres*, inquit, Act. 7. num. 2.
& patres audite. En candidum lilium inter pungentes vndique spinas, easdem tamē proprio candore illustrās, & venustans, imò charitate, & benignitate

gnitate superans, & vincens.

In quam sententiam recolenda venit doctrina Basilij homil. de ira ante med. cum ait: Ne fratres dilectissimi malum malo curate, nec contendite inuicem calamitate mutua vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longè grauior discedit. Noli ergo malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse. Contumeliam intulit iratus; vince, amoueque silentio malum. Noli tuo aduersario pro magistro vti, nec quem odio prosequaris, hunc æmulari. Ille maledixit, tu benedicas. Verberauit, tu patere. Quando verborum contumelia tentaris, illud existima periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in aduersarij partes inclines. Da tempus cogitationibus ad optimam eligendi partem opportunum. Nam è duobus alterum proculdubio consequeris, aut inimicū tuæ mansuetudinis exemplo munitiorem reddes, vel certè si despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest, quàm te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Ex hac conditione quale vterque vestrum nomen assequatur, videamus. Hic contumeliosus, tu magnanimus vocaberis. Hic iracundus, & durus, tu longanimis, & mitis. Sicut ad laudes tuas, si veritatem excedunt, efferri non debes: ita nec ad probra in te non verè iactata, minimè dolere. Si quietus, & immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, &c. Similia sunt, quæ habet Chrysost. homil. 25. in epistol. ad Hebr. in moral. post princ. Si contempseris, inquit, vltionem sumere de inimicis, tunc assequeris. Audi quid dicat: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da ei potum:* & subiunxit: *hoc enim faciens congeres carbones super caput eius.* Quid dicis; si-

Rom. 12. num. 20.

do cibum inimico, tunc eum punio? Maximè inquit (scilicet Deus.) Ea est enim mea potentia vt contraria præbeam per contraria, &c.

Similia item sunt, quæ habet Nazianz. Orat. ad 150. Episcopos, & Chrysost. homil. 2. ad popul. Tertullian. lib. ad Martyr. cap. 11. cum inter alia ait. Certemus, quæ à malo infliguntur, sustinere, vt hostis studium æmulatio nostra æquanimitatis cludat, &c.

Celebris vtique difficultas ad lib. 2. Reg. cap. 5. proponitur, dum quæritur quinam fuerint cæci illi, & claudi, de quibus ibi n. 6. dicitur: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos.* Hos enim existimant aliqui imagines, statuas tantum fuisse: alij veros homines fuisse statuunt, vel metaphoricè cæcos, quia animo cæcutirent, & claudicarent, vt putat Chald. vel verè cæcos, & claudos, quod huiusmodi miseris hominibus arcem tutandam commisissent Iebusæi, quasi dicerent eam vel à solis cæcis, & claudis defendi posse, ita Iosephus lib. 7. cap. 2. Procopius ibi, Glos. interlineal. Abulens. quæst. 7. Villalpand. lib. 2. apparat. cap. 1. p. 74. Et sanè Athenis in Prytanæo factum scimus, vt in ea arce alerentur milites bello inutiles facti quod ad resistendum satis fore dicerent propter arcis munitionem. Et hæc videtur verior expositio propter ea, quæ subduntur, quod claudi, & cæci odio haberent animam Dauid; nam statuæ qui poterant odisse Dauidem? Hi igitur cæci positi in mæniis illius arcis plurima conuicia, & iniurias in Dauidem iaculabantur. Postquam igitur cepit arcem Sion Dauid, & vt Theodoret. ait ibi quæst. 17. alios quidem Iebusæos iussit interfici, claudos autem, & cæcos, qui irridebant è muro, ob lenitatem, & animi magnitudinem conseruauit; propo-

2. Reg. 5. num. 6.

ſito edicto, vt occideretur, qui feriret aliquem ex ipſis: affertque notatu dignam verſionem, quæ ſic habet: *Omnis feriens Iebuſæum claudum, aut cæcum, tangatur pugione:* tangatur enim pugione, inquit Theodoret. pro eo, quod eſt, perimatur enſe. Et ideò laudem eſt ab omnibus conſequutus. Expugnauit igitur Dauid, & cepit arcem Sion, parcendo inſuper contumelioſis hominibus eos ſuperauit indulgentia, & laudem victoris conſecutus eſt, dum poſt terga reiecit opprobria exprobrantium ſibi.

Neque verò hanc doctrinam ſoli aſſecuti ſunt noſtri, Deo afflati, & charitatis luce perfuſi, ſed obcæcati etiam Gentiles eam ſuo modo contigere: nam apud Hildebert. epiſt. 80. tom. 3. Bibliot. quæ eſt Narbodi Epiſcopi Rhedonenſ. ſic habetur. Apud Gentilium philoſophos magnarum virium eſſe perhibent lædentem negligere, & vindictam putant vindicare potuiſſe; maiúſque vindictæ eſſe genus ignoſcere: infirmi autem ac muliebris eſſe animi quærere vltionem, ex hoc, vel ſolo colligit, vt Satyricus ait:

Vindicta, qua nemo magis, quàm fæmina gaudet, &c.

Gentilis igitur adſit Seneca lib. 2. de Ira cap. 32. in princ. Nam, vt in beneficiis honeſtum eſt merita meritis repẽſare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci turpe eſt, hic vincere. M. Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens, quis enim illi ſciens faceret iniuriam? Poſtea ſatisfacienti Cato non memini, inquit, percuſſum me. Melius putauit non agnoſcere, quàm vindicare. Nihil, inquis, illi poſt tantam petulantiam mali factum eſt? Imò multum boni, cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt iniurias deponere. Vltionis contumelioſiſſimum genus eſt non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altius ſibi dimiſere, dum vindicant. Ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnę feræ latratus minutorum canum ſecurus exaudit. Et cap. 34. in princip. Puſilli hominis, & miſeri eſt repetere mordentem, vt mures, & formicæ: ad quas ſi manum admoueris, ora conuertunt. Imbecilla ſe lædi putant, ſi tangantur, &c. Et lib. 3. de Ira cap. 3. Ingens animus, & verus æſtimator ſui non vindicat iniuriam, quia non ſenſit. Vltio doloris confeſſio eſt. Non eſt magnus animus, quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit: Si imbecillior, parce illi; ſi potentior, tibi.

Hinc eſt quod viri ſancti vt magnitudinem animi ſui tẽſtentur, vel rident dum iniuriis afficiuntur, vel eas tacendo nihili faciunt, nec ſe læſos ſentiunt, aut fatentur; vel maledicentibus benedicunt. Ridebat vtique Iob dum opprobriis afficeretur; pro eo enim, quod nos habemus Iob 19. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet.* L X X. habent: *Ecce rideo opprobrio, non loquar.* D. Auguſt. legit: *opprobria.* Ambroſ. legit: *Ecce rideo in opprobriis.* Quæ verba ſic explicat lib. 2. de Interpellatione Iob cap. 2. poſt med. Imitemur hunc virum, qui ſilentio ſuo redarguebat conuiciantes. Oſtẽdebat enim virtutem animi ſui, quem contumeliæ non mouerent: & conſcientiæ innocentiam manifeſtabat, qui obiecta non recognoſceret, ſed quaſi aliena rideret. At verò ſi nobis aliquid obiiciatur dum nos purgare volumus, acerbamus; dum vlciſci cupimus, confitemur. Et cap. 3. ad med. ait: Vidit (ſcilicet Deus) de nube, & turbine, manum laboranti dedit, victorem aſſeruit, coronam detulit. Quid autem pulchrius, quàm ridere, cùm maledicitur nobis? Gaudere enim debemus, ſi aliena dicantur, &c. Gaudere

Iob 19. num. 7.

dere ſanè, & exulrare iuſſit Chriſtus Dominus ſuos in perſecutionibus Matth.5.Gaudentes ibant Apoſtoli à conſpectu cõcilij afflicti, vincti, verberati, ac morti tandem deſtinati Act. 5. At vt ibi aduertit Chryſoſt. homil. 14. non ex miraculis declararunt Apoſtoli Dei virtutem, ſed ex gaudio in contumeliis,&c. Virtus enim Dei, non hominis videtur magnitudo, ſi ad opprobria, quæ humanum animum pungere, & excitare ſolent, quis redeat, & maledicentibus hominibus iuxta Chriſti præceptum gaudeat,& exultet.

Matth. 5. nu.12.
Act. 5. nu.41.

Maledicebat Semei, mittebátque lapides contra Dauid, grauiſſimáque exprobrabat commiſſa crimina; ipſe verò tacebat, ſicut aduertit citatus Ambroſ. & ſilentio ſuperabat; cui noluit nocumentum aliquod inferri per ſeruos ſuos.Cõfugit ad altare Ioab, ibi tamen interfectus eſt,iubente Salomone, etſi enim magna ſacrorum locorum immunitas fuerit apud ipſos etiam Gentiles, vt ex Thucydide lib.1. Strabone lib. 8. Herodoto lib.4. patet; homicidis tamen voluntariis nulla loci, vel aræ vllius Religio proderat, ſicut & in aliis quibuſdam iam ſceleribus,Cap. inter alia de immunit.Eccleſiar. Authent. de mandato Principis, §. neque autem. Illud verò maximè notandum,quod Salomõ dixit de Ioab.

2.Reg.16. num.6.

Reddet Dominus ſanguinem eius, quia interfecit duos viros iuſtos, melioreſq; ſe: & occidit eos gladio, patre meo Dauid ignorante: Abner filium Ner,principem militiæ Iſraël, & Amaſam filium Iether, principem exercitus Iuda. Id igitur obſeruandum, cur Salomon non meminit fratris Abſalonis, in cuius corde tres lanceas infixit Ioab. Duos ſiquidem alios viros referens debuit prius fratrem occiſum contra Patris præceptum,& voluntatem recenſere: at iniuriam ſibi illatam in nece fratris voluit reticendo ſuperare, ne videretur illius recordatus mortem Ioabo inferendam præcepiſſe, ſicut bene obſeruat Abulenſ. ibi q.40. Non expreſſit, inquit, Abſalon, quia volebat oſtendere Salomon, ſe procedere ex zelo iuſtitiæ; ſi tamen occidiſſe Abſalon dixiſſet Ioab, videretur procedere ex zelo vindictæ, cum Abſalon eſſet frater Salomonis, & ideo tacuit,&c. Exiſtimauit enim ſibi glorioſum fore admodum, ſi offenſam taceret, cùm poſſet vlciſci,quod bene proſequitur Hildebert. Epiſcop. Turonenſ.Epiſt. 50. cum ait: Poteſtati cedit ad gloriam iniurias vlciſci nolle, cùm poſſit, quod ſerenitas veſtra Epiſcopaliter attendens Vuillelmo indulſit.Tamen quia ſemper ſuſpecta eſt offenſa poteſtas, adhuc per nos deprecatur ſibi in integrũm ignoſci, quod tamen præceptum non eſt, ſcilicet benedicere maledicentibus, ſed conſilium non ſemper obſeruandum; vnde 1. Petr. 2. de Chriſto dicitur. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat.* Non maledicere autem præceptum eſt ſicut etiam non malefacere,ſicut Hierony. probat apolog. aduerſus Ruffinum.

3.Reg.2. num.32.
2.Reg.18. num.14.
1. Petr.2. num 23.

Alij iniurias, & maledicta ſuperant benedicendo, quod proprium Chriſtianorum eſt; inter Chriſtiana enim præcepta hoc ponit lib.6. cap. 18. Maledicenti benedictio reſpondeat, nec verbum malum procedat ex ore hominis, qui edit verbum bonum,quibus verò addẽdum eſt,eum, qui ore ſumit Chriſtum ipſum, in cuius reuerentiam Chriſtiani olim mutuò ſe oſculabantur, teſte Chryſoſtom.hom.30. in 2.ad Corinth. & homil. de proditione Iudæ, & lib.1. de compunctione cordis. Eum igitur,qui Chriſtum mãducat orantem pro inimicis, nullatenus decet, niſi benedictio inimicorum iuxta illud

Matth. 5. nu.44. Luc. 6. nu.28. Matth. 5. *Benedicite his, qui oderunt vos.* Et Luc. 6. *Benedicite maledicentibus*, vbi sicut aduertit Tolet. verbo, benedicendi, non solùm bene precari, sed etiam laudare, honorare, ac commendare indicatur, aut saltem aperta mala attenuate, sicut fecisse legimus Petrum, quando conuitiantibus & maledicentibus, ac irridentibus, & dicentibus: *quia musto pleni sunt isti*; dixit, *non sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.* Act. 2. vbi Chrysost. homil. 5. ait: Vides quàm placita sit excusatio; idcirco non dixit, non enim sicut vos subsannatis, neque sicut vos ridetis, sed sicut suspicamini; volens ostendere illos non dedita opera fecisse, & magis illos ignorantiæ velamine honestat, quàm malitiæ crimine notat. Quibus similia habet homil. 6. & homil. 54. in Genes. & homil. 21. in Epist. ad Roman. & homil. 22. ad illa verba: *Bona loquimini de ijs, qui vos insectantur.* Vbi rationem reddit cur persecutoribus nostris benedicere teneamur, quandoquidem nobis coronas per tolerantiam concilianr. Et homil. 3. de Dauid, & Saül. tom. 1. loquens de Publicano audiente Pharisæum, cùm dicebat: *Non sum sicut cæteri, velut etiam hic Publicanus*, ait: Accepit probrum, & abluit probrum; criminum accusatio facta est illi criminum remissio, & hostis inscius factus est beneficus, &c. Vi-

Act. 2. nu.15.

dendúsque erit August. ser. 23. de verbis Apostoli, & ser. 24. & Hildebert. loco citato, cum inter alia ait: Bis Deo sacrificat offensus, & clemens, à tyranno parum differt illatæ memor iniuriæ. Et Hieronym. in cap. 2. Nahum, ibi, reddidit Dominus superbiam Iacob, ait: Non tantæ virtutis est ab aliis factam iniuriam sustinere: quantæ gratiæ Domini est placidum, mitem, atque tranquillum iniuriam facere non posse, &c. Maioris tamen adhuc gratiæ erit, si is, qui læditur, & offenditur, in mediis ipsis opprobriis exprobrantium benedicat maledicentibus, iuxta illud 1. Corinth. 4. *Maledicimur, & benedicimus.* Et illud 1. Petr. 3. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario, benedicentes, quia in hoc vocati estis.* Debemus itaque reiicere post terga, nihili facere, ac penitus obliuisci iniuriarum; & offensarum, cùm videamus Deum post terga remittere peccata nostra, non solùm vt soluat in corpore suo factus homo, sed vt gratia deleat, & miseratione remittat; alioqui cùm tempus soleat obliuionem inducere, & iniurias abolere, potentius apud nos probabitur extitisse quam fuerit ipsa charitas, quæ apud fideles omnia vincere perhibetur. 1. Cor. 4. nu.12. 1. Petr. 3. nu.9.

***

TEX

TEXTVS IX.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.



HEBR. ad verbum: *quia non sepulchrum confitebitur tibi: mors laudabit te, nec sperabunt descendentes in cisternam, tuam veritatem.* LXX. habent: *non enim qui in inferno laudabunt te, neque mortui benedicent te, neque sperabunt, qui apud inferos sunt, misericordiam tuam.*

Multipliciter solet hic locus à sacris interpretibus versari, & intelligi. Primo namque accipitur de Ezechia plorante, eo quod vita functus neque in se, neque in suis posteris (quandoquidem posteritate carebat) visurus esset, recepturus, aut laudaturus verbum in carne; ad viuos siquidem venturus erat Filius Dei, & cum Rex Ezechias morte extingueretur sine sobole, careret vtique optima sorte viuendi, & laudandi Messiam. Sensus proinde erit iuxta hanc interpretationem. Cum veneris Domine homo factus, mortui te minime recipient, tuúmve Euangelium percipiét; eruet enim mortuos Christus à morte resurgens, & cœlum ascendens secū sursum subuehet, viuentibus vero ferenda erit lex Euangelica, non mortuis inculcanda sicut de facto contigit, & qui prius excipiendus erat à viuis, ab iisdem laudandus erat, priusquam ad mortuos descenderet, aut ab eis laudaretur. Proinde qui descendūt in lacum, non expectabunt veritatem tuam, vt inter ipsos nascatur, & ipsius lux eis affulgeat; est siquidem Christus veritas Dei, vnde de se ait: *Ego sum veritas.* Quo in loco recolendum est, quod vbi nos habemus: *veritatem tuam.* LXX. habent: *misericordiam tuam*; ipsi enim solent aduentum Christi misericordiam nuncupare, sicut aduertit Leo Castro hoc in loco, summa namque misericordia Dei fuit, quod nobis contulerit vnigenitum Filium, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & faceret sibi populum sectatorem bonorum operum, capacémque redderet recipiédæ gratiæ, & gloriç. Aduentum igitur Christi Seruatoris non expectabunt qui sunt in inferno, aut sepulchro ipsi, & in seipsis, & in tota sobole, çum pater in filiis viuat.

Recolendum item est, quod nullum dubium esse potest, quin mortui Deum laudent, id enim beatos facere commemorat Ioannes Apoc. cap. 5. vbi sermo est de vigintiquatuor senioribus: præmiserat autem. nu. 13. de omnibus in vniuersum mortuis. *Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & quæ in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes. Sedenti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria.* (Apoc. c. 5. num. 14. & 13.) Quo in loco licet Ribera, & Pererius nomine omnis creaturç, comprehendant etiam irrationales, ex Ambrosio, & Ruperto; planior sensus videtur, quem ibi affert Alcasar, vt omnis creaturæ nomen solis rationabilibus adaptetur, quatenus dæmones etiam comprehendit. Tunc vero distributio illa: *quæ sunt in cœlo, & super terram, & sub terra, & quæ in mari,*

mari; sic explicatur, vt esse in cœlo referatur ad beatos, & ad eos qui intra cœli, idest, Ecclesiæ ambitũ continentur: esse super terram referatur ad Iudæos; esse sub terra, ad dæmones, & ad damnatos angelos; esse in mari, ad gentiles. Credo etiam animas in purgatorio Deum laudare, quem agnoscunt, sperant, & diligunt; at damnatorum laus coacta est, sicut & fides, de qua Iacobus c.2. ait: *Dæmones credunt, & contremiscunt*: vbi videnda sunt quæ annotauimus. & sane dæmones compelluntur coram hominibus diuinas laudes confiteri, & proclamare.

Iacob. c. 2. num. 19.

Alij, vt Euseb. & Theod. Heracleotes intelligunt præsentem locum de inferno impiorum, vbi nemo libenter, & vt decet, confitetur Deo, aut gratias agit. Cæterum huic expositioni obstat, quod piissimus Rex Ezechias nõ credebat animam suam detrudendam in locum damnatorum, cum in ipsa infirmitate innocentem vitam, religionem, pietatem multáque alia bona opera Deo commemorauerit, & proposuerit. Neque verò in eo statu erat, vt de æterna sua salute ipsi foret desperandum.

Alij de laude, & confessione intelligunt, quatenus eo tempore, quo pauci cultores Dei inueniebantur, magni vtique referebat aliquem regem esse diuini cultus studiosum, qualis Ezechias, & Dauid, qui Ps. 29. dicebat: *Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?*

Psal. 29. num. 10.

Alij de laude, & confessione meritoria interpretãtur, qua de re videndus est Hiero. hoc in loco, & in Ps. 6. & in Psal. 105. & in c. 5. Amos, & in c. 5. Oseæ, & Haimo in Ps. 6. n. 6. vbi adducit nostrum textum. Videndus etiam Innocent. III. in eundem Ps. 6. vbi affert locum petitum ex Ecclesiastic. c. 17. *A mortuo, qui non est* (quasi nihil) *perit confessio*. Dupliciter vero potest intelligi hæc expositio. Primo quod in peccato sepultus nequeat Deum laudare meritoriè, & vt ipsum laus decet, turpis siquidem videtur laus purissimi Domini in ore peccatoris. Vnde Augustin. lib. 50. homil. statim post principium ait: Ille nouit sub cuius oculis loquor, imo sub cuius oculis cogito, non me tam delectari laudibus popularibus, quã stimulari, & angi quomodo viuant qui me laudant. Laudari autem à male viuentibus nolo, abhorreo, detestor, dolori mihi est, non voluptati. Laudari autem à bene viuentibus, si dicam nolo, mentior; si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior, quam solemnitatis. Ergo quid dicam? Nec plene volo, nec plene nolo. Non plene volo, ne in laude humana pericliter. Non plene nolo, ne ingrati sint, quibus prædico, &c. Si ergo Augustin. ab impiis minime vult laudari, quanto magis dedecere existimandum est, quod impij Deum laudent.

Secundum alios intelligitur locus de meritoria laude, in eo sensu, quod totius meriti terminus sit vita præsens, eáque finita, finiatur item status merendi; & sicut in peccato mortuus præter indecentiam, quam assignauimus, nihil gratiæ, & gloriæ meretur, sic & mortuus, post finitam vitã nihil denuo meretur, sicut exponit D. Thom. qui adducit Ecclesiast. c. 11. dicentem: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Simile adducit testimonium Dionys. Carthus. ex Eccles. vbi ait: *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opes, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* In hoc igitur sensu maximè dolet, & lamentatur Ezechias, quod sibi iam minime liceat diuinã placare iram, diuina itẽ beneficia promereri, cum totius

Eccl. 11. num. 3.

Eccles. 9. num. 10.

totius meriti terminus mors sit, vltra quam nihil postea meriti supersit.

Planus igitur sensus est vt pientissimus Rex velit ostendere quo fine sibi longior à Deo concessa sit vita, pro qua ipse gratulabundus præsens canticum edidit. Recognoscit enim sibi concessum longius vitæ spatium, vt totum impendat, & tribuat diuinis laudibus, & confessioni. Etenim quicumque extra hunc statum viuentium, & in alia degunt vita, iam non amplius Deum laudare possunt publicè, solemniter, edita voce, pulsatis musicis instrumentis: nec ob noua beneficia, quæ quotidie à Deo recipiunt, dum liberantur à miseriis, in quibus sunt, gratias agere, iuxta illud Psalm. 87.

Psal. 87. num. 11. *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam*, &c. Similisque est ille locus Baruch cap. 2.

Baruch c. 2. nu. 17. *Aperi oculos tuos & vide, quia non mortui qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationem Domino*, &c. Ideóque Dauid Psalm. 117.

Psal. 117. num. 17. *Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie.*

Libet etiam hoc in loco pro maiori intelligentia gratulantis Ezechiæ aduertere, quod viri sancti, in veteri testamento tam anxie, vel ob hanc rationem deprecabantur mortem, ægritudines, exilia, calamitates mortiferas, quia nondum licebat Deum videre, Christo adhuc non incarnato, vnde optarius videbantur in vita permanere, vt Dei ministerio, quoad licebat, hic fruerentur, sacrum Deo locum, nempe templum, aut tabernaculum, celebrando, in quo ille manifestabat sese, cœlo cœli solus, quod attinet ad homines, tunc temporis fruens, hominibus terram relinquens, vt in ea laudaretur ab illis, & coleretur, quod latius prosequitur Castro ad citatum locum Baruch.

Neque verò quisquam ex hoc deducat simpliciter optatius, & honestius visum fuisse viris iustis, trahere longiore mora præsentem vitam, quoniam pluris videtur apud eos fuisse ad mortis persuadendum desiderium, eximi ex ærumnis præsentis vitæ, periculisque peccandi, & constitui in iustorum cœtu, licet adhuc in limbo cum certa & omnino indubitata confirmatione in gratia, & expectatione beatitudinis suo tépore obtinendæ; qua ratione Dauid lamentabatur prolongatum incolatum suum, & petebat educi de custodia animam suam ad confitédum nomini Domini, quia expectabant eum iusti donec retribueret Deus illi. Licèt probè nouerim hæc aliter ab aliis explicari de custodia speluncæ, ac de aliis calamitatibus: hac etiam ratione Elias petiuit animæ suæ vt moreretur. Psal. 119. num. 5. Psal. 141. num. 8. 3. Reg. 19. num. 4.

Quantumcunque igitur hoc verum sit, non tollit quominus viri sancti vitam optauerint, vt eam totam insumerent in colendo, & laudando Deo: vnde Ezechias in præsenti gratulatur Omnipotenti Domino, sibi prorogatam vitam, vt eam totam offerat Diuinæ laudationi, vt sit sensus. Ideò itaque pepercisti mihi, vt te laudem: neque enim sepulchrum, idest, mortui (continens scilicet pro contento) te laudabunt; neque mors, idest, mortui te commendabunt; repetitio solita in Scriptura: non spectabunt, iuxta Hebr. idest, intuebuntur, neque videbunt æquitatem, & iustitiam tuam, quod idem est ac laudare eam, ait acutè Forer. quod nemo sit, inquit ille, qui in

Dei veritatem oculos figat, & se continere queat, quin eam admiretur, & in ipsius laudes prorumpat: quod enim hoc versu dixit: Intueri veritatem Dei, sequenti vocat notam eam facere; ex eo enim quod quis intuetur Dei veritatem, & iustitiam, consequens profecto est, vt eam laudibus extollendo, & prædicando, aliis notam faciat.

Facit pro præsenti explicatione, quod scilicet Sancti vitam velint, vt Deum colant, & laudent. Brix. dum sic exponit: Qui descendunt in sepulchrum non manent in hac vita, vt laudes tuas annuntient, licet aliquando resurrecturi sint ad immortalem vitam: sed qui in hac manent vita, confitebuntur tibi, & si dederis eis filios, illi quoque à patribus suis eruditi confitebuntur veritatem tuam.

Qui descendunt in lacum. Hebraicè, *in puteum*, idest sepulchrum, quod magis probatur, vel limbum, qui Zachariæ 9. lacus dicitur sine aqua.

Non expectabunt veritatem tuam, idest Christum Seruatorem promissum, vt multi volunt, in quo mittendo verus, & fidelis futurus erat Deus, qui illum venturum promiserat; sensusque erit. Ego, qui sine liberis decedo, iam non expectabo veritatem promissionis tuæ de mittendo Filio tuo, aliter enim non potest adaptari hæc expositio, quia si ij, qui in lacum mittebantur, erant qui in sanctitate diem suum obibant, sanè negari non poterat illos expectare veritatem illam, neque ex gentis Hebrææ consuetudine id diceret Rex Ezechias; ideóque si ad omnes in communi referuntur hæc verba, promissio, de qua in præsenti, debet intelligi de promissione oblata ad Isaiam Prophetam, circa libertatem ciuitatis Hierosolymitanæ de clade Assyriorum, ac si dicat: quia liberata patria, & partim fugatis, partim deletis Assyriis, omnes cognoscent veritatem tuam, & fidem præstando promissa, teque tota animorum, vocumque contentione laudabunt. Id quia præstare mortui non possunt, ideò me in viuis esse voluisti vt facerem, ad hoc enim vitam concessisti, vt tota in tuis laudibus decantandis dicata insumatur.

ANNOTATIO I.

Debemus in hac vita operari, & mereri pro alia.

Docet præsens hic locus, in quo Ezechias finem vitæ suæ, in exordio operandi lamentatur, illud maximè enitendum, vt quandiu in ea sumus, iustitiæ operibus incumbamus, & pro comparandis meritis laboremus; *Ante obitum tuum* (ait Ecclesiasticus cap. 14. 17.) *operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum*; vbi Vatablus legit, ante obitum tuum exerceas iustitiam, quoniam non est quod quæras apud manes; quem locum quidam, teste Iansenio, sic interpretantur, vt significetur post mortem non esse locum bonorum operum, & meritorum colligendorum, quibus se homo tunc reficiat, & pascat, & ideo ante mortem operandam iustitiam: possumus tamen eum interpretari ex alio loco Prouerb. 11. vbi dicitur: *Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem inuestigator est malorum, opprimetur ab eis*; vbi Vatablus legit: *Qui maturè consectatur bonum, inuenit*

Eccle. 14. num. 17.

Prou. 11. num. 27.

quæ

qua desiderat. Chald. *Qui consurgit diluculo ad bonum :* Aquila : *matutina consurrectio boni quærit gratiam bonam:* quæ omnes versiones indicant iure optimo ; & non sine mercede diligentiam , & solicitudinem nauare eum , qui citò ad bene operandum surgit , somnumque otij , & desidiæ excutit , & per bona opera Dei gratiam inire satagit;eum verò, qui non minorem curam , nouis quotidie sceleribus perpetrandis adhibet , ab iis opprimi ; quandoquidem ipsa illius scelera , & piacula , in caput ipsius recident, pœnasque suis sceleribus pares dabit. Nostra tamen versio videtur doctrinam istam clarius ostendere , & continere metaphoram viatoris,qui antequam somnum noctu caperet , ea omnia , præparauit, & comparauit, quæ ad iter faciendum die sequenti necessaria erant,hic enim è somno surgit lætus, & expeditus , pro itinere conficiendo ; cum omnia ad illud antea præparauit ; sic & ille, qui quandiu dies est , & antequam mortis somnus accedat,operatus est ea omnia,quæ decebant,& necessaria erant , siue fuerint præcepta,siue consilia,ne mortis somnus eum imparatum deprehendat,& intercipiat.Lætus itaque consurget in iudicio,& dum quærit bona gloriæ , parata inueniet , qui præparauit merita , antequam in mortem decumberet.

Isai. 38. num. 3. Vnde Hieronym. in cap.38. Isaiæ ad illa verba nostri Ezechiæ. *Obsecro Domine , memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate* , &c. ait : Audiens se esse moriturum, non precatur vitam , & annos plurimos: sed in iudicio Dei dimittit , quid velit præstare , sed iturus ad Dominum narrat opera sua. Felix conscientia , quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur , &c.

Vbi statim occurrit annotandum, mortem communiter diei somnum, non solùm in sacris literis, sed etiam apud sanctos Patres , vt videre est apud Hieronym. tom.1. Epistol. ad Theodoram post princ. Vbi de morte agens ait : Neque enim mors , sed dormitio , & somnus appellatur. Et Chrysostom.Homil.7. ad popul.statim post princip. Dixit : Nihil aliud est mors quàm somnus,& migratio, & translatio , &c. Et Homilia 5.ad popul. ante medium , de morte sic loquitur:Somnus consueto longior, &c. Plura habet homil. 26. in acta Apostol. Et Clemens Alexand.2.Pædagog.cap.9.

Hinc Ecclesia appellat locum , in quo mortui sepeliuntur , cœmiterium , quod deducitur ex Græca voce κοιμάω , quæ significat dormire ; & cœmiterium idem est ac dormitorium,quod magis exponit Strabo libr.1. de rebus Ecclesiast. cap.6. relatus à Stephano Duranto libr.1. de ritibus Eccles. Cathol. cap.23. in princip. vbi ait : Cœmiterium est domus , in qua hospites dormire solent.

Neque verò apud sacros tantùm Auctores mors somnus dicitur , sed apud exteros etiam hic sermo peruagatur:nam Anaxagoras dicit ex duabus rebus nos posse rectè deducere quid sit mors,ex somno scilicet,& ex tempore;& Catull.

Soles occidere,& ridere possunt,
Nobis cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.

Quin & Virgilius in eodem sensu ait :

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus , in æternam clauduntur lumina noctem.

Constitutum igitur habemus mortem dici somnum; sed cur sic appelletur varie à variis solet explicari. Mihi in præsenti videtur propterea mortem dici somnum, quod post labores, & operationes succedat, & salubris sit operanti, ac laboranti in vita. Vnde Ecclesiast. 5. dicitur: *Dulcis est somnus operanti:* suauitas namque somni ex eo maximè attenditur; quod lassitudini, atque labori succedat. Hinc Augustin. de beatitudine Patriæ disserens, & explicans modum, quo beati in summo bono pro meritorum diuersitate plus, minúsve quietis, atque solatij capiunt, similitudine vtitur duorum in eodem strato decumbentium, quorum alter plus laborauit, alter minus: qui enim laboris plus impendit, huic certè sedenti, atque decumbenti, quies gratior, atque dulcior accidit, quàm alteri; hic refici magis, refocillari, ac recreari dicitur. Ad eundem modum inquit August. In eodem summo bono beati pro meritorum, & laborum diuersitate, plus, minúsve conquiescunt.

Eccles. 5. num. 1.

Vnde iam constat secundùm nostram sententiam, cur mors cum somno, ac sopore conferatur; nam ei, qui plus laboris in comparanda gratia, & acquirendis meritis impendit, dulcior vtique, ac suauior accidit mortis sopor; ideóque Tertullian. libr. de Anima cap. 45. in medio, ait: Somnus corpori prouenit in quietem; extasis animæ accessit aduersus quietem, & inde iam forma somnum extasi miscens, &c. Et iterum cap. 43. post medium, ait: Ille fons generis humani Adam ante ebibit soporem, quàm sensit quietem; ante dormiit, quàm laborauit: imò quàm edidit, imò & quàm profatus est, &c. Quibus in verbis acutè aduertit somnum illum non fuisse naturalem, sed soporem potius coactum à Deo immissum, eò quod non aduenit post laborem, neque post esum, neque post locutionem, est enim locutio quoddam exercitationis genus, cui somnus accidere spontè soleat. Addit insuper neque voluptati accessisse, neque delectationi, cum delectationem somni labore metiamur, & expendamus; Adamus autem minimè ante somnum laborauerat.

Eadem ergo de morte ferenda est sententia, nam illa, quæ non succedit exercitationi, labori, & merito, non voluntaria, sed coacta; non delectabilis, sed amara erit, imò lethargus dicetur, sopor nempe lethalis, & mortifer veternus, atque sine sensu lethum. Solemne medicis est lethargicos funiculis reductis retorquere, vt soporem excutiant, atque alia id genus aspera remedia, ad ipsos excitandos adhibere, & tamen illos sæpe sensui restituere non possunt. Mors ergo peccatoris obdurati, & nullo labore præuio, aut operatione sancta præueniente, veterno similis est, quod ex eo coniectari potest, quia licet animarum medici, quibus ligandi, atque soluendi potestas est, eorum conscientias velint soluere, ad rectúmque salutis iter reuocare, & reducere, id minimè possunt consequi. Itaque sicut vsquequaque semper somnus salutaris est, sed qui sequitur rectam operationem; sic & salutaris mors, quæ post operationem iustitiæ aduenit.

Hinc est quod Paulus Hebr. 4. gloriam sabbatismum appellat: præsentem verò vitam sex illis diebus similem dicit, quibus Deus fabricatus est mundum. Itaque, inquit, Hebr. 4. num. 9.

quit, *relinquitur sabbatismus populo Dei, qui enim ingressus est in requiem eius* (idest, Dei) *etiam ipse requieuit ab operibus suis* (idest, à laboribus huius vitæ) *sicut à suis Deus.* Quibus in verbis ostendit Paulus, multo felicius quieturos iustos ab omnibus operibus difficilibus virtutum, ab omni labore, & lucta contra vitia, & tentationes, ab omni mortificatione actiua, & passiua, quibus iusti laborant in hac vita, quam soleant requiescere, qui tota die laborarunt, dum nox accedit, & post diuturnam defatigationem requiem decumbendo sumunt. Paulum vero sic explicat ibi Chrysostom. hom 6. in Moral. Re vera illa est requies, vbi fugit dolor, tristitia, gemitus, & vbi neque sollicitudines, neque labores, neque agones: non est illic: *in sudore vultus tui comedes panem tuum:* non est illic: *in tristitijs generabis filios*, sed omnia pax, gaudium, iucunditas, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic inuidia, neque scelus, neque morbus, neque mors, non ibi tenebræ, neque nox, semper Dei claritas, non est fatigari, non fastidium accipere, semper in desiderium annorum perseuerabimus, &c. Quæ prosequitur, ostendens qualis futura sit ea requies, quæ post labores huius vitæ nos manet.

Optima sunt quæ hac de re habet Orig. homil.23. in Num. addit vero homil. 3. in Psalm.36. similitudinem ductam à filiis Israël colligentibus manna in hunc modum. Sicut in deserto sex diebus colligebant manna, in 6. autem die, non vnius diei victum, sed quantum sufficeret in crastinum colligebant, & vnusquisque comedebat in die sabbathi, quæ collegerat in die sexta: ita etiam nunc velut sexta quædam dies putandus est Domini aduentus, & tempus; atque idcirco dum sumus in die sexta, colligemus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit, dum aduenerit vera sabbathi obseruatio. Sic ille docet, quomodo in hac vita teneamur merita bonorum operum colligere, & coaceruare pro futura sabbathi requie in æterna beatitudine.

Sed adhuc obseruandum occurrit hoc in loco id, quod acute aduertit Augustin. Epistol. 117. cap. 12. libr. de Genes. ad liter. cap. 15. libr.3. confession. cap.36. libr.4. de Genes. ad literam cap. 28. religionem scilicet, & obseruantiam sabbathi esse solum præceptum cæremoniale, cum cætera primæ, & secundæ tabulæ præcepta moralia, & proinde perpetua fuerint, nec cum lege interierint; vnde intelligimus præceptum de obseruatione sabbathi figuratiuum fuisse, & indicasse veram requiem, & verum sabbatismum ad nos potius pertinere, post hanc vitam, neque apud Iudæos extitisse, nisi tantum in figura. Illud item obseruat Augustin. in sex illis diebus, quibus Deus creaturas condidit aliquas earum benedixisse, at diem aliquem benedixisse minime legimus, nisi diem septimum: *Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum:* vt intelligeremus veram festorum religionem, & obseruantiam, verúmque sabbatismum pendere ex operibus bonis, neque posse contingere veram requiem sabbathi nisi post labores huius vitæ. Vnde non mirum si Moyses huic diei non apposuit, neque adiunxit noctem, aut vespere, sicut in aliis diebus fecit, *& factum est vespere, & mane dies vnus, &c.* quia huius diei quieti, luci, & gloriæ nullus vlterius apponendus erat dies laboris, vtpote qui futurus est Genes. 2. num. 3.

æternus dies lætitiæ absque timore alicuius molestiæ, & laboris. Quod eleganter describit Isai.cap.66. cum ait: *Erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho:* vbi Augustin. lib. 20. de Ciuitate, cap.22. ad fin. ex eo quod sabbathum requiem significet ait: Erit requies ex requie, idest, vna requies post aliam requiem, vt nunquam perueniatur ad finem, festa excipient festa, & gaudia illa felicissima noua excipient gaudia. Theodoret. vero ait: Sabbathum ex sabbatho, idest, semper dies festos agent, menses enim Kalendas, & sabbathum festos dies nominat, quod in iis Iudæi festos agebant dies, &c. Ostendit autem prophera discrimen inter cætera sabbatha,& illud cœleste,inter requiem huius temporis, & æternitatis,quod hic post sabbathum ad quietem, iterum ad laborem reditur, & qui die festo quiescit agricola, illo transacto, reassumit aratrum, & ad agrum colendum reuertitur;at apud cœlestes ciues festiuus dies nascitur ex alio.

Isai.c.66. num.23.

Hic etiam videtur annotandum non abs re in operibus iustitiæ requiem consistere,& reperiri,non ob aliam causam (ni fallor) nisi quia veram iustitiam eisdem operibus comparamus,& promeremur; quietémque illam æternam iam veluti initiatiuè possidemus. Etenim Ambros.libr.de Noë cap.1.post medium aduertit; cur Lamech in vaticinium imposuerit filio suo nomen Noë, dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus*; id enim nomen sortitus est Noë, quia iustus, seu iustitiæ symbolum. Noë, inquit Ambros. dicitur latinè iustus vel requies, denique & parentes eius dixerunt, quia hic nos requiescere faciet ab operibus nostris, &c. Quod vtique si ad ea, quæ facta sunt referendum putes; cum diluuium sub eo factam sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus: nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verum si iusti viri mentem consideres, aduertes iustitiam solam esse, quæ aliis potius nata quam sibi. Hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, hæc rêuocat ad tristitiam, quia dum ea quæ iusta sunt, gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate, non dolemus graui dolore: nihil est enim quod maioris doloris sit, quam culpæ reatus. Requiescamus igitur ab omni cura terrenæ conuersationis, quæ corpus nostrum atque animum frequentibus vexat doloribus. Sic ille, cui accinit Philo lib. 2. legis allegor. dicens: Si quis roget cur Noë dicatur inuenisse gratiam coram Deo, priusquam aliquid boni fecisset: rectè respondebimus, quod Noë interpretatur requies, aut iustus, necesse est autem eum, qui cessans à peccatis & iniquitatibus, requiescit in honestate, & viuit cum iustitia, gratiam inuenire apud Deum, &c. Ex quibus patet requiem & festiuum gaudium, ac cessationem à laboribus in sola virtute posse reperiri, cuius interuentu veram assequimur Patriæ & beatitudinis requiem.

Patet insuper in humanis occupationibus laborem, non requiem, sed iugem defatigationem inueniri, neque aliquid, quod ad rem & salutem faciat, proindéque esse inutilem laborem, miserámque defatigationem, quo sensu eleganter dixit Salomon Ecclesiast. 1. omnia humana esse vanitatem. 1. inutilia, & minimè conducentia; vnde Athanas.in id Psalm.30. *Odisti obseruantes vanitates*,ait; Vanitates appel- *Eccles. 1. num. 2.*

laz

lat huius vitæ distractiones, quas qui operatur, in vanum laborat, &c. Quæ maior autem miseria esse potest, quam mercenariorum conditionem vilitate, & miseria excedere? mercenarius siquidem mercede sua pro labore impenso non fraudatur, quinimo promissum præmium iure exigit, & merito accipit; at miser peccator in vanum laborat, & vacuum mercede se constituit, quia sub peccato laborat. Addit vero Orig. ad dictum locum Ps. propterea Dauidem apposuisse particulam, *Superuacuè*, quod quantumuis homo in occupationibus huius vitæ versetur, & progredi sibi videatur, nunquam ad finem studiorum suorum poterit peruenire. Neque omittendus Nyssen. dum dicta Salomonis verba sic interpretatur. Vanitas eorum dicitur, quorum nullus vsus, quæ magno studio, & contentione facta sunt, nullo scopo proposito; vt quæ in campo arenoso fiunt ædificia; quæ fit aduersus stellas iaculatio; ventorum venatio, cursoris aduersus suam vmbram concertatio, quando contendit quispiam vmbræ suæ verticem ascendere. Et si quid eiusmodi inuenimus in iis, quæ facta sunt temere: quæ quidem omnia vanitatis verbo subiiciuntur. Vanitas enim est res inutilis, vel consilium, quod non potest consistere, vel studium quod non peruenit ad finem. Et in hoc sensu dixit Ambros. lib. de Pœnitent. inanem fructus sui auenam: & Tibul. lib. 2. Eleg. 2. herbam fallacem. In hac igitur vanitate versatur miser homo dum laborat sub sole, & nihil cœleste sibi proponit, nihil æternum meretur; sed dum terrenis se dedit, & immergit, inanem se reperit, deceptum, & omnino lassatum malo suo se sentit.

Quod si ad altioré, & superiorem finem velit actiones suas extrahere, dum voluptatibus incumbit, & insudat, delusum se sentiet, & pro requie laborem, pro Numine dolorem, pro fortitudine luctum, & infirmitatem potabit; sic enim deceptum inuenimus diuitem dum de diuitiis suis gloriabatur apud Oseam cap. 8. cum dicebat: *Verumtamē diues effectus sum,* Osee 8.
inueni idolum mihi: hallucinatus enim nu. 12.
diuitias, diuinum Numen censebat, & in eis cordis, ac mentis requiem se inuenturum arbitrabatur: at attentius cōsideremus quod Hebræa vox, *On*, non idolum tantum, sed etiam vim, fortitudinem, ac robur significat: is enim, qui pro diuitiis comparandis diu noctúque laborans insudauit, videtur sibi cum eis robur, & fortitudinem ad depellenda pericula, & quascumque difficultates superandas inuenisse, vt iam deinceps securus dormire possit, & sub vmbra diuitiarū perpetua requie potiri; at cum vera requies in solis virtutum operationibus, sicuti huc vsque diximus, consistat; attendat adhuc miser, non sine numine diuitiarum numen statim se prodere: etenim eadem originalis, & Hebræa vox dolorem significat, luctum, & sollicitudinem; insuper significat vanitatem, & concupiscentiam. Etenim miser qui diuitiarum idolum post innumeros labores, & immensa itinera inuenit, dum requiem sibi pollicetur, & arbitratur, in recentes incidit labores, in nouos impingit luctus, nouásque vanitates experitur, dirioréque concupiscentiæ ictus patitur, quibus ad laborandū denuo inducatur, & compellatur, sicut alibi cum Ambros. & aliis ostendimus in auaro diuite in maxima abundantia vigilante; ideóque Seneca de breuitate vitæ cap. 2. post med. ait: Aspice illos, ad quorum fœlicitatem concurritur; bonis suis suffocantur. Quam multis graues sunt diuitiæ? Quam multis conti-

nuis

nuis voluptatibus pallent? Quá multis nihil liberi reliquit circumfusus clientum populus? Omnes denique istos ab infimis vsque ad summos pererra. Hic aduocat, hic adest: ille periclitatur, ille defendit: ille iudicat, nec se sibi vendicat. Alius in alium consumitur, &c. Quibus ostendit nouam defatigationem inuenire etiam diuites, dum diuitias sibi acquirunt pro requie comparanda.

Hinc etiam intelligetur qua mente, & quam sano iudicio insaniam sic laborantium pro vanitate, vel irriserit, vel deplorauerit Salomon cum ait: *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* Quæ verba pro nostro argumento ad finem vitæ referunt Hieronym. Nyssen. Olympiod. & ex recentioribus, Lyra, Dionys. Olor. vt sit sensus; quid fructus tandem, quid meriti, aut boni inueniet ille, qui pro terrenis, & caducis voluptatibus in tota vita laborauit? vanus vtique labor, vanitas item laborantis. Suffragatur in hanc sententiam Chaldæus Paraphrastes, dum habet. *Quid reliquum est homini, postquam mortuus fuerit de omni labore suo?* Eleganter pro nostra sententia Isidor. ait: Quem stabilem fructum referat homo, etiamsi multis modis se torqueat in hoc, vt fructum aliquem inueniat?

Eccles. 1. num. 3.

Acute sanè Hugo Victorin. ponderat verba illa: *De vniuerso labore, quo laborat sub sole:* vt dicta sint ad irrisionem inutilis simul, & abiecti laboris, quo homines defatigantur, vt iterum, & in æternum fatigentur. Considerauit Eccles. inquit ille, quam abiecta, & misera sit mortalium conditio, qui in terræ superficie, quasi vermes quidam vana curiositate reptantes, subito lumine desuper infuso, quasi ad illusionem exciantur captare, quod vanè appetunt: & eodem post modicum subtracto, subita rursum cæcitate obuoluuntur, & nequaquam vltra in effectum prodire possunt, &c. In vanum laborare infimæ conditionis est, cum vilior sit, quam mercenariorum; at si attente rimari velimus peccatorum labores, miserabiliores deprehendemus; non solum enim fraudantur mercede laborum, quibus laborant sub cœlo, quinimo ideo laborant, & defatigantur in vita, vt iterum in eadem laborét, & post vitam in æternum torqueantur. Pro qua re videnda sunt quæ habet D. Basil. homil. 23. de non adhærendo rebus secularibus ante med. vbi inter alia ait: Frustra nobis ipsis sumus molesti, laborémque instituentes haud dissimilem ab eo, si quisquam seipsum seducens in dolium pertusum aliquid infundere voluerit. Hoc sane puto omnibus, etiam idiotis cognitum esse, quod nihil eorum, quæ in hac vita iucunda sunt, & quorum gratia plerique insaniunt, vere nostrum sit. Neque enim si quidam infinitam vim auri in hac vita coaceruant, idcirco perpetuo illis aurum hoc proprium manet, sed vel à viuentibus adhuc, licet vndique obligatum, ad potentiores transfluens aufugit, aut in mortis iam articulo constitutos deserit, nec vult vna cum possessoribus suis emigrare: sed isti quidem ab eo, qui animas violenter à misera hac carne separat, ad necessariam compulsi migrationem, ad pecunias crebro respectant, & quos à prima ætate sudores illarum gratia tulerunt, deplorant: diuitiæ vero aliorum manibus inhiant; istis colligendi tantum labore, & auaritiæ crimine inflicto. Sic ille ostendit inutilem laborem eorum, qui rebus temporalibus student, & quomodo laborantes peccata incurrant, propter quæ æternam pœnam, & supplicium sibi in futurum contrahunt.

Neque

Neque omittendus hoc in loco Neocæsariensis, qui illud, *Sub sole*, explicat per antithesin, quam habet cum homine; solus sub sole videtur non esse, vt animum, oculósque ad sydera tollere debeat cum corporeo vultu, non verò in ima demergere. Nemo, inquit ille, est, qui vtilitatem vllam iis annexam dicere possit, quæ homines humi reptantes, & corporibus, & animis perficere contendunt, rebus caducis, & temporariis addicti: supra sydera autem generoso animæ oculo ne tantillum quidem aspicere valentes, &c. Etenim mundani hanc

Genes. 3. num. 19. suæ vanitatis terram, cui maledixit Dominus, colunt, & excolunt perpetuo labore, & quantumuis in sudore vultus iugiter versentur, nihil tamen præter spinas, & tribulos eis germinat, quibus pungantur, & vulnerentur, ne sedeant, aut decumbant pro requie, & quiete. At verò qui supra solem laborãt, & pro cœlesti corona decertant, & operanrur, pro momen-

2. Cor. 4. num. 16. taneo, & leui tribulationis instanti æternum gloriæ pondus operantur, lucrantur, & merentur; & in fine laboriosæ vitæ animæ hinc discedentes, & ad superos ascendentes perpetuam beatitudinem possidebũt. Vnde iustè rogare possumus peccatorẽ frustra laborantem, & terrenis inhiantem: *Quid habet homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole?* E contra verò, qui pro æternis operatur, & pro futuris bonis laborat, congruenter admodum dicere potest illud Eccles.

Eccle. 51. num. 35. c. 51. *Videte oculis vestris quia modicum laboraui, & inueni multam requiem*; & aduocans ad fructuosum hunc labo-

Eccles. 6. num. 19. rem cap. 6. ait: *Quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad sapientiam, & sustine bonos fructus illius: in opere enim ipsius exiguum laborabis. & cito edes de generationibus illius*; quo sensu verum ha-

Prou. 11. num. 18. bet Salomonis sentẽtia Prouerb. 11. *Impius facit opus instabile*. Hebr. *facit opus mendax*, vel, *opus falsitatis*; Chald. *opera iniquitatis: seminanti autem iustitiam merces fidelis*: Hebr. *merces veritatis*: dicta etiã habent LXX. & Chald. *Et qui seminat in iustitia, veritas eius erit merces ipsius*: vbi Iansen. interpretatur de iusti, & impij operationibus, vt impius faciat opus fallax, & mendax, ex quo nullum fructum colligat; at iustus opera pia, & honesta, velut sementem iaciat, ex quibus vberrimi fructus proueniunt in æternam requiem, quam laborando acquisiuit: nam de iustis operibus dici potest, quod fructum afferant, alium trigesimum, alium sexagesimum, alium cẽtesimũ. Quinimo, & idem Salomon Prouerb. 14. ait: *In omni opere bono.* Prou. 14.
Hebr. *in omni labore, erit abundantia*, num. 23.
idest, qui pro virtute laborat, & pro vero bono operatur, satis abundè præmiabitur, & coronabitur.

Et Malachias disputãs contra eos, qui dicebant: *Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentũ, quia custodiuimus præcepta eius? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes*, &c. ait cap. 3. *Conuertimini*, Malach.
& videbitis quid sit inter iustum, & im- c. 3. n. 18.
pium; & inter seruientem Deo, & non seruientem ei. &c. Tunc enim requiem obtinebit, qui pro Deo laborauit, & operatus est iustitiam; at qui iniustè vixit, & in delitiis enutriuit cor suũ, nihil fructuosum operando, perpetuam patietur famem, & sustinebit inediam.

Pro qua re videndus erit Chrysost. Homil. 7. in 2. ad Cor. in Moral. post princip. vbi ponderat impium similem esse hyemi, nihil ex se producenti vtile, & proficuum. Hyems, inquit ille, est cura temporalium, atque hyeme tristior. Neque hic rigor, aut pluuia gignitur, & profundus limus, sed quod est, his omnibus grauius, gehennam gignit hæc hyems, ac gehennæ mala. Et quemadmodum in vehementi rigore congelescunt

membra, suniq; mortua: itidem & in peccatorum hyeme horror animæ nihil suorum officiorum peragit concreta velut à rigore conscientiæ. Quod corpori frigus est, hoc est animæ mala conscientia, &c. Sic itaque frigore malitiæ torpet impius, sic alget à charitate exul, sic friget calore cœlesti destitutus, vt nihil vtile, nihil ad vitam conducibile possit operari, proinde nihil ei superest, nisi æterna conflagratio.

Hoc sanè docuit Dominus, quando schema infructuosæ arboris proposuit, quam damnauit ad ignem
Luc. 13. num. 7. Luc. 13. vbi videndus erit Chrysolog. serm. 106. post princip. cum ait: Infructuosa arbor exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio possidentem: ac si excidere istam luctum est; sic homo vtique, qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneficium, excellentiam sensus, iudicium mentis, artis industriam, culturæ bonum, per steriles, atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat: sicut arbor è terra, sic iste è vita meretur excidi, &c.

En quid spectet miserum, & infructuosum peccatorem, qui nihil operatus in vita, sterilis inuentus est à Domino quærente fructus. Vnde Bernard. serm. 13. in Cant. post med. ait: Talentum creditum repetendum est cum vsura. Si inuentus fueris ad opus impiger, ad fructum referendũ fidelis, pro labore tuo mercedem accipies; sic quominus tolletur à te talentum, & nihilominus exigetur lucrum, & vocaberis seruus nequam, & piger, &c. Ne igitur hanc incurramus sententiam, oportet iugiter laborare, & somnum desidię, & torporis excutere, & ad operandum quàm citissimè vigilare, & quàm accuratè accingi.

Hinc Dauid enixè precatur Deũ: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte*. idest, ne patiaris mihi oculos claudi, adueniente pręmatura morte, nec præmissis operationibus. LXX. habent: *Ne vnquam obdormiam in mortem*, idest, ne lethargo sopiar, & veterno demergar. Heb. *Ne fortè dormiam dormitationem mortis*. idest, eam mortem incurram, per quam ad æternam damnatus demergar, & non ad vitam resurgam. Nam sicut dixit Auctor Sermonum ad fratres in eremo apud Augustin. tom. 10. serm. 44. in princip. Nunquam recordor me legisse mala morte periisse illum, qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluit exercere; habet enim multos intercessores pius homo, & ille, qui opera charitatis exercet hilariter.

Quid enim de piis hominibus dicere poterimus nisi id, quod frequenter legimus Apoc. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos*, &c. Græc. *comitantur*. Vbi eleganter Hugo Cardin. ait: Apoc. 14. num. 13.
Sequuntur sicut familia Dominum, &c. & quemadmodum apud homines vir præpotens, ac nobilis ex seruorum comitatu, & numero cognoscitur: ita sanctorum nobilitas, & affluentia meritorum ex multitudine, & præstantia bonorum operũ, etiam post mortem, potest intelligi. Imò curandum maximè est, vt dicti famuli boni sint, nobiles, eleganti forma præditi, pulchro virtutum omnium ornatu induti, vt nos ad supremam illam curiam comitentur; esse enim opera aliqua pinguia, & pulchra; alia exilia, & deformia docet Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel c. 5. expendens quomodo Abel de primogenitis, & adipibus obtulerit: assertque illud Psalm. 19. *Holocaustum tuum pingue fiat*; & illud Psalm. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*, &c. Psal. 19. num. 4. Psal. 62. num. 6.

Et quia longa est via, quæ è terra ducit ad cœlum, & facilis cum sit descensus,

ſcenſus, maximè terreno homini, eidem aſcenſus difficilis; adſunt proinde bona opera, quæ ſubleuant operantem, eúmque ſurſum conſcendere faciunt, & adiuuant aſſurgentem. Et cum præcepta duplici amore conſtent, Dei ſcilicet, & proximi, duplicem etiam admouent, & miniſtrant alam pro cœleſti huiuſmodi volatu; quod bene aduertit Auguſt. in Pſal. 103. ad illa verba: *Qui ambulat ſuper pennas ventorum*, vbi ita ait: Pennæ ventorum virtutes animarum, quibus ſurſum attolluntur; pennæ bona opera, rectè facta; in duobus alis habent omnes pennas, omnia enim præcepta in duobus præceptis ſunt: quiſquis dilexerit Deum, & proximum, animam habet pennatam liberis alis, &c. Quibus oſtendit opera iuſtorum, quæ in duplici veluti ordine conſiderantur, duas etiam alas adminiſtrare operantibus iuſtitiam, quibus ſtipatus cœlum conſcendere, ima deſerere, & quæ ſurſum ſunt petere poſſint.

Vel etiam iſtas duas alas in re præſenti dicere poſſumus fidem, & opus: vnde Chryſoſt. hom. 2. in cap. 6. Epiſtol. ad Rom. docet fidem ſine operibus ſimilem eſſe regi purpura induto, carenti tamen ſubditis: vbi vides opera appellari ſeruos fidelis hominis: & ſerm. de Fide, & lege naturæ tom. 3. appellat opera pediſſequa fidei, & Pſalm. 51. ad illa verba: *Sicut oliua fructifera in domo Dei*, per oliuam fructiferam opera intelligit, & per illud, *in domo Dei*, fidem interpretatur, habet ſiquidem iuſtus, qui ex fide viuit, opera, quæ fidem viuificant, & vitam æternam promerentur. Videndus hac de re D. Auguſt. libr. de Fide, & Operibus, & Tract. 10. in primam Epiſt. Ioan. ad illa verba: *Omnis qui credit quod Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Quis eſt, inquit, qui nõ credit quod Ieſus ſit Chriſtus? qui non ſic viuit quomodo præcepit Chriſtus. Nam vt rectè ait Auguſt. idem, quod dixit Petrus: *Tu es Christus Filius Dei viui*, dixerunt dæmones apud Marc. ſed dæmones ſubiunxerunt; *Quid nobis, & tibi eſt?* Marc. 1. & Luc. 4. Aliud eſt igitur, inquit Auguſt. confiteri Chriſtum vt teneas Chriſtum, aliud confiteri Chriſtum vt repellas à te Chriſtum. Et cum Paulus Hebr. 4. num. 11. dicat: *Feſtinemus ingredi in illam requiem*, ſtatim Ambroſ. exponit id faciendum eſſe per fidem, & opera, cum ait: Feſtinemus, quoniam non ſufficit fides, ſed debet addi, & vita fidei condigna, & multum ſtudium debet adhiberi ne fides ſit otioſa, opus eſt quippe omni volenti cœlum poſſidere, fidem operibus comitari; neque enim poterit altera ala deſtitutus ſola fide nixus in cœlum euolare. Matt. 16. num. 16. Marc. 3. num. 12. Marc. 1. num. 24. Luc. 4. num. 24.

Quoniam verò iuſtus operibus comitatus, & tanquam famulis circumdatus in cœlũ prodit, ideò Paulus addit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius*: hoc eſt, inquit Ambr. habeamus fiduciam, quamuis peccatores ſimus, eius gratiam recuperare poſſe, ſi tamen fructus dignos fecerimus pœnitentiæ, & fidem firmam vſque in finem retineamus, &c. Hoc etiam intellexit ſponſa cum ſolis floribus minimè contenta fructus inſuper requirebat, & poſtulabat dicens: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*, vbi eleganter Bernard. pro noſtro argumento fidem appellat florem, fructum verò intelligit charitatem, & opus; ſic verò habet ſerm. 51. in cant. poſt princ. Fidem florem; fructum actum intellige. Nec incongrue (vt opinor) id tibi videbitur, ſi aduertas quomodo inſtar floris neceſſario prudentis fructum, bonum quoq; opus fide oporteat præueniri: *Alioqui ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, Paulo atteſtante, Hebr. 4. num. 16. Cant. 5. num. 5. Hebr. 11. num. 6.

magis autem æquè ipso docente: *Omne quod non est ex fide, etiam peccatum est*; itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum; sed & *Fides sine operibus mortua est.* Sicut inutiliter quoque flos apparet, vbi non sequitur fructus, &c.

Rom. 14. num. 23. Iacob. 2. num. 20.

Non satis igitur est, si floris pulchritudo reluceat, & fides adsit, nisi fructus bonorum operum adsit. Inde enim est quod infructuosæ arbores, steriles rami exciduntur, & in ignem mittuntur, quod scilicet bonorum operum fructus minimè ferant. Qua in re notanda venit acuta obseruatio Ambrosij circa impietatem Doeg Idumæi; etenim deducit eam ex officio, quo fungebatur. Nam qui 1. Reg. 21. dicitur *potentissimus pastorum*, appellatur à LXX. *mulorum custos*, quã lectionem sequitur Ambr. lib. 5. in Luc. c. 6. ante med. vbi loquens de operibus iustitiæ ait: Nec Doeg figura vacat, qui erat custos mulorum, eo quod nemo alius nisi infructuosi gregis custos Iudæ typum proditoris impleret, &c. Quasi non potuerit esse figura impiissimi proditoris, nisi infructuosis, & sterilibus incumbens animalibus, per quæ sterilẽ indicant, & produnt animum: iam verò qui talis est, à Domino damnatur, cui nec etiam flores placent sine fructu, quãto magis omnimoda sterilitas?

1. Reg. 21. num. 7.

Videndus pro hac re erit Cyrill. Alex. lib. 8. in Genes. vbi in sensu mystico explicat historiam Rebeccę, cui seruus Abrahæ dedit armillas, & inaures Genes. 24. intelligit autem per Rebeccam Ecclesiam, seruum autem Abrahę Apostolis comparat, in aures verò fidei assimilat, quia fides ex auditu, armillas verò operibus accommodat, quia in brachiis, & manibus inseruntur. Qui ergo in Ecclesia degit, debet aures fidei applicare, manus verò operibus extendere, quibus tanquam armillis exornantur. Similia sunt quæ habet Theod. in c. 2. ad Coloss. cum ponderat verba illa Pauli: *Sicut accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide abundantes in illo:* vult enim Theod. Paulum loqui de fide, & operibus, vt radicatio tribuenda sit fidei, superædificatio vero operationibus. Firmam fidem ostendentes, inquit, hoc enim dixit *radicati*: & possessionem virtutis adiicientes; hoc enim significat illud *superædificati*, &c. Debemus siquidem fidem operibus comitari, vt vtrinque stipati viam iustitiæ securè decurrere possimus.

Gen. 24. num. 22.

Coloss. 2. num. 6.

Optima item sunt, quæ habet Cyprian. lib. de Opere, & eleemosyna cum explicat illud, quod Christus Seruator dixit Luc. 19. *Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ*, docet igitur Cypr. eum hominem vocari filium Abrahæ, eo quod fidem cum operibus coniungeret, sicut patriarcha ille fecerat. Nam si Abraham, inquit, credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, vtique qui secundum præceptum Domini eleemosynas facit, Deo credit, & qui habet fidei veritatem, seruat Dei timorem: operatur enim ideo quia credit, &c. Similia sunt quæ in hanc sententiam habet Orig. homil. 26. in Numer. & homil. 6. in Ezech.

Luc. 19. num. 9.

Comitantur itaque iustum ipsa recta opera, quæ fidei apponuntur. Et quia nihil externum ad nos magis accedit, & coniungitur quàm vestis; actiones virtutum tanquam vestes scilicet, pro ornamento, vel tanquam thoraces pro munimine, & defensione nobis adhærent. Hinc est quod Apoc. 19. cum sermo est de ornamẽtis sponsæ dicitur: *Datum est ei vt cooperiat se byssino splendenti, & candido, byssinum enim iustificationes sunt sanctorum*; vbi D. August. hom. 17. in Apoc. legit:

Apoc. 19. num. 8.

legit: iusta facta sanctorum, & docet per byssinum intelligi splendorem virtutum iuxta illud Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur iustitia:* quia verò per manus intelliguntur operationes, & ipsæ quidem, easdem maxime ornant, & illustrant, vnde armillæ in Scriptura dicuntur, vt videre est apud Hieronym. in cap. 16. Ezech. Orig. homil. 6. in Ezech. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 9. vbi ponderat armillas, quas seruus Abrahæ dedit Rebeccæ, de quibus paulo superius diximus cum Cyrillo. Videndus etiam Gregor. lib. 30. Moral. cap. 10. cum explicat armillas oblatas in cultum Tabernaculi. Similia sunt quæ habet August. serm. 75. de Tempore.

Psal. 131. num. 9.

Illud autem aduertendum in hoc bonorum operum comitatu, quod cum mortuus homo secum non deferat quidquam ex bonis, quæ possidet, iuxta illud Psaltis: *Cum interierit, non sumet omnia*; imo iuxta eundem, *relinquet alienis diuitias suas*; sola tamen recta opera secum defert, quæ iuste operantem nusquam deserunt: vnde eleganter Bernard. serm. 4. de Aduentu statim post princip. loquens de auro, & argento ait: Si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum, sed homo cum interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Similia sunt quæ Chrysol. serm. 22. ante med. vbi ait: O homo si sic permāsurus es hic, quæ tua sunt cur relinquis? Qui relinquenda seruat, alienorum custos est, non suorum, &c. Quæ elegantissimè prosequitur: suffragatur item Augustin. serm. 5. de Verbis Domin. cum inter alia ait: In regione aliena, & mox relinquenda, qualis terra, thesaurum recondit insanus, cuiusinodi cœlum semper inhabitandum, transfert mente sanus, &c.

Psal. 48. num. 18.
Psal. 48. num. 12.

Veræ ergo diuitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Quapropter merito Auson. in Epigram. 53. commentatur Diogenem in altera vita videntem Crœssum operibus bonis vacuum irrisisse, quod pauperem eum viderit, quantumuis in vita opibus abundauerit, sic enim habet:

Effigiem Rex Crœsse tuam ditissime regum
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit vtque procul, solito maiore cachinno
Concussus dixit: quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt regum rex ô ditissime, cum sis,
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcumque habui mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœsse fers opibus.

Quærendi proinde sunt veri comites, qui hominem vbique comitantur, & hic commorantem, & hinc abeuntem; quærendæ veræ diuitiæ, quibus anima ditatur, & exornatur.

Sunt item bona opera arma, quæ inimicos arcent, quæ iustum ab hostibus ruentur, eúmque triumphantem in cœlum introducunt, quæ est ratio cur in beatitudine scribantur sancti habentes palmas in manibus, habent autem palmæ similitudinem gladiorū, per gladios namque & per aduersitates, atque adeo iugiter pugnando, & operando, peruenitur ad quietē æternæ beatitudinis. Etenim Hugo Carensis in commentariis ad Psalm. 91. obseruat folia palmæ esse instar gladij; quæ similitudo significat per gladios, enses, lanceas, & labores esse transeundum; atque adeo palmam gloriæ nonnisi in gladio, idest concertatione, & cōgladiatione

comparari, iuxta illud. 2. Timoth. 2.
2. Timot. 2. num. 5. *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit*: est siquidem militia vita nostra super terram, & militare exercitium Dei obsequium in Ecclesia
Isai. 24. num. 21. militante; vnde illud Isaiæ 24. *Visitabo super militiam cœli*; alij legunt: *Visitabo super ministros templi*. Vnde infertur idem esse seruos, & ministros templi, ac milites templi, & per consequens ministros Dei, ac milites Dei; quod adhuc ostendo
Num. 8. num. 24. ex cap. 8. lib. Numerorum, vbi statuitur lex Leuitis, iuxta quam qui habent viginti quinque annos ministrent in tabernaculo fœderis. Hebr. habetur: *Vt militiam exerceant in tabernaculo fœderis*; de quo argumento videndus erit Augustin. lib. de Verbis Domini secundum Matth. serm. 19. & Basil. tom. 2. admonitione ad filium spiritualem, & in hoc sensu
2. Timot. 2. num. 3 dixit Paulus ad Timoth. *Labora sicut bonus miles Christi*; vbi Chrysostom. quem sequitur Theophyl. ait: Non igitur militem decet labores recusare: imo tum maximè dolere cum non habet, &c. & Theodoret. Respice, inquit, cuius sis miles; & fer forti animo labores militiæ, & cum bellum sit res laboriosa, & graue Martis opus, parato animo esse debet ad laborum tolerantiam, qui nomen Christo dedit, & sicut ait Tertull. in Apolog. circa finem; bonus miles præliatur omnibus viribus, quia victoriam, & gloriam hac ratione consequitur.

Videndus item Tertullian. lib. ad martyres, vbi post multa tandem ait: Vocati sumus ad militiam Dei viui. Nemo miles ad bellum cum delitiis venit: etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati iam ediscunt: in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo. Sudore omnia constant; ne corpora, atque animi expauescant. De vmbra ad solem, de sole ad cœlum, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Agonothetes, Deus viuus est, corona æternitatis. Similia habet Basil. in Act. serm. 1. vbi loquens de militibus Christi ait: Miles non domos ædificat, non comparandis agrorum possessionibus vacat.: non etiam variis se mercaturarum generibus immiscet, &c.

Videndus etiam Dionys. Areop. de Eccles. Hier. cap. 7. part. 3. vbi ait in baptismo adhiberi sacrum oleum, vt hoc signo intelligant baptizati se inungi tanquam Athletas Christi, ac proinde vocari ad sacra certamina pro pietate, & fide suscipienda. Morem etiam fuisse scribit, vt oleum defunctis infunderetur; redditque rationem, cur hoc fieret in baptismo, & in morte, his verbis. Atque tunc quidem olei vnctio baptizandum euocabat ad sacra certamina: nunc autem infusum oleum signat eum, qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. Sic ille.

Aduertendum tamen, quod in hoc agone, & certamine Christiano Deus non tantum iubet præliari, sed adiuuat præliantes, quod bene prosequitur August. serm. 105. de Temp. post princip. in hæc verba. Adiuuat certantes, qui certamen indixit. Non te sic spectat Deus in agone certantem, vt populus solet athletam; clamore enim monet populus athletam, adiuuare non nouit. Coronam parare potest, qui indixit certamen, vires autem subministrare non potest. Deus autem quando spectat certatores suos, adiuuat eos certantes, & inuocantes. Nam vox athletæ ipsius est in Psalm. 93. cum ait Propheta: *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua* Psal. 93. num. 18.
Domine

Domine adiuuabat me. Sic August.cui accinit Chrysost. homil. 42. in Genes. vbi inter alia ait: Deus noster simul nobiscum certat, & manum porrigit; certe nunquam in Olympiacis certaminibus tale quid inueniet, &c. Similia sunt, quæ habet Cyprian. lib.2. Epistol.6.& Dionys. Areop. lib. citat. cap. 2. ad finem vbi ita ait: Certantibus præmia proponit, vt Deus; leges autem certaminis tulit, vt sapiens; præmiáque vincentibus decora constituit ipse, & pulcherrima,& quod est profecto diuinius; ipse, vt est summè bonus, & clemens, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans pro ipsorum salute,atque victoria,aduersus mortem, & corruptionis imperium pugnat,&c.

Pugnare proinde debemus pro comparanda corona æternæ gloriæ, quæ nonnisi certantibus datur, vbi Tertull. lib. de Corona militis ad finē, hortatur nos vt imitemur Christum Dominum pro nobis spinis coronatum. Illam, inquit, Christi coronam æmuleris, quæ postea ei obuenit; quia & fauos post fella gustauit, nec ante rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quam rex Iudæorum proscriptus in crucem; minoratus primo, & ita gloria, & honore coronatus est, &c. Scitúmque illud Gregor. homil.33. in Euangelia. Ad præmia magna perueniri non potest,nisi per magnos labores. Delectet ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat magnitudo certaminum, &c. Recolendáque erit semper hac in re admonitio illa Chrysost.homil.7. in Act.Apost. dum ait:Tempus adest certaminis,tu autem sericis indueris; tempus excitationis; tempus stadij: tu autem quasi ad pompam teipsum ornas. Quomodo vinces? &c.

Obseruandus venit hoc in loco ille apud Iobum, cap.9. vbi dicitur; *Qui graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum, & Oriona*; vbi Gregor. libr.9. Moralium, cap.5.6. & 7. Iob 9. nu.8.
Orionum nomine eos accipit, qui gladiis occisi vitam Deo,& pro Deo offerunt. Quemadmodum enim,inquit ille, Oriones in pondere temporis hyemalis oriuntur: ita martyres pondus persecutionum, molestiásque tolerantes quasi in hyeme veniunt,&c.Imo inter persecutiones coruscant, & suæ virtutis splendorem effundunt. Illud porro addiderim, Orionem cum districto gladio depingi, qui tamen gladius ex syderibus constat, quoniam ille ipse persecutionis gladius, idem pro virtute, & iustitia gladius assumptus, & perpessus syderibus coruscat, imo totus syderius est, & ex stellis confectus; totidem enim syderibus beatus quisque in cœlo rutilat, quot molestiis,& laboribus probatus fuit, & excussus; hac enim ratione beati dicuntur labores; vbi notandus occurrit Hieronym. ad illa verba Eccles. *Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus belli, & tempus pacis.* Tempus,inquit,belli est,quandiu in præsenti sæculo sumus; cum autem migrauerimus de hoc sæculo, pacis tempus adueniet; in pace enim est locus ille. Nemo ergo se nunc putet esse securum in tempore belli,vbi certandum est, & apostolica arma tractanda, vt victores quondam requiescamus, &c. Et in eodem sensu dixit Augustin. in Psalm. 60. ad illa verba. *Turris fortitudinis à facie inimici.* Non dico, inquit, sic esto in ista turri, vt vaces ibi, & sufficiat tibi ad te hostis tela quod non perueniant; age ibi aliquid, non cessent manus, opera bona tua gladij sint interficientes inimicum, &c. Et ad hanc pugnam excitauit nos Christus in Cruce ex eodem August.

August. in Pſalm. 62. vbi ait: Leuauit pro nobis Dominus Deus noſter manus in cruce, & extenſæ ſunt manus eius pro nobis, vt manus noſtræ extendantur in bono opere, &c. Quibus ſimilia habet Bernard. ſerm. 2. de S. Andrea in med. cum ait: Simul crucifigamur (ſcilicet cum Chriſto) & nos; attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis: *Qui vult venire poſt me, &c.* ac ſi dicat, qui me deſiderat, ſe deſpiciat; qui vult facere voluntatem meam, diſcat frangere ſuam. Sed continuo bella inſurgunt, armantúrque contra nos inimici: & nos armemur contra, imitemur arma regis noſtri, vt tollamus & nos crucem noſtram, in qua de inimicis noſtris triumphemus.

Neque vero exiſtimandum eſt in hoc certamine oportere vt victor ſuperuiuat victo, nam & moriendo vincimus. Vnde 2. Reg. 2. Dauid appellauit agrum robuſtorum, in quo omnes bellatores occiſi ſunt, & dux noſter moriendo vicit, tantum oportet vt ſtrenue decertemus; & pro certamine accingamur: vnde in benedictionum ſerie poſuit Iacob Gad, deinde vero pinguem panem Aſer, & delitias regum, quoniam Gad interpretatur accinctus, at vero recte operantes accincti, & expediti ad bellum, & ad ſuperandos hoſtium ictus, & inſidias beatitudine cœleſti donantur; præcinctus vtique erat Dauid cum dicebat Pſalm. 7. *Præcinxiſti me virtute ad bellum*; præcinctóſque nos voluit Dominus cum dixit; *Sint lumbi veſtri.* Poſt Gad itaque, ideſt præcinctum, armatum, ac munitum ad prælium, Aſer, ideſt, beatus deſcribitur, quia ſuperantibus, decertantibus, ac vincentibus, corona beatitudinis confertur, iuxta Iacobi, c. 1. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

2. Reg. 2. num. 16.

Exiſtimauit ſponſa ſe poſſe frui amplexibus diuini ſponſi ſub quiete thalami, inuitauit proinde illum dicens: *Lectulus noſter floridus, &c.* At ille ſtatim in cap. 2. vocationi ſponſæ ſatisfaciens appellat ſe florem campi, quoniam eum in campo, & in caſtris oportebat quærere, & aperto, ac præuio certamine decerpere, quod eleganter proſequitur Bernard. ſerm. 47. in Cantic. poſt med. dicens: Illa monſtrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat, nec putat quidquam perſuaſibilius fore illi ad ineundum certamen, quam ſi ſeipſum certantis, aut exemplum proponat, aut præmium. *Ego flos campi.* Sane vtrumuis in hoc ſermone intelligi datur, vel quod ſit, videlicet, pugnantis forma, vel quod gloria triumphantis: Vtrumque es mihi Domine Ieſu; & ſpeculum patiendi, & præmium patientis. Vtrumque fortiter prouocat, ac vehementer accendit: Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ, tu caput meum poſt victoriam, tuæ coronas præſentia maieſtatis; ſiue quia pugnantem te ſpecto, ſiue quia te ſpecto, non ſolum coronantem, ſed & coronam; in vtroque mirabiliter tibi me allicis; vterque funis violentiſſimus ad trahēdum. *Ego flos campi.* Qui diligit me, veniat in campum; non refugiat mecum, & pro me inire certamen, vt poſſit dicere: *Bonum certamen certaui.* Sic ille oſtendit quomodo nonniſi inito certamine, & præuio labore, liceat frui ſuauiſſimo odore huius floris, Chriſto ſcilicet regnante in cœlis.

Cant. 1. num. 16. Cap. 2. num. 1.

1. Timot. 6. num. 12.

Hæc proinde eſt ratio, cur ſancti in gloria proponantur habentes palmas in manibus, verſatiles, ſcilicet, gladios, imo non verſatiles, ſed permanentes, fulgentiſſimos tamen, quibus victorias de inimicis

micis reportarunt, & coronas beatitudinis compararunt, ideóque Gregor. homil. 17. in Ezech. loquens de huiusmodi palmis ait: Palmas in manibus tenere, est victorias in operatione tenuisse, cuius operationis palma ibi tribuatur, vbi iam sine certamine gaudebit, nam de statu huius vitæ dicitur Ezech. 4. *Ante frontes picturæ palmarum*; nec enim dictum est palmæ, sed picturæ palmarum: nam hic plerumque sanctos aspicimus mira agere, sed hæc nódum palmæ sunt, sed picturæ palmarum, quia de eis foris ostenditur quales apud Deum intus habeantur, &c. Hic igitur decertandum, laborandum, & operandum manibus, & gladiis, vt postea palmæ in illis conspiciantur.

Pro qua doctrina obseruare licet *Leuit. 27. num. 32.* illud Leuit. 27. vbi dicitur: *Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit sanctificabitur Domino:* vbi profecto non sine mysterio putandum est Domino decimari ea, quæ sub pastoris virga transeunt, videtur enim similitudo ducta à pastoribus, quatenus extensa virga pecus suum numerare consueuerunt, quod innuit Græc. Text. cum habet: *Et omne, quod venerit in numero sub virga*; proinde videtur docere & inculcare sacer Text. duo quidem hoc in loco: vnum est, gregem fidelium solitum esse numerari virga, quoniam quos diligit Dominus castigat, neque recipit in æterna illa, ac semper virentia beatitudinis pascua, nisi quos hic virga prius percutiendo probauit, & exercuit, quo videtur alludere Deus in Ezech. di- *Ezec. 20. num. 37.* cendo: *Et subijciam vos sceptro meo:* secundùm alias editiones; *Transire vos faciam sub virga mea* & pro eo, quod additur in nostro vulgato: *Et inducam vos in vinculis fœderis:* Græcus emendatus habet; *In numero testamenti:* eos enim reputat Deus filios, & gratos, tanquam filios noui testamenti, quos transire facit sub virga, & probatione. Similem etiam allusionem habemus Psalm. 22. in illis verbis: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt:* in Psalterio autem Nebiensi habetur: *Castigationes tuæ rectæ, & lex tua, ipsa me consolata sunt.* Virgæ autem nomine Augustin. Origen. Remig. Hieronymus ibi, & Epistol. 127. Manſ. 23. & in cap. 14. Isai. & in cap. 1. Ierem. & Zachar. 1. Chrysostom. in Psalm. 29. Clemens Alexandrin. 1. Pædagogi cap. 7. intelligunt leuiorem castigationem à Deo inflictam; baculi verò vocabulo grauiorem animaduersionem interpretantur, sensus verò dicti loci est: habes me in ouium tuarum numero, sum tibi curæ, regis me virga, seu baculo, ac pedo tuo; corripis me hinc, hinc sistis, & quia diligis, castigas, neque enim recipis nisi virga, aut baculo probatam ouem. Alterum est quod ibi notauit glossa, non placere Deo decimas pecorum, nisi sint ex eis, quæ sub pastoris virga transeunt, idest, Christi Crucem, seu ab illo datam amplectuntur. Vel etiam potest hoc referri ad segregationem illam, quæ fiet post mortem, secundùm opera in vita facta, iuxta illud quod Christus Dominus dixit: *Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* *Matt. 25. num. 32.* Super quæ verba videndus erit Chrysostom. homil. 80. ante medium, vbi ait: Nunc non segregati, sed mixti sunt vniuersi, tunc verò exquisitissima separatio fiet, & ab ipsa vtriusque partis statione, ita distincti, vt pateant vniuersis: quamuis etiam hac appellatione mores vtriusque partis aperiantur, cum alij hœdorum, alij ouium nuncupatio-

ne nominentur, vt aliorum sterilitas, quia nihil ab hœdis producitur, aliorum fertilitas ostendatur. Vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, à lactis copia, ab elegantia lanæ, à fœtu, quibus omnibus hœdorum genus omnino caret. Sed expertes rationis animantes, natura duce, fructificant, aut steriles sunt: homines verò voluntate vtrumque istorum faciunt, quapropter meritò alteri puniuntur, alteri coronis decorantur. Sed non prius eos tormentis tradit, quam de iure cum eis disceptet, &c.

Ij igitur, qui iuxta opera recta in vita patrata separandi sunt ad dexteram Christi Iudicis, & qui in vita numerantur à virga, placent Deo, & reputantur oues Christi, distinctæ quidem ab hœdis. Debet proinde homo bona opera sectari; & prosequi, populum namq; sectatorem bonorum operum elegit Deus, vbi Hieronym. & Ambros. vertunt æmulatorem, & Chrysost. ibi ait: Vides vt non simpliciter à nobis opera virtutum exigantur? Addidit nempe sectatorem, hoc est magna cum alacritate, atque ingeti studio, & animo virtutis opera capessentem. Qua in re vehementia quædam adsit, necesse est, animo laudabilis, &c. Et Christus Dominus Matth. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*, &c. vbi Chrysost. aduertit non dixisse; si quis vult stare, sed venire, quia in via Dei nullatenus standum, sed ambulandum, laborandum, & accedẽdum est, ideóque Ambros. ad illud Psal. 1. ibi: *In via peccatorum non stetit, ait.* Viam dicit vitæ huius cursum, in dubium non venit. In via es ô homo, ambula vt peruenias; ne te nox in via occupet: ne consumatur dies vitæ, antequam progressum vitæ acceleres, viator es, vitæ huius omnia transeunt, omnia post te fiunt. Dum ambulas, incidisti

1. Tim. 2. num. 14.

Matt. 16. num. 24.

in scopulosum, & confragosum iter; tædiasti parum, & iterum transisti. Talis hæc vita est; cuius nec prospera manent, nec diuturna sunt. Ergo quasi in via locatum neque secunda extollant, neque aduersa te frangant: nec plausibilia remorentur, nec mœsta detineant. Festina semper ad finem, festina vt peruenias, &c.

Adeo verò hoc necessarium est, vt etiam prædestinati debeant per bona opera sua, certam vocationem, & electionem suam facere, licet enim Deus vocet, & eligat, quia vult, non propter nostra præuisa opera, sicut probatissimi docent Theologi ad 1. D. Thom p. q. 23. tamen vt illuc perueniant electi, & prædestinati, quò ipse vult; inter media, conditionésque decreuit opera bona, quibus pręstandis gratiam præbet efficacem, præsciens liberum, sed infallibilem nostrum assensum, & concursum nostræ libertatis, quando Deus talem gratiam conferret; quo sensu nostra prædestinatio pendere dicitur à nostra voluntate, esséque in nostra potestate: sed non absolutè, quatenus scilicet significat primam electionẽ, & vocationem, cuius quidem causa in nobis, aut meritum nullatenus adest, sed ex beneplacito, & beneficio Dei omnino dependet.

Quæ doctrina magis aperitur ex D. Thom. 1. p. q. 23. art. 8. in corpore, vbi ait; in prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet, ipsa præordinatio diuina, & effectus eius. Quantũ igitur ad principium, nullo modo prædestinatio iuuatur precibus sanctorũ; non enim precibus sanctorum fit, quod aliquis prędestinetur à Deo. Quantum verò ad secundum; dicitur prædestinatio iuuari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus, quia prouidentia (cuius prædestinatio est pars) non subtrahit causas secundas, sed sic prouidet effectus, vt

etiam

etiam ordo causarum secundarum subiaceat prouidentiæ. Sicut igitur sic prouidentur naturales effectus, vt etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non prouenirent: ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promouet in salutem: velut, orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi sine quibus aliquis salutem non consequitur. Vnde prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum: quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur, propter
2. Petr. 1. num 10. quod dicitur 2. Petri 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Sic ille ostendit quomodo etiam prædestinati debeant insudare comparandis effectibus suæ prædestinationis, atque adeo pro adipiscenda salute operando laborare; qua de re videndus Gregor. lib. 1. dialog. cap. 8. vbi ait: Ipsa perennis regni prędestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, vt ad hoc electi per laborem perueniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis Omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare, &c. Verum enim hac in re habet id, quod D. Thom. loco cit. ad secundum ait; quod licet Deus sit prima causa, à qua cæterę dependent in esse, & operari, & cum eis immediatè concurrit ad omnes operationes suas; tamen dignitatem causalitatis creaturis communicat, vt præmium, & coronam consequantur, quam operando merentur: imò potius & ipse Deus nos ad operandum excitat, & in operando comitatur, & signum præsentiæ Spiritus Sancti in nobis est, si operibus incumbamus; qua de
Num. 11. num. 25. re videndus Orig. homil. 6. in Num. ad illud cap. 11. *& requieuit super eos spiritus, & prophetauerunt*, &c. Vbi ait: Continuo operatur spiritus, nec otium patitur, vbi operandi materia digna suppeditat, &c.

Hinc est quod opera testantur de quolibet homine, vtrum Dei spiritu polleat, an ab eo sit destitutus, ideóque Auctor operis imperfecti in Matth. hom. 3. loquens de Ioanne Baptista ait: Ipse testificabatur de Christo, vita autem eius de ipso, nam testimonium verborum eius nequaquam fuisset idoneum, nisi eum mirabilis vitæ institutio commendasset, &c. & D. Gregor. 6. Moral. cap. 16. infert eum, qui pro adipiscenda æterna vita hic laborat operando, posse vtique iam in spe de futura beatitudine lætari, sic enim habet. Quisquis ad vitę pręcepta se dirigit priusquam præmia æterna percipiat, hic iam initia securæ in perpetuum securitatis degustat, vt antiquum hostem non metuat, & interueniente mortis articulo, violentos eius impetus nullatenus perhorrescat; iustis namque initium retributionis est, ipsa plerunque in obitu securitas mentis, &c. Quæ latius in hanc sententiam prosequitur ostendens ipsam secundùm virtutem operationem in vita, quandam securitatem in morte parere, cum enim videat se iuxtà mandatorum Dei normam, agendo, & exequendo adaptasse, existimat ad se iure spectasse ea bona, pro quibus tandiu laborauit.

Idcóque merito Salomon in Prouerbiis cap. 7. *Fili mi, serua mandata mea, liga ea in digitis tuis*; quæ posteriora verba possunt explicari ex Deut. c. 6. vbi habetur: *Erunt hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo; & narrabis ea filijs tuis, & ligabis ea, quasi signum in manu tua*, vbi Caiet. & Iansen. similitudinem duci existimant ab illis, qui cum alicuius rei meminisse volunt, filum, aut simile quid Prouer. 7. v. 2. & 3. Deut. 6. num. 8.

pro ſigno digitis circundant. Senſuſque tunc eſt, perinde legis memineris, ac ſi in digitis illam pro ſigno geſtares. Alij vt Rodolphus explicant, vt ad eum modum lex decem præceptis contenta memoria teneatur, quemadmodum decem vtriuſq; manus digiti in proſpectu ſunt; vel fortè hoc referri poteſt ad artem memoriæ ab antiquis obſeruatam, quam à Simone quodam Melico inuentam docet Plin. lib. 7. cap. 24. ſecundum quam, qui multas res memoria complecti volebat, ſingulas ſingulis digitis, animo, & cogitatione committebat, deinde verò ab eiſdem repetebat, cuius rei veſtigia extant apud Quintilianum lib. 11. cap. de Memoria, & apud alios Rethoricæ artis peritos in tract. de Memoria; ſenſuſque erit: vt è memoria nunquam lex tibi excidat, ſingula præcepta ſingulis digitis accommoda, inſere, & implica. At quæ nobis inſeruit expoſitio eſt, quam affert Salonius Vienneſis ad eadem verba tom. 1. Bibliot. ſic enim explicat: *Liga eam in digitis tuis*, id eſt in actibus; legem enim in digitis ligat, quicunque in bonis operibus eam ſtudet implere, & exornare; eæ namque manus, quæ fores Regni cœleſtis & ſponſi domus debent pulſare, oportet eſſe exornatas, & legis præceptis tanquam annulis illuſtratas.

Quod bene proſequitur Author operis imperfecti in Matth. homil. 18. ante medium, cum ponderat illud Luc. 11. *Pulſate, & aperietur vobis*, in hunc modum. Pulſat Deum, qui facit bona opera ante Deum, ſicut enim qui pulſat oſtium, non tantùm voce clamat, ſed & manu: ſic qui bona opera facit, quaſi manu pulſat Deum operibus bonis. Deinde ſi opera iuſtitiæ non facis, id eſt ſi non pulſas, nec orare ex fide potes: nam virtus orationis eſt opus iuſtitiæ; oratio autem quaſi odor ſuauitatis eſt operis boni. Sicut ergo res aliqua ſine odore poteſt eſſe, odor autem ſine re aliqua eſſe non poteſt: ſic opus ſine oratione aliquid eſt, oratio autem ſine opere bono nihil eſt: etſi oras, non ex fide oras, &c. Imò ſine meritis pulſare, & petere videtur idem eſſe, quod fatuæ virgines fecerunt, quibus dictum eſt: *neſcio vos*, quod vacuis gloriabantur lampadibus abſque oleo bonorum operum, & ſpeciem videtur continere ſimul impudentiæ, & imprudentiæ.

Luc. 11. num. 9.

Sedere quidem voluit, & quieſcere malus Angelus, qui propterea in dæmonem commutatus eſt, ipſius enim reputatur vox illa Iſai. 14. *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero altiſſimo*: quæ verba rectè expendens Bernard. ſerm. de Sancto Benedicto ait: O impudens, impudens! millia millium miniſtrant ei, & decies centena millium aſſiſtunt, & tu ſedebis? Cherubin (ait Propheta) ſtabant, & non ſedebant. Quid laboraſti, vt iam ſedeas? Omnes adminiſtratorij ſunt ſpiritus miſſi in miniſterium, & tu ſedebis? &c. Ecce qualis impudentia ſit ſine meritis pulſare, & ſine operibus petere. Qualis verò imprudentia ſit, poſſumus deducere ex eo, quod imprudentes appellauit Chriſtus Dominus filios Zebedæi Matth. 20. cùm dixit: *Neſcitis quid petatis*, vbi Rabanus ait: Neſciebant quid peterent, quia ſedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirebát. Delectabat eos culmen honoris, ſed prius habebant exercere viam laboris. Sic ille oſtendit imprudentes eſſe eos, qui abſque præcedentibus meritis gloriam, & honorem inquirunt, & poſtulant.

Iſai. 14. num. 13.

Matt. 20. num. 22.

Vbi etiam obſeruandus venit ille locus Cant. 1. vbi ſponſa quietis ſtudioſa ſponſum vocat ad quietem,

Cant. 1. num. 16.

ille

illE vero ad laborem prouocat, ficut superius aduertimus ex Bernar. Optima item sunt, quæ pro hoc argumento habet Chrysost. homil. 53. in Ioan. post med. cum explicat illud Christi Domini, *Regnum cœlorū vim patitur.* Matth. 11. vult enim intelligenda esse dicta verba de vi, & violentia, quam operando facimus, vt nobis ostium regni aperiatur, quæ non minor esse videtur ea, quam fures pro extrahendis foribus ad rapinam diuitiarum inferunt. Sic ergo habet Chrysost. Quid significat vim patitur? Vi opus est multa; angusta est via, robusta anima opus est & generosa; raptores cum præoccupare adnituntur, nihil respiciunt, non accusationem, non damnationem, non supplicium, illud solum curant vt præcurrant cæteros. Rapiamus ergo regnum cœlorum, quæ rapina non crimini, sed laudi datur: crimen est si non rapitur. Rapientem bene expeditum esse oportet, ne quid eum impediat, siquidem etiam nunc sunt potestates obuiæ, vt id nobis auferant. Nullam extrinsecus ansam relinquamus, incidamus funes, nudi à sæcularibus emergamus, &c.

Matt. 11. nu. 12.

Debemus itaque pro corona gloriæ decertare, & pro regno cœlorum operibus iustitiæ incumbere, nam sicut ea, quæ maiori labore comparata sunt, dulciora esse nobis videntur, sic & sine labore requies, sine fatigatione solatium, sine violentia, & pugna regnum, adultis & potentibus operari, & pati, neque continget, neque dulce & æstimandum adueniet: pretiosa res, inquit Greg. lib. 3. Moral. cap. 1. paruo pretio emi non potest; pretium autem, quo regnum cœlorum comparatur, labor est sanctæ operationis.

Iof 6. nu. 17. Mirum sane videtur cur Iosue præceperit, ne quis de castris Israëlitarum quidquam assumeret de spoliis Hierico captæ, imo quia Achan pallium coccineum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream contra præceptum impositum abstulit, lapidatus est, & omnia illius consumpta, id ex parte factum esse existimo, quia ciuitatis illius ingressus, & euersio contigit nullo præcedente labore; accidit triumphus sine prælio, spolia sine congressu, corona sine gladio, & victoria euenit sine concertatione; indecens proinde erat vt spoliis euersæ ciuitatis potirentur, qui pro eis haud fuerant præliati; nam in domo Dei labor præcedit præmium, operatio mercedem, & concertatio ac pugna coronam; *non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit, & quæ seminauerit homo, hæc & metet,* vbi D. Thom. ait: Secundum opera sua bona, vel mala, præmiabitur, vel punietur, & Chrysostom. Quemadmodum in semente, qui seminat, non potest ex hordeo metere triticum, eo quod oporteat & sementem, & messem esse eiusdem generis; sic & in operibus, qui in carne deposuerit delitias, temulentiam, concupiscētiam absurdam, quæ hinc proueniunt meter. Quæ autem sunt ista? Supplicium, vltio, probrum, risus, corruptio; quæ vero sunt spiritus, haud sunt eiusmodi, sed iis omnibus omninò diuersa, &c. Quandiu igitur dies est, debemus operari, *veniet enim nox, quando nemo poterit operari,* sicut dixit Christus Dominus Ioan. 9. vbi Chrysost. homil. 55. Euthym. & Augustin. tract. 44. per diem vitam præsentem intelligunt, & per noctem, mortē, & futuri sæculi tempus. Et sane dies vitam præsentem significat in sacris literis, sic Psal. 31. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die;* vbi per diem intelligunt ibi August. & Greg. præsentem vitam; & est frequens phrasis in Psalmis, de qua videndus est

Iof. 7. nu. 25.

2. Timot. 2. nu. 5. Gal 6. nu. 8.

Ioan. 9. nu 4.

Psal. 31. nu. 3.

Hilar. Canon.5. in Matth. Orig.homil.21. in Iosue, & hom.10. in Matt. Chrysost.homil.29. in Genes. Basil. in Psal.31. & in Psal.114. Ea igitur ratione dicitur vita præsens dies, quia sicut operationi dies est destinatus, nox vero somno, & quieti; sic & vita præsens, est, in qua debemus operari, mereri, & lucrari, vt adueniente nocte mortis, iure nobis contingat requiescere, & in Domino obdormire: qui vero in hac vita otio torpent, & nihil operantur, sane in peccato sepulti, mortui in vita sunt; at sicut aduertit Athanas. de Incarnatione Verbi, agere non est proprium mortui, &c. & ideo, qui gratiæ, & merito mortui prorsus sunt, & in hyeme peccati delitescunt, nihil fructuosum operantur.

Quod adhuc alia similitudine aperuit Arnob. in Comment. ad Psal. 141. illius scilicet, qui in carcere vndique constrictus, & concatenatus tenetur, ita vt neque manus possit extendere, quanto magis ad operationem exercere: funibus siquidem, & catenis peccatorum suorum constringitur impius, & superfluis negotiis, inutilibúsque præoccupationibus obruitur. Cum enim, inquit ille, carcerem paritur anima vestra, dum hinc, inde nobis clausam ad lectionem, vel orationem, vel ad bonum cursum, siue mundi occupationes, siue corporeæ delectationes efficiunt, &c.

Est optimus in hanc sententiam
Psal.103. num.5. locus apud Psal.103. cum Dauid ait impios ita sese habere, ac si prorsus non sint; cum enim vnusquisque sit propter suum operari, & opera naturam, & vitam cuiusque indicent, & ostentent; sane qui nihil pro beatitudine, ad quam conditus est, operatur, qui nihil ad vitam conducens exequitur, vita functum se probat, & quasi non sit: sic ergo habet Psalmista. *Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint.* Quæ verba eleganter Basil. interpretatur in cap.14. Isai. in fin. dicens: Tales (scilicet impij) ita conciderunt, vt ne subsistant, quod natura enim in eis prorsus defecit, eóque dictum est, & non est vt sit, deficiant enim, ait, peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint. Quibus in verbis Basil. ostendit frustra impios habere naturam, illiúsque organa, & potentias, cum nihil operentur proficuum, vtile, & meritorium.

Vbi statim sese offerunt vere mortui mundo, qui spiritu viuentes sola spiritualia quærunt, de quibus eleganter Cicer. 1. Tuscul. quæst. ait: Tota philosophorum vita est commentatio mortis; nam quid aliud agimus, cum à voluptate, idest à corpore, cum à re familiari, quæ est ministra, & famula corporis, cum à Republica, à negotio omni seuocamus animum, quid inquam tunc agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximéque à corpore abducimus? Secernere autem à corpore animum, nec quicquam est aliud nisi emori discere; quare hoc commentemur, disiungamúsque nos à corporibus, idest consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile: & cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabit cursus animorum: quò cum venerimus, tum denique viuemus: nam hæc vita, mors est. Sic ille describit mortem, à qua vita nostra futura pendet, & ostendit quomodo mortui sensibus iustitiæ viuamus, & futuram beatitudinem promereamur. Videndus in hanc sententiam Epiphan. lib. 2. contra hæreses, cum ponderat verba illa Pauli 1. Corinth. 7. *Hoc itaque dico* 1. Cor. 7. num. 29.
fratres; tempus breue est, reliquum est vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c. Sic enim habet. Ad eundem

modum

modum, quo ille, qui somno fruitur iucundissimo, oculos habet, auditum olfactum etiam, sed quasi non habeat: imo & ipse animus sic corpori adest, vt dissimulatione præsentiæ, abesse quodammodo videatur.

Quod si roges, quando tandem constabit hominem ad eum soporem, & animæ sedatissimam quietem, mortémque sensuum peruenisse? Subdit Epiphanius. Tunc cum ereptis sibi charissimis rebus non senserit dolorem. Propterea enim immisit Deus soporem in Adam, vt cum costã extraheret, doloris expers esset, atque passionis, &c. Tunc itáque sæculo te mortuum senties, iudicaréque poteris, cum temporalium rerum iacturas non dolueris, cùm à terrenis non tractum te senseris, cum à voluptatibus deductum te minime fueris expertus. Quod bene describit Ambr. Epist. 60. ad Anysium, vbi inter alia. Somnus sanctorum est feriatio ab omnibus corporis voluptatibus, & ab omni perturbatione, tranquillitatem mentis inuehens, placiditatem animæ afferens, quasi soluta nexu corporis se subleuet, & Christo adhæreat, &c. Suffragatur huic sententiæ Gregor. lib. 5. Moral. cap. 22. ad illa verba, *quando solet soporoccupare homines*; vbi inter alia, quæ videnda sunt, ait: Ille dormit, qui ab appetitu visibilium illos oculos claudit, quos primùs seductor aperuit, &c. *Iob 4. nu. 13.*

Qui igitur sic sæculo moritur, spiritu quidem viuit, qui sic terrenis dormit, pro cœlestibus vigilat, operatur, & laborat, & tunc maxime operatur, cum minus videtur operi intentus, hoc siquidem proprium est sanctorum, vt nunquam ab operando cessent, quo melius prædestinationis effectus consequantur; sicut bene aduertit D. Thom. 1. p. q. 23. art. 8. in fine corporis, cum ait: Prædestinatis conandum est ad bene operandum, quia per huiusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Et Greg. 1. Dialog. cap. 8. ante med. Ipsa perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotente Deo disposita, vt ad hoc electi pro labore perueniant, quatenus postulando (adde & laborando) mereantur accipere, quod eis Omnipotés Deus ante sæcula disposuit dare, &c. Quæ in hanc sententiam prosequitur.

Quod si velimus inquirere cur oporteat nos perpetuo addici labori, & operationi; id profecto non aliunde actum existimo, quam quod maius ingerant gaudium, & lætitiam, quæ præuio labore parta sunt, & in maiorem cedant gloriam, & honorem possidentium, neque item quod pretiosum est, & inter omnia æstimabili vili otio comparari debet, vnde Isidor. Pelusiot. lib. 1. Epistol. 387. ait: Præclarum est remuneratione, atque debito salutem adipisci, ac non semper gratiam; id quod est improbi, & maligni hominis, &c.

In quam sententiam recte interpretatur Salon. Viennensis Episcopus tom. 1. Bibliot. illud Prouerb. 13. *vult, & non vult piger*; de impio, qui gratis, & absque vllo merito, vult consequi beatitudinem. Vult, inquit, regnare piger cum Deo, & non vult laborare pro Deo, &c. cum tamen Deus nolit præmium, & coronam elargiri, nisi pugnantibus, & laborantibus. Orante olim Eliseo Dominum percussi sunt cæcitate milites exercitus Regis Assyriorũ, quos puer Elisei in Damascũ adduxit, nescientes, qua venirent, cúmque ingressi fuissent Samariam, dixit Eliseus. *Domine, aperi oculos istorum, vt videant, aperuitq́; Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. Dixitq́; rex ad Eliseum, cum vidisset eos. Nunquid percutiam eos pater mi? Et ille ait,* *Prou. 13. nu. 4.* *4. Reg. 6. nu. 20.*

ait, non percutias, neque enim cepisti eos gladio,& arcu tuo,vt percutias: sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant in domum suum. 4.Reg.6. Vides quomodo non permiserit Propheta Regi, vt tanquam victor hostes trucidaret, aut gladio percuteret quando minime decertauerat, neque sub suam potestatem, præuio labore certaminis, redegerat, nam sicut ibi prosequitur Chrysost. serm. de Elis. & Syrorum tom.1. Propheta non pugnat,& vincit, non dimicat, & subigit; fit sine sanguine victor, sine gladio triumphator. Vna prece,& hostes,qui nocere venerant, excæcauit, & victoriam de hostibus acquisiuit,&c.

4. Reg. 6. num.20.

Quia igitur in domo Domini nulli permittitur sine prælio triumphare, nulli sine certamine spoliis potiri, inde est quod idemmet Deus vult nos prius pro corona gloriæ decertare, & pro æterno præmio laborare; quod vt iam ab initio nobis inculcaret, septimum mundi diem, quem sine operatione condidit, benedictione voluit honorare, quasi dies otiosus,& sine operatione damnabilis censeretur nisi à Deo benedictione condecoraretur: inquit enim sacer Tex. *Benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit.* Vbi Chrysost.homil.10.ait: Die septimo ab operibus subsistit opifex, omnia enim iam perfecta erant sex diebus vt autem dies septimus aliquid ad verbum, & nomen suum habeat, & ne videatur minus aliquid habere, quam cæteri dies, eo quod nihil in eo factum sit benedictione ipsum dignatus est. Quid igitur non erant & cæteri dies benedicti? Erant profecto, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quod in singulis illis creaturæ productæ fuerunt, & ideo de illis non dixit: *Et benedixit.* In solo autem septimo hoc dixit. Similia sunt, quæ habet Procopius ad hunc modum. Ne quis inutilem hūc diem auersetur, quasi nullo opere à Deo dignus sit; ideóque merito subditur: *Et benedixit Deus diei septimo*; non enim suis laboribus,& operibus eum parum idoneum iudicauit: sed eum statuit, vt sit vtilis ad vacationem ab operibus,benedictione septimum, reliquos operibus honorauit,&c. qui igitur diem, in quo ab operibus cessauit, benedictione duxit honorandum, nónne maledictione illa vltima comminatur eos, qui dies sine operatione transigunt; nec pro corona immarcescibili desudant?

Genes. 2. num.2.

Pro qua re adest locus optimus Iob in c.31. cum Sanctus Patriarcha ait: *Quis mihi tribuat adiutorem,vt desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat? Vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi.* Quibus in verbis se iustum operatorem coram Domino constituere nititur, diuina adiuuante gratia: vt iusta præcepta Domini in libro legis contenta operetur. Sed cur beate Iob ab eo, qui iudex est (inquit Gregorius 22. Moralium,cap.13.in fine) librum scribi desideras? Sequitur: *vt in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam mihi:* quæ verba sic ad rem nostram aperit Gregorius cap. 14. in princip. librum quippe in humero portare,est sacram Scripturam operando perficere. Et notandum quam ordinatè describitur: & prius in humero portare, & postmodum sicut corona circumdari: quia videlicet sacri eloquij mandata, si modo bene portantur in opere, post nobis coronā victoriæ exhibent in retributione, &c. En quomodo nobis propria opera, & merita coronam concilient, & operentur, tandémque è manibus nostris ad caput progrediatur.

Iob 31. nu.35.

diatur. In hoc ergo sensu adiutorem diuinum postulat Iob, vt gratiæ cœlesti cooperando, gloriæ coronam promereri valeat. Vnde Paulus 2. Corinth. 6. ait: *Adiuuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; vbi Anselmus ait: In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non laborat, nec ei suum studium adiungit, quique per desidiam facit, vt in se gratia sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non satagit, &c. Ea igitur ratione Iob adiutricem gratiam postulabat, vt cum ea posset laborare, & mereri, sciens quia neque sine gratia posset meritum comparare, neque sine labore coronam obtinere.

2. Cor. 6. num. 1.

Dum Gentes deridebant Sabbatha Hierusalem, videntur mihi illud adumbrasse: dæmones scilicet, requiem, & otium nostrum, cessationemque ab operibus iustis deridere (hoc enim sabbathum significat, idest, requies) dum nocumentum intuentur & futuram gehēnam, quam ex defectu operum nostrorum incurrimus; quod acutè videtur notasse Caiet. ibi dum ait: Deriserunt sabbatha eius, deridenda siquidem est sola externa requies, vtpote iactura septimæ partis temporis; q. d. deridenda est equidem gens, quæ septimam partem vitæ in septimo cuiuslibet hebdomadæ die adumbratam, otiosè transigit, dum ab operando cessat. Quid autem dicendum erit de iis, qui totam vitam absque operatione torpentem ducunt, nihilque operantur pro æterno præmio comparando? hos sanè derident dæmones, & redarguit Christus Dominus Omnipotens, dum iugiter operatur, etiamsi visus fuerit in septimo die requieuisse, sicut superius aduertimus, & constat ex cap. 2. Gen. quod optimè versat Gaudent. Tractat. 10. qui est de Exodi lectio. 8. post princ. in hunc modū: Cautè loquitur Scriptura diuina, non absolutè dicens requieuisse Deum ab operibus suis, sed ab operibus, quę cœperat Deus facere. Non omnipotentem, & imperio sermonis cuncta facientem laborasse existimes, cum requieuisse, & cessasse describitur; cum & alia voluntati suę placita operari non desinat, sicut testatur in Euang. Dominus Iesus, dicens: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Requies igitur Dei non laboris remedium, sed cœptorum finis est operum, siquidem postquam perfecit mundum, opus suum regere non desistit, ipsius enim à nutu omnium rerum natura cursum suum, vel iussa peragit, vel prohibita subtrahit, &c. quæ prosequitur ostendens quomodo Omnipotens Deus iugiter operetur, tum deinde concludit. Quando ergo requieuit Dominus, qui semper est operatus? &c. Sed quid semper operando innuit, nisi vt nos semper operemur Deum nostrum imitando, & nunquam à promerēda gloria otiemur, quæ non aliter, quam labore nostro, & operatione accipitur, & promeretur à Deo iugiter operante, & ideò si à merito, & operatione feriemur, sabbatha nostra derident dęmones, cum ea videant in perniciem nostram cedere.

Thren. 1. num. 7.

Genes. 2. num. 2.

Ioann. 5. num. 17.

Sed non omittendus adhuc idem Gaud. cum ostendit Christum Seruatorem, etiam in die quietis, nempe sabbatho, operatum fuisse, & cum requieuisse visus est, ab operādo non cessasse, sic enim eleganter habet. Requieuit planè tunc etiam Dei Filius ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus facere, quādo cōsummatis mirabilibus vniuersis, & impleto sexto die omni opere passionis; die septima, idest, die sabbathi, requieuit sepultus. Sed quoniam Dei operosa quies est, ipsa requies otiosa esse non potuit: nam corpore in sepul-

chro ſepoſito, Diuinitas cum anima hominis ad inferna deſcendens, vocauit de locis ſuis animas ſanctorum, quorum corpora ſurrexiſſe Matthæus Euang. teſtatur cum dicit: *Multa corpora ſanctorum dormientia ſurrexerunt, & exeuntes*, inquit, *de monumentis intrauerunt in ſanctam ciuitatem, & multis apparuerunt.* Sic ille nobis proponit Deum in requie adhuc ab operatione non ceſſaſſe, Filium Dei in morte, & in die quietis, nempe ſabbatho, operatum fuiſſe vitam, & reſurrectionem. Sanctorum, vt apertè colligeremus nullatenus nos in vita debere quieſcere, aut vnquam otiari, qui Deum ſic operantem credimus, & debemus promereri, ac coronam gloriæ aſſequi, quæ laborantibus & decertantibus tantummodo conceditur.

Matt. 27. num. 52.

In quam ſententiam facit id, quod obſeruat Chryſolog. ſcilicet Chriſtum Dominum operantes, & laborantes homines prius ad Collegium, & apoſtolatum ſuum euocaſſe: nam quoſdam inuenit mittentes rete in mare, alios inuenit reficientes retia. Vtroſque laborantes in miniſterio piſcatorum. Vocauit igitur eos non ad requiem, ſed ad laborem, à labore extraxit, vt in laborem denuo induceret, oſtendens eos, qui ad Dei famulatum accedunt, & miniſterio diuino dicantur, fidemque Chriſti profitentur, minimè debere laborem, & operationem intermittere, à qua totus pendet noſter profectus: ſic verò habet Chryſolog. ſerm. 28. ante medium. *Venite*, inquit, *& faciam vos fieri piſcatores hominum*; captores piſcium fiunt hominum piſcatores; de labore tranſeunt ad laborem, quia labor neſcit laſceſcere meditatus. Virtus exercitio perſeuerat. Hinc eſt quod Apoſtolos ſuos Chriſtus humanis laboribus exerceri voluit, vt eos indefeſſos redderet in diuinis. Voluit eis Deus manere fortitudinem, de exercitio præſtare virtutem: & quia fructus prouenit ex labore, voluit eos labores non perdere, ſed mutare, ipſe ante illis vſum laboris indulſit, qui poſtea eis tolerantiam dedit virtutis, &c. Nunquam profectò voluit otioſos, qui operantes aſſumit, & eligit in diſcipulos, & à veteri in nouum laborem transfert, ne vnquam ab operando ceſſent, aut à merito quieſcant. Qua in re illud aduertendum erit, quod Chriſtus Dominus, dum diſcipulos à labore ad laborem euocauit, ad feliciorem ſimul, & nobiliorem conditionem euexit: nam qui antea pro lucrando pane in ſudore laborauerant, iam pro adipiſcenda corona gloriæ læti, ac beati laborant.

Matth. 4. nu. 18. & num. 21.

Agricolandi ſtudium ante peccatum fuit omnino ad honeſtam exercitationem voluptate pleniſſimum: *Poſuit* enim *Deus hominem in paradiſo voluptatis vt operaretur*; non quidem laborioſè, ſed iucundè, ac voluptuoſè, vt eleganter explicat Auguſtin. libr. 8. in Geneſ. & D. Thom. 1. part. quæſt. 102. articul. 2. At eiuſdem agriculturæ ſtudium, & cura, poſt peccatum coniuncta fuit cum inſigni moleſtia, & ſudore vultus; quippe quod primo fuiſſet appendix beatæ vitæ, poſtea in ſupplicium tranſiit, quod adhuc explico ex Paulo, dum nos prouocat ad pœnitentiam, nullos tamen nobis imponit nouos labores, ſed tantùm nouam præcipit laborandi materiam, cum ait: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificatione.* Hoc ſolo diſcrimine quod cum iuſtitiæ ſeruieritis, acceſſeritiſque ad ſapientiam tanquam qui arat, & qui

Geneſ. 2. num. 15.

Rom. 6. num. 19.

Eccleſ. 9. num. 19.

qui seminat, Adami innocentis instar, paululum quidem laborabitis, sin verò operati fueritis iniquitatem, & seminaueritis mala, iam instar peccatoris Adami non nisi sudorem, & molestias percipietis. Sane labores pro salute, & operationes pro regno, voluptatem, & honorem pariunt, longè aliter atque Herculi fuit manu sua quercus conscrere, teste Plinio libr. 16. cap. 4. & Agamemnoni duci clarissimo plantare platanos, ex eodem Plin. dicto libr. cap. 44. & Theophrasto lib. 4. de Histor. plantarum, & Athalo regi Pergami horros colere, & gramina seminare, teste Iustino lib. 36. Felices proinde iustorum labores, qui & nunc voluptatem pariunt, & in posterum regnum parant, & coronas comparant. Vnde iam intelligetur qua ratione Salomon amplificet virtutis, sanctitatisque fructuum suauitatem, supra fructum arboris illius vitalis in medio paradisi consitæ, cum ait: *Lignum vitæ est ijs, qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, beati*; quorum verborum sensus videtur esse. Non ideò erat beatus Adamus, quia potuit edere de ligno vitæ, cuius fructus nullo manuum illius labore constabat, aut proueniebat: sed ideo beatus homo, qui labore, & nisu manuum ita apprehenderit sanctitatem, & operatus fuerit virtutem, sectarusque honestum iustitiæ laborem, vt videatur sanctitas in illius manibus, atque operatione radices agere, ex quibus pullulet, veluti arbor vitæ, cuius tandem fructus erit beatitudo: iste denique labores manuum suarum quia manducabit, beatus etiam modo dicetur cum Psalm. 127. & cum Deuteronom. 28. fructu terræ suæ abundabit, Deo benedicente cunctis operibus manuum suarum; & adiuuante gratia ipsum comitante, vt præcepta impleat, & præueniente gratia, vt ad illa implenda accingatur.

Prou. 3. num. 18.

Psal. 127. num. 3.

Deut. 28. num. 11.

Vnde iam præ oculis debemus habere, quod Salomon dixit, quando de obseruatione legis scripsit: *Liga eam in digitis tuis*; vbi Lyra, Arboreus, & alij dicunt. Digitis, aut manui legem alligare, nihil aliud est, nisi eam operi, & executioni committere, quæ manu, & digitis adumbratur: & Salon. Viennens. Episcop. In digitis, idest, in actibus, legem enim in digitis ligat quicumque in bonis operibus legem studet implere, & exornare, &c. qui autem voluit legem alligari manibus, censuit ab operibus legis, & à merito salutis nequaquam feriandum; quod ipsum idemmet Salomon Ecclesiast. 9. apertè docuit, cum dixit: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos: quò tu properas*: quorum verborum proprius sensus elicitur ex 1. Regum 10. vbi habetur: *Fac quæcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum est*, idest, ne dubites prælium committere, quacumque data occasione: sic etiam quæcumque facere potest manus tua, instanter operare, idem est ac dicere. Ne te tantum serues præcipuis, & perfectioribus operibus virtutum, sed vtcumque se obtulerit occasio operandi, manum exere, & extende, & operam naua; quod bene explicat Campensis, dicens: Quidquid tibi occurrerit, quod faciendum putes, fac fortiter. Melius Hieronymus: fac quodcumque potes, & labora. Neque omittendus Simmach. cum habet: omnia, ad quæ manus tua peruenit, &c. idest, quidquid consequi, & obtinere poteris: rationem verò subdit sacer Textus cur statim, ac sese offert occasio, operãdum sit, nempe: Quia

Prouer. 7. num. 3.

Ecclef. 9. num. 10.

1. Reg. 10. num. 7.

Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quia post mortem operari non licebit, non deliberare, non dignoscere, non dirigere, inquit Bonauentura, non operari, non nosse laborandi, & contemplandi rationem, inquit Hugo Cardinalis: non exterius operari, non res humanas scire, non diuinas, inquit Lyran.

Quod melius explicatur ex illo Ioann. 9. vbi Christus Dominus dixit: *Operamini dum dies est: venit nox quando nemo poterit operari*, vbi Chrysostom. homil. 55. ait: Donec dies est, dum hæc durat vita laborandum est. Venit nox, hoc est futurum tempus, quando nemo potest operari, idest, quando non est amplius fides, neque labores, neque pœnitentia: & Augustin. tractat. 44. ait: Operatur homo dum viuit, ne illa nocte præueniatur, vt nemo possit operari: modo est vt operetur. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis, reddet enim Dominus vnicuique secundùm opera sua. O infelix quando viuebas, tunc erat tempus operandi: modo iam in nocte es, in qua nemo potest operari, &c.

Ioann. 9. num. 4.

Videndus idem August. in Psalm. 143. ad illa verba: *Dies eius sicut vmbra prætereunt*, vbi ait: Attendat sibi homo in diebus vmbræ suæ, vt faciat aliquid dignum desideratæ lucis suę; & si in noctis vmbra est, quærat diem. Dies huius vanitatis cognoscenti homini, dies est tribulationis: siue aliqua incommoditate & aliqua molestia noceat nobis; siue aliqua prosperitate mundus arrideat totum tremendum, & gemendum. Vnde enim dicitur: *tota die contristatus ingrediebar*, solatiis opus habemus, & quidquid nobis nunc exhibet Deus cum prospera exhibet, non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. Agat aliquid homo dignum desiderata luce in istis diebus vmbræ suæ, & in nocte requirat Deum, sicut scriptum est: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus*. Ergo operare quamuis in nocte manibus tuis, idest, bonis operibus inquire Deum antequam veniat dies ille, qui te lætificet, antequam veniat qui te mœstificet; sic Augustin. docet quomodo operari debeamus in die huius vitæ pro cōparanda luce interminabili diei futuræ æternitatis; quomodo item in nocte mœstæ huius vitæ laborandum sit pro die futuræ, & viuidæ vitæ. Vbi etiam occurrit Bernard. lib. de modo bene viuendi cap. 69. in princ. cum ait: Tantum in hac præsenti vita est licitum operari bonum; in futura namque vita iam non spectatur operatio, sed bonorum operum retributio, &c.

Psal. 37. num. 6.

Hæc est ratio cur idem Bernard. nostram hac in re incuriam, & desidiam deplorauerit simul, & redarguerit serm. 2. de Sancto Andrea ad finem, cum ait: Nos miseri, & miserabiles vicini tot serpentibus, & igneis telis vndique volantibus, insurgentibus inimicis nihilominus perniciosa securitate, & negligentia dormitamus: torpemus otio, vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si iam pax sit, & securitas, & non sit militia vita hominis super terram. Hoc est (dico vobis charissimi) quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio trāsuerberat animam meam: quod inter tanta pericula, minus timorati, minus exercitati, minus quam necesse sit solliciti videamur. Siquidem vnum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire: aut si inter hæc conserua

seruamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inueniri: quorũ vtrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea obsecro vos (dilectissimi) ipsa nos excitet hostium malitia peruigil: & instantia eorum maligna, qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque sollicitos faciat, & circunspectos, vt in timore, & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Sic Bernardus nostram carpit incuriam, vrgétque torporem in re tanti momenti, & infelicitatem eorum proponit, quos non tam vrget, pungit, & excitat ad operandum æternæ felicitatis præmium, & corona, vt pro ea in hac vita decertent, & pugnent, quam reddat sollicitos, attentos, ac vigiles dæmones, vt nos vbique, & semper persequantur, ac in æternam gehennam deturbare conentur: maiores siquidem stimulos addere solet proprium commodum, quam aliena infelicitas; vnde mirum simul, & deplorandum est, quod plus inuigilent potestates tenebrarum pro nostra pernicie, & damnatione, quam nos insudemus, pugnemus, & operemur pro acquirenda æterna felicitate, & beatitudine.

Videndus in hanc sententiam Nyssen. libr. de Vita Mosis ad medium, vbi loquens de Paschæ festiuitate, quam symbolum præsentis vitæ esse asserit, ait in hunc modum. Transitum comestionem illam appellauit: monet per hæc ænigmata, vt considerate, aut intelligere velimus transitum quendam esse hanc vitam nostram, nam posteaquam ingressi ad eam sumus, necessitate quadam ad exitum semper compellimur, ad quem præparatos nos esse vult pedibus, & manibus, reliquoque ad iter apparatu, &c. Quis igitur in via vnquam ita moratus, vt commoratus fuerit tanquam habitator? quis pedes ligauit in compedibus ne progrederetur? quis vlteriora non petiit, vt ad terminum perueniret? Miseri proinde qui nihil futura curant vt præsentia transeant, & pertransseant, & in melius proficientes procedant ambulando in via iustitiæ, vel decurrendo viam mandatorum Dei, quò citius ad desideratam patriam peruenire mereantur.

Est optimus in hanc sententiam locus apud Basil. hom. 23. Non adhęrendum rebus sæcularibus, non longe à princip. vbi ita rem prosequitur. Necessarium itaque omnibus, & vtile est, fratres, vt quemadmodum viatores solent, ac cursores, cautè proficiscamur, & ad perficiendum hunc cursum animabus nostris vndique agilitatem venati, sine vllo respectu ad viæ huius terminum properemus. Et postquã ex Scriptura ostendit vitam hanc mortalem appellari viam, addit. Quemadmodum enim, qui institutum iter expediunt, pedum gressus ad cursum inter se cõcertantes, ad anteriora proferentes, & priorem semper pedem terræ innixum veloci alterius transpositione, posteriorem ostendentes, facile ad vię terminũ promouẽt, ita & qui ad vitam hanc à Cõditore producti sunt. Nos vero non cogitamus quam incertum sit hoc tempus, quod ad perficiendum cursum nostrum, qui in hác nos profectionem emisit; concedere proposuit, & quod oporteat nos quotidie ad migrandum ex hac vita paratos esse, & nutum Domini fixis oculis expectare. *Sint lumbi vestri,* inquit, *præcincti, ac lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectãtibus dominum suum quando reuertatur a nuptijs*; vt venienti, ac pulsanti confestim aperiant. Nec diligenter spectare satagimus quæ-

nam onera facilia nobis ad hunc vitæ cursum sint,& talia,quę cum collectoribus suis hinc transferri ac futuram vitam propria possidentium se facta iucundam reddere queant;& quæ sunt grauia, molesta, terræ adhærentia,& quæ non solent hominibus plane appropriari, nec talia quæ propter portæ illius angustiam, possessores suos sequi valeant; sed quę colligenda fuerant,relinquimus, quæ vero contemnere conueniebat illa colligimus, & quæ nobis, cum vniri,& animæ simul; & corpori verum, & cognatum ornamentum esse possunt, istis animum non aduertimus;quæ vero perpetuo aliena à nobis perseuerant, & solam nobis turpitudinis labem aspergunt, hæc coaceruare conamur,&c.

Longe aliter Imperator ille Titus, cuius meminit Hieronymus in cap.6. ad Galat. afferens eius exemplum, ac dictum, qui qua die nihil boni fecisset, eam se perdidisse credebat, & asserebat. Neque omittendus Orig.hom.3.in Psal.36 post medium cum explicat verba illa: *In diebus famis saturabuntur*,sic enim habet. Dominus,& Saluator ait: *veniet nox quando nemo potest operari*; & hoc dicit de illo tempore,quo vnusquisque quod erit post hoc sæculum. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis,quæ hic positus operatus est. Cum ergo nox fuerit, nemo operatur in illo tempore malo: cum peccatores supplicus affligentur, erit sine dubio fames his, qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore saturabuntur iusti ex fructibus, scilicet, iustitiæ suæ. Sicut enim in deserto sex diebus colligebant manna, in sexta autem die non vnius diei modum, sed quantum sufficeret in crastinum, colligebant, & vnusquisque edebat in die sabbathi quæ collegerat in die sexta, ita etiam nunc velut sexta quædam dies putandus est Domini nostri Iesu Christi aduentus, & tempus hoc dispensationis eius, quam passione sua hoc in sæculo procurauit. Et idcirco dum in die sexta sumus, colligamus manna dupliciter,vt sufficere nobis possit dum aduenerit vera sabbathi obseruatio populi Dei. Si enim non collegerimus duplices cibos, qui nobis & in præsenti sæculo sufficiant,& in futuro,in diebus famis non saturabimur, sic enim cum iusti saturabuntur in diebus famis, peccatores, inquit, peribunt. Sic Orig. nobis proponit quomodo pro æterna saturitate,quæ tamen sine fastidio est, debeamus meritorum panes, & cibos operum iustitiæ nobis præparare,& prouidere ne cum peccatoribus pereamus,& fame, ac sterilitate nostra damnemur, sed potius cum iustis in diebus famis saturemur.

Optima sunt, quæ hac de re habet Gregor.4. dialog.cap.39. Videndus etiam Nazianzen. Orat.40. quæ est in sanctum baptisma ad medium, vbi pro nostro argumento sic habet. Existimate Salomonem his verbis inertiam, ac socordiam vestram acriter insectari. *Quousque tandem piger iacebis? Quando consurges è somno?* Hoc & illud causaris, atque excusas excusationes in peccatis.Veniet repente vitæ finis, in die, quo non expectas, & in hora, quam ignoras: ac tum adueniet quasi malus viator, gratiæ inopia atque in tantis bonitatis opibus fame laborabis. At quid faciendum tibi est, vt contraria per contraria colligas? Messem nempe per diligentiam, & industriam, sitisque restinctionem per fontem, atque instar cerui grauissima siti laborantis, magna cele *Prouer.6. nu.9. & c.24 nu. 33.*

celeritate ad fontes accurres, non autem vt Israëli accidit, ob aquæ inopiam in siccitatem incidas; aut, quod poëtæ fabulantur, in medio fonte siti crucieris. Miserum est cum nundinę effluxerint, tum demum negotiationem quærere. Miserum est serum cōsilium capere, ac tum damni sensu affici, cum nulla iam ratione acceptum incommodum sarciri potest, hoc est, postquam hinc excesserimus, aeerbéque conclusa fuerint, quæ quisque in hac vita gessit, &c.

Oportet igitur nunc sapere, & intelligere, ac nouissima prouidere, & dum sexta dies Parasceues, idest, præparationis adest, pro sabbatho futuræ quietis, & interminabilis beatitudinis manna nobis prouidere, præparare, & colligere, vt cum venerit nox, in qua nemo potest operari, & dies famis, in qua iam non licet colligere, sed ex collectis percipere, cum sanctis saturemur ex operatis.

Eccles. 14. num. 17. Vnde Eccles. cap. 18. clamat. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam nō est apud inferos inuenire cibum*, idest, merendi locum, sicut exponit Lyran. Vnde merito Dauid deplorat, inutiles, & defectuosos dies suos, in quibus nihil proficuum fuerat operatus, & ad salutem conducens. *Defecerunt*, inquit ille, *sicut fumus dies mei.* Psal. 101. num. 4. Vbi pro nostro argumento Cassiodorus ait: fumū videmus de flāma quidem egredi, sed in auras liquidas tenuissime dissipari, nec substantia eius manet, quamuis ex corporali incendio generatus esse videatur. Merito ergo dies peccatorum globis fumiferis exæquatur quos inuolutis, ac tetris actionibus decepti homines perdiderunt, &c. Et sane qui fumiferis, inutilibus, & vanis actionibus dies transegerunt, proximi reperiuntur igni æterno, ipsúmque præsagiunt inutiliter operando, sicut ignem indicat fumus, vtinam fumus inanium actionum lacrymas veræ pœnitentiæ ab eis eliceret, quibus insanam redeuntes mentem cibum pro futura fame prouidentes conquirerent.

Illud autem deplorandum quod prudentiora sunt nobis bruta animantia eum præuideant, & prouideant sibi vtilia, & necessaria, nos vero de iis minime cogitemus, donec malo nostro sapiamus, quando talis sapientia minime nobis proderit ad salutem; quod eleganter dixit Senec. lib. 1. de Beneficiis cap. 19. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: Quibus similia habet Plato in Phædone. Quid dissimulant homines ait Bernardus serm. 38. ex paruulis in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione pręsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimant omnia animæ membra, cuius concupiscentiæ, & desideria per totum mundum sparsa sunt? Si bene memini in toto canone Scripturarum vnū latronem inuenies sic saluatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temeipsum, &c.

Miluus in cœlo cognouit tēpus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodiunt tempus aduētus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Ierem. 8. Ierem. 8. num. 7. quibus in verbis subnotat Diuinum oraculum stuporem, & vesaniam illius populi, sub quo cæteri designantur, qui futura mala minime præcauebat, cum tamen volucres pro temporum varietate sedes mutent, sicut nos quotānis obseruamus, multo siquidem ante pręsagiunt, aut hyemalem inclementiam, aut vernalem temperiem: neque illas vnquam in regione frigida deprehendit hyems, neque in calida æstas: ab his igitur discere potest homo, vt correctis moribus, & cōpositis actionibus, mutatóque cursu operationū ad loca tuta, legis, sc. Dei obseruationē, & vitæ

intcan

intemperanter actæ pœnitentiam se reciperet, quo futurum iudicium, & vltimam sententiam effugeret. Possumus item multa alia remedia obseruare in animantibus, quæ illa sibi pro medela conquirunt, vt ab eis edocti vere tandem sapientes deprehenderemur; quod bene prosequitur Tertullian. lib. de Pœnit. cap. 12. in medio cum ait: Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ, & irrationales, medicinas sibi diuinitus attributas in tempore agnoscũt. Ceruus sagitta transfixus vt ferrum, & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, scit sibi dictamo medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium Regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesim operatus, vnguium aquilinum in morem efferatione, & capilli in curia, horrorem leoninum præferentes, &c.

Optima sunt quæ in hanc sententiam habet Basil. homil. 9. hexam. ante medium cum ait: Si transigamus orationẽ quanta rationis expertibus istis insit doctrina, quidem, quippe naturalis suæ vitæ diligentia, atque cura: aut ad nostri custodiam corporis, animarúmque nostrarum prouidendam salutem impellemur, ac concitabimur: aut magis, magísque carpemur, ac condemnabimur, si ita fuerimus affecti, vt neque animalia imitari rationis expertia valeamus. Vrsa sæpenumero vulneribus saucia grauibus sibiipsi medetur omni conatu: calenti adhuc vulneri verbascum, siccæ naturæ herbam, indẽs, obturánsque. Videris & vulpem laricis, aut piceæ lacryma seipsam medicantem. Testudo quoque viperæ immodicè exatiata carnibus, per aduersam origani naturam, nocumentum è venenata fera sibi prouenturum euitat. Quin & anguis fœniculi pastu lippitudinem oculorum curare videtur. Prænotiones, siue præsagia mutationis circa aërem futuræ, quam mentis, rationísque sagacitatem non superarunt? Quandoquidem oues ipsæ accedente hyeme pabulum copiosius, auidiúsque ventri ingerunt: proinde quasi sibi viaticum prouidentes pro indigentia sibi futura. Iam vero quidẽ haud inertium hominum indicium fuisse, construxisséque gemina sibi spiramina cubiculi terrestrem herinaceum obseruauit: atque aquilone aspiraturo, aquiloneum spiramen obstruere: contra austro flaturo ad septentrionale transit spiraculi foramen. Quid quæso? Per hæc ipsa nobis hominibus indicatur, non solam diligentiam opificis nostri, & prouidam curam per omnia penetrare, sed in animantibus quoque ratione non præditis futuri sensionem quandam inesse: vt & nos etiam ipsi, non huic vitæ, præsentibúsque rebus adhæreamus: sed totum nostrum studium, ad futuram illam vitam dirigamus; non tutè tibi eandem ô homo diligentiam adhibebis? Non tute tibi ipsi demum elaborabis? Non hoc tempore præsenti fruges tibi recondes requiémque ad futurum formicæ exẽplo parabis? Formica temporis hyberni pabulum æstate sibi sedulo condit, & non quod hyemis incommoda nondũ adsunt, otiosa tempus traducit; sed incessabili quodam, intentóque studio legendi semina tantisper incumbit, dum sufficiens alimentum in cella is sibi recondat. Neque id iniuria facit, sed sapiẽti quadam prouidẽtia, vt quamplurimo tempore pabulum sibi persistere, conseruarique possit. Secat

enim vnguiculis fructus medios, arrosósque condit: ne rursus in fruges exeant è terra, atque inutiles inde sibi ad vsum alimoniæ fiant. Cum senserit eos madefactos imbre profert atque exsiccat, nec omni tempore id agit, sed cum præsenserit aërem serena statione teneri serenumque cœlum, &c.

Sic igitur, dictante natura, bruta ipsa animantia sibi prouidere nouerunt opportuna remedia, vt imminentia mala effugerent, vel præsentia depellerent; quid est quod rationales, & intellectu præditi homines præsentia tantummodo curent, de futuris haudquaquam solliciti, nihil pro bonis consequendis laborent, nihil pro malis fugiendis haud satisfaciendo patiantur, haud promerendo operentur. Merito proinde Salom. nos ad operantes, & laborantes apes pro doctrina remittit, cum ait: *Vade ad apem, & disce quomodo operaria est.* Basil. legit: *quomodo sapiens operatrix est, operationem quoque, quam venerabilem facit.* Iansen. legit: *Quam seriam operationem exercet.* Operari autem dicitur apis, nobísque proponitur tum ex assiduitate operis, tum ex diuturnitate in operando; quod bene cecinit Virgil. dicens: *Mane ruunt portis, nusquam mora:* & Aristoteles lib. 9. histor. Animal. cap. 40. ait: Assiduò operantur, & sine intermissione si serenum sit: clarius adhuc Ælian. libr. 5. de Apibus cap. 12. ait: Diligentissimè, & laboriosissimè operatur, &c. Diuturnitas verò in laborando cernitur in eo quod multo mane ad operandum surgant, & prodeant, & ad multam vsque noctem operando persistant, sicut citatus dixit Virgil.

Prouer. 6. num. 8.

Ac fessæ multa referunt se nocte minores
Crura thymo plenæ, &c.

Et quia laboriosæ admodum sunt apes, fucos ignauos à suis arcent cellulis, teste Ambros. lib. 6. Hexamer. cap. 21. & Aristotele lib. 9. de Histor. animalium cap. 40. vbi addit, quin & socias otiosas, ac desides pellere, in more apibus est, &c. Ad hanc igitur laboris assiduitatem, & curam nos excitat Salomon, & otium atque otiosos odio habere, hoc exemplo monemur.

Quod verò addit Salomon: *Operationem quam venerabilem facit,* vbi alij legunt, *operationem quam seriam facit:* monet ne vanum laborem, & inutilem ac infructuosum assumamus, sed exemplo apum ducti serio, & sedulo ac pro æterna vita, & corona laboremus. Sicut enim crabrones, muscas, sciniphes, & alia eiusmodi sæpe videmus cœlo aperto ludere, & choreas otiosè, & iocosè agere, apes verò non ita, sed semper intentas operi, quod si aliquãdo eo modo oriantes discurrunt, vel potius ludunt, tanquam degeneres eas taxauit Virgil. vbi supra cum dixit:

At cum incerta volant, cœloq; ex agmine ludunt,
Contemnuntq; fauos, & frigida tecta relinquunt.
Instabiles animos ludo prohibebis inani.

Iure igitur Salomon docet, & prouocat, vt nos ad laborandum strenue componamus, & excitemus, contemplantes quam seriam operationem apis exerceat, non ludricam, & iocosam; vt hinc iam studeamus operam meritis nauare non in vacuum impendere.

Neque omittendus idem Salomõ, quinimò recolendus, cum nos etiam pro operatione exercenda ad formicam remittit, quæ verno tempore pro hyeme futura congregat, & prouidet sibi necessaria. *Vade,* inquit, *ad* Prouer. 6. num. 6.

 formicam

formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum: & congregat in messe, quæ comedat. L X X. habent: *parat in æstate alimentum, & multam in messe facit acervationem*: Symmachus: *necessaria sua*: Quod sic explicat August. Comment. 1. in Psal. 48. ibi: *Simul imprudens, & insipiens peribunt*, vbi multa eleganter affert. Esto prudens, & prospice tibi in posterum in cœlo, imitare formicam, reconde in æstate, ne esurias in hyeme; hyems dies nouissimus, dies tribulationis; collige quod ibi tibi sit in posterum, si autem non facis, simul imprudens, & incipiens peribis, &c. Est siquidem prudentia nouissima prouidere, & quæ futura sunt mala præcauere, idque non alio modo, quam in præsenti meritoriè operando, ne in iudicio pro demeritis in æternum damnemur: & Anastas. Nyss. quæst. 46. in script. ait: Formicæ istæ, quæ parant sibi in æstate alimẽtum, gentes sunt, quæ per fidem in Christum parant sibi vitam æternam per bona opera, &c. Quo etiam sensu optimè Cyrill. Hierosol. catechef. 6. ait: Videns formicam in æstate sibi thesaurisantem cibos, imitare; & thesauriza tibi ipsi fructus bonorum operum in futura sæcula, &c.

Quam igitur excusationem apud Deum prætexere conabimur, si in æstate huius vitæ pro futura hyeme non laboremus, si iuxta virtutem nō operemur, quando ea in re irrationales etiam creaturas ob oculos habemus docentes pariter, & admonẽtes? Quod si illæ nouerunt sibi necessaria præuenire, & prouidere; imprudentiores vtique eis deprehendemur, si fructum bonorum operum nobis pro tempore futuro in præsenti, ac opportuno non prouidebimus, maximè cum ad hoc nobis diuinitus concessum sit præsentis vitę tempus, vt pro futura, & æterna operantes decertemus. Et cum imprudentes agnouerimus à Christo Seruatore appellatas virgines quod vacuis gloriarentur lampadibus bonorum operum; nulla siquidem maior imprudentia ante Deum, quàm in præsenti futura, & nouissima nullatenus prouidere.

Ideò Dominus per Ierem. ait: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra*; quem locum sic legit August. 17. de Ciuit. cap. 4. post med. Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligere, & scire Dominum, *Et facere iudicium, & iustitiam in medio terræ.* Explicat autem pro re nostra in hunc modum: Facere iudicium, & iustitiam ex Deo est, sed quid est in medio terræ? Neque enim non debent facere iudicium, & iustitiam qui habitant in extremis terræ, quis hoc dixerit? Cur ergo additum est in medio terræ? Quod si non adderetur, & tantummodo diceret; facere iudicium, & iustitiam, magis hoc præceptum ad vtrosque homines pertinere, & mediterraneos, & maritimos. Sed nequis putaret post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus iudicium, iustitiámq; faciendi, quam cum esset in carne non fecit, & sic diuinum euadi posse iudicium, in medio terræ mihi videtur dictum, cum quisque viuit in corpore. In hac quippe vita suam terram quisque circunfert, quam moriente homine recipit terra communis, resurgenti vtique redditura. Proinde in medio terræ, idest, cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciẽdum est iudicium, & iustitia, quæ nobis prosint

Ierem. 9. num. 23.

profint in posterum, quando recipiet quisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sic August. ostendit quomodo debeamus incumbere in hac vita operibus iustitiæ, vt in alia iustitiæ coronam adipiscamur; neque liceat de sapientia, notitia, & intelligentia mysteriorum Dei, in hac vita gloriari, nisi per eam ad operandum dirigamur, & excitemur, solæ siquidem operationes, & merita nostra sunt, quæ nos in hac vita gloriantes reddunt, & post eam gloriosos efficiunt.

Merito proinde Chrysost. homil. 57. in Ioannem post med. miseram eorum deplorat conditionem, qui in vanum vitę tempus consummunt, quod nobis à Deo concessum est, vt bene operando transigeremus. Sic verò habet. Propterea ingemisco, quoniam quod sit damnum, quod malum non intelligitis. Dedit tibi vitam Deus, vt se coleres: tu eam incassum, & inutiliter consumis. Quæris quod sit damnum? Si vel parum argenti temere consumpseris, id omnino damnum appellas; sin totos dies in diaboli operibus consumpseris, nihil amisisse opinaris. Opus est in sacrificiis, & precibus vitam omnem intendere: tu ad clamores, perturbationes, obscœna verba, contentiones intempestiuas, voluptates, vitam tuam temere consumis, & in tuum cōuertis detrimentum; & cum hæc commiseris, quod damnum acceperis interrogas: neque intelligis omnia potius amittenda, quàm tempus. Aurum amittis, poterit recuperari: amissum tempus difficulter. Breuę nobis in præsenti vita præstatur, quo nisi in necessariis vtamur, quid illuc migrantes faciemus? Dic quæso si cui filiorum tuorum pręciperes, vt aliquam arté disceret, ille autem vel domi, vel alibi tempus frustra contereret, possétne apud magistrum excusari? Nónne diceret: conuenimus, tempus statuisti? Si tibi non cura est, vt apud me arti incumbat filius, quomodo eum erudiemus? hæc, & vobis dicenda sunt. Nam exiget à nobis Deus rationem: vobis, inquiet, tempus dedi, vt pietatem, vt rectè viuendi artem erudiremini, cur incassum, & inutiliter hoc tempus consumpsistis? cur pręceptorem frequenter non petiistis, neque doctrinæ vacastis? Cum tempus inutiliter consumpseristi, quam habebis excusationem? Sic Chrysost. ostendit non solùm à nobis exigendam esse à Deo rationem de tempore concesso ad bene operandum, sed etiam nullam nobis superesse excusationem, si illud infructuosè, & non in operibus iustitiæ conteramus.

Qua supposita doctrina, melius iam innotescet cur Paulus non solùm voluerit nos in bonis actionibus tempus vitę insumere, sed ad hoc illud emere, & veluti multo dato pretio nobis acquirere, sic enim ait: *Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Ephes. 5. num. 15. Vbi aduertendum est illud *redimere*, idem esse atque emere: nam Græcè habetur, *mercantes*, seu *ementes.* Hieronym. ergo censet, quod cum tempus à Deo datum sit hominibus, vt in bonis operibus insumatur, quasi captiuum tenetur, dum prauis actionibus inseruit; ideóque per bona opera à nobis redimendum, & ex captiuitate quasi in libertaté asserendum. Quando tempus, inquit ille, in bono consumimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat: sicque dies malos bonos vertimus, & facimus illos non præsenti sæculo, sed futuro, &c.

Quoniam verò vox Græca occasionem, & opportunitatem sonat secundùm

cundùm eam rectè Brix. ait: Nullam omittentes opportunitatem, sed eam cum cæterarum rerum dispendio ementes, & dies bonos de malis facientes, ac temporis rationem habentes: vt sit sensus, quod Paulus nobis inculcet, tempus esse opportunitatem, & occasionem congruam, accommodatamque à Deo nobis concessam, vt bene operemur, & merita pro futura Beatitudine consequenda lucremur, cuius rationem ita debemus habere, eamque tanti facere, vt pro ea assequenda, & retinenda libenter tribuamus quæcumque alia, quæ maximè æstimemus.

Vnde innotescet obscurus locus apud Tertull. libr. de Cultu fœmin. cap. 9. ad fin. vbi de Christianis ait: Nos destinati à Deo ante mundum in æstimationem temporum: quorum verborum sensus est; quod Christiani sumus à Deo designati, & edocti, vt temporum curricula magni faciamus, scientes quod tempus pretiosissima res est, cuius nullam iacturam debemus pati, nullam occasionem omittere, quinimo qualibet alia re, quantumuis preciosa, emendum, & comutandum; cui doctrinæ accinit August. lib. 50. homi. homil. 1. post medium, cum explicat præcitata verba Apostoli in hunc modum. In hac vita iubet nos Apostolus redimere tempus; & quid est redimere tempus, nisi cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quæréda, & capessenda spatia temporis comparare? &c. Et hoc appellauit Tertull. temporis æstimationem, nolle, scilicet tempus perdere, & in vacuum conterere, sed Dei obsequio, & ministerio attribuere, & addicere.

Quod adhuc illustro ex voce Hebræa *Mohhed*, quæ tempus pariter, & solemnitatem significat; prioris significationis exemplum habetur Psalm. 74. ibi: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*; posterioris significationis exemplum adest Psal. 73. cum dicitur: *In medio solemnitatis tuæ*; vtrobique enim eadem vox est, quæ vtrúque significat tempus, scilicet, & solemnitatem: vnde aliqui vertunt illud: *Cum accepero tempus*; *cum accepero solemnitatem*. Non igitur putandum est vacare mysterio, quod eadem vox, & tempus significet, & solemnitatem: hoc igitur, meo iudicio, indicat, quodlibet tempus à nobis, qui temporis æstimatores sumus, reputandū, & recolendū, tanquam solemnitatis diem. Enimuerò sicut solemnitates ideo institutæ diuinitus sunt, vt recolentes diuina beneficia, Dei laudibus, & obsequio vacemus, tanquam existentes in diebus Deo dicatis; sic & quodlibet tempus, tanquam solemnitatem reputantes, illud in diuinis iussionibus adimplendis, & in Dei famulatu debemus insumere, non patrandis sceleribus, aut profanis vsibus applicare. Vnde Nazianz. Orat. 6. ad med. loquens de solemnitatibus Martyrum, & de occupationibus, quibus transigendæ erant, ait: Quid hoc festo, atque hac hominum frequentia dignum proferemus? Purificemus nosmetipsos martyribus fratres, vel ei potius, cui ipsi quoque cruoris, veritatisque confessione purificati, & expiati sunt. Mundemur ab omni inquinamento carnis, & spiritus Lauemur, mundi efficiamur, & exhibeamus nos etiam corpora nostra, & animas hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabilem nostram precationem. Certemus propter athletas: vincamus propter victores: testimonium dicamus veritati propter martyres, &c. Quibus ostendit qua ratione celebrandæ sint festiuitates, & quibus actionibus comitandæ sint solemnitates; ne quádo Deus à nobis tempus acceperit,

Psal. 74. num. 4.
Psal. 73. num. 4.

accepetit, iustitias iudicet; idest, decernat iustissime nostrã omnem iniustitiam; modo enim à Deo acceptum habemus tempus, in morte, iudicióque repetendũ cum vsuris, idest, cum meritis, toto vitæ tempore acquisitis: proinde dum tempus habemus à Deo datum, operemur bonum iuxta monitum Pauli, & nosmetipsos dijudicantes, faciamus iustitias, iustitiæque opera, vt pro nobis feratur sententia in iudicio ab illo iudice, qui iustitias iudicabit, & pro eis faciendis tempus concessit: fructum nostrum demus in tempore nostro, ne dum tempus assumpserit dominator temporis, in alieno tempore inueniamur, quando, scilicet, iam non habeamus tempus operandi, & radicati è terra corporis anima iam fructum minime possit proferre.

Galat. 6. num. 10.

Non defraudemur à die bono (in quo bonum operari licet) *& particula diei boni non prætereat nos*, iuxta monitum Eccles. cap. 14. Quod bene aduertit Bernard. serm. de triplici custodia, vbi ait: Nemo vestrum, fratres, parui æstimet tempus, quod in verbis otiosis consumitur. Volat verbum irreuocabile, nec aduertit insipiens, quid amittat (scilicet tempus) libet confabulari, aiunt, donec pertranseat hora. O donec pertranseat hora, donec pertranseat tempus, donec hora prætereat, quam ad agendam pœnitentiam ad acquirendam gratiam, miseratio conditoris indulget, &c. Quibus ostendit nullatenus licere tempus frustra conterere cum à Deo datum sit, vt in illo iuste operemur, tantíque faciamus, vt nec particulam amittamus; nã licet breuis admodum sit quælibet particula temporis, tamen licet in ea æternam comparare, & promereri salutem. Quod bene aduertit August. lib. 50. homil. hom. 1. post princip. cum ait: Neque de hac vita diceret Deus: quis est homo, qui vult vitam, & ad istam, vel retinendam, vel producendam præceptis consequẽter hortaretur: Nam & hæc saltem optare prolixior, quia esse nõ potest sempiterna, & per hanc potest homo peruenire ad illam, si quemadmodum vult eam longam, sic velit & bonam. Quãtum est autem in hac vita longum, quod erit aliquando finitum? & quod erat longũ, erit nullum, quia, & quando erat non stabat, & quando producebatur, non augebatur, &c. Longa erit vita præsens si bonis operibus comitatur traducenda, non enim est positum bonum vitæ in spatio illius; sed in vsu, sicut dixit Seneca epist. 50. Qui enim eam bene transigit, satis longam habet, vt æternam tandem assequatur; at sicut idem ait epist. 22. Nemo quam benè viuat, sed quandiu curat: cum omnibus possit cõtingere, vt bene viuant, vt diu nulli: quibus similia habet Plutarch. orat. consolat. ad Apollonium.

Eccles. 14. num. 14.

Cum ergo vitę tempus ad hoc nobis à Deo concessum sit, vt æternitatem promereamur, id maxime curare debemus, vt in bene operando vitam insumamus, antequam mors nos intercipiat, in qua non licet amplius laborare, & mereri. Vnde Ambros. in Psal. 1. ibi: *Et in via peccatorum non stetit*, ait: In via es ô homo, ambula vt peruenias, ne te mors in via occupet, ne consummetur dies vitæ, antequam progressum virtutis acceleres: viator es vitæ huius: omnia transeũt, omnia post te fiunt. Duæ viæ sunt, altera iustorum, altera peccatorum; vna æquitatis; altera iniquitatis, de qua dixit Propheta Psal. 138. *Et vide si via iniquitatis in me est.* Non solum vita nostra via est, sed etiã in ipsa vita nostra, aut virtutis via est, aut iniquitatis. Caue igitur ne in te gressus suos collocet auaritia, & sis via criminis, ne improbitas, ne libido, &c. Licet tibi eligere quos sequaris: aut iu-

ſtos, aut iniuſtos, &c. Hic proinde currendum in via virtutis, hic decertandum in prælio, & certamine inimicorum ſpiritualium, hic promerendum coronam, quandiu dies eſt, quia non infernus confitebitur Deo, ideſt, poſtquam ſepultus eſt homo, ſed dum in via, in vita, & in ſtadio eſt. Neque vero pœnitentiam, & operationem meritoriam, ad vltimum vitæ ſpatium debet remittere, quando pleraque alia occurrunt, quæ totum abſorbent hominem, & præoccupant, nec ſinunt eum ad ea, quæ ſibi conducunt attendere, quod bene proſequitur Auguſtinus tom. 4. lib. de vera, & falſa pœnitent. cap. 17. in fine dicens: Quem morbus vrget, pœna terret, ad veram vix veniet ſatisfactionem, maxime cum filij, quos illicite dilexerit, ſint præſentes, vxor, & mundus ad ſe vocant, multos enim ſolet ſerotina pœnitentia decipere, ſed quoniam multa ſunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt, & interitui vicinum ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium, ſed magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat. Si quis eſt igitur, qui veram tunc quærat pœnitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem ſentiens Dei bonitatem ſua nequitia, &c. Quibus oſtendit non vulgare beneficium eſſe ſi moribundo homini mens adſit, neque voluntas deſit pœnitendi, cum tot impedimenta tunc occurrant, quæ ipſum retrahere poſſint à conuerſione.

Videndus pro hac re idem Auguſtin. dict. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 17. & habetur cap. Nullus expectet, de pœnitent. d. 7. & apud Magiſtrum ſentent. in 4. d. 20. Sic ergo incipit ibi Aug. Nullus ergo exſpectet, quando iam non poſſit peccare. Arbitrij enim quærat libertatem, vt dolere poſſit commiſſa, non neceſſitatem: qui prius itaque à peccatis relinquitur, quam ipſa relinquat, ea non libere, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat, licet enim latro veniam meruiſſet in fine de omni ſuo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi, & perſeuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus eſt qui tunc primum in cruce Chriſtum confeſſus eſt. Pœnitentia enim ſi in extremo hiatu vitæ aduenerit, ſanat, & liberat in ablutione baptiſmi; ita quod nec purgatorium ſentiunt, qui in fine baptizantur; quem ergo ſero pœnitet, oportet non ſolum timere Deum iudicem, ſed & iuſtum diligere. Non timeant pro pœna, ſed ametur pro gloria; debet enim dolere de crimine, & de omni eius prædicta varietate, quod quamuis de eius ſalute Auguſtin. potuit dubitare, credo quidem illi, qui dixit: *Quacumque hora peccator ingemuerit, & conuerſus fuerit, vita viuet.* Ezech. 33. Ecce quomodo Auguſtin. dubitet de illius ſalute, qui de ea tamen curat in extremo penè halitu, cum tota vita præceſſerit, in qua debuit, & tenebatur operari, & promereri, cum per tempus liceret, imo ad hoc ei datum fuerit totum vitæ ſpatium, quod in otio, delitiis, & flagitiis contra Deum admiſſis conſumpſit. Sub dubio item ſalutis loquitur Daniel ad Nabuchodonoſorem, quem morti damnatum contemplatus fuerat ſub ſchemate illius arboris à Deo ipſi propoſitæ, quæ ipſum regem adumbrabat, & de qua dictum fuerat, *Succidite arborem, & diſſipate illam.* Daniel. 4. Sic enim ait Propheta: *Quamobrem conſilium meum placeat tibi; & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet Deus delictis tuis?* Quæ verba ponderans Saluianus libr. 1. ad Eccleſiam prope finem ait: Hoc ipſum,

Ezechiel. 33. n. 12.

Daniel. 4. num. 24.

ipsum, quod dicit, forsitan, spem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi potest quam difficile iam in supremis positi peccatores, qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam peruenire possint, quia Propheta ipse, qui suadet propitiationem, dat consilium de actu, & tamen dubitat de effectu, &c.

Quod si sancti Dei homines, à Deóque afflati de salute eorum dubitant, qui in fine vitæ eam quærunt, & postulant, qualisnam eorum temeraria confidentia, si non potius appellanda erit stultitia, qui ad vltimum vitæ tempus, vel halitum, pœnitentiam remittunt, & remissionem peccatorum tum temporis posse consequi confidunt? Hinc est quod Dauid Dominum enixe precabatur, ne eum è vita auferret eo tempore, quo ipse existimabat se adhuc posse viuere, & proinde imparatum, & aliis occupationibus
Psal. 101. num. 25. intentum. *Ne reuoces*, inquit, *me in dimidio dierum meorum.* Psalm. 101. vbi Hieronymus Epistol. ad Cypri. in qua exponit Psalm. 89. ait: Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, vt possim peccata corrigere, &c. Nihil enim periculosius homini potest contingere, quam si inopinatus adueniat Dominus tanquam fur, & somno sopitum inueniat miserum hominem, nihilque minus cogitantem, quam de morte, cum totam vitam in flagitiis, & delitiis transegerit.

Ecclef. 4. num. 14. Vnde Ecclesiast. 4. dicitur: *Fili conserua tempus, & deuita à malo:* vbi alij melius legunt, *obserua tempus*; quoniam scilicet dies mali sunt, & cum existimas securum degere, tum tibi aufugit tanquam malus seruus, & in fine vitæ te esse conspicis, ac dum putabas multum tibi temporis vitæ restare, absque tempore, & mora aliqua euocaris, proinde obserua tempus, vt illud tanquam fugitiuum minime sinas elabi, & in vanum conteras, otioséque amittas, sed potius seruatum, reseruatúmque habeas, neque futurum expectes, cum præsens habeas accõmodatum, & quodlibet tempus, tanquam aptissimum debeas censere, & obseruare; quam dictorum verborum explicationem confirmo ex Nazianzen. Orat 40. quæ est in sanctum baptisma, vbi ait: Absurdum fuerit cum pecunias auide præripias, sanitatem in longius differre, atque extrahere: cum corpus præpurges, animæ purgationem in aliud tempus reseruate: cum studium, & diligentiam omnem adhibeas, vt magnificas ædes incolas, aut splendidas vestes geras, nihil curæ suscipere, vt ipse summo pretio dignus sis: cum ad bene de aliis merendũ promptus sis, de teipso bene mereri nolle. Omne tibi tempus idoneum est; quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat. Cum Paulo ad te clamo, cum magna illa voce: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis:* quo loco 2. Cor. 6. num. 2.
particula, *nunc*, non certum aliquod tempus, sed tempus omne designat. Et rursus: *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus*, peccati nocte discutiens: quandoquidem in nocte spes Ephes. 5. num. 14.
malas, vt testatur Isaias, ac manè accipi conducibilius est: Sere cum serendi tempus fuerit, & fruges comporta, & horrea solue, cum tempus hoc postularit: & tempestiue planta, & vuam maturam detonde, & veris temperie fretus, nauem è portu solue, rursúsque oriente hyeme, matíque sæuiente, fac eam in portum subducas. Quin tibi quoque, & belli, & pacis tẽpus sit, & matrimonij ineũdi, & à matrimonij opere abstinendi, & amicitiæ, & dissidij, siquidem ita necesse

cesse sit, atque omnis denique rei, si Salomoni auscultandum est: auscultandum est autem, vtile enim consilium proponit. At vero salutis tuæ negotium semper age, atque omne tempus tibi certum, & definitum esse existima. Sic Greg. ostendit, quod etsi aliis rebus tempus accommodatum debeamus expectare, neque semper quamlibet rem operari, sed pro temporis opportunitate, sicut Salomon dixit: Omnia tempus suum accommodatum habere Eccles. 3. num. 1. Eccles. 3. vbi Nyssenus homil. 6. ait: Doceri opportunitatem quærendam esse in rebus, vt neque præuenienda sit opportunitas, neque differenda. Quibus similia habet Antiochus homil. 91. quæ inscribitur: Quod semper captanda sit temporis opportunitas. Cum igitur in aliis rebus obseruanda sit temporis conditio, & opportunitas, circa salutem nostram tempus quodlibet obseruandum est, & magni faciendum, quia semper adest occasio, & opportunitas, ad hoc, vt de nostra salute agamus, & pro ea operemur. Quapropter merito Salomon hac de re loquens ait: Fili obserua tempus.

ANNOTATIO II.

Quod dum viuimus, debemus diuinis laudibus iugiter incumbere.

DVm Ezechias fatetur mortuos minimè iam laudaturos Deum, sanè docet viuorum proprium munus, & officium esse Dei Maiestatem perpetuò laudare; imo quia diuinitus sanitatem fuerat consequutus, ostendit ad hoc illam sibi fuisse datam, vt Dei cultui, confessioni, & laudi dedicaretur, quod factum comperimus in socru Petri, quam febricitantem Dominus eleuauit: *Apprehensa manu eius, & continuo dimisit eam febris*, & ministrabat Christo Domino, & discipulis eius; vbi Marc. 1. num. 30. Victor Antioche. eleganter ait: Nos per hoc erudiens, ne sanitatis beneficium frustra, aut præpostere à Deo expectemus; verum eo præcipuè animo, vt sanitatem iam adepti, præceptis illius accuratiùs parere, sanctiùsque eiusdem necessaria vitæ præsidia ministrare valeamus, &c. Hoc itaque debemus omnes præ oculis habere, dum sanitate præstamus, dum egregia valetudine fruimur, vt scilicet Deo vacemus, eiusque obsequio, & laudibus, totam vitam, ac salutem dedicemus. Ideo namque videtur Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam condidisse, vt se totum Deo in vita offerens, & proponens, mereatur post mortem illi in æterna beatitudine assimilari.

Hinc sumpsit occasionem Tertullian. reiiciendi idololatriam, quod cultura hominum sit, cum sola Dei debeat apud homines reperiri, quandoquidem ea maximè ratione similes Deo facti sunt, vt se totos Deo reddant, gratias iugiter Deo reddendo, illiúsque laudes perpetuo celebrando. Sic verò habet Tertullian. lib. de Idololatria, cap. 15. ante med. Recogitemus omnem idololatriam in homines esse culturam, cum ipsos Deos nationum homines retro fuisse, etiam apud suos constet. Itaque nihil interest superioris, an huius sæculi viris superstitio ista præstetur. Reddenda sunt quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, idest, imago Cæsaris Cæsari, quæ in nummo est, & imago Dei Deo, quæ in homine est; vt Cæsari quidem pecuniam reddas, Deo temetipsum: alioquin quid

quid erit Dei, si omnia Cæsaris, &c. Sicut igitur tributum soluimus Regibus & Principibus statuto tempore ex rebus nostris externis; sic etiam debemus debitum tributum Omnipotenti Domino soluere nos totos Deo reddendo, iugiter diuinas laudes celebrando, & pro beneficiis acceptis gratias reddendo; ideóque addit idem Tertull. Quod attinet ad honores Regum, vel Imperatorum satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos oportere secundùm Apostoli præceptum subditos magistratibus, & principibus, & potestatibus, sed intra limites disciplinæ. Proptereà enim illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui alias obsequentes erga Regem Nabuchodonosor honorem imaginis eius cõstantissimè respuerint, probãtes idololatriam esse, quidquid vltra humani honoris modum ad instar diuinæ sublimitatis extollitur. Sic Daniel cætera Dario subnixus tandiu fuit in officio, quandiu à periculo disciplinæ vacaret: nam id ne subiret non magis Regios leones timuit, quàm illi Regios ignes, &c. Ex qua Tertull. doctrina elicimus interdum animi cultum externam itidem supremæ Maiestatis laudationem in tantum esse debitam Deo, vt si alteri impendamus, vel Deo subtrahamus, proximi idololatriæ deprehendamur; quod si proprium Deo debitum soluere velimus, nos totos eius adorationi, cultui, & confessioni dedere, & impendere debemus.

Rom. 13. num. 1.

Dan. 3. num. 18.

Hac profectò ratione videtur Dauid vitam à Deo postulasse, vt se totum diuinorum præceptorum custodiæ traderet, & in diuinis mandatis obseruandis, toto vitæ tempore resolueret, cum dixit: *Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos,* id est, cum retribueris, aut si tribueris; nam Hieronymus legit: Tribue. Et sanè retribuendi verbum in sacris litteris non semper meriti persolutionem significat, sed quandoque beneficij vltro collati vim habet. Vnde verbum Hebræum *Gamal*, & L X X. & Symmachus vertere solent benignè facere, beneficium conferre, vt patet ex Psalm. 114. *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Sensus proinde est, quasi dicat Dauid, si hoc mihi beneficium feceris, vt ego viuam, sicut legit Ambros. Omnia mea referam ad seruitutem tuam, eamque insumam, non epulando, lætando, ædificando, agros excolendo, agendo causas, & cætera, quæ cum tempore pereunt, vt ibi obseruat Arnob. sed tibi obsequendo: quo fiet, vt custodiantur à me sermones tui quoad hanc mortalem vitam vixero. Bene pro nostro argumento Agellius ait: Petit, vt sibi viuere liceat, non in aliud, quàm vt vitam non in fruendis voluptatibus, sed in custodiendis eius sermonibus, ac lege seruanda exigat, &c. Ad hoc siquidem debet accipi, expeti, & postulari à Deo vita, vt tota eius laudibus consecretur, in illius obsequio transfigatur, illius confessioni mancipetur; alioqui, quidquid vitæ alteri rei impendimus, Deo veluti subtrahimus.

Psal. 118. num. 17.

Psal. 114. num. 7.

Hoc ita videtur insinuasse idem Dauid cum Psalm. 34. ait: *Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam:* vbi Augustinus explicat in hunc modum. Quomodo fieri poterit, vt lingua nostra tota die meditetur, & loquatur laudem Dei? Et cuius lingua inquit ille, tota die durat meditari laudem Dei? Ecce modò paulò longior sermo factus est, fatigamini tota die, Deum laudare quis durat? Suggero remedium, vnde tota die laudes Deum, si vis: quidquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas

Psal. 34. num. 28.

 Deum.

Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando; discedis, vt reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum. Discedis vt dormias, noli surgere ad malefaciendum, & laudasti Deum. Negotia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te ad laudandũ Deum tota die. Sic Augustin. docet quomodo possimus tributum Deo debitum persoluere, si nempe Dei laudibus iugiter per omnes actus nostros incumbamus, & quidquid agimus in Dei cedat commendationem, cum ipse ad hoc nobis vitæ tempus concesserit.

Sed dicet aliquis: quomodo igiter à nobis laudandus erit Deus, lingua & actionibus nostris, cum ipsum potius deceat silentij laus, quàm vocis, satiúsque multo sit, sicut ille alius de Carthagine dixit; Silere, quàm pauca dicere; sicut item alius cum formosas alias puellas depinxisset, designatum Helenæ vacuum reliquit locum cum inscriptione, hic locus est Helenæ, pulchriorem, imò & pulcherrimam existimans depinxisse, dum non depinxit: sic melius videtur Deus à nobis laudari, dum nõ laudamus. Vnde Chrysost. hom. 1. in primã ad Timoth. refert olim supernè inscriptum in templis, silentium fuisse, quod nihil magis deceret Dei Maiestatem, quàm taciturnitas, & Diony. Areopag. Arcana cœlestia silentio esse colẽda; & Trismegistus in hymno quem canit Deo, ineffabilem vocat, solo prædicandũ silentio; & Lyricus secundo carm. Ode 13. vtrumque ait sacro digna silentio, mirantur vmbra dicere; qua de re videndus Giraldus de Diis gentilium Syntag. 1. Et sanè cum quælibet modica liget linguam perturbatio, atque verũ habeat, quod Seneca dixit: Paruæ curæ loquuntur, ingentes stupent, profectò loqui de Deo, ipsumque laudare nequibit, qui magni eum æstimauerit, & pro dignitate de illo cogitauerit; vnde Aristot. 1. Ethic. cap. 12. ait: Optimorum non est laus, sed maius quid, & melius admiratio, scilicet, & stupens silentium, quod probè agnouit Dauid cũ dixit: *Te decet hymnus Deus in Sion:* Psal. 64.
vbi Hieronymus, *Tibi silentium Deus* num. 12.
in Sion: quibus verbis inculcatum videtur maximè propriam Dei laudem esse silentium, quia nimirum eius immẽsa magnitudo, maiestas, & potentia, comprehendi, & commendari minimè queat, Munster, & Campens. habet: *Te expectat laus, Deus, in Sion*, quorum verborum sensus esse videtur. Laus omnis te consequi minimè potest, imò quasi expectat, & præstolatur, donec tu captui nostro te accommodare digneris, qui maior es omni laude, & ideò silet omnis laus, quando ad te peruenire non licet, qui longè superas, & effugis omnem laudationem, ita vt laus respectu tui expectare manendo videatur, qui prætercurris, & prẹteruolas, quẽlibet laudandi ausum, & volatũ. Pagnin. & alij transferunt: *tibi silet laus*, idest, occludis ora, & silentium imponis magnitudine tua, quę stupidos nos reddit; & quia magna commendatio immensæ magnitudinis tuę est omnem laudationem superare, non inepta, imò pulchra laudatio est silentium; sic enim alij legunt, teste Lorino: *tibi formosa laus est silentium*, maximè cum videamus, quod quantumcumque Angeli in cœlo magnificentiam tuam exaltent, laus ista est veluti silẽtium. Vnde Chaldaicè habetur: *Coram te reputatur sicut silentium laus Angelorum, ô Deus, cuius maiestas residet in Sion*; & in eodem sensu videtur loquutus textus Nebiẽsis dum habet: *Coram te reputatur sicut silẽtium laus, Deus, in Sion.*

Ratio autem huius rei ea esse videtur

tur,quia de virtute,& potentia videtur esse quædam veluti imago deducta laus ipsa, & commendatio, quæ rei laudatæ videtur correspondere,& resonare; vnde eleganter Cicero 3. Tuscul.ait:Est gloria solida quędam, & expressa,non adumbrata,ea est cōsentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute, ea virtuti resonat, tanquam imago voci,&c. Cum igitur laus veluti imago sit rei commendatæ,illiq; resonet,qui fieri potest,vt nostra laus quæ tanto inferior est Diuinæ Maiestati eidem possit conuenire, & non potius silentium,& taciturnitas?Vnde Ægyptij crocodilū colebant, qui lingua caret, vt innuerent Deū perpetuo in silentio delitescere, atque adeo melius silētio coli, quàm voce.

Denique ipsemet Dauid postquā
Psal.105. num.1. Psalm.105. dixit:*Confitemini Domino, quoniam bonus,quoniam in sæculum misericordia eius*: statim sequenti versiculo corrigit,ac retractat; quod tam liberaliter, & fidenter omnes inuitauerit,ac prouocauerit ad laudandum Deum, quippe qui existimauerit id frustra à se factum,cum vix,ac ne vix quidem idoneus ad id quis inueniatur, dicendo: *Quis loquetur potentias Domini,auditas faciet omnes laudes eius?* *Sup.n.12.* Quid ergo est quod iugiter laudandum Deum in tota vita nostra ostendimus, neque voce tantùm,sed actibus, & operibus nostris, cum ei potius conueniat silentium, meliusque dum tacemus,laudetur?

At hęc omnia id profectò indicāt, nullatenus posse à nobis, prout decet,& secundùm magnitudinem potentiæ,& bonitatis suæ laudari:vnde bene Agellius explicat dictū locum Dauidis: *Quis loquetur potētias Domini*,&c.in hunc modum:Laudes illius pro merito celebrare, & confitendo eius beneficia æquare quis poterit? Ideóque formidandum non est, ne plura dicamus quantumcunque laudemus, semper enim illius meritis inferiores inueniemur. Neque verò huic assertioni obest, quod in alio Psalmo dixit ille Regius vates: *Adijciam super omnem laudem tuam*; quandoquidem id minimè accipiendum est in eo sensu, quasi plus se laudaturum profiteatur, quàm ille dignus sit, sed laudibus illis,quibus vel ipse, vel alij Deum celebrarunt, se adiecturum pollicetur,vt nunquam alias magis laudauerit, vel quod nouissimè acceperit à Deo beneficium, pro quo grates denuò Deo reddiderit, vbi notanda venit expositio Euthymij,& Nicephori,qui dicunt adiicere super omnem laudem Dei illos, qui non sermone tantùm, sed etiam operibus laudant Deum, efficiuntq; vt videntes eorum opera bona glorificēt Patrem,qui in cœlis est. Aiguanus exponit,vt Dauid super omnem laudem dicatur adiicere, quia nullus tot Dei laudes prosequutus est de Prophetis, nec de tam multis Deum beneficiis,vt ipse laudauit. *Psal.70. num.14.* *Matth.5. num.16.*

Is itaque, qui Deum omni laude superiorem agnoscit, & confitetur, attenditq; quantis deuinctus sit beneficiis,tantū abest, vt silere debeat, quod potius membra omnia in linguas conuertere teneatur,si posset,& instrumēta laudationis multiplicare exoptet,quod quia non potest,si linguam suam exerit in diuinas laudes, optans quantum valet congruentem Deo offerre laudē, cū decoro ipsum profectò laudat, quod optimè dixit Chrysost.Comment.in Psal.112.ibi: *Excelsus super omnes gentes Dominus*, in hæc verba:Cum Deum per cultum attollimus,illud quoque scimus,hæc esse per quandam demissionem: & ad captum nostrum accommodationem, &c. Debemus siquidem profiteri nos minimè posse peruenire nostris laudationibus ad Dei meri-

tum,potentiam,& maiestatem: omnem siquidem laudationem superat, omnem excedit commendationem. Hac verò supposita recognitione, qui Deum laudat,confidenter sacros hymnos proferre potest, neque sola lingua, sed actibus omnibus in diuinam commendationem incumbere. Pro qua re videndus est Augustin. in Psal.146. post princip. ad illa verba:
Psal.145. *Laudate Dominum, quoniam bonus est*
num.1. *Psalmus*,vbi alium assignat modum, quo iugiter Dei laudibus possimus incumbere; si nempe cessantes ore, opere laudemus,sic verò habet. Non sic prætereamus laudare Dominum; dictum est, & transiit:factum est, & siluimus, laudauimus, & tacuimus, cantauimus, & conquieuimus. Imus in aliud fortè agendum, quod restat, & aliæ actiones cum occurrerint nobis,laudatio diuina cessabit in nobis? Non sic prætereamus laudare Dominum, non sic: nam lingua tua ad horam laudat,vita tua semper laudet. Inde ergo bonus Psalmus, Psalmus quippe cantus est, non quilibet, sed ad Psalterium. Psalterium autem quoddam organum est cantilenę:qui ergo psallit, non sola voce psallit,sed assumpto etiam quodã organo,quod vocatur psalterium, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo psallere? Non solùm vox tua sonet laudes Dei,sed opera tua concordent cum voce tua.Cum ergo voce cantaueris,silebis aliquando:vita sic canta, vt nunquã sileas,&c. Quibus ostendit, quomodo liceat Deum iugiter laudare,nunquam cessando à tali cõmendatione, si nempe externa voce sacros hymnos decantemus,& rectis ac probatis actionibus Dei operationes commendemus. Similia habet idem Augúst. in Psalm.142.cum ait: Tunc desinis laudare Deum, quando à iustitia,& ab eo,quod illi placet declinas: non cessat quisque bene viuere, & semper laudat Deum, &c.

Optima item sunt in hanc sententiam,quæ habet idem August.ad illa
verba Psal.70. *Repleatur os meum lau-* Psal.70.
de,vt cantem gloriam tuam,tota die ma- num.8.
gnitudinem tuam;quid est tota die?inquit August. fine intermissione; in prosperis, quia consolaris; in aduersis, quia corrigeris;antequam essem, quia fecisti: cum essem,quia salutem dedisti:cum peccassem, quia ignouisti: cum conuersus essem,quia adiuuisti: cum perseuerassem,quia coronasti. Ita planè repleatur os meum laude, vt hymno dicam gloriã tuam, tota die magnificentiam tuam. Sic August.ostendit rationes,quibus vndique constringamur, & veluti pungamur, ne vnquam à diuinis laudibus cessantes torpeamus, sed cum Dauide omni tempore benedicamus Dominum,& semper laus eius in ore sit nostro. In quam sententiam videndus adhuc erit idem Aug. enarr. 1.in Psal.32. vbi affert illud Psal.33.
Benedicam Dominum in omni tempore, Psal.33.
semper laus eius in ore meo; & in hunc num.1.
modum explicat. Quid est in omni tempore? Hoc est semper:& quid est benedicam? Hoc est,laus eius in ore meo. Omni tempore,& semper,siue in prosperis, siue in aduersis. Nam si in prosperis,& non in aduersis,quomodo semper? Deinde explicans il-
lud dicti Psal.32.*Rectos decet collauda-* Psal.32.
tio, ait: Quid est recti? vt nihil illis num.1.
displiceat,quod fecerit Deus,possint & in aduersis Deum laudare,& dice-
re:*Dominus dedit,Dominus abstulit,si-* Iob 1.
cut Domino placuit, ita factum est,sit no- num.21.
men Domini benedictum. Rectos decet collaudatio: discite gratias agere, & in prosperitatibus, & in tribulationibus: discite habere in corde, quod habet omnis homo in lingua, quod vult Deus hoc agat, &c. Cum enim voluntas Domini recta semper sit, quidquid voluerit, & fecerit, optimum

mum proculdubio erit, ac proinde dignum laude, & commendatione nostra.

Pro qua re non omittenda sunt, quæ habet idem August. dum exponit titulum Psalm.54. qui habet, in finem in hymnis, potéstque exponi de perpetuis, & continuis laudibus Deo decantandis, quia semper adest materia,& ratio laudandi Deum. In laudibus, inquit Augustin.siue enim tribulemur, & angustiemur, siue lætemur, & exultemus, ille laudandus est, qui & in tribulationibus erudit, & in Lætitia consolatur nos; laus enim Dei à corde, & ore Christiani recedere non debet, non vt laudet in prosperis, & maledicat in aduersis, sed quemadmodum Psamus ille præscribit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* *Psal. 33. num. 1.* Gaudes, agnosce patrem blandientem,tribularis, agnosce parrẽ emendãtem,&c. Qui ergo semper,& vbique cognoscit Deum benefacienrem: debet recognoscere,& laudare benefactorem, vt laus eo modo,quo potest,benefactori respondeat. Similia habet in Psalm.91. ad illa verba, *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam,& veritatem tuam per noctem,* *Psal. 91. num. 3.* vbi ait: Quid sibi vult, quia manè annuntianda est misericordia Dei, & per noctem veritas Dei? Manè dicitur, quando nobis bene est:nox dicitur, quando tristitia tribulationis adest.Quid ergo dixit breuiter?Quãdo tibi bene est,gaude Deo,quia misericordia ipsius est. Iam tu forte diceres. Si ergo gaudeo Deo,quia mihi bene est,quia misericordia ipsius est: quando in tristitia, in tribulatione sum quid facio? Misericordia ipsius est, quando mihi bene est, crudelitas ergo ipsius quando mihi male est? Si laudo misericordiam,quando bene est, reprehendo ergo crudelitatem,quãdo male est? Non.Sed quando bene est, lauda misericordiam: quando malè est, lauda veritatem, quia peccata flagellat, non est iniquus: iam in nocte erat Daniel cap. 3.6.& 14.quando orabat; erat enim in captiuitate Hierusalem, erat in potestate hostium. Tunc multa sancti patiebantur, tunc ipse in lacum leonum missus est, tunc tres pueri in ignem præcipitati sunt. Et patiebatur in captiuitate populus Israël, nox erat. Per noctem confitebatur Daniel veritatem Dei, dicebat in oratione cap.3.& 9.*Peccauimus,impie egimus,iniquitatẽ fecimus. Tibi Domine gloria; nobis confusio*; veritatem Dei annuntiabat per noctem. Quid est veritatẽ Dei annuntiare per noctem? Non accusare Deum, quia pateris aliquid mali, sed tribuere illud peccatis tuis,emendationi ipsius, ad annuntiandum manè misericordiam ipsius,& veritatem per noctem.Cum misericordiam annuntias manè, & veritatem per noctem, semper laudas Deum,semper confiteris Deo, & psallis nomini eius, &c. Enimvero qui semper in Deo contemplatur rationes laudandi,quæ etiam in mediis tribulationum tenebris relucẽt,nunquam Dei laudationem intermittit, sed sicut in mente rationes versat,sic in ore laudes prosequitur, neque aliquid admittit, quo Dei confessionem possit vnquam intermittere.

Hinc est, quod postulans licentiam pro sepeliendo patre discipulus ad consortium Christi admissus, quantumuis istam rem postulasse videretur,responsum accepit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* *Matth. 8. num. 22.* Vbi Tertul.lib.de Idololatria ait: Sepelire patrem tardũ fuit fidei, &c. Ipsa siquidem fides docet,vt nos totos Deo offeramus,& totũ vitæ tempus in illius cultum, & obsequium impendamus, alioqui nostro muneri,& obligationi veluti tardos,& ne-

gligentes defuturos, si cuicumque alteri rei, etiamsi recta videatur, nos applicemus, & incumbamus; cum soli Dei obsequio,& confessioni totam curam, & diligentiam omni tempore debeamus incumbere.

Pro quo argumento facit Chrysost.homil.19. in cap.9. act.Apostol. statim in principio, cum expendit verba illa: *Ecce vir Æthiops, Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalē, & reuertebatur sedens supra currum suum, legensq; Isaiam Prophetam.* Aduertit igitur Chrysost. quomodo Eunuchus iste, etiam in medio gentium Deum coluerit, nullumque temporis spatium intermiserit, aut amiserit, qui etiam in via diuinæ lectioni sic studebat, docens nos quid agere debeamus in via præsentis vitæ: quomodo nullibi cessandum, nunquam intermittendum, nullum amittendum tempus, sed totum in Dei laudibus impēdendum. Sic vero habet Chrysost. Magnis laudibus prædicatur ille, quādoquidem; & in Æthiopia manens, & tantis occupatus negotiis, & cum non esset festus dies, agerétque in superstitiosa ciuitate, venit adoraturus Hierusalem; magnáque diligētia erat, quia etiam in curru sedens legebat: & post multa, iterum addit de eodem Eunucho. Videtis quomodo erat in magistratu, inque diuitiis, & neque in via quieuit? Qualis igitur erat ille cum esset domi, cum sic in itinere otium non admitteret? Qualis erat in nocte? Quotquot estis in dignitatibus, audite, & imitamini humilitatem, ac pietatem, &c. Vtinam imitaremur istum sic Deo deditum, sic Dei glorificationi, & saluti suæ studentem, qui nullum omittebat tempus, nouerat enim ad ad hoc sibi datum, vt totum in Dei cultu, & obsequio transigeret.

Act. 9. nu. 27.

In quam sententiam facit id quod obseruat Auctor operis imperfecti in Matth.homil.54.post principium, Nos, scilicet, omnes quandiu viuimus, mercenarios esse, & operarios constitutos super vineam Dei, idest, ipsius cultum, iustitiam, & virtutem, qui proinde Deo obsequendo, & famulādo, eiúsque præcepta seruando, mercedem æternam promereri tenemur, proindéque nulli alteri operationi debemus incumbere, nisi quę in Dei obsequium, & gloriam cedat. Sic ergo habet. Quæ est vinea Dei hic? Non homines, sicut alibi: vinea iustitia est, in qua diuersæ species iustitiarum positæ sunt, quasi vites; attendamus ergo cum quali studio cœlestem vineam colamus. Adam enim positus est in paradiso, colere, & operari eam, sed quia neglexit eam, proiectus est de ea. Et nos positi sumus super colendam iustitiam, si neglexerimus, proiiciemur de ea. Scitote quia mercenarij sumus conducti; si ergo mercenarij sumus, cognoscere debemus, quæ sunt opera nostra; mercenarius enim sine opere non potest esse: opera autem nostra, sunt opera iustitiæ, non vt agros colamus, & vineas: non vt diuitias acquiramus, & congregemus honores. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium, vt hoc solum faciat, quod māducet; sic & nos non ideo vocati sumus à Christo, vt hæc sola operemur, quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad Dei gloriam. Et sicut mercenarius, prius aspicit opus suum, deinde diaria sua: sic & nos, si mercenarij Christi sumus, primum debemus aspicere, quæ ad gloriam Dei pertinent, deinde quæ ad nostram vtilitatem, & sicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum; sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere

circa

circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terrenos. Et sicut mercenarius, qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quo modo tu non confunderis intrare in Ecclesiam,& stare ante conspectum Dei,quando nihil boni in conspectu Dei gessisti? Sic ille ostendit, quomodo proprium opus nostrum sit Deum glorificare, & colere internam iustitiam interim excolendo, ita vt si in hoc opere deficiamus ab instituto, & munere nostro aberremus, & à vocatione declinemus, imo in vacuum viuamus, cum ad hoc simus à Deo conditi, vt iustitiæ opera ante Deum exerceamus, & tanquam mercenarij Omnipotentis Dei, illius cultum perpetuo exerceamus.

Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Chrysostom.hom.30. in cap. 4. Ioan. in fine; vbi ostendit frustra, & in vacuum viuere eos qui non operantur iustitiam, neque secundum virtutem, Deum colunt. Quandiu, inquit ille, frustra, & inutiliter viuemus? facere enim,quæ Deo non placent, id demum est frustra, & inutiliter viuere, vel potius perditè. Cum enim datum nobis tempus in nullam impendimus vtilitatem, inutilis impensæ vltimum datur supplicium, hinc migrabimus. Nunquid qui pecunias ad negotiationem acceperit, easque prodegerit, ab eo creditor rationem exiget, qui autem vitæ munus perditè consumpserit,impunè abierit? Non propterea Deus præsentem nobis vitam præstitit, non animam in hoc corpus infundit,vt hac tantum fruamur vita, sed vt totis viribus ad futuram contendamus. Bruta præsenti duntaxat vitæ vsui sunt: nos idcirco immortalem habemus animam, vt ad illius vitæ præparationem omnia moliamur: melius,& præclarius domicilium post huius vitæ migrationem expectamus; ad quod vt clari peruéniamus, omnia facienda sunt,&c. Frustra proinde, & in vacuum viuit, qui aliis distenditur occupationibus,& non totum animum in Deum conuertit, vt ei perpetuo ministrando adhæreat,& assistat.

Quo in loco recolenda, & commendanda venit præclara Religiosorum vita, dum tempus in Dei obsequio,& diuinis laudibus decantandis, diu, noctúque transigunt, quidquid vero superest honestis occupationibus insumunt;quos recte comparat Epiphanius apibus, quæ manibus fauos fabricantes ædificant, ore verò mel deferunt; sic enim habet lib.3. cōtra Hæres.hæres.79.contra Collyridianos.Quemadmodū in singulis monasteriis, & in Ægyptiorum regione sic laborant ad iustitiam, velut apis, in manibus quidem habens ceram opificij,in ore verò guttas mellis cum propria hymnifera voce vniuersorum Dominum laudant,&c. De quibus proinde iure dici potest quod corde pariter, & carne in Deum exultent, ipsúmque laudent, & colant;quo sensu exponit August.verba illa Psal.83. *Cor meū,& caro mea exultauerunt in Deum viuum:* existimat enim esse intelligenda de iis, qui totum aliud, quod nō est Deum laudare,& colere mortuum reputant, proindéque nullatenus in eis occupantur, sic enim habet libr.50. Homil. homil.33. statim post principium. Exultauit, sed in Deum viuum,hoc est, non exultauit in hoc mundo, non in diuitiis, non in honore, &c. Quare non dixit in Deum tantum, sed addidit in Deum viuum? Vt ostenderet, scilicet, quia totum quod non pertineret ad Dei cultum, deberemus habere quasi mortuum. Simúlque considerate huius Psal. 83. num. 3.

huius dicti subtilitatem sermonis sacri. Cor meum, inquit, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Nunquid nō suffecerat dicere, cor meum exultauit in Deum viuum, nisi addidisset, & caro mea? Videamus ergo quomodo in Deum, & cor simul, & caro hominis exultat. Quomodo nisi vt homo, & carne, & corde Deo seruiat? Cor enim exultat in Deū, quando honesta, & sancta cogitat, quando religiosa opera, & Deo placita concupiscit. Caro autem exultat, quando pudica est, quando sobria, quando nulla impuritate polluta, quando nullis immundis actibus sordidatur. Nulla caro exultat in Deo, quæ viuit in vitio. Ideo ergo Propheta dicebat: *cor meū, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, quia & corde retinebat plenam religionis fidem, & carne seruabat deuotam corporis sanctitatem. Hæc August. cuius doctrina aperte deducitur perfecta Religiosorum vita, & eorum, qui animo, & corpore exultant in Deum viuum, dum & animo laudant, & corpore obsequuntur, & famulantur; fauos quidem manibus construunt, dum opera virtutis exercent; mel vero ore conficiunt, quia diu, noctúque diuinas prosequuntur laudes.

Adeo vero certum est nostrum in præsenti vita officiū esse debere diuinas laudes decantare, & magnifica Dei opera, & beneficia extollere, vt Isaias deploret, & lacrymetur, quòd postquā Dei maiestatē viderit ipsum, cū seraphinis nō decantauerit, séque diuinis laudationibus imparē inuenerit, *Væ mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habētis ego habito, & Regem Dominum exercituū vidi oculis meis*. Vbi Hiero. ait: Plāgit se Propheta, quia nō fuerit dignus laudare Dominū Sabaoth, cum Seraphim, quos angelicas fortitudines intelligimus; — *Isai. 6. nu. 5.*

non fuit autem ausus laudare Dominum, quia labia habebat immunda: quia cum peccatore populo versabatur. Vel certe intelligēdū; quia tacui, & non audacter Oziā impiū Regem corripui: ideo labia mea immunda sunt, & laudes Domini cum angelis cantare non audeo, ne mihi dicatur: *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum?* Non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris. Hoc autem dicimus, nō quod Isaiam talem fuisse doceamus, sed quod ipse pro humilitate, & immundis tantum labiis, indignum se Dei laude fateatur, &c. Duo itaque maximè dolet Propheta, & quod Dei commendationi defuerit, ad quam quilibet homo proprio officio tenetur adstrictus, & quod polluta labia habuerit, & ideo ineptus diuinis laudibus extiterit, dedecent siquidem Dei laudes impium & sceleratum hominem, & in Dei obsequio facta debent præire dictis, & Deus prius vita laudatur, quam lingua. Vnde Ambros. serm. 76. ad fin. ait: Si non loquimur verbis Dei gloriam, factis exequamur eius gloriam, quoniam dictis facta priora sunt; nam Dominus in Euangelio ita dixit: *Qui autem fecerit & docuerit*: dictis facta præcedunt; imo sine factis dicta nihil prosunt. — *Psal. 49. nu. 16.* — *Eccles. 15. nu. 9.* — *Matth. 5. nu. 19.*

Videndus in hanc sententiā Chrysost. tom. 5. homil. quum presbyter esset designatus, ante med. vbi loquens de sacrificio laudis ait: Cupiebam, & ipse hodie has mactare victimas, & altare spirituale hisce cruentare hostiis. Sed quid faciam? Vir quidam sapiens obturat mihi os deterrétque dicens: *non est speciosa laus in ore peccatoris*. Quemadmodum in coronis non sat est esse puros flores, nisi pura sit & manus eas contexens: sic & in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, — *Eccli. 15. nu. 9.*

verum

verum etiam animum, hymnos concinentem: at is mihi impurus est, fiduciæ vacuus, vtpote multorum plenus scelerum. Porrò sic affectis, non hæc modo lex obturat os, verum etiam alia quædam illa vetustior, & ante illam lata, quam & ipsam adiecit is, qui modo nobis de sacrificiis loquutus est Dauid, cum enim ait:
Psal. 148. num. 9. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate Dominum de terra*: cum vtramque inuitat creaturam, & quæ sursum est, & quæ infernè sensibilem atque intelligibilem conspicuam, & inconspicuam, quæ supra cœlos est, & quæ sub cœlo, & ex vtraque chorum constituit, atque ita iubet hymnis celebrare regem vniuersorum; nequaquam inuitauit peccatorem, sed & hic illi fores occlusit. Cæterùm, vt vobis quod dico fiat euidentius, ipsum Psalmum ab initio vobis prælegemus: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius.* Vides Angelos laudantes, vides Archangelos, vides Cherubim, & Seraphim, summas illas virtutes? Quum enim, ait: *omnes virtutes eius*, vniuersum populum cœlestem complectitur. Nuncubi vides peccatorem? Et quomodo, dixerit aliquis, in cœlo videre possunt? Ergo age, in terram descendamus ad alteram chori partem transeuntes, nec hic rursus videbis peccatorem: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyssi, bestiæ, & omnia pecora, reptilia, & volucres pennatæ.* Haud frustra namque temere, dum hæc loquor, interiluit: quia & mentis cogitatio metu confusa est, ad amaras vsque lacrymas, grauemque eiulatum perducta. Quid enim, obsecro, potest esse miserabilius? Scorpij, serpentes, ac dracones inuitantur ad laudandum eum, a quo conditi sunt: solus peccator ab hac sacra chorea submotus est, idque iure optimo: mala bestia est peccatum, non quidem in conserua corpora malum proferens, sed in ipsam Domini gloriam effundens malitiam: *Propter vos*, inquit, *nomen meum blasphematur inter gentes.* Rom. 2. num. 24. Eoque peccatorem tanquam è sacra patria abegit Propheta, & vltra fines, ac pomeria submouit; atque vti musicus optimus, è cythara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum armonia vitietur: sic & peritus artis medicus, membrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat. Eundem ad modum Propheta fecit, dum veluti chordam dissonam, ac veluti membrum ægrum ab vniuerso creaturæ corpore resecat, &c. Qui enim fieri potest, vt viuum Deum laudet mortuus in peccato delitescens? Quomodo poterit diuinas laudes decantare, qui æterna supplicia, & lacrymas meretur? Qua ratione grates Deo reddet, qui ingratus in factis sus deprehenditur? Potius tacebit confusus, quàm cantabit lætus, & quandiu pro peccatis propriis amarè non lacrymatur, à diuino choro, longè lateque exulare debet, ne turpem reddat pulchram commendationem fœtido peccatorum halitu.

Hinc est quod monens Ozeas decem tribus vt ad Dominum reuerterentur, eumque laudando confiterentur, ait: *Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum: tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ozee 14. n. 2 & 3. Vbi LXX. habent: *& reddemus fructum labiorum nostrorum.* Chald. *Et sint eloquia labiorum nostrorum penes te accepta, tanquam boues in beneplacitum super altari tuo.* Vbi vides prius postu-

lari à Deo ablationem iniquitatum, & deletionem peccatorum, postea promitti oblationẽ vitulorũ è labiis prodeuntium, cantica, scilicet, & laudes Dei, quas minimè decet assumere peccatorem per os suũ, vtpote cuius vox dissona sit, & Dei aures lædat.

Hæc est ratio cur Dauid non nisi iustos cantores ad diuinas laudes
Psal. 102. num. 21. prosequendas conuocet dicens: *Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Vbi Aug. ait: Omnes malè viuentes, & si lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest, quia hymnum canit lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Malè viuendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno & cæteræ te intuentium vacant blasphemiis; si ergo vis benedicere Domino, fac verbum eius, fac volũtatem eius, vitam tuam interroga, ipsa tibi respondeat, &c. Debet enim vita respondere vocibus, vt consonæ repeřiantur ad diuinarum laudum concentum, & vt diuinis auribus acceptabiles inueniantur. Vnde Albinus Flaccus in Psalm. 101. post princ. ait: Tunc à Deo accepta est oratio canentis, si pura mens idem gerit, quod explicat ore, &c.

Hoc docuisse videtur Regius Psaltes ex mẽte Augustin. cum omnes gentes ad laudandum Deum inuitans, ait: *Omnes gentes plaudite manibus.* Quid est, inquit Aug. plaudite? Gaudete: sed quare manibus? Quia bonis operibus; ne gaudeatis ore, & cessetis manibus. Si gaudetis, plaudite manibus: manus gentium videat, quid est manus gentium? Facta bene
Psal. 46. num. 1. operantium. *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis*, & voce, & manibus; si tantum voce, non bene, quia pigræ sunt manus; si tantum manibus, nec hoc bene, quia muta est lingua: concordent manus & lingua, ista confiteatur, illæ operentur, &c. Ecce quomodo consonare debeant voces & opera, vt veram harmoniam in diuinis laudibus efficiant, & acceptabiles Deo inueniantur.

Pro qua re videndus est Hilar. ad illa verba Psalm. 62. *Labia mea laudabunt te: sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas;* sic Psal. 62. n. 4 & 5. enim habet. Et sermone suo, & opere laudat Deum, atque benedicit: nam in vita sua benedicens, in nomine suo manus eleuabit. Hic eleuationem manuum, non habitum orandi, sed excelsi operis indictum significari frequenter docuimus, &c.

Hac quidem de causa Sponsus dicebat Ecclesiæ sponsæ suæ. *Ostende* Cant. 2. num. 14. *mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Vbi Bernard. serm. 62. propè finem ait. Cum pura puram intueri potuerit veritatem, tunc faciem ipsius sponsus videre cupiet, consequenter & vocem eius audire; nam quantum illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, ostẽdit cum subinde infert: *vox enim tua dulcis:* quia enim nõ placeat vox, si displiceat facies, demonstrat cum illico subdit: *& facies tua decora.* Quid internę decor faciei, nisi puritas? Non est quod se veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendã: peccatori autem dixit Deus: *Quare tu enarras iustitias meas, & as-* Psal. 49. *sumis testamentum meum per os tuum,* num. 16. &c. Non vult itaque Deus laudari ab impio peccatore, neque illi placet vox laudis, cuius displicet deformis facies per peccatum: ac prouocat, & excitat sanctam animam, eiusque voci inuitando commendat, cuius faciem, ac decorem gratiæ antea commendauit. Ex quibus constat decoram Dei laudationem exigere decoram animam, purámque conscientiam, quia non est speciosa Dei laus,

in putrido ore peccatoris, vnde Dauid Psal.102. ait: *Benedicite Dominum ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Vbi August. ait: Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? &c.

Vnde merito Chrysostom. infert opus laudandi Deum, non tam facile esse, quantumuis videatur facilis loquendi, canendíve actio; quod ipse eleganter deducit ex eo, quod Dauid excitans ad laudem Dei Psalm.148. non aliunde incipit, quàm à cœlitibus, & Angelis, quia Dei laus exigit angelicam animam, & similem Angelis conscientiam. Deinde quod toties nobis in Scriptura inculcetur, tanquam optimum, sed difficile opus. Sic verò habet 1. tom. in Psalm. 112. statim pòst princip. Sacri libri sæpe præcipiunt, & qui seruantur pro magnis gratiarum actionibus id offerunt. Et quamnam habet, inquit, hoc difficultatem? Cui autem non, vel humilis, & abiectæ conditionis homini id præstare, & Deum laudare est facile? Si rem diligenter, & exactè didiceris, videbis, & laborem, qui in re est, & lucrum, quod ex ea percipitur. Primum quidem, hæc laus à iustis requiritur, & oportet vitam prius rectè instituentem, hymnos ita Deo canere; *non est enim pulchra laus in ore peccatoris.* Secundum, non verbis solùm, sed etiam factis laudare oportet, & hanc laudem Deus maximè requirit, hanc gloriam: *Luceat enim*, inquit, *lux vestra coram hominibus*, &c. Ita laudant Cherubim. Quocirca Propheta quoque cum illam mysticam audisset melodiam, seipsum afflictar, & miserum dixit, dicens: Hei mihi quod homo sum impura habens labra, & habito in medio populi, impura labra habentis, & ideo cum præcipit laudes offerre, incipit à superioribus potestatibus sic dicens: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* Ne ergo hanc laudem rem esse leuem existimemus: sed ante os nostrũ vita nostra ipsum laudet, &c. Cum itaque laus Dei ab Angelis incipiat, opúsque Angelorum sit, tam difficile erit id decenter exequi, quantum ad Angelorum puritatem peruenire, aut saltem quantum propriam purgare conscientiam, quod naturæ vires longè superat, & non nisi interueniente gratia conceditur, qua etiam indigemus, vt Dei laudes congruenter decantare possimus. Vnde qui impuro corde Deum laudare ore proprio præsumit, dum diuinas aures lædit, grauem contrahit offensam, & eo ipso opere, quo alij cumulatiorem gratiam merentur, grauiorem contrahit gehennam.

Psal.148. v.1. & 2.

Eccle.15. num.9.

Matth.5. num.16.

Isai. 6. num.5.

Hinc est quod sanctus Dauid dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo;* vbi Basilius ait: Videtur rem impossibilem polliceri Propheta: quomodo enim semper Dei laus in ore hominis potest esse? Quando enim ea depromit consueta, & ad corporis necessitatem respicientia colloquia, vtique non iam in ore habet Dei laudem: quando item dormit, penitus silet. Bibens quoque, aut comedens quomodo ore concinit laudem Dei? Ad hoc dicimus os esse quoddam spirituale, & intellectu præditum hominis istius interni, nempe mentis. De hoc ore Propheta etiam loquitur: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Sanè cogitatio, quæ de Deo est, semel impressa, & velut sigillo obsignata in præcipua animæ parte, nimirum in mente, potest laus Dei rectè appellari semper in anima existens. Potest item iuxta Apostolicam adhortationem vir quiuis bonorum studiosus cuncta facere ad Dei gloriam, ita vt facta, dictáque ipsius

Psal.33. num.1.

Psal.118. nu.131.

omnia, omnísque spiritualis operatio vim laudis habeant. Siue enim bibat iustus, siue edat, omnia ad Dei gloriam facit. Talis etiam cum dormit, quidem vigilat, iuxta verbum dicentis in Cantico Canticorum:

Cant. 5. num. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quasi enim timor quidam soni semel editi, ac diutius auribus insonantis sunt illa, quę per somnum recurrunt imaginationes conceptæ interdiu cogitationis. Sic ille ostendit quomodo possit quis semper, & vbique Deum laudare, si nempe omnia, quæ facit ad laudem Dei referat; vnde fiet, vt etiam dum dormit, adhuc resonare diuinas laudes censeatur.

Pro quo adhuc argumento audiendus erit Abbas Lucius in Vitis Patrum lib. 3. pag. 531. num. 212. vbi docet alium modum laudãdi Deum perpetuò. Cum enim quidam fratres ad eum aduenissent, requisiuit eos senex, dicens: Quid soletis manibus vestris operari? At illi dixerunt: nos nihil manibus nostris operamur, sed

1. Thes. 5. num. 17. secundùm quod dicit Apostolus; *sine cessatione oramus*; quibus senex dicit: Non manducatis? At illi professi sunt: etiam. Dixitque eis: quando ergo comeditis, quis pro vobis orat? At illi conticuerunt: & iterum requisiuit eos, dicens: Nunquid dormitis? Cumque illi se dormire dixissent, dixit eis: Quando ergo dormitis, quis orat pro vobis? Et non inuenerunt quid responderent ei. Tunc dixit eis: Indulgete ergo mihi, quoniam non facitis sicut dicitis. Ego autem dicam vobis, quemadmodũ manibus meis operans, sine cessatione oro. Sedeo enim de manè vsque ad horam constitutam, & pauca palmarum folia infundo, & facio exinde funicu-

Psal 50. num. 1. los, & interim oro, dicens: *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, &c. Cúmque percompleuero opera manuum mearum, & fecero aliqua vasa, aut paucos funiculos, & emero ex eis nummos decem, ex ipsis nummis duos do pauperibus, & reliquos comedo, tunc illi pro peccatis meis sine cessatione implent orationem meam. Sic ille exponit quomodo quis possit implere munus laudandi iugiter Deũ, si nempe ad omnia quæ operatur adiungat Dei laudationem, & quia forte non poterit semper Deũ laudare & orare, adiutores sibi quærat, pauperes, quos pretio manuum suarum conquiret, vt defectum suppleant, si interuenit.

Videndus August. in Psal. 132. vbi laudat Religiosorum veterum salutationem, qui frequenter in ore habebant hoc verbum, Deo gratias; eóque cum inuicem fierent obuiam se mutuo salutabant, vt etiam hodie faciunt; quasi nihil magis deceat religiosum os, & linguam, quàm gratiarum actio, & confessionis laus. Vnde idem Aug. Epist. 77. ait: Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te tam fideli pectore ditauit. Optima sunt, quæ hac de re habet Hieron. Epist. 17. ad Marcellam cum ait: In Christi villula, tota rusticitas, & extra Psalmos silentium est. Quocunque te verteris, arator stiuam tenens, alleluia decantat, sudans messor, Psalmis se aduocat, & curua arrondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit. Hæc sunt in hac prouincia carmina: hæ, vt vulgo dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorũ sibilus, hęc arma culturę, &c. Hocque adeo illis curę erat, vt à puero infantibus, cum fari inciperent primam vocem, quam sonarent, alleluia, idest, Laudate Deum, instillarẽt. Videndus idem Hieronym. Epist. ad Lætam, vbi inter alia hac de re ait:

Quis

Quis hoc crederet vt Albini Pontificis neptis de repromissione martyris nosceretur, vt præsente, & gaudente auo, paruulæ adhuc linguæ balbutiens Christi alleluia resonarent? Et paulo inferius ait: Cum auum viderit, in pectus eius transiliat, de collo pendeat, nolenti alleluia decantet, &c.

Elegāter hac de re loquitur Chrysostom. tom. 1. homil. in Psal. 41. statim post princip. dicens: Cum Deus vidisset multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia lubenter accedere, nec, qui in eo capitur, laborem tolerare, volens grauiorem laborē efficere, eiúsque sensum præscindere, admiscuit prophetiam melodiæ, vt omnes versus Cantici numero delectati, cum magna animi alacritate, ac promptitudine sacros ei hymnos emittant. Nihil enim animam æque erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & amore sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, vt versus modulatus, & diuinum Canticum numero compositum. Nostra certè natura vsque adeo delectatur Canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, & conuenientiā, vt vel infantes ab vberibus pendentes, si fleant, & affligantur, ea ratione sopiantur. Nutrices quidem certe quæ eos gestant in vlnis, sæpe abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpe quoque viatores meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt, canentes, &c. Et referens quomodo omnes laborantes canendo reficiantur, & dura queque emolliant, tādem addit. Quoniam ergo hoc genus delectationis est nostræ animæ valde cognatum, & familiare, ne dæmones lasciua, & meretricia Cantica introducentes omnia euerterent, Psalmos Deus construxit, vt ex ea re simul caperetur voluptas, & vtilitas. Et paulo inferius addit. Hæc dico, non vt vos tantū laudetis, sed vt, & filios, & vxores doceatis talia cātare Cantica, non solum in texendo, aliovè opere faciēdo, sed maxime immensa. Quum enim diabolus, vt plurimum, insidietur in cōuiuiis, cū ebrietatis, & ingluuiei, risúsque profusi, & remissi animi auxilio vtatur, tum maxime oportet, & ante mensam, & in mensa se munire Psalmorum præsidio, & simul cū vxore, ac liberis surgentes à conuiuio hymnos sacros Deo canere, &c. Vides quomodo Dei laudatio non solū nos acceptos reddat, & gratos Omnipotēti Deo, sed etiam munitos contra inimicorū insidias efficiat? & quia hoc opus laudādi Deum nobis maxime præstitutū est, & impositum per totā vitam, merito eam debemus auspicari, & primā loquutionē exordiri à Dei hymnis, eósque imprimis addiscere, mentéque tenere. Quod si melodia sacræ laudationis præsentis vitæ afflictionibus, & pressuris medetur, leuabit vtriq; æterna supplicia præsentem iustitiam cumulando; nouerant vtique necessariam esse cūctis hominibus Dei confessionem, & laudē, ij de quibus Basilius lib. de Spiritu Sancto c. 7. & 29. ait Hymnum glorificationis Sanctissimæ Trinitatis, idest, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, rusticos etiā docuisse, & ab eis cantari solitum.

Et sane si ea, quæ à Deo perenniter accipimus, contemplemur, profecto ad illum laudandum semper nos obstrictos inueniemus. Plane, inquit Tertull. lib. de Orat. cap. 3. ad med. Benedici Deum, omni loco, ac tempore condecet, ob debitam semper memoriam beneficiorum eius, ab omni homine, &c. & cum à Patre luminum perpetuò in nos descendant

dant bona, æquum, ac congruum est, vt semper etiam à nobis ascendant, gratiarum actiones, & Dei laudes. Et cum angeli non cessent die ac nocte dicere Sanctus, Sanctus; Sanctus; nos etiam angelorum, si meruimus esse candidati, iam hinc Deum laudare debemus, & officium futuræ beatitudinis exercere.

Iuuabit item maxime ad diuinas laudes prosequendas, si expendamus nihil Deo gratius à nobis posse offerri, quam sacrificium laudis, quod proprium est in lege gratiæ. Etenim ipse Deus per os Dauidis loquens
Psal. 49. num. vlt. ait : *Sacrificium laudis honorificabit me*; vbi August. in comment. & lib. 20. contra Faustum cap. 21. legit : *Glorificabit*, Cyprian. lib. 1. contra Iudæos num. 16. habet *clarificabit*. Nec mirum, quandoquidem qui laudat nomen Dei cum cantico, & magni-
Psal. 68. num. 32. ficat ei in laude, placet illi super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas.

Olim Deus pleraque sacrificia ab hominibus exigebat, & pro beneficiis acceptis soluenda imponebat; at in euangelica lege sacrificium laudis iure exigit, & lex gratiæ gratias ab ingratis etiam extorquet, non solum pro acceptis, sed vt vlteriora, & vberiora beneficia promereamur. Et sane cætera sacrificia, quæ in externis victimis, oblationibúsve consistunt, honorem Deo vero proprium, ac debitum, neque præbere, neque testari possunt; nam ita offerebantur, vt falsi Dij, quibus proponebantur, egere eis viderentur, non secus, quam homines, quibus similes res offeruntur. Ideo igitur oportebat ea sacrificia Deo offerre, quibus testificaremur, cuncta nobis a Deo bona prouenire, nosque Dei muneribus necessario indigere; hoc autem aperte fit, laudando bonorum omnium authorem, gratiásque agendo, pro perceptis, & percipienda promerendo, idque non sola voce, sed animo etiam, & corde. Hoc autem sacrificium laudis in nostra potestate situm est, cum gratia tamen Dei, quam omnino necessariam agnoscimus, & confitemur: hæc oblatio parabilis est, absque sumptu, Deóque ipsi pergrata, nobis honorifica, & commoda; similis profecto illi, quam suo modo Angeli, & sancti in Patria offerunt, ita vt hac ratione ipsi censeri possint Sacerdotes, & nos tum hic, tum illic aliquando propitio eodem Deo.

Hi sunt vituli labiorum confitentium nomini Domini, de qui-
bus Oseas cap. 14. Hæ hostiæ, quas Oseas 14 num. 3.
in mari naufragantes immolasse di-
cuntur, Ionæ. 1. Materiales siquidem Ion. 1. nu. 16.
victimæ, iuxta literam, inquit Hieronym. ibi in mediis fluctibus non habebant, nihil tamen vetat, quin hostias tales aliquas tunc habuerint, & immolauerint, donec omnia, quæ nauem onerabant proiecerint; quod si prius fecerant, quam sacrificarent, id forsan in portu executi sunt, maiora polliciti, cum in patriam peruenissent, vt placet Theophylacto ibidem. Hic profecto est adeps, & pinguedo, quibus anima repleta labiis exultationis laudat Deū, Ps. 62. Psal. 62. num. 6.
Loco scilicet materialium sacrificiorum, sicut ibi exponit Hilar. vbi inter alia ait : Non iam ab holocaustis pecudum, adipisque pinguedine sacrificia legis expectans, sed in sola animę confessione, benedictionísque laude, seipsum Deo hostiam statuens, secundum illud Ps. 49. *Sacrifi-* Psal. 49. num. 33.
cium laudis honorificabit me; & illud num. 14. *Immola Deo sacrificium laudis*; & illud Psal. 50. *Quoniam si voluisses,* Psal. 50. num. 18.
sacrificium dedissem vtique : holocaustis non delectaberis; quia literæ, ac legis allegoricæ præscriptione cessante, Deus viuæ, intelligentisque

hostiæ sit laudibus honorandus. Subiecit enim, *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabunt nomen tuum*, neque illa quasi abominanda condemnat, sed hæc vt magis expectata confirmans; cum sicut adipe, & pinguedine, quæ sacrificiorum primitiæ habebantur, repleri animam suam exultationis laude deposcat. Sic ille.

Videndus hac de re Chrysost. to. 1. comment. in Psalm. 112. ad ea verba, *A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.* vbi ait: Vides eum iam communem exordiri rempublicam, & aperire nobilitatem Ecclesiæ, non amplius enim in Palæstina solum, nec in Iudæa, sed est vbique terrarum nomen Domini. Quando autem hæc euenerunt, nisi quando nostra cœperunt efflorescere? Olim enim non solum non benedicebatur in Palæstina, sed etiam blasphemabatur, & maledictis incessebatur propter Iudæos, qui in ea habitabant.
Isai. 52. num. 5. *Propter vos enim*, inquit, *nomen meum blasphematur inter gentes.* Nunc autem vbique terrarũ laudibus celebratur; quod quidem alius quoque propheta significans, dicebat: *Apparebit Dominus, & perdet omnes Deos gentium, & adorabunt eum vnusquisque in loco suo.* & rursus alius (scilicet Malachias c. 1. iuxta LXX.) *& in nobis claudentur portæ, & nec accedet ad altare nomẽ Domini: quoniam ab ortu solis, vsque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, & in omni loco offertur suffitus nomini meo, & purum sacrificium &c.* Vbi vides, purum sacrificium appellari, quod in Ecclesia offertur: quod si accipiatur de Eucharistico, gratiarum actionem contingit, & innuit: si vero de sacrificio laudis, sicut videtur accipere Chrysost. præsens institutum apte colligit.

Facit item Ambr. lib. de Nabuthe cap. 16. in med. vbi explicat illud Psal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*; vt moneat per prophetam Deus diuites, ne illi offerant, quod ipsius Dei est, sed quod proprium offerentium, fidem scilicet, deuotionẽ, & laudem, quibus rebus ipse magis delectatur, quã externis quibusuis vitulis. Quidquid obtuleris, inquit Ambr. meum est, quia totus orbis meus est. Non exigo, quod meũ est; est, quod de vestro mihi possitis offerre. Studio deuotionis & fidei, non sacrificiorum ambitione delector. Tantummodo ô homo immola Deo sacrificium laudis, &c. Vides vnicum à nobis velle Deum laudis sacrificium, & cum totum ad ipsum spectet, quia tota laus decet Deum, dici tamen nostrum, quia ad nostram spectet voluntatem, ideóque accipi libenter, vt libentius remuneret. Psal. 49. num. 9.

Vbi occurrit quod August. habet lib. medit. tom. 9. cap. 17. post princip. in hæc verba. Tu Domine Deus noster, à quo bona cuncta procedunt, propter te, & nomen sanctum tuum da nobis de bonis tuis, vt de bonis, ac datis tuis seruiamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis misericordia tua: non enim aliunde possumus tibi seruire, neque placere, nisi de tuo munere, &c. Cum igitur præcipuum, & optimum, quod in confessione laudis Deo offertur, ad ipsum spectet, & ab ipso proueniat, tanta tamen est misericordia Dei, vt nostrum appellet sacrificium laudis, ad hoc vt largiori manu remuneret.

Videndus idem Augustin. tom. 2. epist. 120. quæ est de gratia noui testamenti c. 18 post med. vbi ostendit sacrificiis veteris testamenti successisse in lege gratiæ laudes Dei, quas iugiter in Ecclesiis decantamus. Timentes, inquit ille, Deum, homines

veteris

veteris testamenti propter literam terrentem, & occidentem, nondum habentes spiritum viuificantem, currebant cum sacrificiis ad templum; & quamuis in figuram futuri sanguinis quo redempti sumus, tamen nescientes quid per eos præfigurabetur, cruentas victimas immolabant; nunc vero in gratia noui testamenti. *Qui timetis Dominũ, laudate eũ.* Ipse quippe in alio Psalmo illa mutanda prænuntians, quæ tunc in vmbra futuri offerebantur; *Non accipiam*, inquit, *de manu tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos*; & paulo post, vt ostenderet sacrificium noui testamenti, quando illo illa fuerant cessatura; *Immola*, inquir, *Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Cum verò Ecclesia tanquam aurora procedens in perfectionem semper lucem, & statum profecerit, sane nobilior victima, nobiliori statui consequuta est, & sicut dixit Philo lib. de victimas offerentibus. Quantum aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam mactata victima, &c.

Psal. 49. num. 9.

Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet August. ad prædicta verba Ps. 49. *Immola Deo sacrificium laudis*, vbi ostendit nobiliorem conditionem filiorum noui testamenti, quibus datum est non externa, & aliunde quæsita Deo offerre, sed interna nobis quidem faciliora, quippe quæ ad manum adsunt, Deo vero acceptabiliora, & quæ sua non reputat, vt vberiorem cōferat retributionem. Dicamus illi, inquit August. *In me sunt Deus vota tua quæ reddam laudis tibi?* Expauetam ne aliquid indiceres, quod esset extra me, quod cōputabam in corte mea, & à fure iam forte ablatum erat. Quid mihi indicis? *Immola Deo sacrificium laudis.* Ad me redeam, vbi inueniam, quod immolem: ad me redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua, immola Deo sacrificium laudis. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus, sacrificium laudis quærit à nobis Deus. O sacrificium gratuitum, gratia datum! Non quidem hoc emi, quod offerrem, sed tu donasti; nam nec hoc haberem. Et hæc immolatio, hoc sacrificium laudis, est gratias agere illi, à quo habes quidquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur, quidquid tuum mali habes. Sic August. probat optimum sacrificium laudis Dei, quod facili negotio, Deo inspirante, præparatur, Deo adiuuante peragitur, quo mala omnia dimittuntur, & bona omnia à Deo comparantur; quid enim facilius, quam psallendo mereri, & debitas Deo gratias, cantando cumulatiora beneficia à Deo accipere?

Psal. 49. num. 14.

Præclara sunt, quę in hanc sententiam habet Chrysost. in Psal. 150. ad vltima verba Ps. *Omnis spiritus laudet Dominum.* vbi ait: Postquam vocauit (scilicet regius vates) eos, qui sunt in cœlis, postquam populum excitauit, postquam omnia instrumenta commouit, ad omnem deinceps naturam egreditur, omnem deinceps ætatem vocans ad modulationem, senes, viros, iuuenes, impuberes, mulieres, & omnes, qui orbem terræ habitant: ex hoc loco noui testamenti iam sena deijciens, quod per vniuersum orbem terræ propagatum est. Deum ergo perpetuo laudemus, nec pro omnibus gratias agere, & verbis, & factis intermittamus; hoc est enim nostrum sacrificium, & oblatio. Hoc est optimum ministerium, quod decet euangelicam institutionem: & si Deum ita laudare perseueremus; & præsentem vitam absque vlla offensione peragemus, & bona futura consequemur. Sic ille ostendit ad filios.

Psal. 150. num. 6.

lios noui testamenti spectare singulare hoc sacrificium, quo & Dei perfectiones commendamus, & perfectiorem gratiam comparamus, & imperfectiones à nobis depellimus, hoc autem totum perfectionem huius sacrificij rectè probat.

Facit etiam in hanc sententiam Chrysost. tom.5. homil. quum presbytèr esset designatus post princip. Vbi in commendationem huius sacrificij laudis ait: Neque areæ tantùm, ac vinarij lacus, verum etiam verborum primitias oportet verbo persoluere, multoque magis verborum, quàm actionum. Quinetiam vt ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipsi Deo, qui honoratur acceptior est. Botrum enim, & aristam suo terra emitiit gremio, alit pluuiarum irrigatio, colit agricolarum manus: at sacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conscientia, Deus in cœlestia recipit horrea: porro quanto præstantior est animus terra, tanto hæc illa melior est oblatio. Quapropter, & Prophetarū quispiam vir magnus, & admirandus, nomen illi Oseę, eos, qui Deum offenderant sperabantque illum sibi propitium reddere, adOsea 14. hortatur, dicens: *Afferte vobiscum non armēta boum, neque simila mensuras tot, aut tot, neque turturem, neque columbam, neque aliud quicquam istiusmodi rerum: sed quid? Ferte vobiscum verba.* Et quale sacrificium, dixerit aliquis, sunt verba? Maximum quidem hoc carissimum, ac splendidissimum cæteris omnibus præstantius. Et quis ista dicit? Is nimirum, qui hæc omnia nouit maximè, atque exactissimè, videlicet magnanimus ille, ac magnus Dauid; is enim cum aliquando gratiarum actiones immolaret, pro victoria, quam ex hoste tulerat, ita fermè lo-

Psal.68. num 31. quitur Psalm.68. *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude:* mox huius sacrificij præstantiam nobis aperiens subiecit: *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas*, &c. Sup.n.32. Vbi vides pulcherrimum, elegantissimum, iucundissimum, sacrificio aptissimum, & gustui suauissimum vitulum proponi, vt magis eluceat comparatio, constetque quam acceptum sit Deo laudationis sacrificium, quod superat elegantissimi vituli immolationem.

In cuius rei confirmationem facit Theod. ad citata verba Psalmi: *Placebo Deo super vitulum nouellum*, vbi ita habet: Magis gratum erit tibi laudis sacrificium, quàm sacrificium vituli, &c. Et August. ad eadem verba ait: Gratius erit Deo sacrificium laudis, quàm sacrificium vituli: amplius placebit Deo laus eius exiens ex ore meo, quàm magna victima adducta ad aram ipsius. Et eodem Psalmo verba in Dei laudem prolata vocat gemmas. Quas, inquit Aug. gemmas laudis Dei, pauper iste de thesauro interiori protulit, &c. Qua similitudine ostendit nihil posse à nobis Deo offerri pretiosius, quàm laudes ipsius, quas à nobis laudatus Dominus tanquam gemmas ex ore percipit, dum acceptat.

Videndus Clem. Alex. 7. Stromat. ante med. cum ait: Oportet Deo offerre sacrificia non sumptuosa, ac splendida, sed quæ sunt pia, & ei accepta, & suffitum illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis, & vocibus in oratione, vel potius qui ex diuersis gentibus, & sexibus per donum testamentorum construitur in vanitatem fidei, & in laudibus congregatur, mente quidem pura, iusta autem, & recta vitæ institutione, ex sanctis operibus, & iuxta operationem, &c.

Vbi vides dictum laudis sacrificium, quod ad Christianos peculiari titulo spectat, non perfici tantùm in lo-

quela, aut verbis, sed inducere etiam operationem secundùm iustitiam, quæ intuentes, audientésve, ædificet; & ad laudem Dei excitet, sicut bene prosequitur Chrysost. in Psal. 112 ad illa verba: *Laudate nomen Domini*; vbi loquens de fidelium Ecclesia, & laudatione Dei ait: Quid sibi vult, hæc adiectio nominis? Maximè quidem explicat affectionem dicentis. Significat enim etiam aliquid aliud. Quidnam? Vt nomen eius per nos glorificetur, vt per nostram quoque vitam videatur laudabile. Vult autem hanc quoque laudem, per rectam vitæ nostræ institutionem illustrari. Et vt scias ita esse, vide quæ consequuntur, subiungit enim: *Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in seculum.* Quid dicis? Vides eum non dicere de ea, quæ illi adest benedictione, & est eius naturæ attributa, sed de ea, quæ fit per homines. Paulus quoque, de ea scribens, dixit: *Glorificate Deum in corpore vestro, & in spiritu vestro.* Ipse ergo est altus, & magnus, & laudabilis per se ipsum, apud homines autem talis quoque efficitur, quando qui ei seruiunt, talem vitam ostenderint, vt quicúque eos vident, laudibus, & bonis Dominum prosequantur. Hoc ipsum nos quoque in precationibus iussit Dominus semper dicere precantes: *Sanctificetur nomen tuum*; hoc est, per nostram quoque vitam glorificetur. Quemadmodum enim dum malè viuimus, contumeliis, & opprobriis afficitur; ita dum virtutis curam gerimus, gloria afficitur. Quod ergo dicit, est eiusmodi. Fac vt nos perpetuò rectè, & ex virtute viuamus, vt sit nomen tuum benedictum. Et post multa addit: *Super cœlos gloria eius.* Quoniam dixit de laude, & exaltatione, quæ fit per rectam vitæ humanæ institutionem, & Deum ita extollere, ita laudare, ita magnificare exhortatus est, ad maiorem virtutem excitans, ostendit vbinam hoc maximè fiet. Vbinam hoc fit? In cœlis. Illic enim est eius gloria; Angeli enim eum maximè glorificant, non ex sua natura solùm, sed etiam ex obedientia hominum, quibus ministrant, præcepta eius exactè perficientes. Et ideò dicit Psalm. 148. potentes virtute, facientes verbum eius. Porrò autem in Euangeliis quoq; iussit Christus orare, & dicere: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*, hoc est, quemadmodum eum sanctificant Angeli, ab omni quidem vitio liberati, virtutem autem exactè persequentes: ita, & nos digni habeamur, qui ipsum sanctificemus. Sic Chrysost. ex Dauide ostendit, qua ratione laudare debeamus Deum, non solùm lingua, sed vita nostra, non solùm verbis, sed etiam operibus, vt qui nos viderint coram Deo, ex Deo viuere, ipsum Deum laudent, qui tales cultores habeat, & laudatores.

Psal. 112. num. 1.

1. Cor. 6. num. 20.

Matth. 6. num. 10.

Pro quo argumento videndus erit Bernard. in sententiis in medio, vbi docet quibus conditionibus debeat à nobis condiri laudis immolatio, vt Deo placere possit. Oblatio, inquit, nostræ laudis, quam Deo immolamus, triformis esse debet: affectuosa, vt mens concordet voci; fructuosa, vt ędificationem pariat intuenti; gratiosa, vt placeat Conditori, qui gratias dedit. Similia sunt quæ habet Gregor. lib. 1. exposit. in lib. 1. Regum cap. 1. post med. vbi loquens de oblatione matris Samuelis ait: Sed qualis, aut quanta sit laus, si deuota non sit? Aptè itaque tribus vitulis totidem farinæ modij coniunguntur; vt de eo, quod in Dei laudibus ore dicimus, per deuotionem fatiemur. Nam sine farina vitulum offert, qui in Dei laudibus verba quidem edit, sed mente vaga, ad ea, quæ loquitur, non intendit.

Videndus Chrysost. tom. 1. Orat. 7. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*, ad med. vbi postquam loquutus est de Angelis Deum laudātibus, ait: Sic & nos decet, & metuentes, & trementes adstare cum diuinas laudes, & hymnos Deo offerimus, non aliter, ac si ipsum coram mentis oculis intueremur; etenim ille omnino adest. Sic ergo & quidem contrito, & humili corde cum diuinas laudes obtulerimus, gratas illas, acceptásque debemus, & veluti suauissimè fragrans suffimentum, & thus sursum in cœlos emittemus, &c.

Facit idem Chrysost. tom. 1. Comment. in Psalm. 150. ad vltima verba, *Omnis spiritus laudet Dominum*. Monet omnia instrumenta, & iubet (scilicet Dauid) per omnia offerri Deo modulationem, eorum animum accendens & excitās. Quemadmodum ergo Iudæis per omnia instrumenta, ita nobis præcipit laudare Deum per omnia membra, per oculos, per linguam, per aures, & per manus, quod quidem Paulus quoque significat dicens Rom. 12. *Exhibete corpora vestra hostiam viuam, Deo bene placentem, rationalem cultum vestrum.* Laudat enim oculus, quando non intuetur impudicè, & lingua quando psallit: & auris quando improbas cantilenas, & accusationem proximi non suscipit; & mens quando dolos non struit, sed scatet charitate: & pedes quando non currūt in vitium, sed ad res bonas gerendas: & manus quando non ad furta, & rapinas, nec ad pulsandum, & verberandum, sed ad eleemosynam, & eos defendendos, quibus fit iniuria, extenduntur: Tunc enim fit homo numerosa cythara, numerosam quandā modulationem Deo offerens. Sic Chrysost. proponit quomodo laus Dei à nobis debeat decātari, vt diuinis auribus placere possit, ne in officio nobis distributè impositum deficiamus, sed rectè edocti muneri nostro satisfacere possimus, & per totam vitam, Dei commendationi incumbere, quod est potissimum huius notationis argumentum, & prosequitur Clem. Alexand. 7. Stromat. ante med. in hunc modum. Iubemur colere, & honorare Deum, non selectis diebus, vt aliqui alij, sed continenter per totam vitam hoc agentes, & modis omnibus. Vnde nec in definito loco, neque in templo selecto, neque diebus aliquibus festis, & præstitutis, sed per totam vitam is, qui est præditus cognitione, in omni loco, etiam si per se sit solus, & si habuerit aliquos, qui similiter crediderunt, Deum honorat. Per totam ergo vitam diem festum agentes, vbique & omni ex parte Deum adesse persuasi, laudantes agros colimus, laudantes nauigamus & in omni alio vitæ studio, vt decet ex arte versamur. Quod si quis dicat vocem, quæ inferius circa aërem voluitur, ad Deum non peruenire: at cogitata Sanctorū secant non solum aërem, sed totum mundum, occupat autem vis diuina perinde ac lux, totam animam perspicere. Quid verò non etiam vota, & instituta ad Deum perueniunt, suā vocem emittentia? An non etiam transmittuntur à conscientia? An non profundum cuiusuis animæ elucescere facit lux potestatis, cum penetralia, vt ait Scriptura, scrutetur lux potestatis? Totus auditus, totus oculus est, vt his nominibus vtar, Deus. Sic ille docet Deum vbique, & iugiter à nobis laudandum, qui vbique adest vt nobis succurrat, & benefaciat; vbique item adest vt nostras laudes, & precationes audiat; æquum autem est, vt qui in nos sua beneficia confert, à nobis laudes, quasi retributiones accipiat.

Pro qua re facit Basil. in Regulis

Psal. 150. num. 6.

Rom. 12. num. 1.

breuioribus respóſ. 214. vbi oſtendit Dei benignitatem qua nobis benefacit quacunque ratione indigeamus, nec tantum, aut rationem, aut meritum conſiderat: & fortaſſis hac de cauſa manus diuini Sponſi appellauit orbes aureos: pro eo enim quod nos habemus: *manus eius tornatiles aurea plena hyacinthis*: alij legunt; *orbes aurei*; quod ſcilicet, ſicut cœleſtes orbes perpetuo ſuper nos voluuntur, & iugiter in hæc inferiora influunt ad imas vſque terræ partes peruadentes; ſic & diuina beneficia iugiter in nos decidūt, & nullus tam remotus, abſconditúſve locus, quò diuina beneficentia non perueniat; ea verò nos, qui ea percipimus, & intelligimus ad laudandum Deum adigunt, & obligant. Vnde Paulus loquens de beneficiis in nos collatis per Ieſum Chriſtum Filium Dei, ait: *qui gratificauit nos in dilecto Filio ſuo.* hoc eſt, gratos reddidit per ea, quæ in nos contulit; vbi Theodor. ait: Inſignis beneficij magnitudo, vel ingratorum linguas ad gratiarum actionem incitat: Anſelm. verò legit: *animi gratitudine onerauit*: hoc eſt, non ſolùm gratiam contulit, ſed etiam vt pro ea gratiam redderemus, adegit, & donec grates debitas referamus, onus impoſitum minimè deponimus.

Cant. 5. num. 14.

Ephes. 1. num. 6.

Qui igitur diuina beneficia contemplatur, & expendit, illico ad laudes Dei accurrit, quaſi debitum perſoluendo, quod videtur dixiſſe Dauid his verbis, prout ea exponit Cyprian. de ſingul. Clericorum; *eructabunt labia mea hymnum; cum docueris me iuſtificationes tuas*: ructus, inquit Cyprian. cibum ſequitur, cum, inquit, tuas iuſtificationes didicerim, tibi huiuſmodi rerum præceptori hymnorum cantilenam afferam, &c. Tota verò ſimilitudinis vis in eo cōſiſtere videtur, quod ſicut ſtomachus cibo repletus in ructum tranſit, exitumque repletioni quærit; ſic, & qui ſe oneratum cenſet beneficiis à Deo conceſſis, ad laudes Dei tanquam ad ſolutionem, & exonerationem quam libenter accedit, cum nullum aliud medium tanto oneri adſit. Quod bene expendit Greg. Nyſſen. lib. de Orat. poſt princip. in hæc verba: Cum multa, ac varia, à diuina gratia nobis obtigerint, vnum hoc ad retributionem eorum, quæ accepimus, habemus, vt per orationem pariter, & gratiarum actionem Benefactorem remuneremur. Exiſtimo igitur quod ſi, vel per totam vitam orando, atque gratias agendo ſermocinationem cum Deo continuemus, tantum ab ea, quæ fieri par eſſet, retributione abfuturi ſumus, quantum ſi nec omnino quid ab initio remunerari Benefactorem in animum induxiſſemus, in tribus his beneficium Domini deprehenditur. Si quod præſens eſt, conſideraueris, per ipſum viuis. Si futurum, ille tibi earum rerum, quæ ſunt in expectatione, ſpes eſt. Si præteritum, non eſſes, niſi prius ab illo factus eſſes. Idipſum quod natus es, ab illo beneficium accepiſti; ac poſtquam natus es, beneficio afficeris, dum per illum, & viuis, & moueris, vt inquit Apoſtolus. Rerum futurarum ſpes ab eodem beneficio pendet. Tu verò ſolius præſentis cōpos es. Itaque ſi vel per omne vſque tempus vitæ gratias agere Deo non intermiſerit, vix præſentis temporis gratiam explebis: quum interim nullam rationem excogitare poſſis, qua vel futuri, vel præteriti temporis debita compenſentur. Nos autem, qui tantum abſumus à poteſtate debitæ gratiarum actionis, ne in eo quidem, quod à vobis fieri poteſt, animi gratitudinem præſtamus, non dico totum diem, ſed ne exiguam quidem diei partem vacationi diuinæ tribuentes. Quis mihi terram ſubſtrauit?

Pſal. 118. nu. 171.

uit? Quis peruiam ſolertia, atque induſtria naturam humidam fecit? Quis me cum puluis eſſem inanimus, vitæ pariter, & mentis participem fecit?&c. Tunc concludens ait: Profectò ſi hæc perpẽderemus, continentem, & aſſiduam per omne vitæ ſpatium, gratiarum actionem præſtaremus. Sic ille oſtendit quanta cum ratione teneamur Dei laudibus iugiter incumbere, à quo perpetuis cumulamur beneficiis.

Pſal.113. num.vlt. Meritò proinde Dauid ait: *Nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* Hebr. & Græc. *Benedicemus*; quaſi polliceatur Dauid iuges laudes Benefactori, quoad viueret decantaturum. Theodoretus verò, qui ita etiam legit, obſeruat decere eos qui Deum colunt, cum omni alacritate ipſum laudare adhuc viuentes, vtpote, quos mors hoc facere prohibeat: idcircóque in

Pſal.145. num.2. alio loco Dauidem dicere: *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiù fuero,* vbi Auguſt. Quid eſt, inquit, quod de aliis rebus ſatagis? Quid eſt quod te occupat cura rerum terrenarum, atque mortalium? Sta mecum; lauda Dominum, &c. Quibus in verbis vult nihil aliud debere eſſe nobis curæ, & ſollicitudini, quàm Deum iugiter laudare per totam vitam: vbi poſſemus illud à Poëta dictum transferre 1. Æneid.

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt conuexa, Polus dum ſydera paſcet,
Semper honos, nomenq́; tuum, laudeſq́; manebunt.

Pſal. 70. num.8. Meliùs Dauid: *Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Vbi verbũ illud, repleatur, indicat iam apertum, & hians os eſſe, in morem fameſcentis, qui ea oris apertione vacuitatẽ ſtomachi demonſtrat, ſéque auidiſſime concupiſcere ipſas laudes, ac laudationes Dei, quibus paſcatur tanquam ſuauiſſimo, & ſaluberrimo cibo. Ad hoc ſiquidem debemus vitam optare, vt Dei laudes perpetuo decantemus, inſuper & iiſdem laudationibus debet vita noſtra ali, nutriri, ac refici. Vnde Hierony. ex Hebr. tranſtulit: *Impleatur os meũ laude tua, tota die magnitudine tua*; cur autem hoc poſtulet aperit lectio apud Caſſiodorum, quæ habet: *Vt poſſim cantare*: quaſi laude Dei ſuſtentetur vita ipſa, vt in eo laudando tota etiam inſumatur; id enim ſignificat *tota die*: vbi Symmachus reddidit; *ſingulis diebus*, vel *perpetuo*: quo etiam ſenſu dixit idem Dauid: *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam,* vbi idem Symmach. ait: *Omni die*: Theodoretus verò explicat verba Symmachi pro continuatione, & Auguſtin. ibi. Tota die laudare quis durat? Suggero remedium, &c. Similia habet Baſil. in Pſal. 33. & Tertull. lib. de Orat. cap. 3. poſt princip. cum ait: Sane benedici Deum omni loco, ac tempore decet ob debitam ſemper memoriam beneficiorũ eius ab omni homine. Cæterùm quando nõ ſanctum, & ſanctificatum eſt per ſemetipſum nomen Dei, cum cæteros ſanctificet ex ſemetipſo? Cui illa Angelorum circunſtantia non ceſſat dicere: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Proinde igitur & nos Angelorum, ſi meruimus, candidati iam hinc cœleſtem illam in Deum vocem, & officium futuræ claritatis edicimus, &c.

Meritò proinde Auctor Eccleſiaſtic. cap. vlt. ait: *Laudabo nomen tuum aſſiduè,* qui dixerat cap. 39. *Et nunc in omni corde, & ore collaudate, & benedicite nomen Domini*; vbi Ianſen. ait: Senſus eſt etiam nũc, hoc eſt rurſum ergo: quaſi dicat, non ſatis eſt ſemel id feciſſe, ſed ſubinde id faciendum eſt: ſicut ſe feciſſe teſtatur Dauid Pſal. 118. cum ait: *Septies in die laudem* Eccl. vlt. num.15. Eccl. 39. num. vlt. Pſal.118. nu.164.

 dixi

dixi tibi: Vbi Hierony.legit:Laudaui te: numerus autem septenarius, qui seruit vniuersitati, seu multitudini, & indefinito cuiuis numero magno, designat istam quasi perpetuam, ac non interruptam, quantum fieri potest,laudem Dei; ideóque Augustin. ait septies idem esse quod semper, quod libr.3. de doctrina Christiana cap.35. repetit ex Ticonij regula quinta, & lib.11.de Ciuit. Dei c.31. & Chrysostom.homil.19.ex variis in Matt.ait,septies idem esse quòd omni tempore, non quòd septies laudauisset, inquit, & tacuisset. Bruno Haimo, & alij asserunt denotari totum vitæ tempus, eo quòd per dies septem voluatur.Testatur igitur Dauid, semper & omni vitæ tempore, quasi à cæteris rebus vacaret,diuinas laudes decantasse, cum ad hoc munus peragendum totum vitæ tempus à Deo videatur concessum.

In quam sententiam facit id,quod noster Guadalupensis notauit ad illa verba Beatissimæ Virgin. Matris: *Magnificat anima mea Dominum*; existimat enim verbum illud, *Magnificat*, non significare tantum præsentis temporis actionem, sed diuturnam, & continuam, ac si dicat: semper, constanter,& sine intermissione,anima mea magnificat Dominum, & quod lingua minimè præstare potest præ fragilitate carnis, scilicet, semper Deum laudare,præstabit tandem anima semper meditando, & laudando Deum.

Luc. 1. nu.46.

Quo in loco libet aduertere cum Viegas in c.12. Apocal. comment.2. sect.7. nu.2. non dixisse B. Virginem Magnifica anima mea Dominum, quasi excitando, & imperando animæ suæ, vt se ad laudandum Deum præparet,sed dixisse: *Magnificat*. Vt intelligeremus, inquit ille,non opus fuisse animam illam excitari, quæ continuò Deum magnificabat. Nimirum reliqui omnes Sancti citharæ quidem extiterunt, quæ Dei gloriam resonabant, attamen interdum Dei laudationem intermittebant, vnde opus erat vt subinde ad harmoniam, & concentum atque adeo ad exercitium laudis reducerentur. Quò videtur spectasse Regius vates cum dicebat. *Benedic anima mea Dominum*, videlicet indicans suam ipsius animam citharam quandam esse, quæ interdum à Dei gloria concinenda cessabat, atque ideo oportebat iterum ad Deum laudandum excitari, & quodammodo attemperari. At beatissima Virgo quoniam iugiter Deum benedicebat, nihilque non ad eius gloriam referebat, cithara vtique suauissimam harmoniam,& concentum perpetuo retinens, neque vnquam ab spirituali concentu dissonans: ideo non dixit, quasi se excitans, & inuitans: magnifica anima mea, sed magnificat; de se affirmans quod iugiter Deum magnificabat laudando.

Psal.102. nu.1.

Aduertit insuper idem Auctor illum appellari magnificum,qui grandia tribuit: quam ob causam Christi humanitas dicitur magnificentia: *Eleuata est magnificentia tua super cælos*: quia Deus per humanitatem se ostendit summopere magnificum eximia beneficia hominibus conferendo: quamquam etiam magnificentiæ nomine eo loco ipsa Dei munificentia accipi possit. Virgo igitur magnificare Deum dicitur, quia non quibusuis laudibus, sed summis, & eximiis Dei prædicat magnitudinem, ac prædicando videtur magnificare.

Vbi notandum venit, quod licet Deus maior sit omni laude, neque aliquid à nostra commendatione accipiat, aut lucretur, sic tamen, pro benignitate sua, nostram confessionem,

nem, & laudem æstimat, & magni ducit, ac si illa in re acciperet, de quibus à nobis commendatur. Hinc est quod Angeli, quorum numerus erat millia millium, in circuitu throni, & animalium, & seniorum
Apoc. 5. num. 12. dicebant voce magna. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere Virtutem, & Diuinitatem, &c.* vbi eleganter Dionys. ait: Rationabile est, iustum, & opportunum, vt omnia ista Christo adscribantur, conuenire, seu inesse dicantur, eisque competere manifestentur. Accipit ergo ista à nobis, quando laudamus, & confitemur ei ista inesse, seu conuenire: ipse quippe est Virtus, & Sapientia Patris, Vnigenitus Dei, & verus Deus &c. ecce quanti faciat Deus, nullius prorsus rei indigens, laudes nostras, vt quia eum dignum confitemur perfectionibus, quas apud se habet, veluti denuo à nobis accipiat, vt nos reipsa dona accipiamus, quæ non habemus.

In quam sententiam videndus erit Augustin. ad illud Psalm. 134.
Psal. 134. num. 1. *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum:* vbi sic ait: Quid iustius? Quid dignius? Quid gratius? Etenim si non laudauerint serui Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi erunt. Et quid faciunt non laudando Dominum, nisi vt seuerum sentiant Dominum: Neque enim seruus ingratus si Dominum suum laudare noluerit, ideo efficit vt seruus non sit. Laudes, non laudes, seruus es. Sed si laudes, propitiabis; si non laudes, offendis. Hortatur nos Psalmus, hortatur nos Propheta, hortatur nos spiritus Dei, hortatur nos postremo ipse Dominus vt laudemus Dominum. Non enim laudibus nostris ille crescit, sed nos: Deus nec melior fit si laudaueris, nec deterior est si vituperaueris: sed tu laudando bonum, melior eris, vituperando deterior: bonus autem ille manet, vt est. Non aliquid incongruum facitis laudando serui Dominum. Etsi semper tantummodo serui essetis, deberetis laudare Dominum: quanto magis debetis laudare Dominum serui, vt esse mereamini & filij? Sic ille docet omnem prorsus vtilitatẽ in laudando Deo ad nos spectare, qui ideo iubemur laudare, vt laudibus Dei potiora mereamur, & cõsequamur beneficia. Optima sunt, quæ habet idem August. in Psal. 66. super illis verbis: *Deus misereatur nobis, & benedicat nos.* Sic verò habet: benedicat anima nostra Dominum, & Deus benedicat nos. Cum benedicit nos Deus, nos crescimus, & cum nos benedicimus Dominum, crescimus: vtrumque nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur: qui benedicit Dominum, ipse augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, & consequens est, vt & nos benedicamus Dominum. Illa pluuia, iste fructus. Ergo redditur tanquam fructus agricolæ Deo compluenti nos, & colenti, &c.

Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet Bern. serm. 5. de Omnibus sanctis ad med. vbi ostẽdit quomodo Deus in cœlis beatis soluat laudes, quas ab ipsis accepit in vita; deinde & sanctos non egere laudibus nostris, sed nostra quidem interesse si ipsos laudemus, quanto vero in maiorem cedet nostram vtilitatem si Deum laudemus, sic vero habet. Ab Apostolo audiamus: *Tunc*, inquit, *vnicuique laus erit*. A quo? *à Deo*. Magnus laudatur, & vehementer ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, vbi & laudare beatum est, & laudari. Ad quid ergo sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra hæc ipsa solemnitas? Quò

eis terrenos honores, quos iuxta veracem promissionē honorificat Pater cœlestis? quo eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsus ista est dilectissimi, bonorum nostrorum sancti non egent, nec quicquam eis nostra deuotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum, &c. Si igitur sanctorum laus in nostram conuertitur vtilitatem, quanto magis cedet Domini laus, qui & seruos commendat, vt laudationem soluat, & innumeris afficit beneficiis, vt laudabiles reddat, quos reperit laudatores.

Sic igitur intelligendum est quod Deus aliquid à nobis accipiat, dum laudatur; non quasi magnificentior reddatur, aut victimis labiorum nostrorum ditetur, sed quia gratulatoriis carminibus nostris gaudet, & lætatur, vt vberiora beneficia conferat; sic Clemens Alexand. 3. pædag. cap. 12. legit illud Eccles.

Eccl. 35. num. 8. 35. *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu Altissimi*: hoc modo. *Odor suauitatis Deo est cor, quod glorificat Deum*; reddit. Hæc sunt coronæ, & sacrificia, & aromata, & flores Dei, quos scilicet, à nobis accipit, vt nos ipsos coronet, exornet, ac triumphatores constituat.

Pro quo aduertendum est id, quod Debbora in suo Cantico ait:

Iudic. c. 5. num. 41. *De Zabulon descenderunt, qui exercitum ducerent ad bellandum*: Hebraicè ad verbum habetur, sicut ibi obseruat Serarius. q. 11. *Trahentes in sceptro, aut virga scribæ, seu narrantis*: Vatabl. *Trahentes in baculo scribæ*; quod ipse explicat: quasi dicat, inquit, & Principes, imo etiam ipsi scribæ dediti studiis, ceperunt arma, & venerunt in auxilium fratrum; alij legunt: *descenderunt potentes in calamo scribæ*. Mirum profectò videtur; quod ad prælium descenderint, qui arte scribendi pollebant, cum accommodatius esset, si potentes viribus, aut armis accederent. Dubio occurrit Rupert. lib. 1. in lib. Iudicum cap. 5. post med. asserens huiusmodi homines alio quidem armorum, ac bellandi genere instructos accessisse, carminibus nempe, & laudibus Dei decantandis. Subauditur inquit ad bellandum, idest, ad Deum collaudandum, & exorandum, &c. non enim tam superantur inimici armis, quam Dei laudibus, vnde addit idem Rupert. ibi: *Duces Isachar fuêre cum Debbora*: in Hebr. *Principes*, idest, Doctores legis *fuere cum Debbora*, ad collaudandum Deum, &c.

Videndus Ambros. lib. de Viduis, vbi victoriam à Debbora partam attribuit spiritualibus armis, de quibus sponsus in laudem sponsæ ait: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Vbi Theodoret. ait: Hæc quidem verba videntur inter se quodammodo pugnare. Neque enim castris conueniunt chori, &c. missa tamen Theodoreti conciliatione, placet Ruperti expositio, cū sic ait: Nunquid sanguinem victimarum? Nunquid circumcisionis cauterium? Nihil omnino nisi choros castrorum, idest, laudes, siue cantiones prælantium, prælia laudantium, siue cantantium, quod suauissimum, quod vere est pulcherrimum. *Immola Deo sacrificium laudis*, ait ipse Psalmista, *& redde Altissimo vota tua*. Laudando chori præliantur, præliando castra laudant, &c. Ij igitur, qui laudando Deum aduersus hostiles potestates dimicant; choros statim ducunt, gratias Deo pro comparata victoria agendo; & quia exultationes sunt in faucibus eorum, gladij profectò adsunt ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in aduersariis potestatibus: super

Cant. 7. num. 1.

Psal. 149. num. 7.

super quæ verba ita in rem nostram ait Chrysostom. Ostendit quod canentes, & laudantes sic vincenr. Sed notandum, quod Chaldaicè additur tanquam; & tanquam gladij ancipites in manibus eorum: vt sit sensus; exultationes, & laudes Dei in faucibus sanctorum nihil aliud sunt, quàm gladij ancipites, quibus magnam erga inimicos stragem edunt, eorumque superbiam iugulant. Iulium Cæsarem statua quædam exhibebat lauro coronatum, dextra tenentem gladium, calamum sinistra, cum hoc elogio: ex vtroque Cæsar; sanè qui psalmos, hymnosque scriptos, & propositos ab Ecclesia decantat, perfectus victor, & triumphator existet, & gloriæ coronam promerebitur, comparatam vtique vtraque manu, dum laudes Dei decantat. Hoc docuisse videtur Christus Seruator, qui quo tempore pugnaturus erat pro nobis, & triumphaturus de morte, & diabolo, hymnum prius dixit, quàm in certamen exiret. Matth. 26. Græcè habetur: hymno cantato, vt gloriosior existeret triumphus, quem diuinæ laudes anteissent.

Matt. 26.

Aduersus Moabitas, Ammonitas, & Idumæos exercitium eduxit Iosaphat. 2. Paralip. 20. attamen vt victoriam facilius reportaret, in prima acie, quam robustiores, & instructiores occupare solent, non alios, quam Leuitas præire iussit, non vtique cum armis, sed cum psalmis, non inuasuros hostes, sed Dei laudes decantaturos. Quid verò accidit dum Psalm. 135. cecinerunt: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius.* Ecce ribi hostes tanquam lymphati in mutuas plagas, ac cædes omnes ad vnum corruerunt; vt palam fieret non humanis viribus, sed diuinis laudibus tam illustrem victoriam esse tribuendam. In nostram vtique vtilitatem cedunt diuinæ laudes à nobis decantatæ, quæ nostros prosternunt hostes, nostrum redimire solent caput, & tanquam triumphatores coronare, & dum nostro muneri satisfacimus, & iniuncto fungimur officio, proprio itidem honori, & commodo incumbimus.

2. Paral. 20.

Psal. 135. num. 1.

Ephes. 2. ait Paulus: *Ipsius* (scilicet Dei) *sumus factura.* Græcè habetur: *Ipsius sumus poëma*; sicut enim poëma ad demonstrandas heroum laudes, & excellentias est inuentum, sic homo creatus est ad Dei attributa, ac diuinas perfectiones decantandas. Vnde est illud Clement. Alexandrini in Exhortatoria ad gentes. Pulcher hymnus Dei est homo; hoc est, homo nihil aliud est, quàm hymnus quidam, qui diuinas laudes continet, enucleat, & resonat, proindéque nunquam ab eis decantandis debet cessare.

Ephes. 2. num. 10.

Ad hoc nos hortantur omnes creaturæ: in primis verò Angeli, iuxta illud Dei apud Iobum cap. 38. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, & cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Hebræi legunt: *Omnes turmæ Angelorum*; ac si diceret, vt subindicat Chrysostomus in catena Græca. Vbi eras quando me omnes Angeli pro beneficiis acceptis prædicabant? Neque verò his laudibus decantandis defuit ille Angelus, qui cum Iacob per noctem integram luctabatur, ob id namque cum auroram iam ascendentem intueretur, dixit Iacobo: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*; quasi dicat, inquit Lyranus ad hunc locum; tempus est vt cantem Dei laudes cum aliis Angelis, & ideò non debes me amplius tenere. Has item laudes

Iob 38. num. 4.

Gen. 32. num. 26.

laudes decantant cæteræ omnes creaturæ, vnde est illud Chrysostom. in Psalm. 137. Nulla est pars creaturæ, & supernæ, & infernæ, quæ non emittat vocem quauis tuba clariorem prædicantem nominis tui magnificentiam, &c.

Decantat & Dei laudem sol. Volens namque Iosue solem detinere: *Locutus est Domino*, inquit sacer text. *Dixitq; coram filijs Israël. Sol contra Gabaon ne mouearis.* Chaldaicus paraphrastes transtulit hoc modo: *Laudabat Iosue coram Domino Iehouah, & ait: Sol contra Gabaon ne mouearis.* Inquires tamen hoc in loco cur Iosue. l. quomodo laudauerit Dominum? Facilis responsio erit si dicamus vice solis, vel illius loco, Deum laudasse, quando illum in suo seruitio detinebat, & à Dei laudatione retardabat. Enimuero sol dum suum cursum conficit ab ortu vsque ad occasum, Deum iugiter laudat, & extollit, ideò namque Dauid dixit: *A solis ortu vsq; ad occasum laudabile nomen Domini*, vel vt alij legunt: *A solis ortu vsque ad occasum laudatur nomen Domini*, idest, Iugis solis motus ab Oriente in Occidentem perpetua laudatio Dei est. Cum ergo Iosue soli præceperit ne procederet, sed ad illuminandos Israëlitas, qui Reges illos insequebantur persisteret, sanè solis voci, & laudationi silentium imposuit; debitum verò solis tributum Deo soluens in diuinas laudes prorupit; & ideò dum soli iussit ne moueretur contra Gabaon, Deum laudasse asseritur. Hinc est quod Daniel. 3. omnium creaturarum ad laudandum Deum voces euocantur, loca omnia scrutantur, in quibus creaturæ aut viuunt, aut gignuntur. Primum enim inuitantur cœlestes spiritus, & stellæ, ac lumina, quæ in cœlis lucent: deinde quæ in firmamento. l. in aëre aut gignuntur, aut volant: quales sunt volucres; quæque ex terræ halitu in igneam naturam obdurantur; aut ex vapore humido in nubes, grandinemque concrescunt. Ex aquis euocatur genus natatile, & è terra quæ ex ea gradiuntur, & reptant: eundem penè ordinem secutus Dauid Psalm. 148. Cum enim pro comperto haberent sancti Dei homines, omnes creaturas laudem Dei tacita etiam voce proclamare, eas ad soluendam debitam Dei confessionem euocant, & inuitant. Vnde Hieron. Daniel. 3. ait: Omnis creatura, non voce, sed opere laudat Deum, quia ex creaturis consequenter Creator intelligitur, & in singulis operibus, atque effectibus Dei magnificentia demonstratur, &c.

Iosue 10. *num.* 12.

Optima sunt, quæ in hanc sententiam habet August. in Psalm. 144. super his verbis: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* Ista, inquit August. connexio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo ab imis ad summa conscendens, à summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare tota laudat Deum? Quia cum eam consideras, ac pulchram vides, tu in illa laudas Deum. Vox certè quædam est mutæ terræ, species terræ. Attendis eius speciem, vides eius fœcunditatem, vides eius vires, quomodo concipiat semen, quomodo plerumque afferat quod non est seminatum: vides, & consideratione tua tanquam interrogas eam, & ipsa inquisitio interrogatio est. Cum autem inquisieris admirans, & perscrutatus fueris, & magnam vim, magnam pulchritudiné, præclaramque virtutem inueneris, quoniam apud se, & à se hanc virtutem habere non posset, continuò ibi venit in mentem, quia non potuit à se esse, non potuit esse nisi ab illo Creatore. Et hoc, quod in illa inuenisti, vox confessionis ipsius est, vt

Psal. 144. *num.* 10.

vt laudes Creatorem. Nónne considerata vniuersa pulchritudine vniuersi mundi huius, tanquam vna voce tibi species ipsa respondet: non me ego feci, sed Deus? Ergo confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant te. Vt in confessione operum tuorum sancti tui te benedicant, ipsi sancti tui inspiciant creaturam confitentem, & illorum vocem tu audi benedicentem, &c. Et Isidorus libr. sentent. de summo bono cap. 4. inter alia ait: Sicut opus, vel ars in artificem retorquet laudem: ita rerum Creator per creaturam suam laudatur, & quanto sit excellentior, ex ipsa operis conditione monstratur. Ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ, pulchritudinem suam, quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi: vt ipsis vestigiis reuertatur homo ad Deum, quibus auersus est. Quibusdam gradibus intelligentiæ per creaturam progreditur homo ad intelligendum Deum Creatorem, idest, ab insensibilibus surgens ad sensibilia: à sensibilibus surgens ad rationalia, à rationalibus surgens ad Creatorem. Intelligibilia per se collaudant Deum: irrationabilia, & insensibilia, non per se, sed per nos, dum ea considerantes Deum laudamus. Sed ideò dicuntur Deum laudare, & ipsa, quia eandem laudem earum parturit causa.

Ex quibus rectè consideratis elicitur, omnia Dei opera hominem commouere, & excitare ad diuinas laudes prosequendas, vt si fortè ipse tantis beneficiis ingratus torpescat, & a laudibus Dei cesser, ipso creaturarum aspectu commoueatur, & ad diuinas laudes exardescat.

Nouerant proprium officium nostri olim Christiani qui Dei laudibus perpetuo incumbebant, sicut videre est non solùm apud Iustinum Martyrem in Apolog. 2. ad Anton. sed etiam apud Plinium Iuniorem, is enim ad Traianum in hæc verba scripsit libr. 10. Epistol. 97. Affirmabant autem hanc fuisse summam, vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die, ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere, secum inuicem, &c. quo quidem testimonio vsi sunt Euseb. in Chronic. libr. 3. histor. cap. 32. Tertull. in Apologet. cap. 2. Et Paulus Orosius lib. 7. Histor. & alij: & quidem Tertull. ipse de Christiano cantico hunc in modum ad vxorem scribit lib. 2. cap. 6. Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat sanè, audiat aliquid, de cœna, de taberna, de gehenna, &c. Nam à cœna adhibitum fuisse cantum Tertullianus ipse indicat in Apologet. cap. 39. cum ait: Post aquam manualem, & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere, hinc probatur quomodo biberit. Et rursus lib. 2. ad vxorem cap. 9. in fine ait: Non multa benedictio, sonant inter duos Psalmi, & Hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet. Similia habet in exhortat. ad Castitatem cap. 10. Nihil itaque magis in animo erat veteribus Christianis, quàm Deum semper, & vbique laudare.

Neque verò hoc tantùm apud Christianos viguit, quinimò apud veteres Israëlitas ita percrebuerat, vt cætera mitterent, hoc vnum præ aliis curarent. Sicut aduertit Oleast. ad illud Exod. 15. *Tulit Maria tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis.* Vbi Oleast. ait: Ab omnibus vult laudari, & omnibus instrumentis. A viris, à fœminis, in tympano, & choro, in chordis, & organo. Sed rogabis vndenam hæc instrumenta psallendi assumpserint? Respondeo *Exod. 15. num. 20.*

iuxta mentem eiusdem Authoris Iudæos ab Ægypto exeuntes reliquisse arma, tulisse tympana; quasi non tam curauerint de propria defensione, quàm de Dei confessione, & laude; & magis soliciti fuerint de canendis Dei encomiis, quàm de auertendis à se hostibus.

Hinc etiam est quod Dauid Psal. 118. dixerit: *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ:* vbi Hieronym. ex Hebr. vertit: carmina mihi erant iustificationes tuæ; quasi dicat: iustitias tuas Domine canebam, sicut carmina decantari solent, vt nunquam, nusquamque mihi ex ore decidant.

Psal. 118. num. 54.

Postquam Christus Dominus surdum, & mutum sanauit, præcepit eis, qui eum adduxerant, ne cui dicerent patratum miraculum: quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes: *Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.* Aduertit autem hoc in loco Augustin. id ea ratione à Christo Seruatore fuisse factum, vt in his, quibus diuinas laudes interdixit, discerent homines diuina beneficia non tacere, sed commendare, quando hoc omnibus inculcatum est præceptum, & iniuncta obligatio; sic enim habet tom. 4. lib. de consensu Euangelist. cap. 4. in fine. Si sciebat eos, sicut ille, qui notas habebat, & præsentes, & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat: vt quid hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius, quantoque feruentius eum prędicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant? Sic ille. Qua igitur ratione diuinas laudes tacebimus, qui eas iugiter prædicare tenemur, quando illi, qui iussi sunt tacere, inde potius amplius confitendi occasionem videntur sumpsisse. Quod si illi alienum beneficium sic extollebant, & ob salutem ab alio diuinitus comparatam sic Christum Seruatorem commendabant; quid nos facere tenemur, qui perpetuis ditamur beneficiis, & afficimur diuitiis? Ea profectò recognoscere debemus, & Diuinum Largitorem cōfiteri, vt ad locum vnde flumina bonorum exeunt, per confessionem, & laudem reuertantur: quod qua ratione faciendum, eleganter docuit Bernard. serm. cap. 13. in Cant. ad finem, in hæc verba: Omnis de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus; idque non ficte, quemadmodum ab hypocritis: nec sola consuetudine, sicut à sæcularibus: sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati, quò interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus, & excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales lætitias in iubilæis amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu sancto, probantes nos comprehensos in his, quos Propheta intuebatur, cum diceret: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur.*

Marc. 7. num. 36.

Psal. 88. num. 16.

Illud item nos maximè debet vrgere ad prosequendas iugiter diuinas laudes, si aduertamus Deum ita excedere omnem laudem, vt nunquam, prout decet, ac meretur ipsum laudare possimus. Nam si neque

Dei

Dei opera possumus, sicuti conuenit, commendare, quãto magis ipsum Conditorem rerum omnium. Notauit hoc Chrysostom. homil. 5. in Genes. ad med. exponens cur Deus terram laudauerit dicens: *Vidit Deus quod esset bona.* Nam, inquit ille, quia humana natura imbecillis est, & opera Dei laudare non sufficit, diuina Scriptura acceptam ab ipso opifice laudem nos docet. Igitur quando discis, quod & ipsi Conditori creaturæ probantur, & bonæ apparent: habiturus quidem es, quod maiorem in modum admireris, nihil tamen ad laudem, & encomium amplius afferre poteris. Talem enim sortitus es Dominum, qui talia facit, quæ à nobis neque laudari satis possunt. Quomodo enim vnquam opus Dei pro dignitate laudare posset humana natura? Sic Chrysost. Si ergo neque laudare Dei opera possumus, prout illa merentur, quanto magis ipsum Creatorem? Ipse qui omnem laudem superat nos euehat diuina gratia adiutrice, vt ipsius laudibus incumbamus perenniter, donec cum sanctis in cœlo mereamur nunquam à diuina laudatione cessare, sed in sæcula interesse.

Genes. 1. num. 10.

Illud vltimo hoc in loco annotandum est, scilicet, ita ad omnes Christi fideles Dei laudationem spectare, vt olim pro diuinis laudibus decantandis omnes pariter ad Ecclesiam conuenerint, vnde Albertus in 4. dist. 24. artic. 20. concludit hoc esse officium communitatis, & totius corporis Ecclesiæ in deuotione Deo seruientis, & non officium ministrorũ, vt ministri sunt, ac subinde totum conuentum fidelium, posse esse chorum, & respondere præcinentibus in laudem Dei, quod etiam confirmatur ex Basilio Epistol. 63. post med. vbi asserit hoc fuisse vsitatum apud veteres fideles orientales, dicens in hũc modum: De nocte populus consurgẽs antelucano tempore domum precationis petit; inque labore, & tribulatione, ac lacrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem corroborant: & cordibus suis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant; deinde vni ex ipsis hoc muneris dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt, atque ita psalmodiæ varietate, precibúsque subinde intersertis noctem superãt. Illucescente iam die, pariter omnes velut ore vno, ac corde vno, confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam profitentur. Horum gratia si nos fugitis, fugietis simul & Ægyptios, fugietis Lybiam vtramque, Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitant: & vt semel dicam omnes, apud quos vigiliæ, ac preces, communésque psalmodiæ in pretio sunt, &c.

Videndus in hanc sententiam Baron. tom. 1. annal. anno 60. num. 28. vbi dicit olim populum promiscue cum clericis in Ecclesia cantasse, & Sacerdoti oranti consueuisse respondere Amen, iuxta illud Hieronym. in præfatione lib. 2. ad Galat. ad similitudinem cœlestis tonitrui, amen reboat.

Hinc etiam est quod Isid. lib. 2. de diuin. offic. cap. 12. mentionem faciens de iis; qui psalmos in Ecclesia cantabant eósque Ecclesia alere solebat, & instruere ad cantandi ministerium, in fine subiungit, posse presbyterum sine conscientia Episcopi quinque ad officium cantandi sibi

deligere;quod clarius habet Concil. Carth.4 cap.10.cap. Psalmista. dist. 23.in hæc verba.Psalmista,idest,cantor, potest absque scientia Episcopi, sola iussione presbyteri, officiū cantandi suscipere, dicente sibi presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes,&c. Hinc est quod omnes Theologi cōcludunt Psalmistam per se non esse clericum, neque constituere proprium ordinem clericorum,vt patet ex Alberto loco citato, & D.Thom. ibi quæst.2.art.1. & latius Bonauent. art.2.quæst.2. & Tur.in cap.Psalm.dist.23.art.1.& licet Guilhelmus Durant.in Rationali lib.2. cap. 3. Psalmistam dicat esse illum, qui ordinatus est prima tonsura, tamen ibi declarat nomen esse æquiuocum, & interdum accipi in illa significatione, fatetúrque Psalmistam,vt idem est quod cantor,nomen esse officij, non ordinis. Tandem in capitulo primo de celebratione missarum monentur rurales presbyteri, vt suis horis faciant horas canonicas publice expleri per se, vel per scholares;at huiusmodi scholares, non videntur esse clerici, sed filij fidelium, iuxta cap. Vt quisque de vita,& honest.cler.

Albertus igitur in citato loco rationem reddit cur cantare, & psallere,diuinásque laudes promere in Ecclesia non sit officium per se alicui ordini deputatum,quia hoc officium de se commune est omnibus Christianis, nam cum laus Dei ad omnes pertineat,quos diuina beneficia constringunt,obligatio cōfitendi Deum, omnes profectò complectitur; quia verò neque omnes debitæ gratitudinis reminiscuntur, neque vt par esset nouerunt Deum confiteri, & laudare; ne in Ecclesia deficeret Dei laus,& confessio, institutus est ordo canendi, & recitandi diuinas laudes nomine totius Ecclesiæ, per Ecclesiasticas personas ad hoc munus deputatas: si verò sæculares personæ sint, aut sunt clerici, saltem in minoribus ordinati, aut sunt familiares Ecclesiæ, peculiari aliquo modo ad diuinum obsequium destinati, si vero sint religiosi, eo ipso inter Ecclesiasticas personas cōputantur,etiamsi fœminæ sint. Loquimur autem de his qui aliquo modo stabili, & quasi ex officio ad hoc ministerium sunt deputati.Nam absolutè non est sęculari personę prohibitum in choro diuinas laudes prosequi cum clericis, ex illorum permissu, & quasi iuuando illos, nulla enim prohibitio positiua Ecclesiæ circa hoc inuenitur, nec scripta, nec consuetudine introducta, nec per se est malum, vt patet ex discursu Alberti.

Est itaque chorus in Ecclesiis clericorum sæcularium institutus, tanquam ministrorum publicorum, pro commoditate, & vsu totius populi ad diuinas laudes decantandas, & de hoc intelligo id, quod D. Thom. opusc.19.cap.5. dixit:orationibus,ac Psalmis vacare in Ecclesia diuinum officium celebrando, est quoddam opus publicum ad Ecclesiæ ædificationem ordinatum, vt scilicet habeat populus diuina officia publica, quibus interesse possit,& Deum precari, vel laudare per communes ministros Ecclesiæ, suo modo cooperando, seu assentiendo. Cum enim viderit sancta mater Ecclesia plerosque deficere à debita Dei laudatione, voluit saltem per deputatos ministros, qui diu noctúque huic muneri incumberent, tam intimæ obligationi satisfieri.

Vnde iam constat quanta ratione teneantur sæculares viri Ecclesiasticos colere, & quo iure eis teneantur deuincti, per quos cōmunis omnium obligatio, & debitū soluitur,

tur, & quanta in veneratione debeant esse apud sæculares ij, qui, quo tempore illi somno, & voluptatibus dediti omnino sopiuntur, hi è lectulis surgentes pro diuinis laudibus cantandis, surgunt, & euigilant; & quando illi pessimis occupationibus occupantur, hi optima occupatione, imo communi, & pro omnibus assumpta detinentur, sic enim intelligo id quod apud Sanctos Patres reperio, dicentes, hanc esse bonam occupationem laudandi scilicet Deum, vt videre est apud Gerson. lib. de Orat. & eius valore in fin. alias part. 3. alphab. 78. lit. G. vbi ait: Sunt rarissimi valde inter homines, tam religiosos, quam sæculares; præcipue in adolescentia, & iuuentute idonei ad contemplationis adeptionem. Propterea Sancti Patres videntes imperfectum nostrum, & attendentes quam difficile est otio bono vti, voluerunt occupationem bonam dare hominibus suis, feceruntque hoc in orationibus, & Canticis multis. Vbi occupationem bonam intelligo quæ pro omnibus assumitur, & qua pro debito omnium, & multorum, qui male occupantur, veluti satisfit: quæ sane doctrina maximam vim haberet stando in sententia Nauarr. de Orat. cap. 7. §. 4. Palud. in 4. dist. 9. q. 5. D. Anton. cap. 4. §. 1. Qui dicunt Religiosos ad hoc institui, & approbari ab Ecclesia, vt sint ministri eius ad orandum suo nomine pro ipsa, & laudandum Deum, & propter hanc causam à Christiano populo sustentari.

Cæterum hæc obligationis origo apud Religiosos incerta quidem videtur, sicut ostendit Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. nu. 4. Nam Religiosi non aluntur à populo, propter hanc, vel illam determinatam actionem, sed simpliciter, vt in tali statu perfectionis viuant, inde autem non obligantur rigorosè, & ex præcepto, ad istā actionem in particulari. Item non aluntur quasi ex pacto iustitiæ, & per modum stipendij, sed vel per modum eleemosynæ, vel absolutæ donationis, nisi forte quando in ipsa donatione, vel fundatione peculiaris conditio, vel actio in pactum deducitur: iam verò nunquam talis conditio in pactum deducitur. Præterea Ecclesia approbans instituta Religionis, per hoc non imponit ei specialem obligationem ad hoc ministerium potius, quam ad alias actiones religiosas, sed tantum approbat, & acceptat voluntariam obligationem, quam Religiosi in sua professione assumunt.

Hoc autem eā mente hic exposuimus, vt clarius constet quanti apud fideles debeant æstimari religiosi viri, qui liberè soluunt commune debitum, & diu noctúque incumbunt ad diuinas laudes decantandas, nomine etiam omnium, qui tum temporis nihil minus curant, aut cogitant, quàm de confessione Dei, cum neque peccatorum suorum confessionem meminerint, imo nouas offensiones addiderint, cum tamen, vt ex tam multis dictis constat, totam vitam deberent transigere in diuinis laudibus, & confessionibus. Soluunt itaque Religiosi viri commune debitum, dum gratias Deo agunt, & diuinas laudes decantant, nam cum beneficia ligent, & concatenent recipientes, & diuini muneris largitate mortales viuant, & permaneant, profecto ingratis peccatoribus quādam libertatem conciliant, qui pro eis gratias Deo referunt. Vnde Seneca 4. de beneficiis c. 21. ait: Volo referre gratiam, post hoc aliquid superest mihi, nō vt gratus, sed vt solutus sim: vbi Lipsius ait: Arguta hęc distinctio: animo grati sumus, re soluimus. Sic ille. Cur igitur non vel hac ratione obligati

obligati erunt sæculum incolentes iis, qui grates reddendo Deo, ipsúmque iugiter confitentes, tot modis ac titulis ligatos aliquo modo soluunt? Illi namque etsi aliquando ore tenus gratias videantur Deo reddere, ingrati tamen permanent, ipsisque apte congruit quod idem ibi addit. Sæpe qui gratiam retulit, ingratus est: & qui non retulit gratus, nam vt omnium aliarum virtutum, ita huius, ad animum tota æstimatio redit.

Denique laudationi Dei tribuendum est quod plurima mala non eueniant, & quod ab infestatione inimicorum liberemur; *Laus enim Dei*, inquit facer Textus, *frenum est ne intereamus*: ac veluti præcipites innumera incurramus mala; nam *laudantes inuocamus Dominum, & ab inimicis saluamur*. Optimo itaque iure adstringuntur sæculares Religiosis, & Ecclesiasticis viris, quandoquidem gratias agendo Deo, & plura consequuntur à Deo bona communia, & plura auertunt mala, detinéntque supplicia; & propriam testantur perfectionem, dum pro aliis grates Deo referunt, quod quidem maximum testimonium est perfectæ animæ, sicut optime prosequitur Chrysostom. homil. 2. in Epistol. ad Rom. cum ponderat Apostolum Paulum pro fidelibus gratias Deo agere.

Isai. 48. num. 9. — *Psal. 17. num. 4.*



TEX

TEXTVS X.

Viuens, viuens confitebitur tibi, ficut & ego hodie; pater filÿs notam faciet veritatem tuam.

REPETIT hoc in loco idem ferè, quod superiori carmine inculcauit, quod scilicet, mortui non possunt Deum laudare, sed viuentes, sicut ille facit, & ad hoc sibi diuinitus salutem concessam gratulatur; quinimo, & quando preter salutem à Domino assecutam optabat prolem futuram, qua hucusque carebat, pollicetur se patrem tandem à Domino constitutum, deinceps filiis suis enarraturum quanta infallibilitate Deus promissis steterit, & veritatem adimpleuerit de venturo Messia ex progenie Dauidis proaui sui.

Hebr. ad verbum habetur, *Viuus, viuus, inquam, canet te, quemadmodum ego hodie · pater filÿs notam faciet fidem tuam.* L X X. Sixtiani habent: *viuentes benedicent tibi, sicut & ego. Ab hodie enim filios faciam, qui annuntiabunt iustitiam tuam:* sensus igitur est; viuens, idest, vitam beneficio tuo habens te confitebitur, gratiásque aget pro comparata salute: licet enim in Scriptura multipliciter sumatur confessio (est siquidem confiteri, aliquid fateri, & affirmare) deturque confessio laudis, & confessio peccatorum, & confessio fidei, præsens tamen confessio sumitur pro confessione laudis, teste Hieronymo, hoc in loco, cum ait, confessio hic pro laudatione sumitur: vt cum Psalm. 29. dicitur: *Confitemini memoriæ sanctitatis eius*, hoc est, laudate Deum, qui facit nos sui meminisse; qua de re videndus est Basilius ad dictum Psalm. 29. & in Psalm. 32. Hieronym. hoc in loco Arnobius in Psalm. 70. Qua ratione non confitetur Deo puluis, quia non laudat Deum peccator, & confiteri Domino in cythara, est laudare ipsum castigando corpus, & confiteri illi in vasis Psalmi, est veritatem corde, & ore dicere, & confitetur in toto corde qui integro affectu Deum laudat; & Dauid: *Confitebor tibi Domine in gentibus, & nomini tuo cantabo.* Hoc eodem sensu Christus Seruator, apud Matth. 11. secundùm naturam humanam, qua minor est Patre, dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*; vbi tam Græca vox, quàm Hebraica, Iadah, in Euangelio Nazaræorum, significat laudare, sicut patet Genes. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui.* Est itaque hoc in loco confessio, de qua Ezechias agit, idem, ac laudatio. Cyrill. igitur, qui de confessione, quæ meritum haberet adiunctum superiora interpretatus est; consequenter, de eadem confessione hunc versum intelligit. Et Dionysius duplicem confessionem hoc in loco inuoluit, laudis, scilicet, & peccatorum, ac in eodem ferè sensu, vt Cyrill. exponit duplicatam vocem, *Viuens, viuens*, idest, vitam naturæ, & vitam gratiæ habens, ipse confitebitur tibi, & duplici confessione,

Psal. 29. num. 5.

2. Reg. 22. num. 50.

Matt 11. num. 25.

Gen. 49. num. 8.

sione vtetur te laudando, & se culpando; quæ sanè confessio non potest non grauissima esse Deo.

Non tamen tam strictè intelligenda esse arbitror hæc verba, sed omnes in vniuersum viuentes amplecti censeo, puto enim alludere hoc in loco ad Psalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum: sed nos, qui viuimus, benedicimus Domino.* Vbi literalis sensus est, eos, qui fuerint extra viuentium in hoc mundo statum, & in alia fuerint vita, non iam amplius Deum laudaturos publice, solemniter, edita voce, pulsatis musicis instrumentis, nec ob noua beneficia, quæ quotidie à Deo recipiunt, dum liberantur à miseriis, in quibus sunt, gratias reddituros: vnde id, quod LXX. reddunt, *neque omnes, qui descendunt in infernum.* Hebr. habet: *Damah.* Et Hieron. vertit, *in silentium*: quod mortui sileant, inquit Agellius, & voce, quæ corporis organis formatur, sint destituti; sensus proinde videtur esse: viuens laudabit te, sicut & ego hodie facio, & me facturum publicè hoc voto, veluti in tabula suspenso, polliceor. Neque id facient tantummodo ij, qui hac luce, & spiritu hoc tempore fruuntur, sed etiam eorum posteri, quibus parentes quotidie eius beneficij magnitudinem prædicabunt, & quid gratiarum agere debeant, edicent. Et licet hoc generaliter dicat, ex eo tamen quia sine liberis erat, occasionem dicendi sumpsit, vnde clam pollicetur, se cum pater factus fuerit, ac liberos procrearit, illis fidem, & Religionem eius annunciaturum; vnde constat Ezechiam non tam de morte doluisse, quam quod sine liberis decederet, quorum procreatione, & institutione Religionem Dei posteris traderet, ac propagaret. Et in hoc sensu appositè satis vertunt LXX. in persona Ezechiæ: *Posthac namque liberos procreabo, qui annuntiabunt iustitiam tuam.* Vel etiam potest esse sensus (sicut benè aduertit Vatablus) quod pater quandiu viuit, potest instituere liberos suos, & docere illos veritatem promissionũ diuinarum, quod mortuus præstare vltra non potest, & sic melius cohæret secunda pars huius versiculi cum prima, si vtrumque referatur ad viuentes, cuius non sunt capaces vita functi.

Psal. 113. num. 26.

Leo Castro explicat id, quod LXX. habent: *Viuentes benedicent tibi, quemadmodum & ego*, idest, viuentes recipient Christum tuũ, & tibi gratias agent in se, vel in sua sobole, sicut & ego hodie recepto hoc beneficio posteritatis: nam in mea posteritate expectabo te, & recipiam, & legem Euangelicam, quam parentes filiis per manus tradent. Pater filiis notam faciet veritatem tuam, notum faciet tuum Christum, & sic inter viuos propagabitur Euangelium toto terrarum orbe. Mirum tamen hac in re, & iure notandum censeo, quod cum liberos per Prophetam Deus minimè pollicitus fuerit Ezechiæ, ipse tamen quasi certus de futura prole dicit: *Ab hodie liberos faciam, qui annuntiabunt iustitiam tuam.* Occurrit huic difficultati Hieronym. dicens: Græcam vocem significare paruulos, vel pueros, siue infantulos, & posteros, vt sit sensus, quod omnis ventura posteritas ex eo, quod ipse misericordiam consecutus est, laudatura sit Dei incredibilem Clementiam, qua tam cito vidit vel primam lacrymam plorantis Ezechiæ, & exaudiuit deprecantis vocem. Sic Hieronym. dispungit, & explicat LXX. versionem, concinitque cum eorum expositione, quorum meminit Cyrill. qui dicunt polliceri regem se chorum concinnaturum, & psalmorum cantores in templo constituturum,

turturum, quod etiam facit 2. Paralipp. 29. Leuitis, atque cantoribus per ordines suos, ac vices distributis; & huiusmodi ministri bene appellari possunt pueri, quos ille creaturus erat ad annuntiandas diuinas laudes.

2. Paral. 29.

Salua tamen reuerentia Maximi Doctoris dixerim, eo sensu, posse saluari Ezechiæ dictum apud L X X. Interpretes, si dicamus ipsum secum expendisse Diuinæ Benignitatis affluentiam, quæ plus tribuere solet, quam petatur, postulantiumque voces beneficentia consueuit superare, cuius denique perfecta sunt opera; indeque rectè intulisse, nullatenus futurum sibi mutilum salutis beneficium, tale quippe censeretur, si concessa salute, prolem minimè largiretur, cum tamen ille magis doluerit de filiorum carentia, quàm de vitæ ablatione, & præscissione; certus proinde de cumulatiori beneficio, & de affluentia Diuinæ Liberalitatis, futuram sibi simul cum vita exoptatam prolem, minimè hæsitauit, & ideò certo certius id arbitratus dixit, *ab hodie filios faciam.* Illud tamen ostendit sinistrum euentum regis, dum ait de filiis, quos sibi pollicetur qui annuntient iustitiam tuam: nam longè res diuersum sortita est exitum, cum ex Ezechia scelestus, & impius filius Manasses editus est; semper tamen verum habuit, quod ipse Ezechias pius fuit, & Dei iustitiæ sedulus annuntiator.

ANNOTATIO I.

De Educatione filiorum à parentibus.

Quasi peculiare debitum parentum assignat Ezechias hoc in loco filiorum educationem, & institutionem circa res diuinas, supra humanas, scilicet, vt prius instruant liberos in iis, quæ ad mores pertinent, deinde in iis, quæ ad Dei cultum, & fidem spectant; est siquidem natura absque disciplina, cæca, sicut ait Plutarch. libr. de Educandis liberis; sicut etiam disciplina, si natura destituatur, defecta; & quemadmodum ad agriculturam primum requiritur bonum solum, deinde peritus colonus, denique semina frugi; ita planè natura solo, agricolæ magister, semini præcepta respondent. Hæc ego omnia contendere ausim in animas omnium ore decantatorum hominum, Pythagoræ, Socratis, Platonis, & sanè beatus, diisque acceptus est, cui Deus omnia ista tribuit. Ita Plutarch. Ille igitur, qui solum præparauit in generatione, debet item colere in educatione, & doctrinæ semina iacere per institutionem; plus siquidem est instituere, quàm generasse. Vnde Basilius Imperator libr. 66. Exhortationum ad Leonem filium cap. 6. quæ habentur tom. 5. Bibliot. Patrum, ait: Propterea se tot capita exhortationum ad filium edocendum dictasse, vt quem naturalis lex ipsi deuinxerat, rationalis amplius deuinciret, & filius plus sibi, quàm alteri deberet; nam si illum tantùm ipse genuisset, alius verò edocuisset, & informasset, plus certè alteri, quàm parenti deberet: si enim, inquit ille, quos natura tibi dedit parentes, debes revereri, multo magis eos, qui te in spiritu Dei per bonas disciplinas genuerunt, &c. Quod adhuc testimonio Aristotelis apud Laërtium lib. 5. confirmatur, cum ait: Parentes, qui filios erudiunt suos, multo honorabiliores sunt his, qui solum generant. Isti enim viuendi: illi bene, beatéque

teque viuendi auctores sunt: Hinc est quod Paul. Ephes. 6. ait: *Et vos patres educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini.* Vbi vox Græca, pro eo, quod nos habemus, *in disciplina,* teste Hieronym. & Chrysost. tam instructionem, & doctrinam, quàm castigationem significat: legant, inquit Hieronym. ibidem, qui filios suos secularibus literis erudiunt, & faciunt illos comœdias legere, & mimorum turpia scripta cantare, de Ecclesiasticis forsitan sumptibus eruditos, & quod in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel totam substantiam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in calendariam strenam, & saturnaliciam sportulam, & mineruale munus Grammaticus, & Orator, aut in sumptus domesticos templi stipes, aut in sordida scorta conuertit. Sic ille. Qui aliter sanè exclamasset, si istius temporis educationem conspexisset, in tesseris, in lusoriis cartis, in compotationibus, ac improbis voluptatibus conspexisset. Vbi non omittendus Plutarch. libr. citato, cum ait: Ante omnia opus est, vt patres non solùm nihil peccando, verum etiam honesta singula peragendo, manifestum sese filiis exemplar exhibeant, vt ita eorum vitam quasi quoddam speculum intuentes, ab operum simul, & sermonum turpitudine se penitus auertant: nam si quis delinquentes acriter obiurget filios, cum is in eosdem illabatur errores; hic nempe ignorare videtur sub illorum nomine sua se incusare crimina.

Bonum patrem Deus agnouit Abraham, quando Genes. 18. ait: *Scio, quod præcepturus sit Abraham filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam*; vbi Chrysostom. homil. 42. ait: Cogita quanta est Patriarchæ virtus, quando Deus dicit; Scio enim, quod constituet filiis suis post se, vt custodiant vias Domini. Magna hæc est virtutis augmentatio; non enim tantùm mercedem accipit, quia ipse bene agit, sed & quia præcepit natis suis, largas retributiones accipit, idque merito. Is enim, qui principium præbet, ac initia, etiam eorum, quæ postea fiunt, auctor est. Optimus item pater extitit Tobias, de quo dicitur: *Cum factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, genuitq́ ex ea filium nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Optimus pater Dauid, qui Psalm. 33. ait: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*, quæ verba bene explicat Serar. Tob. 1. § quarta capitis particula, in hunc modum; negligant alij filiorum suorum doctrinam: ego, inquit, non item; venite filij, audite me. Doceant eos alij, & diligenter, sed artes mundo huic placendi, opes, & honores coaceruandi; imò etiam illas ipsas, quæ liberales vocantur, vel per se ipsos, vel per alios doceant. Ego, quod hisce omnibus præstantius, vtilius, magísque necessarium est, timorem Domini docebo vos. Optimi sanè parentes Susannæ, de quibus dicitur Daniel 3. *Parentes illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundùm legem Moysi*; vbi Hieronym. ait, hoc vtendum est testimonio ad exhortationem parentum, vt doceant iuxta legem Dei, sermonemque diuinum, non solùm filios, sed & filias suas.

Hinc est, quod multoties in Scriptura iubentur patres suos filios instruere in iis, quæ ad Deum timendum, & colendum pertinent, vt Exod. 10. *Et narres in auribus filij tui,* &

Gen. 18. num. 19.
Tob. 1. num. 9.
Psal. 33. num. 12.
Dan. 3. num. 3.
Exod. 10. num. 2.

& nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis. Vbi Oleast. ait: Audis hic qualiter parentes teneantur docere filios suos ea, quæ ad gloriam Dei pertinent, & ad fidem: nam ex huius cognitione homines in fide firmantur, & Deum beneficum diligunt. Simi-
Exod. 13. num. 8. liter Exod. 13. *Narrabisq; filio tuo in die illo, dicens; hoc est, quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto.* Vbi Lyran. ait: Ex quo patet, quod patres tenentur filios suos erudire per se, vel per alium de his, quæ sunt necessaria ad salutem. Hinc fit, vt ex officio instruendi liberos, patris nomen transierit ad magistros, & doctores; nam Hebræi doctores, & magistros Aboth, idest,
Genes. 4. num. 21. patres dicunt. Vnde Genes. 4. *Ipse fuit pater canentium cythara*, idest doctor primus.

Iosephum Pharao fecit ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram
Genes. 41. num. 43. eo genuflecterent Genes. 41. Dictio Hebræa adgeniculationi respondens, *Abrech*, à Delrio reputatur Ægyptia, quia refert aliquid ab Ægyptiis Iosepho acclamatum. Idem ait, visum fuisse Aquilæ, & retulisse Eliam in Thisbi: at Hieronym. in tradit. Hebr. in Genes. ait: mihi videtur non tantum præco, siue adgeniculatio, quam in salutando, vel adorando Ioseph accipi posse intelligenda, quam quod Hebræi tradunt dicentes, patrem tenerum, ex hoc sermone transferri. *Ab* quippe pater dicitur, *Rech*, delicatus, siue tenerrimus, significante scriptura, quod iuxta prudentiam pater omnium fuit Ioseph, sed iuxta ætatem tenerrimus adolescens, & sane accinit Paraphrastes Chaldæus transferens, clama-
Genes. 45. num. 8. bant autem eum: pater regis; imo ipse Ioseph Genes. 45. ait: *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis*; quo sensu igitur factus fuerit pater Ioseph, videtur bene deduci ex Psal. 104. Vbi dicitur; *Constituit eum Dominum domus suæ, vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*: ex quo loco, teste Lorino, inferunt aliqui Ægyptios, si sapientiam perceperunt ex Hebræis, eam non ab Abraham, qui parum apud eos hæsit, remissus breui à rege, sed à Ioseph, qui per annos octoginta præfuit in Ægypto secundus à Rege, & magister constitutus. Additque idem Lorinus, sensum literalem esse, vt nempe id imprimis vellet Pharao, quod quem præstantissimum in omni scientiarum genere arbitrabatur, aliis eas communicaret, principibus præcipue, ac senatoribus. Optime hac in re Augustin. Vnde fieri possit, vt vir tantus vnius veri Dei cultor in Ægypto alendis tantummodo corporibus, & rebus tantum corporalibus gubernandis esset intentus: & quo eos meliores redderet, curam non gereret animorum? Est itaque constitutus magister Ioseph non solum Pharaonis, sed principum, uno & seniorum; & ideo pater Pharaonis dicitur; vel, pater omnium, quatenus ad patres pertinet doctrina, & morum instructio. Neque omittendum, quod hoc loco appellatur pater tener, quod Hieronym. & plerique alij apud Vatablum ad teneram ætatem referunt, at magis ad doctrinam, & magisterij officium sine dubio spectat: nam ex Genes. 41. *Genes. 41. num. 46.* constat Iosephum triginta annorum fuisse cum stetit in conspectu Pharaonis, in ipsa, nempe, virilis ætatis firmitudine, quam à triginta, ad quadragesimumquintum annum vigere docuit Censorinus libr. de die Nat.

Psal. 104. num. 21.

Aliunde igitur eruendus nobis est sensus huius teneritudinis, nempe
2.Reg.23. num.8. ex 2.Reg.23. Vbi de Dauide docente (secundum plurimorum sententiam) dicitur: *Dauid sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Magisterij munus hoc in loco insinuari docet Hugo Victor. in 3.Reg. tom. 1. nam vltra sapientissimi titulum, id probat nomen, cathedra, quem honorem Pharisæi ambiebant cum primas cathedras quærebant.
Matt.23. num.6. Iob 29. num.7. Matth.23. Et Iob 29. dicitur; *Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi*, non tanquam seuero iudici, inquit Philippus Presbyter apud Pinedam ibi, & cruento, sed vt magistro populi, & doctori: nec officit, quod dicto loco ex 2.Reg. in Hebr. verbum sit, quod magis solium, quam cathedram importare videtur; tunc enim se regere verius Dauid arbitrabatur, cum ius in magistros suos edoceret, quam cum eisdem iura ex dominationis potestate imponeret. At supposito, quod Dauid suorum magister extiterit, cur tenerrimus dictus sit? Id pro nostra re facit. Brixiamus scopum attigisse videtur, quatenus dicit, fuit delicatus, & syncerus in studio legis: quo tamen adhuc sensu intelligendus sit delicatus, accipe ex Tullio cum in Pisonem dixit, versus delicatissimos, idest, solertissimos; Dauid ergo tenerrimus, idest delicatus erat, idest miræ subtilitatis, & ingenij omnia acutissimo inspicientis, cum ad docendum se conferebat: facit Rabbi Salom. apud Abul. ibi, dum ait, ideo tenerrimo vermiculo comparatum, quia vt is, nunc se in vestium abditarum volumina inserit, nunc in lignorum medullam: ita Dauid legis meditationi incubans in abditissima illius mysteria peruadebat: cum ergo Ioseph pater tener dictus est, magister summa ingenij perspicacitate prædictus describitur.

Minime tamen prætereundum censeo Chaldæum Paraphrastẽ, dum patrem Regis Iosephum appellauit: vbi videmus ipsum Pharaonem non puduisse, etsi ætate seniorem, & imperij gloria supremum, Iosephi iunioris, sed sapientioris magisterio tanquam patri filium subiacere. Neque tam mirum erit si Iosephum fratrem Pharaonis contemplemur cum Hiram regem Tyri videamus ita ad Salomonem scripsisse. 2. Paralip. 2. 2.Paral. 2.n.13.
Misi ergo tibi virum prudentẽ, & scientissimum Hiram fratrem meum, qui nouit operari, &c. Ergo-ne ita ignobilis erat Tyriorum rex, vt patrem artificem haberet? & sane si haberet, nõ exiguam laudem mereretur, cum non negaret se ab eo sanguinẽ ducere. At LXX. vertunt: *Seruum meum misi ad te*: in cæteris libris, & ad marginem Vaticani, & Complut. habent *Puerum*, licet Sixtiani habeant *Patrem meum.* Quomodo autem cohæreat hoc cum nostra Vulgata, explicant ibi Scholia, & Lyran. cum ait: Hebræi tradunt hic: Hiram patris mei, quia omnia nomina apud eos sunt indeclinabilia, sicut apud nos, cornu, & gelu, idest, artificem excellentem à tempore patris mei, & sicut fuit excellens apud eum, ita & mecum, cum qua expositione congruit maxime versio ex Hebręo apud Vatablum in hunc modum: *Mitto virum sapientem, & intelligentia praditum, quo vsus est pater meus.* Omissis vero aliis expositionibus inseruit nobis Glossa interlinearis ad dictum locum Paralip. quæ ita habet: patrem suum vocat, quia de terra Israël peregre profectus docuit timorem Domini, & cognitionẽ veritatis: en quomodo pater regis dictus sit, quia, scilicet, non solum nouerat

aurum,

aurum, & lapides expolire, sed & præclara documenta, quæ animo Regis inderet, & insculperet.

Obiter tamen aduertendum est, id quod dicta Glossa ait: Hiram de terra Israël profectum; obstare namque videtur id, quod loco citato addit sacer Textus, fuisse scilicet, filium mulieris de tribu Dan; & 3. Reg. 7. mulieris viduæ de tribu Nephtalim, vtrobique verò ei pater Tyrius attribuitur, quomodo igitur potuit à terra Israël proficisci? Dubitationi satisfacit Hieron. in 3. Reg. ad finem; inseruitque maxime præsenti instituto Hieronymi explicatio, ostendit enim adhuc magistrum, & præceptorem, patrem, in sacro contextu appellari. Tradit igitur Hieronym. Hiram matrem fuisse de tribu Dan, patrem de tribu Nephtalim, quo, inquit, mortuo, vxor eius, quæ mulier vidua scribitur, filium in Tyrium misisse discendi gratia dicatur; & à quo doctus in Tyro fuit, pater eius dicitur Tyrius: ecce iterum magister pater dictus, vt iam vulgatissimum sit patris nomen in magistros aptissime quadrare.

3. Reg. 7. num. 14.

Et sane si filij parentibus dolorem afferunt, sollicitudines inferunt, somnum, & quitem auferunt, hoc totum in magistros videre est conuenire. Primum illud videmus in Iacobo Genes. 49. cum Ruben primogenitum dicit, principium doloris sui; vbi LXX. habent, *Principium filiorum meorum*, & sic vertit noster Interpres Deuter. 21. Nam vox Hebræa æquiuoca est, & filios significat, & dolores, nec multum diuersa est vtraque lectio, nam, qui principium filiorum parentibus sunt, eisdem sunt principium doloris, & sollicitudinis, sicut Abenezra dixit hoc loco; principium doloris est primogenitus, quia ille incipit parentibus dolorem, & curam afferre; quod magis aperit Targum, cum habet, *principium sollicitudinis*, quibus similia habet Burgensis ad eundem locum: vt sit sensus; tu primogenitus filius meus es, cũ quo pariter oriuntur curæ, & adolescunt. Quia nati, inquit Cornel. à Lapide liberi nouas curas, dolores, & anxietates parentibus afferunt: quod si vis magistrum in doctrina dolentem, audi Paulum maximũ parturitionis dolorem proferentem; *filioli mei, quos iterum parturio*, vbi Chrysost. ait: Apostolus hic matrem refert de liberis trepidãtem: vides paterna; imo materna viscera? Vides anxietatẽ? Vides qualem emittat eiulatum multo tristiorem, quam solet esse parturientium? *Quos iterum parturio*; inquit D. Thom. lect. 5. cum labore, ac dolore ad lucem fidei reduco. Optimus quidem hac de re locus lib. Iob, quem de prædicatoribus, & magistris, ibi exponit. D. Gregor. *Nunquid parturientes ceruas cõsiderasti? Incuruantur ad fœtũ, & pariunt, & rugitum emittunt*; quibus in verbis alludit ad ceruarũ partum difficillimum teste Plinio; ideóque seseli herba illum adiuuant, sic ergo explicat Greg. 30. Moral. c. 21. Video Paulum quasi quandam ceruam, quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittentem; ait enim, *filioli mei, quos iterum parturio, &c.* Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris; quæ & postquam potuit cõcepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare. Sic ille ostendit, quales patiantur dolores magistri, dum discipulos in lucem sapientiæ, & doctrinæ edunt. Quod si filij insomnes parentes reddunt, sicut videre est in Iacobo, ille etenim, qui in Mesopotamiam fugiens, & in baculo suo transiens Iordanem, ita pacato erat animo, vt ei somnum asperitas saxi capiti suppositi potius conciliauerit, quam ademerit. Decursis postea viginti annis patriam

Genes. 49. num. 3.
Deut. 21. num. 17.
Galat. 4. num. 19.
Iob 19. num. 3.
Genes. 28. num. 11.

patriam repetens, & ad eundem appellens locum, dum somnum aucupatur, vix oculos clausit, cum adesse conspicit Angelum, cum quo illi vsque manè necessum fuit colluctari, quod ideo factum suspicari licet, quòd olim absque liberis, facile somno indulgebat; at modo vndecim filiorum sarcina onustū somnus fugiebat, prælium aderat, & afflictio. En vigil parens, cui filiorum cura somnum, & quietem impediebat, qui antea pro culcitra lapidem habens quiescebat. Non aliter igitur videre licet doctrinæ parentes, & disciplinæ magistros quietem intermittentes, & diu, noctúque vigilantes pro suorum disciplina filiorum. Tunc primo legimus Christum Seruatorem in oratione pernoctasse, cum sequenti die discipulos erat, & electurus, & instructurus: vbi Beda, & Ambros. lib. 5. aiunt, forma tibi datur, quam decet æmulari, vt, qui alios instruere nituntur, sciant noctes sibi insomnes, siue orando, siue studendo transigendas.

Genes. 32.

Luc. 6. num. 12.

Hoc ipsum etiam licet comprobare ex eo, quod de Issachar dicitur, à quo magistros promanasse censet Hieron. quæst. in Genes. Rupert. lib. 9. in Genes. c. 32. & Abul. atque etiam sapientissimi Rabbini; quibus omnino suffragatur Paul. Burgens. additione. 5. ad citatum locum Genes. Nec dissentit. D. Ambros. Existimant igitur citati Auctores, ex hac familia viros fuisse sapientes, doctores, & magistros, iuxta id, quod dixit Moyses Deut. *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis; populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ.* Vbi Cornelius à Lapide, ait: Quasi dicat, Issachar, & Zabulon, tum verbo (erunt enim ex eis doctores) tum exemplo suo inuitabunt alias tribus ad templum in monte Sion, vt in eo pie, & religiosè Deum adorent, & colant; ibíque sacrificabunt sacrificia iustitiæ, idest, legitime & iuste, quæ lege præscripta sunt. Neque incôuenit, oriundos ex Issachar, asinos appellatos fuisse cum parente suo, quod stare non posse videtur cum sapientia; namque vulgus hominum hanc de sapientia solet habere existimationem, quod notauit Aristot. 6. Ethic. vbi docet Pythagoram, similésque alios Philosophos, insipientes, & stultos fuisse habitos; vnde Socrates totius Philosophiæ parens, dementiæ accusatus, & damnatus est; similiter, & Homerus, qui naturalis Theologiæ auctor dicitur; eadem reperiuntur dicta de Platone, & Arist. apud Diogenem Laërtium in eorum vitis, huiusce verò rei rationem reddit Seneca lib. de Tranquil. vitæ in fine, dicens; nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ, neque enim potest aliquid grande, & supra cæteros loqui, nisi mota mens, quæ vulgaria, & solita contempsit, & instinctu sacro surrexit excelsior; tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali: non potest sublime quidquam, & in arduo positum contingere, quandiu apud se est; decedat oportet à solito, & efferatur, & mordeat frænos, atque rectorem suum rapiat, eóque ferat, quo per se timuisset, &c.

Genes. 49.

Deut. 33. num. 18.

Supposito ergo, quod ad Issachar pertineant sapientes, magistri, ac doctores; nunc considerandum restat quid de eo vaticinatus addat præuidens Iacob: *Issachar habitans inter terminos*; Græcè, *cleros*, quo nominè Ambros. vtrumque testamentum intelligit lib. de Parad. cap. 3. ante medium explicans illud Psalm. *Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ, &c.* eo quod veteri, & nouo, qui inhæserit testamento, in ipsa secreta sapientiæ Dei disputationis potest vbertate

Genes. 49. num. 14.

Psal. 67. num. 14.

vbertate procedere. Et lib. de Tobia. cap. 5. ad med. versans eundem locum ait, loquens de iniqua prauorum sorte; non tales sortes tibi scriptura mõstrauit; non inter tales sortes Dauid memorat dormiendum, dicens: *Si dormiatis inter medias sortes*; nam si inter medium illarum dormisses sortium, idest, veteris, & noui testamenti, non te pecuniæ cupiditas in voragine teterrimi fœnoris demersisset. Et cap. 20. post med. ait; dormiatis inter medios cleros, dormiatis inter duo testamenta, &c. Similia habet Epist. 37. ante med. Et Paulinus Epist. 2. & in eodem sensu explicat dicta verba August.

Ex dicto itaque loco Iacobi elicitur, magistrum, & doctorem inter medios libros somnum debere sumere, imò in eis euoluendis euigilare. Quod si cleros intelligamus iuxta aliam versionem, quæ sortes interpretatur, indicat tantam curam, & diligentiam habituros magistros circa discipulorum disciplinam, & instructionem, qualis solet eis adesse, qui inter duorum Regnorum diffidentium terminos, & confinia versatur, quibus nulla quies, securúsve somnus contingit. Addit verò Iacob, *Vidit requiem, quod esset bona, & supposuit humeros suos ad laborem*, vbi Hieronym. citatus ait: dicunt Hebræi per metaphoram significari, quod Scripturas sanctas die, ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum, & ideò omnes tribus ei seruiunt, quasi magistro dona portantes, vnde ipse dici potest, tributis seruiens, quia ob tributa sibi concessa humeros ad laborem studij obfirmabar.

Denique si parentes omnibus periculis se obiiciunt, vt filiis diuitias congregent, & acquirant; vnde Paulus ait: *Non debent filij parentibus thesaurizare, sed è contra.* Chrysost. ibi ho- (2. Cor. 10. num. 14.)

mil. 27. ad fin. ait: Magistrorum videlicet ac discipulorum vice, parentes, ac filios collocans, ac demonstrans, se debito quodam munere perfungi, eóque nomine quiddam etiam maius adiungit, non enim dumtaxat dixit: nec enim debent filij parentibus thesaurizare, sed hoc quoque adiecit, quod parentum sunt, patres, vt filiis thesaurizent.

Ex his igitur constat, in tantum ad parentes educationem filiorum pertinere, quod inde magistri, patres appellantur, quoniam parentum munere funguntur, dum docent, & instruunt sibi commissos discipulos; quoniam verò potest ex dictis colligi, patrum hoc tantum munus, non matrum esse: ostendemus etiam matrem in Scriptura appellari eam, quæ docet, & instruit. Enimuerò Iud. 5. dicitur: *Cessauerunt fortes Iudæ*; idest Israël, *& quieuerunt, donec surgeret mater in Israël*; vbi interlinealis glossa aperit, cur mater dicatur Debbora Israëlitici populi; quæ prædicando, inquit, & exhortando doceret, &c. Ad vtrumque enim parentem pertinet filiorũ institutiò, ideóque tam homo docens dicitur pater, quàm mulier instituens mater, vt patres, scilicet, ac matres intelligant, hoc sibi iniunctum munus, filiorum scilicet disciplinæ. Quare Salomon Prouerb. scilicet ait: *Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*; vbi pro re præsenti ait Caiet. Meminit vtriusque parentis, non solùm quia vtrique debet obedire, sed etiam vt à cunabulis quodãmodo imbuatur filius timorem Dei, ex maternis documentis: additur verò statim num. 10. *Fili si te lactauerint peccatores.* Hebr. *incitauerint, non acquiescas eis*, vbi Caiet. acutè obseruat, & ait, è regione parentum, non distinguit extraneos, sed peccatores, eo quòd parentes præsupponit fungi officio paren-

(Iud. 5. num. 7.) (Prouer. 1. num. 8.)

parentum, rectè instituendo filium.

Ad vtrumque itaque parentem pertinet filiorum educatio, & disciplina quæ à rudioribus annis eis debet adhiberi; vnde Eccles.7. dicitur: *Filij tibi sunt? Erudi illos, & curua illos, à pueritia illorum*: vbi Cornel.Iansen.ita habet. Duo vult filiis impendi, quoniam enim tetum bonorum ex sese ignorantia laborant, vult eos à parentibus institui, & quæ recta sunt doceri, quod ad intellectum formandum pertinet. Quoniam autem ex naturæ corruptione semper ad malum, & inobedientiam magis sunt proni, quàm ad bonum, vult eos, vel vt habent Græca, collum eorum curuari, minísque & verberibus ad bonum flecti, idque à pueritia, quando sicut rami adhuc teneri, sunt magis flexibiles. Ita Iansen. ostendit, quomodo à teneris adhuc annis instruendi sint liberi, & recta disciplina imbuendi. Quod bene aduertit Salom. Prouerb.22. cum ait: *Adolescens extra viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Hebr.habetur: *Assuefac puerum super os viæ suæ: etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Vbi Caietan.ita habet: Monet Salomon vt non differatur instructio pueri, sed in ore viæ eius (hoc est in ipso aditu, in ipso principio viæ pueri, quum incipit patere ingressus in animum pueri) assuefac illum; quamuis non sit capax doctrinæ, est tamen capax consuetudinis: hoc est, vt incipiat assuescere bonis actibus, verbis, moribúsque: & rationem subiungit, quia quæ primũ imbibimus, retinemus etiam in senectute, & verum dicit secundum rationes communes progressus humani, nihil enim adimitur per hanc sententiam efficaciæ diuinæ gratiæ, vel etiam alicuius studij rari ad mutandum mores hominis cuiuscumque ætatis; neque huic Salomonis sententiæ obstat verbum Apostoli: *Cum essem paruulus, sapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus: quãdo autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli*, quia Apostolus loquitur de conditionibus consequentibus ætates: Salom. verò loquitur de moribus, & habitibus, qui ex nostro vsu adiunguntur pueri, adolescentísque ætati. Hæc Caiet. docens cum Salomone quomodo ea, quæ tenerioribus annis imbibimus, animabus nostris inserta diu perdurent. Vnde Thren.3. dicitur bonum esse viro portare iugum ab adolescentia.

Eccles. 7. num.24.

Prou. 22. num.6.

1.Cor.13. num.11.

Thren. 3. num.27.

Quomodo verò à pueritia sint instruendi liberi præclarè habet Hieronym.Epistol.ad Lætam de institutione filiæ, vbi eam ita monet. Nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet; turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciua puerorum: ipsæ puellæ, & pedissequæ, à sæcularibus consortiis arceantur: ne quod malè didicerint, peius doceant. Tibi est prouidendum, ne quæ ineptis blanditiis fœminarum, dimidiata dicere verba filia consuescat: & in auro, atque purpura ludere: quorum alterum linguæ, alterum moribus officit: ne discat in tenero, quod ei postea dediscendum est. Gracchorum eloquentiæ multum ab infantia sermo matris contulisse scribitur. Hortensij oratio inter paternos sinus coaluit. Difficulter eraditur, quod rudes anni perbiberunt. Lanarum conchylia, quis in pristinum candorem reuocet? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia Alexandrum potentissimum Regem, orbis domitorem, & in moribus, & incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus. Procliuis est enim

enim malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. Si perfecta ætas,& sui iuris imputatur parentibus, quanto magis lactens, & fragilis: quæ iuxta sententiam Domini ignorat dextram, & sinistram,idest,boni,& mali differentiam? Si solicitè prouides ne filia percutiatur à vipera; cur non eadem cura prouideas, ne feriatur à malleo vniuersæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis? Ne egrediatur cum Dina: & velit videre filios regionis alienæ? Et quomodo,inquies,peccata patrum filiis non redduntur: nec filiorum parentibus, sed anima,quæ peccauerit, ipsa punietur? Hoc de his dicitur, quæ possunt sapere: de quibus in Euangelio scriptum est: *Ætatem habet, loquatur de se*, qui autem paruulus est, & sapit vt paruulus; donec ad annos sapientiæ veniat,& Pythagoræ litera Y.eum perducat ad biuiū,tam bona eius,quàm mala, parentibus imputantur. Legi quondam in scholis puer. Ægrè reprehēdas,quod finis consuescere. Te habeat magistram, te rudis imitetur infantia. Nihil in te, & in patre suo videat, quod si fecerit, peccet. Mementote vos parentes virginis magis,eam exemplis doceri posse,quàm voce.Cito flores pereunt:cito violas, & lilium, & crocum pestilens aura corrumpit.

Optima sunt in eandem sententiam, quæ habet Chrysost.homil.de Anna, & educatione Samuelis post med. vbi expendit quomodo mater post ablactationem pueri, eum attulerit in templum, ne externa malitia inficeretur, sed potius diuina sapientia imbueretur.Ascendit,inquit, præclarum illud germen transplantans; & quemadmodum industrij agricolæ primum semen in terram deponunt cupressi, aut aliarum arborum similium: deinde vbi conspexerunt à semine factam arborem,non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam in aliud transferunt solum,vt terra in recens gremio suo excepta illius radicem,curam, & integram vim suam proferat ad nouam educationem. Itidem,& hæc fecit mulier, quæ puerum præter spem proseminatum in illo vtero, à domo transtulit, & in templum transplantauit, vbi perpetuæ sunt fontium scatebræ, & irrigationes spirituales. Neque post malitiæ experientiam venit ad malitiæ remissionem,sed ab ipsis incunabulis ad virtutem transiliit, à prima statim pueritia, à mamma matris, venit ad mammam spiritualem, &. quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem,sic & hic diuinorum eloquiorum doctrina assiduè irrigatus ad virtutis fastigium peruenit. Sic ille ostendit sollicitam matrem sibi minimè confidisse in educatione filij,proindeque in templum transtulisse,vt ibi in altitudinem virtutis excresceret, & tanquàm tenuis plantula in vberiorem locum translata præclariores fructus redderet virtutum: quam similitudinem prosequitur idem Chrysost.homil.29.in Epistol. ad Hebr.in morali,dicens:In vmbra educatio, otium, lauacra,vnguenta, multitudo aromatum molles efficit;& vt scias animaduerte id, quod dico. Accipe mihi plantam ex hortis,qui sunt in deserto,& pulsantur à ventis,& pone eam in loco humido,& vmbroso, & inuenies illam indignam eo loco, ex quo sumpta ab initio est. Sic ille. E domo igitur sua Anna transtulit puerum suum, vbi in tantam directus à Domino excreuit virtutem, vt postea ipsum intuens miraretur mater, sicut ponderat idem Chrysost.

Canticorum in cap. 5. Sponsa in laudem sui Sponsi, ait: *Venter eius eburneus* Cant. 5. num.14.

eburneus distinctus saphyris. Vbi Greg. Nyssen. Orat. 14. legit: *Venter eius tabella eborea in lapide sapphyro.* Per tabellam autẽ tabulas legis interpretatur in hunc modum. Quo tempore Legislator naturæ insculptam lapideis tabulis legem Moysi tradidit; illas ipsas tabulas appellauit lapideas tabellas, quibus diuini caracteres insculpti erant. Posteaquam lex sibi quidquid corporeum esset, ac terrenum, per claritatem Euangelicam quasi poliendo detraxit: non iam amplius id, in quo literæ perscribuntur, lapidea tabula est; sed facta de splendente ac recens polito ebore. Etenim hoc in loco illud, quod edicta, & leges Dei recipit, indicatum vocabulo ventris, esse tabula eborea dicitur, in lapide sapphyro. Sapphyrus autem colore cæruleum emicāte recreat fatigatos eorum oculos, qui studiosè intenti sunt tabellæ huic literis repletæ, quod à natura sic comparatum sit, vt huiusmodi splendor oculos reficiat. Sic ille locum explicat de lege Dei, quæ scripta dicitur in sapphyrinis tabulis oculos reficiẽtibus, quia & Deus vult nos in eam attentos mentis oculos habere; vnde Deut. 11. dicitur: *Ponite inter oculos vestros:* Pagnin. *Erunt in specilla super oculos vestros*; ne igitur imbecilles oculi mortalium diuinis præceptis iugiter defixi fatigarentur, voluit Deus per sapphyrum recreari. Sed quid est quod tabulæ legis ventri comparantur, vbi fœtus concipitur, alitur, & defertur? Id mihi hac similitudine indicatum videtur, scilicet, quod Dei lex, & præcepta, ab ipso, vt ita dicam, vtero, debet animabus nostris infundi, & quasi congenita instillari si fieri posset; ea siquidem, quæ à primis initiis ebibimus, & percepimus diutius retinemus: vnde conqueritur Deus de Israëlitis, qui ad idola declinauerant, in hunc modum. *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo vtero, & qui gestamini à mea vulua.* q. d. hoc sanè me perculit, & ad iram incitat, quod cum vos ego conceperim quasi filios, & ab ipsis initiis, atque adeo ex vtero edocuerim meam legem, vos eam deserentes, meque derelinquentes vana idola consectati sitis.

Deut. 11. num. 18.

Isai. 46. num. 3.

Hinc etiam est, quod de fortissimo Eleazaro dicitur: *At ille cœpit cogitare ætatis, ac senectutis suæ eminentiã dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ cõuersationis actus:* quia verò ea, quæ ab vtero secum detulerat, & quæ à primis annis didicerat, recordatus est, pro eis fortiter pugnauit, & acerbissima tormenta sustinuit, ne quæ primis annis perceperat, suppliciorum vi adactus infringeret. De septem filiis vna occisis propter legis obseruationem, nomine matris ipsorum, ait Nazianz. Orat. 22. post med. Gratias tibi ago Pater sancte, & tibi magistra lex, tibique parens vester, & filiorum tuorum in certamine antecessor Eleazare: quoniam meorum in pariendo dolorum fructum accepistis, atque mater omnium matrum sacratissima effecta sum: quàm magnificè honorata sum! quam excellenter senectus mea, culta, & curata est! Habeo educationis vestræ præmia, ô filij: quæ omnes virtutis causa decertantes vidi, omnes victores aspexi; quibus in verbis se à filiis honoratam fatetur, dum ab eadem acceptam doctrinam minimè deseruerunt, imò disciplinam legis, quam ipsis veluti simul cum lacte optima parens instillauerat, tenaciter retinuerunt; & sanè disciplina legis ab vtero matris ipsorum visceribus inserta, etiam dum euiscerarentur, nusquam, nunquamque auferri potuit; sic enim adhæret animis nostris id, quod à vulua

2. Mach. 6. nu. 23.

2. Mac. 7.

vulua matris, & à primæua ætate instillatur. Vnde Theophyl. Alexan. Epistol.3. paschali post princip. ait: Lacerabantur viscera tabo, & sanie artus diffluebant, & tamen sententia perseuerabat immobilis: lassabantur tortores, & non lassabatur fides, &c. Videnda sunt, quæ habet Ambros. libr.2. de Iacob, & vita beata cap.11. ante med. quibus ostendit tenacitatem fidei in Machabæis prouenisse ex prima educatione, & ebibita simul cum vita disciplina. Adhibebantur, inquit, variarum genera pœnarum, sed vicit pietas immanitatis furorem: exclusa est anima, non religio. Cum detraheretur membrana capitis (secundo, scilicet, filio) respondit: Aufertis quidem membranam, sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre, & verè hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia caput viri Christus est, & eius sumus membra. Rectè puer istam diuini capitis doctrinam Apostolicam præuidebat. Exuebant immanes bestiæ corium capitis, & parricidalicis sæuitatibus sæuiebant: at ille deficiens. Quam dulce est, inquit, mori pro religione. Et loquens idem Ambros. de tertio cui Antiochus linguam amputari iussit, ait: Euadere te putas si vocem eripias? Et tacentes Deus audit, & magis audit. Ecce aperuit os meum, laxauit linguam meam, abscindis linguam, sed non abscindes constantiam, non virtutem auferes, non rationem obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, &c. Ecce quomodo ab vtero matris veluti insita lex, eiúsque obseruantia minimè auferri potuit cruciatibus, aut exui violentis suppliciis.

Nec abs re puto factum, quod istorum martyrum mater ventris, & vberum suorum postulat filios meminisse, id enim propterea in memoriam eis reuocat, vt meminerint taliter à matre educatos, vt quasi, ab ipso matris vtero, iam traxerint legis normam, & obseruantiam 2. Machab. 7. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam produxi*: hæc sane retulisse est primordia disciplinæ in memoriam reuocasse. Hinc est quod pulchre Cyprian. libr. de Exhortat. martyrij cap. 11. post med. de ea ait: Post hæc liberis suis commoritur, neque enim aliud iam dicebat, quam vt quæ martyres peperat, & fecerat, in consortio illius gloriæ iungeretur, &c. Quomodo autem potuit martyres iam filios parere mater, nisi quia iam veluti ex vtero, & à primis statim annis legem edocuit? Rectè Chrysost. iubes horum martyrum exempla in cordibus nostris inscribi, qui eo quod in cordibus suis legem Dei insculptam habuerint, veluti ab vtero matris, pro eadem lege tot tormenta sint perpessi. Sic enim habet homil. de Natiuit. 7. Machab. ad fin. exemplum agonis, huius tantorúmque in filiis, in matre luctaminū, sicut in tabula, ita in corde vestro, describite, assidue vobiscum exercitatione meditamini. Audiant hæc vniuersæ matres, & æmulentur virilem mulieris huius fortitudinem, & veram circa filios dilectionem, & secundum illam septem martyrum matrem nutriant matres filios suos; septem vero martyres nescio vnquam vnum protulisse vterum, hæc Ecclesiam nobis integram martyrum peperit, septem filios enixa sublimiter, quorum neminem peperit terræ, sed omnes cœlo magis

2. Mach. 7. nu. 27.

magis autem Regi cœlorum. Videndus Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 12. cum ait recurrunt in memoriam sermones sanctæ fœminæ dicentis ad filios. *Ego vos genui, ego vobis succum lactis infudi: nolite nobilitatem vestram perdere*: sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios, non vocare: at ista maternum in hoc ponebat affectum, si filiis vitam magis perpetuam, quam temporalem suaderet. Et cap. 11. eiusdem lib. ait: Aspice in cœlum vnde hausisti spiritum ad Patrem omnium: aspice in terram, quæ tibi alimoniam ministrauit, aspice ad matrem quæ tibi lac dedit: redde mercedem pij sanguinis, &c. Videndus August. serm. 109. & ex diuersis c. 6. post med. ait: Discant fœminæ de matris illius tanta patientia, ineffabili virtute: quæ nouerat conseruare filios, nouerat quæ perdere non timebat, facta mater septem martyrum, septies martyr: à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. Hanc Antiochus persecutor velut matrem de cæteris matribus computauit.

Hinc est igitur, quod volens Deus Samsonem sibi perfectum, ab vtero matris incœpit, matri per Angelum præcipiens, Iud. 13. *Ecce concipies, & paries filium, caue ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex vtero matris suæ, vsque ad diem mortis suæ.* Vbi Serar. quæst. 28. ait: Vt sanctum, ac Nazaræum ederet Samsonis mater, eum vtero dum gestauit, sancta, & Nazaræa esse, Angelo monente, debuit. Et nos si sanctos in Christo per conciones, plexiones, scriptiones generare volumus, si ad Nazaræum ebrietatis fugam, victus temperantiam, verámque perfectionem adducere; ipsi sa-

Iud. 13. num. 7.

ne sancti, & Nazaræi, sobrij, ac temperantes, perfecti, aut perfectionis amantes, ac studiosi, oportet, simus. Samson, & Samuel, ait Hieronym. libr. 2. contra Iouinianum Vinum, & siceram non bibunt, erant enim filij repromissionis, & per abstinentiam, ieiuniúmque concepti. Et Ambros. Epistol. 70. temperantiæ, & sobrietatis, iam inde à pueritia, vini abstemius, præclara insignia dedit: & intonso capite Nazaræatum sacra diu seruauit custodia. Basil. homil. de ieiunio. Quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? nónne ieiunium? &c. Ab vtero itaque matris separauit eum, & electum esse voluit, donec matri præcepit, ne immundis vesceretur esculentis, aut quæ inebriare possunt ebiberet. Et quasi sic in vtero conceptus, & nutritus, sic postea edoctus; *Creuit puer, & benedixit ei Dominus, & cœpit spiritus Domini esse cum eo.* Chald. *Mansit super eum spiritus fortitudinis, à conspectu Domini ad roborandum eum.* Vbi notandum est verbum *Mansit*, quod bene explicant LXX. *Cœpit cum eo spiritus proficisci*, idest, eum comitari, & cum eo gradi, quemadmodum de bonis artibus dicebat Tullius, nobiscum peregrinantur, rusticantur, &c. Rabbini teste Radak. *Cœpit prophetia spiritus, eum pulsare*, & quasi tinnitum ei facere, quasi ante ipsum aliquod foret tintinnabulum, & satè cui antecesserat præparatio in vtero, atque in concipiente matre, non ineptè antecedebat spiritus prophetiæ.

Hinc etiam est quod volens Deus magnum coram se, atque adeo plusquam Prophetam facere Ioannem Baptistam, parentes eius omni virtute præstantes prius constituit, & ideo Lucas de eis ait: *Erant ambo*

Ambo iusti ante Dominum; vbi necessario adiicit Lucas: ante Deum, vt hoc loco annotarunt Ambros. & Beda. Non enim qui iustus est coram hominibus, etiam iustus semper est ante Deum, sicut videre est apud August. lib. 1. de Gratia Christi cap. 48. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 13. Quod ergo Lucas dixit, *coram Deo*, perinde est, ac si diceret; erant vere iusti, de qua iustitia loquitur Paulus cum
Rom. 12. num. 17. ait: *Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*; & alibi: *Gloria nostra hæc est*
2. Cor. 1. num. 12. *testimonium conscientiæ nostræ*. Iustitia enim hoc in loco accipitur, pro ea, quæ constat ex omnibus virtutibus, tanquam partibus, præsertim vero Religione, quæ est pars iustitiæ, vt accipitur etiam apud Philosophos, sicut videre est in Aristotele, scilicet, Ethic. cap. 1. Annotauit etiam Chrysostom. homil. 4. in cap. 1. Matth. & homil. 16. in cap. 1. Matth. iustitiam pro qualibet virtute poni, sicut de sancto Iob ait Scriptura. Erat homo iustus, idest, præditus omnibus virtutibus, &
1. Tim. 1. num. 9. Paulus in eodem sensu ait: *Iusto non est lex posita, sed iniusto*. Lucas ergo Zachariam, & vxorem eius iustos vocans, præditos fuisse ait omnibus virtutibus, vt ex iustis nascererur præco iustitiæ, & præcursor Domini; comitantur enim, imo & imitantur ferè semper filij virtutes parentum ac mores, sicut prosequitur Chrysostom. homil. 45. in opere imperfecto in med. cum explicar verba illa Christi Seruatoris: *Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt*; sic ergo habet Chrysostom. Naturæ regula dicit, quia non potest fieri, vt de bonis parentibus mali nascantur; aut à malis boni: sed quales fuerunt parentes, tales erunt & nati: quia sicut arbor in fructu cognoscitur, & fructus per arborem demonstratur; sic parentes cognoscuntur in filiis, & filij per parentes. Nónne hoc ante Christum Propheta prædixit: *Quoniam* Psal. 13. num. 5. *Deus in generatione iusta est? Ita: generatio rectorum benedicetur*; ergo dant Psal. 111. num. 2. testimonia de filiis mores parentum. Quod si pater fuerit bonus, & mater mala; aut si mater fuerit bona, & pater malus; interdum filij patrem sequuntur, interdum matrem; interdum omnes filij patrem sequuntur, interdum matrem: tamen frequentius est, vt nati patrem sequantur. Si autem ambo fuerint æquales, aliquando fit, vt de bonis parentibus, mali exeant filij, aut de malis boni, sed raro. Ecce enim regula est humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos: aliquando tamen, *vt manifestentur opera* Ioan. 9. num. 1. *Dei*, nascitur homo, aut sex digitos habens, aut oculos non habens, sicut in Euangelio scriptum est. Sicut ergo extra regulam naturæ raro euenit, vt deformis nascatur; sic, & homo extra regulam naturæ raro procedit, vt dissimilis nascatur filius parentibus suis, &c. Nam sicut dicit Poëta 4. carminum: fortes creantur fortibus, & libr. 3. Ode 24. Dos est magna parentum virtus.

In quam sententiam facit Paulus 2. ad Timoth. cum Timotheum laudat, quod fidem à matre, & auia acceperit; quamuis natus patre gentili. *Recordationem accipiens eius fidei, quæ* 2. Tim. 1. num. 6. *est in te, non fictæ, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quod & in te.* Laudat igitur Timotheum Paulus à matre, & auia fidelibus, per quas fides illi erat quasi hæreditaria: simul tacitè stimulans, vt earum fidem,

fidem; & virtutem imitaretur; magnum siquidem incitamentum est ad virtutem pios nancisci parentes, maximè vero matrem, à qua tota filiorum educatio pendet, & disciplina, & à cuius vtero, ac visceribus bonam, vel malam indolem iuxta naturalia principia trahunt, & hauriunt. Vnde Nazianz. Orat.24. laudat Cęsarium fratrem defunctum à matre, quæ à parentibus, pietati, & Deo addicta, maritum (antea gentilem) & proles omnes sua pietate imbuit; adeo vt tam maritum quam filium ad Episcopatum euehi conspexerit, omnésque proles, scilicet, Gorgoniam, Cæsarium, & Gregorium ipsum, sanctos effecerit.

Est itaque naturæ regula vt filij parentum mores imitentur, & sequantur; vnde quia Cain desciuit à parentis virtute, non dicitur natus ad imaginem, & similitudinem illius, qui per pœnitentiam resipuerat, cum tamen de Seth dicatur, quod genitus fuerit ad imaginem parentis. *Vixit Adam*, inquit sacer Text. *centum, & triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocauitq; nomen eius Seth*; vbi Chrysostom. homil. 21. ante medium ait: Cum de priore loqueretur filio, Cain dico, nihil tale assignauit, nimirum iam antea significans illius in malum procliuitatem; & merito, non enim seruat paternos characteres, & mores, sed protinus ad malitiam confugit. Hic autem, inquit, secundum speciem, & secundum imaginem suam, hoc est, eorumdem morum, quibus ille, qui genuerat, & qui seruat paternos characteres, operibúsque paternos mores exprimit, neque enim de corporalibus lineamentis, & characteribus scriptura nobis differens hoc ait: secundum speciem suam, & secundum imaginem suam, sed de statu animæ, &c.

Genes. 5. num. 3.

Hinc est quod Tertull. in Apolog. cap.6. conqueritur de gentilibus quod res optimas maiorum suorum abiecerint, cum iuxta naturæ leges eas potius tenerentur sequi, & eorum facta imitari. Vbi Religio, inquit, vbi veneratio maioribus debita à vobis? Habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proauis renuntiastis. Laudatis semper antiquitatem, & noue de die viuitis; per quod ostenditur, dum à bonis maiorum institutis discedistis, ea vos retinere, & custodire, quæ non debuistis, cum quæ debuistis, non custodistis, &c. Hac etiam ratione in magnum dedecus obseruat Iosephus lib.6. Antiquit. cap.3. quod filij Samuelis à parentis vita, & moribus aberrauerint.

Aliquando vero in magnam ignominiam parentum corrupti filiorum mores cedunt, non enim possunt recti censeri, ac reputari ij, quorum filij à recta disciplina aberrant. In parentis iniuriam, & ignominiam refertur nomen illius mulieris, cuius filius blasphemauit nomen Domini. *Nomen matris eius erat Selomith.* Vbi Oleast. ait: Solent parentes propter impios filios male audire, & iuste, vt qui sua negligentia, non bene eos instituerunt, propter eos in populo notentur, sic ille visitatos ostendit filiorum mores pessimos parentibus maximè officere, siquidem nati solent maiorum mores imitari, & in bono, & in malo. Vnde Nazianz. Orat.22. ait: filiorum virtutes parentibus adscribere, æquissimum, & iustissimum est; & Boëtius lib.3. de Consolat. prof.6. ait: Si quid est in nobilitate boni, id esse arbitror, vt imposita nobis necessitas quædam esse videatur ne scilicet à maiorum virtute degenerent.

Leuit. 24. num. 11.

Hinc est quod acutè obseruat Plutarch. Non, scilicet, tum temporis nos

debere

debere reputare aliquem improbum, cum malè operatur, sed multo antequam operetur, vtpote qui impietatem ex vtero traxerit, & ab educatione hauserit, etiamsi nunquam antea, nisi oblata occasione, ostenderit; sic verò ille haber libr. de sera Numinis vindicta post medium. Fallimur qui planè tunc fieri existimamus iniustos, cum iniuriam inferunt; lasciuos, cum insolescunt; timidos, cum fugiunt: vt si scorpiis putes innasci, quando percutiunt, aculeum: & virus, quando mordent, viperis; quæ est cogitatio stulta, neque enim simul fit, & detegitur improbus: verùm ex incunabulis prauitate præditus ea vtitur occasione, & facultate oblata, furandi fur, iura violandi is, qui animo est tyrannico, &c. Et in hanc sententiam optimè dicit Hieronym. ad Eusthoc. Si tenuiter riuus fluit, non est aluei culpa, sed fontis; inde enim deducitur, & trahitur aqua, qualis, quantáque sit.

Videndus pro hoc argumento Chrysost. ad ea verba Pauli: *Saluabitur autem* (scilicet mulier) *per filiorum procreationem, si permanserint in fide, & charitate, & sanctificatione,* sic enim incipit: Audite ista parentes, ac prorsus aspicite, huiusmodi educationem magnorum præmiorum causam fore. Hoc denique etiam in consequentibus ait dum matrem admonet testimonium in bonis operibus habere, si enutriuit filios, id quippe & inter cætera posuit, neque enim parui meriti est indultos nobis à Deo liberos, ad ipsius exercere militiam, eíque ab ipsis infantiæ pannis dedicare. Nam si eiusce educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi sunt præmiis: quemadmodum si neglexerint, grauissimis cruciatibus. Nempe enim, & Heli propter filios periit: illos quippe in acrius coërcere debuisset, verbis tamen leuibus monuit. Quocirca, dum illis molestus esset seuera increpatione recusat, & illos, & seipsum vna perdidit. Audite hæc patres, vestrosque filios, in disciplina, & correptione Domini erudite summa cum diligentia, est enim iuuentus fera, plurimísque indiget institutoribus, magistris, pædagogis, asseclis, atque nutritoribus. Votíque res est, post adeò exactam diligentiam, eam continere posse, non secus, quàm equus quidam indomitus, veluti fera bellua. Huiusmodi quippe iuuentus est, si igitur illi ab ipsis statim initiis, atque prima ætate leges optimas imponamus, minimè posthac laborabimus: verùm consuetudo ipsa virtutis in legem transibit. Nihil eos agere permittamus ex his, quæ noxiè iucunda sunt, neque illis vt pueris indulgeamus: atque ante omnia illos in pudore, & sobrietate seruemus, quippe huic inimica libido omnium maximè huiusmodi turbat ętatem; magnum habemus, pretiosumque depositum filios, ingenti illos seruemus cura, atque omnia faciamus ne fur id nobis astutus auferat: nulla nobis possessio, nullus fundus æquè nobis charus esse debet. Quippe hæc omnia filiis quæruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quàm eorum, quorum illæ gratia comparantur, quod profecto absurdissimum, atque stolidissimum est, exerceamus igitur ad virtutem, & pietatem, molles filiorum animos, cætera omnia secundo loco quæramus. Nam siquidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur. Vis filium relinquere diuitem? Bonum illum, ac benignum esse doce. Ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt, horumque omnium

1. ad Timoth. c. 1. num. 15.

Mmmm merces

merces vobis reddenda est, & conuersus ad matres ait de filiabus. Curare solicitè vt domi iugiter sint. Ante omnia pias esse, religiosasque docete, aspernatique pecunias, exteriorisque ornatus contemptrices esse, atque ita demum nuptiis tradite: eas si ita constitueritis, non pias modo seruabitis, verum, & viros qui illas ducturi sunt: neque viros tamen, sed etiam filios, atque nepotes.

Præclara sunt quæ idem Chrysostom. habet tom. 5. toto lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, vbi optimum parentem circa educationem filiorum instituit, & inter alia sic ante med. ostendit quomodo à primis annis statim rectè sunt educandi. Si nos ipsi quoque (scilicet Episcopi) vigilare iubemur, tanquam pro animabus illorum rationem reddituri, id profecto multo magis patet, qui genuit, qui educauit, qui cum illo domi semper adinuersatur: vt enim in suis propriis delictis non valet quisquam se ad excusationis remedia conferre, ita ne in his quidem, quæ filij deliquerint. Idque B. Pauli probatur testimonio, cum enim illa sanciret cuiusmodi esse deberent quæ ad aliorum magisterium, & regimen assumerentur, inter cætera, quæ illis inesse necessario debere testatus est, etiam filiorum curam, & diligentiam annumerat, quasi nulla iam reliqua sit veniæ spes, si peruersi illi fuerint; & nimirum id quidem conuenienter. Nam si à natura ipsa vitia homines haurirent, & acciperent, posset aliquis excusationis se velamine obtegere: quoniam verò sponte, atque ex proposito, & probi, & improbi efficimur, quam tandem ille probabilem excusationem poterit ostendere, qui quem omnium maximè diligit, & charum habet, peruerti, & nequissimum, ac perditissimum fieri permittit, dum liceat, si velit, optimum, ac probatissimum facere, atque homo cum ex naturali affectu iugiter ad profectum liberorum auidissimè expetendum excitetur? An verò non potest? Nihil est quod illi minus concesserim. Nam quod eum tenerum acceperit, primúsque, ac solus omnem eiusce instruendi facultatem nactus sit, semperque domi secum continuerit, & bellissimè illum, & facillimè imbuere, ac moderari potuit. Itaque nulla alia ex ratione peruersi vt fiant liberi contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim, insaniunt; cum enim illa solum eis inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres, quod nemo tamen me commotius diceret, quam verius existimet, parricidis ipsis immaniores, sceleratioresque dixerim. Illi enim corpus ab anima disseparant, isti, & animam, & corpus æternis ignibus tradunt: vt seruus, & equus optimus, vestisque pretiosissima filio sit, omnia facitis: vt autem ipse bonus, & probus fiat, ne cogitare quidem vnquam vultis disertos filios, & liberalibus studiis excultos fieri, cum volumus, ea solum, quæ huic eruditioni impedimento esse possint, resecamus, verum cūcta quæ ad eam assequendā conferre possunt, sollicitè paramus, pædagogos, ac magistros, illis procurantes, sumptusque suppeditantes, eisque interius acclamantes, atque studiosius, quam in olympiacis certaminibus pædotribæ faciunt, inopiam, quam imperitia, copiásque, quas parit eruditio commemorans, cunctaque per nos ipsos, & per alios agentes ac dicentes, quibus illos ad finem destinati

studij

ſtudij perduci poſſe arbitramur. Et ne ſic quidem crebro voti compotes efficimur, mores verò optimos, & moderatos, conuerſationiſque præclaræ diligentiam, vltro illis prouenire arbitramur, quum tot, ac tanta ſint, quæ illa impediant, ac intercipiant. Et quid hac abſurditate dici deterius poſſit, ſi id quod leuiſſimum eſt, maximo & honore, & ſtudio dignemur, quaſi poſſibile non ſit aliter aliud adipiſci: quod verò longè difficillimum, & grauiſſimum eſt, id dormientibus contingere exiſtimemus, & vnum aliquid minimum, ac nullius æſtimationis, ac pretij; philoſophia namque animi, literarum eruditione, ſtudiiſque liberalibus tanto difficilior eſt, & operoſior, quanto facere, quàm dicere difficilius, operaque, quàm verba laborioſiora ſunt.

Optima ſunt, quæ in hanc ſententiam habet idem Chryſoſtom. homil. 1. de fide Annæ, & homil. 21. ad Epheſ. ibi: *Educate filios in diſciplina, & correptione Domini*, vbi inter alia ait: Quomodo non eſt abſurdum ad artes quidem mittere, & ad ludum literarium, & pro eo omnia facere: in diſciplina autem, & Dei admonitione nihil. Ne ergo hoc faciamus, ſed huic beato pareamus ſuadenti. Educemus eos in diſciplina, & admonitione Domini; demus eis exemplum ab ineunte ætate. Peperiſti filium, imitare Annam. Diſce quod illa fecerit, eum ſtatim deduxit in templum. Quænam veſtrum non maluerit ſuum filium eſſe Samuelem, quàm millies Regem totius orbis terræ? Et quomodo, inquit, fieri poteſt vt ſit talis? Quare non poteſt fieri? Quoniam non vis, nec eum tradis iis, qui poſſunt eum talem facere. Omnia nobis poſtponantur curæ filiorum, & eorum educationi in diſciplina, & admonitione Domini. Et in morali poſt medium, ait: Educemus filios in diſciplina, & admonitione Domini, & magna nobis reponetur merces. Nam ſi homines, qui Regum faciunt ſimulachra, & pingunt imagines tantum honoris aſſequuntur, nos qui regiam ornamus imaginem, Dei enim imago eſt homo, non bonis fruamur innumerabilibus, id reddentes, quod eſt ad ſimilitudinem? Nam hoc eſt ſimile, virtus animæ, quando filios erudierimus, vt ſint boni; quando vt non ſint ad oram prompti, quando vt ſint benefici, quando vt ſint benigni, quando erudierimus, vt nihili ducant præſentia. Hoc ergo noſtrum ſit opus, nos ipſos, & illos fingere ac componere, vt oportet. Alioqui, qua fiducia ſtabimus ante tribunal Chriſti? Nam ſi indignus eſt Epiſcopatu, qui filios non habet ſubditos: multo magis regno cœlorum. Magnam curam geramus, & vxorum, & liberorum, & famulorum, & noſtri ipſorum, & in nobis ipſis, & illis componendis Deum rogemus, vt ad eam rem nobis opem ferat. Si viderit nos hoc curare, & de hoc eſſe ſolicitos opem feret.

Præclara item ſunt, quæ in hanc ſententiam habet hom. 59. in Geneſ. Neque omittendus Clem. Alex. qui licet videndus ſit hac de re in tota ſua pædagogià, præcipuè verò lib. 2. cap. 10. in princip. vbi ait: Qui matrimonio ſunt coniuncti, iis ſcopus eſt, & inſtitutum, liberorum procreatio: finis autem vt boni ſint liberi: quæ verba ſic explicat Gentianus. Licet matrimonij ſcopus, & inſtitutum ſit liberorum procreatio, ea tamen non eſt finis matrimonij: nam cum finis ſit extremum ad quod referuntur omnia, non ſatis eſt dare operam liberis, ſed danda eſt etiam opera, vti boni ſint, qui ſunt procreati filij, quò fit, vt matrimonij

finis sit bonos habere filios, ad quod plurimum confert bona educatio. Sic ille.

Educatio itaque filiorum toties patribus inculcatur, vt ipsi nouerint proprium hoc munus eis esse iniunctum; hinc est quod Deuteronom. dicitur: *Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios, ac nepotes tuos*; & cap. 11. dicitur: *Ponite verba mea in cordibus, & inter oculos vestros collocate. Docete filios vestros, vt illa meditentur*, &c. Et Leuit. 23. habetur: *Habitabitis in vmbraculis septem diebus, vt discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël*; vbi satis congruenter pro re nostra ait Lorin. Debent parentes, legis, religionis, mysteriorum, fidei articulorum, causas, rationesque, familiæ suæ, quantum interest eos cognoscere, & capere possunt, declarare, atque quodam quasi Episcopi, & Doctoris officio fungi domi suæ; atque in ea Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implere officium, suos omnes admonendo, pro vita æterna, docendo, hortando, corripiendo, impendendo beneuolentiam, exercendo disciplinam, vt loquitur August. tractat. 5. in Ioann. imò tunc melius beneuolentia impenditur, cum exercetur disciplina.

Deut. 4. num. 9.

Deut. 11. num. 18.

Leuit. 23. num. 43.

Interest autem maximè si rectè institutio, & disciplina adhibeatur filiis à primis, & rudioribus annis, quo melius eis adhæreat, & adolescat, sicut bene prosequitur Hieronym. Epistol. ad Gaudent. de Educatione infantulæ pacatulæ post med. in hunc modum: Cum virgunculam rudem, & edentulam septimus ætatis annus exceperit, & cœperit erubescere; scire quid taceat; dubitare quid dicat. Sit ei magistra comes, pædagoga, custos; vt enim aqua in areola digitum sequitur præcedentem; ita ætas mollis, & tenera in vtramque partem flexibilis est, & quocumque duxeris, trahitur, &c. Trahitur, inquam, nec reuocatur, aut eradicatur facili negotio id, quod tenerioribus annis accipitur, quod possumus elicere ex titulo, quem Dauid præfixit Psalm. 45. *In finem, filijs Chore pro arcanis*, vbi Hieronym. vertit: *pro iuuentutibus*. Symmach. transtulit: *pro æternis*. Quid igitur significant huiusmodi versiones, aut quomodo poterunt cohærere, & conciliari: pro iuuentutibus & pro æternis? Non abs re videtur interpretatus ad nostrum institutum qui dixit, id in eo sensu esse intelligendum: quod arcana mysteria, sapientia, fidei doctrina, & morum disciplina, quæ filiis adhuc in rudiori ætate versantibus adhibentur, tanquam æterna, & inseparabilia eis adhærent, nec facile eraduntur, & sic quod pro arcanis filiis Choræ dicitur propositum, pro iuuentutibus explicat Hieronym. siue pro pueritiis; & quæ tum temporis filij à parentibus accipiunt, ea pro æternis reputat Symmach. tantum quippe interest si à prima ætate nati rectè à genitoribus instituantur; qua in re audiendus Lactant. lib. 7. de Diuino præmio, cum ait: Quia in pueris ingenia sunt mobilia, & ad percipiẽdum facilia: nam ea, quæ discunt, ita celeriter capiunt, vt non tum primum discere illa videantur, sed recognoscere, atque reminisci. Et Veget. de re militari cap. 4. ait: Non tantum celerius, sed etiam perfectius imbibuntur, quæ discuntur à pueris, & Quint. lib. 1. institut. Orat. cap. 12. ait: dociliora sunt ingenia priusquam obduruerunt. Vnde Apull. lib. 2. Floridor. eleganter dicit: senex psittacus negligit ferulam, quod etiam profectò posset dicere de adultis filiis, quibus non occurritur per doctrinã, &

Psal. 45.

& diſciplinam in prima ſtatim infantia; optimáque pro noſtro argumento dicit Senec. libr. 2. de Ira cap. 18. ad finem, quædam ad vniuerſam vitam pertinentia præcipientur: ea in educationem, & in ſequentia tempora diuidentur. Educatio maximam diligentiam, plurimúmque profuturum deſiderat, facile eſt enim teneros adhuc annos componere: difficulter reсeduntur vitia, quæ nobiſcum creuere, & Epiſt. 109. ante med. ait facillimè tenera conciliantur ingenia ad honeſti, rectíque amorem, adhuc docilibus iniicit. Manum veritas, ſi aduocatum idoneum nacta eſt, &c. Præclarè quid hac in re accidat expoſuit Baſil. in reg. fuſ. diſp. interrogat. 15. poſt med. petita ſimilitudine à cera, quæ quandiu mollis eſt, & tenera facilè à ſigillo comprimitur, & figuratur, & quam effigiem mollis excepit, poſtquam obdureſcit, diu retinet. Quamobrem, inquit ille, animus dum tener adhuc eſt, & ritu ceræ, quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcumque facillimè recipit, molliſſime cedit, confeſtim ab ipſo initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet, quod, videlicet, vbi poſtea rationis vſus acceſſerit, & habitum illum rerum diiudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate aſſuetus, nullo impedimento curſu putatur faciliore, cum & ratio quid expediat, & admoneat, & ad id ſequendum facilitatem præbeat conſuetudo, &c.

Debent itaque parentes liberos ſuos à rudioribus adhuc annis optima morum diſciplina imbuere, & potius velle quid à ſe diſcant, quàm ab aliis hauriant. Nam ſicut ex Ariſtotel. diximus parentes, qui filios erudiunt ſuos, multo honorabiliores ſunt his, qui ſolum generant: iſti enim viuendi; illi bene, beatéque viuendi auctores ſunt: iam vero quis tam ineptus fuerit parens, qui nolit potius beatam vitam filiis conciliare docendo, quàm mortalem tantum præbere generando? Idque etiam mente voluendum eſt, quod non tantum de filiis bene merentur parentes dum ſalubriter inſtituunt, ſed etiam apud Deum multum meritum ſibi comparant, ſicut Hieronym. ait Epiſt. ad Salui. poſt med. dicens: Non parui eſt meriti apud Deum bene filios educare, &c.

Licet autem hoc in loco parentum incuriam, & negligentiam, circa filiorum educationem incuſare, imo & deplorare, dum nihil minus videntur meminiſſe, quàm natorum diſciplinam, & mores, & quos ferarum, equorum ac mulorum optimos nutritores, acerrimóſque & accuratiſſimos nouimus magiſtros, quod merito carpit Chryſoſt. homil. 34. in Acta Apoſt. Deſides omnino circa natos ſuos reperimus; & cum aquilæ circa pullos ſuos volitent, vt ad volatum ad ſuperiora excitent, atque in arduis ponant nidum ſuum, vbi D. Thom. ait, vt pulli earum ſtatim nati conſueſcant in altis morari: rationales homines, imò in Eccleſia nati, & verſati filios educant eo modo, vt potius deſcendere doceant, & ad terram propenſos reddant ad centrum, ſcilicet, illius vbi inferorum ignis latet, vel potius viuos, illuc per morum incontinentiam properare faciunt, cum tamen meminiſſe deberent ad cœleſtia conditos ſuperna debere petere, & conſcendere. Et cum proprium ſit parentum natos à periculis eruere, imo pro filiorum incolumitate ſeſe periculis obiicere, plerique eo inſaniæ deueniunt, vt filiis terrenorum ſarcina deprimant, quo citius ad inferiora deſcendant, eíſque temporalia coaceruando, noua pericula conciliant,

Iob 39. nu. 30.

ciliant, ansámque præbent, vt magis in certamine inimici periclitentur sicut bene prosequitur Chrysost. homil. 8. ad Rom. in Moral. ante med. vbi loquens de diabolo ait: Impudens est, impunis, & quidem ab inferiori loco depugnans, sed tamen, vel sic victor euadit. Cuius rei causa est, quod studium nullum adhibemus, quo ipsi illius plagis altiores nos collocemus: neque enim ille potens est sese admodum sursum attollere, sed deorsum trahitur, serpentis formam gerens, quod si initio ordinanit sic illum Deus, multo magis, & nunc: qui si ignoras, quid tandem sit ab inferiori loco depugnare, tibi hic ego enitar pugnæ huius modum declarare. Quid igitur est ab inferiori loco depugnare? Nempe à rebus, quæ infra nos sunt, digladiari à voluptate, à diuitiis, denique à sæcularibus quibusuis rebus. Quapropter si quem ille videret volatu ad cœlum ferri, primum saltu eo vsque contingere haudquaquam potest, omne id aggressus, celeriter concidet: neque enim pedes habet, ne formides: non alas, ne terreare: supra terram trahitur iis, quæ in terra sunt, adhærescēs, igitur nihil quidquam sit tibi cum terra commune, ac nullo labore egebis: neque enim pugnam eam nouit, quæ aduerso vtrinque cornu geritur, sed veluti serpens spinis occultatur, intra diuitiarum imposturam assidue latens, qui si spinas incideris, &c. Cum igitur tale, ac tantum periculum sit inter diuitias, terrenáque bona versari, quid parentes tam solliciti filiis suis diuitias congerunt, idque faciendo bellorum occasiones comparant, & pericula nō vulgaria præparant? Cum potius arma eis suppeditare tenerentur nec inepta forent disciplinæ præcepta, morúmque documenta. Sicut bene ostendit Chrysost. lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ vbi inuehitur contra parentes, qui recta educatione exarmatos filios in certamen contra malignos spiritus ingredi permittunt.

Quod si paterna dilectione liberis diuitias quærunt, ne pauperem vitam degant, nullas profecto ditiores poterunt filiis diuitias relinquere quam morum disciplinam, legis Dei doctrinam, rectámque virtutum institutionem, & nutritionem, ea siquidem ratione videtur Salom. dixisse Prouerb. 2. *Fili si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris tua, &c.* vbi verbum, *abscondendi*, minimè vacat mysterio, quinimo thesaurum indicat, & pretiosam suppellectilem contentam in verbis doctrinalibus, & in præceptis moralibus; sicut enim illa sunt, quæ absconduntur, ne furibus pateant, & thesauris recluduntur, ne raptores deprædentur; sic & monitiones, ac præcepta quasi opes inæstimabiles censentur, eásque tempore, ac labore emptas deprehendo apud Laërt. lib. 6. cap. 6. vbi Metrocles dicebat: res alienas emi pecunia, & domum, & vestem, & alia; disciplinas autem emi tempore, atque labore. *Prouer. 2. num. 1.*

Hac sane mente pauperem se præ humilitate fatebatur Dauid cum virtutum suppellectilē apud se minimè contemplabatur. *Ego autem,* inquit, *mendicus sum, & pauper*; vbi Chrysost. ait: sciebat humana omnia esse vmbra imbecilliora, & nihil esse nobis virtute magis proprium, reliqua autem omnia esse similia foliis extrinsecus appositis, videndus idem Chrysostom. homil. 47. ad popul. vbi multa hac de re habet, inter alia vero ait: Etenim vestes, & aurum, & argentum, hæc quidem sunt vermium pensa, virtute autem indutus talem habet vestem, quam non tantum tineæ, verumetiam mors ipsa lædere nequit, *Psal. 9.*

nequit, & merito, non enim hæ animi virtutes ex terra originem trahunt, sed spiritus sunt fructus; propterea neque tinearum dentibus obnoxiæ sunt, &c. Facit etiam Clem. Alex. 6. Stromat. cum eodem sensu ait: Veræ quidem diuitiæ est abundantia in his, quæ sunt ex virtute actionibus, paupertas autem est inopia in moderatis actionibus. Notandus item venit Plutar. in vita Solonis vbi refert Crœssum iussisse Soloni ostendi thesauros, suppellectilem, magnificentiámque regiam. Ad postremum cum eum rogosset Crœssus num quempiam alium hominem se beatiorem, & locupletiorem vidisset, tum Solon se Tellum suum ciuem vidisse respondit, exposuit autem Tellum optimum virum esse, filiósque probatissimos à se educatos habere integerrimè, sanctissiméque institutos. En vbi Solon gentilis philosophus arbitratus est veros thesauros adesse, verámque felicitatem, nempe in virtute, honestatísque actionibus, iustitiæ operibus, & filiorum optima institutione.

Iam igitur elucescet cur optimus parens filio præceperit præcepta sua abscondere, & tanquam diuitias in thesauro recondere, cũ dixit: *Si mandata mea absconderis penes te*, thesauri quippe disciplinæ, & doctrinæ, animo recondendi sunt, non in arca, scrinióue iuxta illud Euseb. Emiss. homil. in natali vnius virg. in princip. cum ponderat parabolam de thesauro abscondito in hunc modum. Hunc thesaurum ille abscondit, qui mente retinet, corde diligit, & eius nunquam obliuiscitur; illud enim abscõdimus, quod charum habemus, & amittere timemus, hæc ille. Præcepta igitur paterna, tanquã chara, & pretiosa debent parentes filiis impertiri, & pro diuitiis, latifundiis, magnis hæreditatibus relinquere, hæc item filij plurimi æstimãtes tanquam pretiosos thesauros debent in animo recondere, & in corde abscondere, ne emittantur, aut qualibet occasione deprædentur. In quam rem facit D. Maxim. ser. 17. cum refert Euripidem Philosophũm conspicatum adolescẽtem quendã multos libros ementem, sic eum affatur. Non arcæ, ô adolescens, sed pectori; non enim doctrinæ locus arca est, sed pectus, & mens. Vnde alia versio ad eundem locum Prouerb. habet: *Si emeris sermones meos*, labore scilicet, ac tempore, sicut ex Metrocle diximus, intelligendúmque est tum ex parte parentis, qui docet; tum ex parte nati, qui discit; nulla siquidem doctrina acquiritur naturaliter absque tẽpore, & labore; proinde si taliter emeris paternos sermones, & Dei mandata; debes ea abscondere, non quidem in arca, scriniόue, sed in animo, corde, ac pectore, cũ paterni sermones pretiosi sint opes, & thesaurus desiderabilis, & ideo Prouer. 4. dicitur: *Suscipiat verba mea cor tuum*: Symmach. *Teneat verba mea cor tuũ*. Chald. *Apprehendat verba mea cor tuũ*: aliqui ex Hebr. *Sustentet verba mea cor tuum*. LXX. *Firmetur noster sermo in corde tuo*, quæ lectiones non solum indicant firmitatem in seruandis parentum monitis, sed alludere videntur ad puerorum, ac iuuenum inconstantiam, de qua Aristotel. 2. polit. ait: Inquieta est, ac mobilis iuuenum mens, & animus semper fluitat; hinc igitur fit, vt iuniorum animis difficilius obfirmetur, & stabiliatur doctrina; & cum eis potissimum à primis statim initiis stillanda sit disciplina, iuxta ea, quæ superius diximus, ideo Salomonis parentes ei dicebant: *firmetur noster sermo in corde tuo*, ne fluctuans, & iactatus vnquam decedat. Nisi forte allusio sit in his verbis

ad

Matt. 13.

Prouer. 4. num 4.

ad fallaces diuitias temporales, quæ facile sibi assumunt alas, facilius euolant, facillime euanescunt, & tamen pro eis retinendis frustra desudant homines, iugitérque laborant. Hi igitur maiori cum ratione debent veras doctrinæ diuitias à parentibus traditas *suscipere*, cum nostra vulgata, *tenere*, cum Symmacho, *apprehendere*; cum Chald. *sustentare* cum Heb. atque in corde *firmare* cum LXX. idque parentes etiam debent monere filios, dum instruunt, in morum probitate, virtutúmque disciplina veras diuitias consistere, proindéque tanquam thesaurum recondere, & veluti pretiosas opes detinere.

Quoniam vero nihil melius pro præsenti argumento adduci potest quam locus Saluian. lib. 1. ad Ecclesiam statim post princip. eum totum hic transcribendum duximus. Vrget igitur parentes, qui pignorum amore ducti innumerabiles eis diuitias acquirunt. Quasi vero, inquit, quicumque patres sunt, nisi diuites fuerint, patres omnino esse non possint, & amare filios suos, sine opum multiplicatione non valeant, aut vero, virtus ac medulla affectuum, auaritia, & cupiditates sint: quia scilicet (vt illi putant) sicut corpus sine medulla, sic amor sine cupiditate esse non possit. Quòd si ita est: omnis absque dubio pietas mali causa est, neque in ea sensus sunt affectuum bonorum, sed incentiua vitiorum. Et vbi illud sacrum diuinæ authoritatis oraculum. *Pietas ad omnia vtilis est?* Hoc enim modo non solum non ad omnia vtilis, sed pene in omnibus insalubris. Si enim generatrix cupiditatum est, plus in se multo malorum continet, quam bonorum, secundum illud Scripturæ sacræ: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Itaque si radix malorum est cupiditas, atque ex pietatis matrice gignitur, & quasi viroso eiusdem lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendenda, quæ ex pietate parente nascitur, quam ipsa pietas, ex qua talis filia procreatur. Quo fit, vt si tam pestilens est pietas ac tam nocens, vt nec amare expediat, nec amari: quia nec parentes amorem debent appetere sibi noxium, nec desiderare filij parentibus obfuturum: quamuis ille non parentibus tantum, sed etiam filiis morbum ferat: quia & illis grauis est, qui perniciosas capiunt hæreditates: & illis qui inter improbissimos quæstus improbi educantur hæredes. Et hinc est quod penè omnes parentibus suis filij non magis in patrimonia, quam in vitia succedunt, nec magis facultates paternas sumũt, quam prauitates, ac si transeuntes semper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam, quam substantiam possidere. Et est ratio cur hoc fit: bona enim parentum non nisi mortuis eis possident: viuentibus autem adhuc & valentibus mores. Ac si priusquam in dominio suo habere incipiant res paternas, habent in animis ipsos patres: & antequam habeant illa, quæ falso dicuntur bona, habent illa, quæ verè probantur mala. Quid ergo? Cum hæc ita sint, interdicere forsan parentibus filiorum videor affectum? Minimè. Non solum enim amandos dicimus filios, sed præcipuè, ac per omnia amandos, nec quicquam his omnino anteponendum, nisi Deum solum. Quid ergo est, aut quomodo amandos dicimus filios? Quo, absque dubio, nisi quo Deus ipse constituit? Neque enim est vllus melior filiorum amor, quam quem ille docuit, qui ipsos filios dedit: neque possunt pignora melius amari, quam si in eo ipso, à quo data sunt, amentur. Quomodo igitur Deus amari filios iussferit, non dico ego, dicat sermo ipse diuinus,

d[illegible]ius, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur; vt tradant mandata Dei filiis suis, *vt ponant in eo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant*; alibi quoque: *ad vos*, inquit, *patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Videris quas parari opes à parentibus filiis Deus iubeat, non pecuniarios thesauros, nec graues metallo aureo saccos, habentes quidem multum pōderis, sed plus tamen iniquitatis: non superbas, ac præeminentes excelsis vrbibus domos, non supra humanos visus, & lata culmina, nec inserta nubibus aëreo habitatore fastigia: non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstiment, & vicinitatem, iniuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in seruilia terrenæ procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca sunt, quæ mandat, sed salutaria: expedita, sed sancta: præcepto parua, sed fructu grandia: scripto breuia, sed beatitudinis sempiterna. *Parentes*, inquit, *nolite ad indignationem prouocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini*, idest, edocti à vobis, & informati: *vt ponant*, scilicet sicut Propheta dixit, *in Deum spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant*. En quales diuitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem, scilicet, ac timorem Dei, modestiam, sanctimoniam, disciplinam, non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca: cum enim Deus viuorum sit, non mortuorum, rectè illa parari filiis iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur. *Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra, thesaurisate autem vobis thesauros in cœlo.* Duo thesaurorum genera monstrantur: vnum, scilicet, quo filiis thesaurizant patres, aliud quo sibi: Filiis quomodo? Vt erudiant illos officio, ac timore diuino. Sibi quomodo? Vt thesaurizent sibi thesauros in cœlo: merifice, scilicet, vt quia pecunia caduca res est, disciplina immortalis, & omnes fermè parentes plus amēt filios quàm seipsos, sibi cōferant bona caduca, filiis sempiterna, ac sic & pietati suæ consulant, & saluti cum duplici, atque immortali bono, & per ea, quæ æterna sunt, æternos esse filios suos faciant, & ad conquirendā sibi beatitudinem & ea, quæ naturaliter caduca sunt, bonis operibus in æterna conuertāt: quid ergo æstuas paterna pietas? Quid ad conquirenda terrena, & peritura distenderis? Nihil maius præstare filiis potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non necesse est ergo vt filio tuo terrenos thesauros recondas: nulla re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris. Sic ille ostendit quātum conducat parentibus filios bene moratos relinquere, & de disciplina, morumque integritate prouidere.

Psal. 77.

Ephes. 6.

Neque tantū teneræ adhuc ætatis filij instituendi sunt, & doctrina imbuendi, sed etiam grandiores adhuc coërcēdi, ac supplicio, si opus fuerit, afficiendi; quod videtur docuisse Salom. cum ait: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit*: vbi pro virga LXX. habent: *baculum*, & ita legit Cyprian. testim. cont. Iud. 3. Ambr. Epist. 7. & Hieron. in Zach. & vox Hebr. *Sebet*, baculum significat. Filij igitur quādiu in pueritia sunt, flagellis coërcentur; cum verò adoleuerunt, virga, aut baculo. Ergo Salom. seniorem parentem, qui iam præ ætate baculo innititur, monet, vt cum iam filij adulti fuerint, & Prou. 13. num. 24.

 propterea

propterea flagellis verberibusque inepti, baculo tamen adhuc tundat, & compescat: *qui autem diligit illum, instanter erudit.* Hebr. *Qui amat illum, diluculo quærit ei castigationem.* Iansen. ibi. Manè quærit castigationem, id est, non ex ira, sed animo sedato illum punit. Rodolphus verò suaderi existimat, vt filiorum instituendorum cura, relictis omnibus, anteponatur: nam pater, qui castigationem filij aliis negotiis præmittit, illius salutem, ante omnia sibi cordi esse apertè ostendit. Ex Rabbinis alter filios diluculò puniendos vult, vt matutina illa castigatio per integrum diem in officio contineat, vel fortè existimo ideo diluculò castigandum filium adultum, cum scilicet adhuc in lecto decumbens dormit, tunc enim non euadet, nec manus punientis patris effugiet, qui interdiu facilè vel baculum imminentem tenebit, vel se pedibus à supplicio subducet.

Nulla igitur ratione licet parentibus castigationem prætermittere; licet autem filiorum amor, insania quædam sit, imo, & ebrietas, sicut ait Chrysost. homil. 4. in 2. ad Corinth. post med. vbi loquens de eo statu, ad quem peruenit Dauid propter infantem, quem susceperat ex Bethsabee ait: Non pro peccato, sed pro puero adhuc affectu in illum ebrius. Quod adhuc eleganter dixit Naziáz. carmine Nicobuli patris ad filium, cum beneficium appellauit amorem filiorum: Philtro, inquit, natura patres in prole ligauit; quod possumus elucidare ex Ouid. cum dicit: Philtra nocent animis, vimque furoris habent: vbi recolenda sunt quæ superius de Philtro diximus. Licet item tam connaturalis sit patribus, congenitúsque amor filiorum, sicut prosequitur August. serm. 52. de temp. post princip. dicens: non laudandus est, qui amat filios suos, sed damnandus est, qui non amat filios. Amant filios feræ, amant leones, nulla est bestia, quæ non filiis suis blandè murmuret: nam cum terreat homines, paruos fouet. Fremit leo in filios, vt nemo transeat. Intrat in speluncam, vbi habet filios suos, omnem rabiem feritatis exponit: foris eam ponit, cum ipsa non ingreditur. Ergo qui non amat filios, etiam leone peior est; quibus similia habet serm. 59. in med. & Aristor. 8. Ethic. cap. 12. ait: Parentibus vita liberorum chara est atque sua: quinimo teste Paccato Orat. ad Theodos. instituente natura, filios plusquam nos ipsos diligimus. Vnde Iurisconsultus Paulus in L. isti quidem, ff. de eo, quod metus causa, ait: quod parentes magis in liberis, quàm in seipsis terreantur: ex quo textu desumptus est mos apud iudices, prius torquendi filios, quàm parentes, vbi vterque crimen negat.

Etsi igitur talis, tantúsque sit filiorum amor, parentesque vrat, & inflammet, sicut patet ex 3. Reg. vbi de vera matre pueri illius, quem diuidi iusserat Salom. dicitur: *Commota sunt viscera eius super filio suo*; vbi 3. Reg. 3. num. 26. apud Ioannem Marian. ex Hebr. habetur: *Calefacta sunt*, scilicet ex amore erga filium, *viscera matris*; alij ex Hebr. vertunt: *incaluerunt*, vel *exarserunt pietates eius*: vbi Vatablus ait, inflammata fuerant viscera eius amore erga filium: semper tamen amor in filios probari debet, & ostendi in corrigendis, coërcendis, obiurgandísque filiis: nam sicut bene aduertit Augustin. Falluntur teneri erga filios, parentesque existimant lædere paternam pietatem, si illos corripiant, vrgeant, & castigent, cum potius dilectis filiis admodum noceant, si absque correptione dimittant. Sic verò ille habet tom. 2. Epistol. 5. ad Marcell.

Marcell.post med. Agenda sunt multa etiam cum inuitis, benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius vtilitati consulendum est, quàm voluntati, quod in principe ciuitatis luculentissimè illorum literæ laudauerunt: nam in corripiendo filio, quamlibet asperè, nunquam profectò amor paternus amittitur; fit tamen quod nolit, & doleat, qui etiam inuitus, videtur dolore sanandus: nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur, quoniam nihil est infœlicius fœlicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluptas velut hostis interior roboratur. Dum igitur parentes filios corripiunt, increpant, reprehendunt, ac, si opus fuerit, vulnerant, veram dilectionem impendunt, veros etiam se patres esse testantur.

Probat, & ostendit hanc doctrinam Chrysost. homil. 29. in Genes. post med. in Noë, dum improbum filium Can euulgantem parentis pietatem, ac per consequens ebrietatem acerrima maledictione in nepote perculit, & corripiendo puniuit, dicens: Attende hic quomodo paternam pœnam profert, quæ tamen emendatio potius erat, quàm pœna; pater enim erat, & clemens pater, neque iuxta pœnam volebat inducere, sed ita, vt vlteriori malitię obesset. Ideò, ait, in seruitutem te condemno, vt iugem, & indelebilem habeas facti memoriam. Sic ille probat optimum parentem eum, qui iustè filium corripuit, puniuit, & in posterum compescuit; atque hoc faciendo parentes de proprio officio commonefecit, vt scilicet natos puniant, corripiant, & doceant, ad illos siquidem spectat filiorum doctrina, veritatemque fidei enucleare, sicut in præsenti testatur Ezech. dum ait: *pater filijs notam faciet veritatem tuam.*

Genes. 9. num. 27.

ANNOTATIO II.

Quod diuina bonitas plus tribuit quàm promittit, & quàm à nobis petatur.

NObis in expositione literæ visum est non melius posse explicari versionem L X X. iuxta quam Ezechias se patrem à Deo constitutum, filios edocturum de diuina veritate pollicetur, cum tamen ei per Prophetam nihil de posteritate habenda fuerit dictum, quàm si dicamus inde rectè intulisse quod diuina liberalitas non mutila, & imperfecta beneficia consueuerit elargiri; & licet Rex pro vita fuerit deprecatus, nihil tamen magis in votis habebat, quàm filium accipere, & procreare, à quo oriundum Messiam posset expectare. Cum ergo Deus Ezechiæ per Prophetam vitam ad quindecim annos misericorditer addiderit; ille bene de Dei clementia auspicatus, & de futura prole insimul certus, asserit se patrem tandem filiorum à Deo redditum, filios se instituturũ in Dei doctrina, & veritate. Qua in re Ezechias testatur diuinam beneficentiam, non ad mensuram conferre bona; sed cum dat, affluenter excedere voces, votaque precantium, vt correspondeant potius beneficia diuinæ immensitati, quàm postulãtium paruitati, sicut bene prosequitur Chrysost. homil. 40. in Genes. ante med. vbi ponderat Deum plus Abrahamo contulisse, quàm ipse postulauerat; rogauit siquidem Deum pro incolumitate filij Ismaëlis, quem ex ancilla susceperat, dicens: *Vtinam Ismaël viuat coram te.* Genes. 17. & ait Deus ad Abraham: *Sara vxor tua pariet tibi filium,*

Gen. 17. num. 18.

filium, vocabisq́; nomē eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Israël quoque exaudiui te. Ait ergo Chrysost. vide excellentem promissionem, & magnitudinem eius, qui promiserat, Dominus omnino accumulatè volens beneficia, & excedere amplius, quam petiuerat, quoniam mentem iusti erexerat, & per ea, quæ promisit, ferè iuuenem ex sene fecerat, & eum, qui mortuus erat, vt ita dicam, verbis fœcundarat, beneficiis eum largissimis prosequens. Sic ille pro obtinendo filio Dominum enixè precabatur, Anna precésque mul-
1. Reg. 2. tiplicabat, Prophetam verò accepit,
num. 13. & dum vnum tantum filium postulabat, tres filios, & duas filias peperit. Vbi videndus erit Chrysost. hom. 2. de Anna.

Dan. 9. Daniel cum orationibus, preci-
num. 21. bus, ieiuniis, sacco, & cinere, orans Deum tempore Babylonicæ captiuitatis, pro illuminatione, ac reparatione sanctuarij ciuitatis, & populi Israëlitici, cum instanter orasset, & peccata propria, ac populi confiteretur, Angelus Gabriel ei apparuit tempore sacrificij vespertini; quando ieiunantium mentes magis eleuantur, & deuotius orant. Quæ quidem Gabriel postquam reddidit Danielem attentum, propter arduitatem dicendorum, dicendo ei hæc verba: *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo Domini: ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu autem animaduerte sermonem, & intellige visionem:* & reuelauit ei Deum in carne venturum, quod nec sperare posset humana fragilitas, nec postulare auderet: hoc igitur expendens Paulus Burg. 1. part. scrutinij dist. 3. cap. 3. ante medium ait: Deus ex abundantia suæ bonitatis non solùm merita supplicum excedit, sed etiam orationum vota, sæpe enim plus dat, quàm ab eo petatur, quod ipse probat ex loco Genes. 17. à nobis allato.

Num. 17. iussit Deus ex qualibet tribu vnam assumi virgam inscriptam nomine illius tribus, cuius erat, omnesque poni in tabernaculo pro electione Summi Pontificis. *Quem* Num. 17.
ex his elegero, germinabit virga eius. Se- num. 5.
quenti die regressus Moyses inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & surgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. Vbi aduertit Origen. Deum tantummodo promisisse, quod virga illius, qui eligendus erat, germinatura esset, at diuinæ pietatis affluentia plus concessit, quàm promiserat, quasi parum esset, quod antea dixerat, etiam se ipsum excedit, quid non superet petitiones nostras cumulando? Sic verò habet Orig. homil. 9. in Numer. post med. Attendite diligentius, si fortè possimus, liberalitatem Dei largiorem, etiam ipsis suis promissionibus edocere, si fortè ex iis illam ineffabilem pietatem Dei, quæ in Scriptura litera semper tegitur, rimari, atque inuestigare potuerimus cum eum largiorem in præstando, quàm in promittendo, videamus. Igitur sermo Scripturæ, de qua nunc loquimur, ita habet: *& erit*, inquit, *homo quemcunque elegero, virga eius germinabit.* Hoc est solum, quod promisit Deus, vt virga eius, quem elegerit, germinet. Vbi verò ad rem venitur, vt quod promissum est ostendatur impletum: nō vnum illud, quod promissum fuerat, effectum dicitur, sed vide quanta addantur. Ait enim: *Ecce germinauit virga Aaron in domo Leui*, & est hoc vnum, illud sine dubio, quod fuerat promissum, sed addantur, & alia, & dicitur: *& produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces.* Cum ergo de solo germine fuisset promissum,

vide

vide quanta largitur Deus, non solum germen produxerit, sed & frondes, & non solum frondes sed & flores, & germinauerit, vnde non solum flores, sed & fructus. Tantum Orig. ex cuius doctrina institutum colligimus quoniam licet Deus Ezechiæ vitam superadditam promiserat, de more, plus addit, nempe, & prolem, vsque adeo à Rege concupitam; solet siquidem diuina liberalitas in largiendo, seipsam excedere, & superare, in promittendo, vt plura conferat, quam pollicetur.

Prosequitur hoc argumentum Basil. in regulis fusioribus, vbi ostendit plus Deum hominibus contulisse, quam promiserat, nam Filium Dei hominem futurum pollicitus est, sed beneficij modus longe excessit illius magnitudinem. Auget, inquit ille, miraculi magnitudinem, beneficij modus, siquidem; *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens,* & infirmitates nostras tulit, & languores nostros portauit, & pro nobis vulneratus est, vt nos liuore eius sanaremur: & à maledicto nos redemit, factus ipse pro nobis maledictum, & ignominiosam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam denuo vitam reuocaret. Neque verò satis hoc illi fuit quod ademptam nobis vitam reddidisset, quin, & diuinæ naturæ consortium, dignitatémque est elargitus, locáque, in quibus perpetua frueremur quiete, præparauit, vbi quæ futura est lætitiæ magnitudo, cogitatione à nemine potest comprehendi. Sic ille ostendit Deum hominem factum plura hominibus contulisse, quam promiserit dum se hominem tantum futurum esse prædixit.

Promisit olim Deus Zachariam patrem Baptistæ permansurum mutum vsque in diem ortus filij. *Ecce,* inquit, *eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant;* quibus in verbis consequenter pollicitus est eodem die vocem, & loquelam iterum redditurum; sed longe maiora restituit, quam promiserat, nam de illo dicitur. *Zacharias repletus est Spiritu sancto, & prophetabat dicens: Benedictus Dominus Deus Israël:* vbi Ambros. pro nostro argumento ait: Vide quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis. Non solum ablata restituit, sed etiam inspirata concedit. Ille dudum mutus prophetat; hæc enim gratia Dei maxima, &c. Excedit itaque diuina bonitas promissiones suas, & plus confert quam pollicetur; vnde non mirum, si Ezechias certus de diuina beneficentia, dum sibi prorogatam vitæ vsuram audit, in simul credit sibi à Deo concedendam prolem, quam summopere exoptabat.

Luc. 1. nu.20.

Luc. 1. nu.67.

Deum verò plura nobis largiri quam rogetur, bene ostendit Paulus Ephes. 3. cum ait: *Ei, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus.* Græcè ad verbum habetur; *Ei, qui potest super omnia facere ex abundanti super ea, quæ petimus, aut intelligimus,* idest, talem habemus Dominum qui possit facere (imò qui consuescat facere) omnia eximie, melius, amplius, & abundantius, quam petamus, aut intelligamus. Hæc igitur est Dei indoles, natura, & munificentia, quam bene describit Hieronym. tom. 1. Epist. ad Ruff. cum ita incipit. Plus Deum tribuere, quam rogatur: & ea sæpe concedere, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, licet ex sacrorum ministerio voluminum ante cognouerim, tamen in causa propria nunc probauit Ruffine charissime, &c.

3. Reg. nu. 3 5. Nu. 10. Salomoni dixit olim Deus. *Postula quod vis, vt dem tibi*, & ait Salomon. *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo.* Dixit vero illi Deus. *Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti diuitias, & substantiam, & gloriam, neque animas eorum, qui te oderant, sed nec dies plurimos: petisti autem sapientiam, & scientiam, vt iudicare possis populum meum, super quem constitui te regem, sapientia, & scientia data sunt tibi: diuitias autem, & substantiam, & gloriam dabo tibi.* Vbi Tertull. libr. 4. contra Marc. cap. 5. ait: Quia permissa sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam; meruit etiam diuitias consequi, quas vnde magis voluit. Sed ad rem præsentem Serar. bene aduertit, quam cum incremento Deus Salomoni benefecerit dicens: Deus promisit, non tantum, quod petiit, sed idipsum maximo cum auctario dupliciter; primo, sapientiam, non certis illis officij terminis astrictam, sed multo latius patentem, & maiorem aliorum sapientia. Deinde alia etiam, quæ non petierat, diuitias, gloriam amplissimam, & vitæ diuturnitatem, &c.

Aduertit hanc Dei naturam, & munificentiam Augustin. libr. 2. de serm. Domini in monte cap. 12. post princip. tom. 4. in eo quod Christus Dominus promiserit plura adiici quærentibus regnum Dei, cum ait:
Matth. 6. nu. 33. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Sic ergo habet Augustin. non ait vtique quærite primùm regnum Dei, & deinde ista quærite, sed hæc omnia, inquit, apponentur vobis: scilicet etiam non quærentibus, &c. plura siquidem largitur Deus vltra petitiones nostras. Rogabat olim perditus filius parentem, vt eum in numerum mercenariorum assumeret: *Non sum dignus*, inquit, *vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Luc. 15. nu. 19. At pater *videns eum à longe misericordia motus cecidit super collum eius, & osculatus est eum, & dixit ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum aureum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius, & adducite vitulum saginatum, &c.* Vide quanto plura largitur, quam postulauerit filius nequam. Vbi Chrysolog. serm. 12. ad finem ait: Paterna pietas contenta est innocentiam reparare solam nisi pristinum restituat & honorem. *Et date calceamenta in pedibus eius*; ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis: *& adducite vitulum saginatum*, communis vitulus non sufficit, nisi fuerit pinguis, nisi fuerit saginatus: vitulus pinguis testatur paternæ pinguedinem charitatis, &c. Proinde igitur pinguiora tribuit, & cumulatiora largitur beneficia, qui affluentissimam habet charitatem, & beneficentiam.

Videndus idem Chrysolog. serm. Luc. 7. nu. 36. 105. post princip. cum póderat Pharisæum rogasse Christum Seruatorem, vt cum illo manducaret, plura tamen concessisse eundem Dominum, nempe, vt Pharisæus eundem Dominum, quem pro cibo sumendo rogauerat, manducaret, & cibo æternæ vitæ vesceretur. Sic vero habet: Rogas Pharisæe, vt manduces cum illo: crede, esto Christianus, & manduces ex illo. *Ego sum*, inquit, *panis, qui de cœlo descendi.* Semper Deus maiora tribuit, quam rogatur: nam se manducandum dedit, qui rogabatur, vt manducandi secum fiduciam largiretur, & tamen hoc dedit, vt illud, quod postulatus est, non negaret, &c.

Vnam tantummodo recordationem sui postulabat crucifixus simul cum Christo Domino, latro confes-

sus

ſus dicens: *Domine memento mei*, & vberiorem conſequutus eſt diuinæ pietatis affluentiam, dum illi ait pientiſſimus Dominus: hodie mecum eris in paradiſo, ſicut proſequitur Ambroſ. libr. 10. in Luc. ad dicta verba. Vberior, inquit ille, eſt gratia, quam precatio; ſemper enim plus Dominus tribuit, quam rogatur: ille enim rogabat, vt memor ſui eſſet Dominus cum veniſſet in Regnum ſuum, Dominus autem ait: *Amen, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Sic ille cumulatiorem oſtendit Dei largitatem, petitione latronis pendentis in cruce.

Seruus ille tanto debito conſtrictus, procidens ante Dominum orabat eum dicens: *patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, miſertus autem Dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Plura vtique conceſſit Dominus, quam ſeruus rogauerat, ſicut bene proſequitur Chryſoſtom. homil. 27. in Geneſ. poſt med. cum ait: Vidiſti miſericordiam Domini? Ille procidit, ſupplicat, orat, vt longius ſibi tempus præfiniatur. Longanimis eſto in me, inquit, & omnia tibi reddam. Sed bonus Dominus, miſericors, noſtrique curam agens, ſupplici bene volens, non ſolum, quantum petiit, ſed quantum ne cogitare quidem auſus fuit, dedit. Is enim eius mos eſt, vt vincat, & præueniat petitiones noſtras. Illo itaque orante, vt ſeueritatem Dominus remitteret, & promittente ſoluturum ſe omnia: Dominus bonitate ſua vincens noſtra delicta, miſericordia motus, dimiſit eum, fœnúſque totum ei dimiſit. Vidiſti quod ſeruus orauerit, & quantum ei Dominus remiſerit. Similia habet hom. 62. in Matth. vbi explicat dicta verba in hunc modum. Perſpexiſti mirabilem exaggerationem miſericordiæ, dilationem ſolummodo temporis, ac propagationem quandam ſeruus poſtulauit, ille autem multo magis, quam petiit, videlicet totius æris alieni dilationem vltro præbuit, &c. Tanta itaque eſt Dei largitas, & beneficentia, vt plura conferat, quam rogetur, maiora largiatur, quam polliceatur, vnde mirum non eſt ſi facta pollicitatione de longiori tantummodo vita, vlterius crediderit Ezechias diuinitus ſibi concedendam prolem, ſupra vitæ promiſſionem, cumulatiora ſiquidem ſunt diuina beneficia, quam ſit eorumdem promiſſio.

Matt. 18. num. 26.

***

TEX

TEXTVS XI.

Nu. vlt. *Domine ſaluum me fac, & Pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.*



OSTQVAM Ezechias dixit ad viuos ſpectare Dei laudationem, non ad mortuos, qui edita voce, & aſſumptis muſicis inſtrumētis minimè poſſunt diuinas laudes proſequi; id tandem proponit, ac pollicetur futurū, quod ſi ſaluus, incolumiſque euadar vel à morbo, quo affligebatur, vel ab hoſtibus, quibus premebatur, vt alij volunt; quandiu ipſi vita ſupereſſet, Dei templum conueniret, vt diuinis laudationibus adeſſet.

Hebr. habetur. *Dominus ad ſaluandū, vel ſaluare me* (ſcilicet affuit) *& cantica mea cātabimus omnibus diebus vitæ noſtræ in æde Domini.* LXX. *Domine ſalutis meæ, & non ceſſabo benedicens tibi cum pſalterio omnibus diebus vitæ meæ in conſpectu domus Dei.* Aduertendum igitur eſt quod infinitiuus Hebræus pro imperatiuo ſumi poteſt ad ſaluādum, vel ſaluare, pro ſalua; quod noſter interpres dixit; ſaluum me fac, aut quod ſit nota genitiui, & infinitus pro nomine, vt LXX. acceperunt: ad ſaluare, pro ſalutis meæ.

Domine ſaluū me fac. Dionyſ. mente, & corpore, ab omni malo præterito, præſenti, & futuro, ſic ſimiliter le-
Ierem. 17. num. 14. remias 17. *ſana me Domine & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es.* Interlinearis gloſſa habet. Ergo, vt nexus iſtius verſiculi cum ſuperiori ſit, quia viuus tantum te poteſt laudare, & veritatem, ac iuſtitiam tuam notam facere poſteris ſuis: conſequens ſane videtur, vt me ſaluum facias ab Aſſyrio, & morte animæ, & corporis, quo tuas laudes deinceps proſequar, celebraréque faciam.

Pſalmos noſtros: videlicet diuinas laudes, ob aſſecutā à nobis liberationem, *cantabimus*; ſingulare fuit beneficium, ſed communis vouetur laus, vel quia ita conſueuit gratus iuſtorum animus, qui parum reputat ſi ipſe tantum laudes, & comites non habeat, & quærat diuinæ confeſſionis; & qui aliena bona, propria plerumque exiſtimat, vt pro illis grates reddat, quid mirum ſi in ſe beneficio affectus cæteros hortetur, & conuocet ad reddendas gratias diuinæ bonitati? Vel etiam communes pollicetur laudes quia iuſtum profecto erat, vt pro communi liberatione ab hoſtibus, omnes ſimul conuenirent ad reddendas Deo grates; vel quia pro addita vita regi debebant ſubditi ſimul cum eo gratulari.

Cunctis diebus. Dionyſ. certis, ac debitis horis ſingulorum dierum. Lyran. in aliqua parte dierum ſingulorum. Aduertit autem Dionyſ. dixiſſe: *cunctis diebus*, quia in bono perſeuerandum eſt vſque in finem; ſola enim virtutum perſeuerantia eſt, quæ coronatur ſicut alibi diximus ex Ber.

In domo Domini. Promittit ſe decantaturum diuinas laudes, per miniſtros, ſcilicet, ad id deputatos, in domo Domini, vbi eſt locus deputatus orationi, & Dei commendationi, & ſic

& sic oratio & laudatio, cæteris paribus, & magis exaudibilis & acceptabilis in templo, quàm alibi, & maximè in templo à Salomone extructo, in quo Deus promiserat exauditurum inuocantes homines, nec minori cum ratione gratias reddentes.

ANNOTATIO I.

De gratitudine pro diuinis beneficijs.

Nihil magis videtur Deus ab homine voluisse, quàm gratitudinem, & diuinorum beneficiorum recognitionem, qua sanè ratione asserit Gregor. Nyssen. lib. de hominis opificio hominem à Deo conditum. Creauit, inquit, Deus hominem vt haberet cui faceret bene, & de quo assiduis muneribus præclarè mereretur; fieri enim non posse videtur vt homo, cui Deus tot beneficia confert, gratias agendo, eadem non rependat, cum nihil tam conueniat homini, quàm gratias Deo referre, sicut prosequitur Chrysost. tom. 3. homil. in dictum Ioannis. *Veniet hora*, &c. vbi ita ait: Innumera beneficia Dei, quibus per momenta perfruimur, si iugi meditatione, animo, & sermone reuoluimus, inueniemus, nihil tam congruere nobis, quàm continuare preces, narrare laudes, prædicare virtutes, atque in eius Maiestatis cultum tota animi veneratione, & obsequio semet deuouere, &c. Videndus idem Chrysost. homil. 32 in cap. 12. Genes. vbi, loquens de grato Abramo, ait: Sciebat manifestè quod nihil aliud requirebat ab humano genere Deus vniuersi post innumera, & ineffabilia beneficia sua, quàm animam gratiarum actioni studentem, & scientem fateri gratiam pro iis, quæ iam aderant, &c. Hinc est quod D. Augustin. aduertit ea maximè ratione Lazarum se verè resuscitatum ostendisse, & probasse, cum rediuiuus Christo Domino gratias egit, hoc siquidem est proprium munus, & officium hominis. Sic verò habet Augus. serm. 52. de verbis Domini in fine. Inuolutis linteis egreditur: surgit, ambulat, currit, & ne quid quisquam deesse diceret resurgenti, præsentibus cunctis, agit gratias Redemptori, &c. Quandiu enim homo pro beneficiis gratias non agit, verus & integer adhuc homo censeri non potest. In quam sententiam facit id, quod Ambros. de fratre suo ait, ipsum nempe diuino beneficio è naufragio, & tempestate liberatum, ad Dei templum statim confugisse, vt ibi gratias Deo ageret, idque faciendo se iam viuum, & liberatum ostenderet, sic enim habet de obitu fratris. Negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei Ecclesiam requisiuit, vt ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ maius esse officium. Quod si homini non referre simile homicidio iudicatum est, quantum crimen est non referre Deo? Sciuit omnium seruatori suo gratiam esse referendam. Sed quia referre poterat, habere poterat, est enim huiusmodi gratiæ vis, vt & cum refertur, habeatur, & habendo, referatur. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem, &c.

Quoniam verò, & hoc est hominis bonum, & quod Deus ab homine exigit, nota animæ Deo placentis est gratitudo sicut prosequitur Chrysost. homil 4. de Pœnitentia, cum ait: Animæ venerabilis est, Deumque cõtinuo præ se ferentis, & ipsam post liberationem tentationum in obliuionem minus cadere; quod Iudæi

ſæpenumero paſſi ſunt, &c. Optima ſunt, quæ habet Ambroſ. lib. de Noë, & arca cap. 22. ponderans verba illa: *Ædificauit Noë altare Domino*; vbi ipſe legit: aram Deo; inter alia verò, quæ iam ad Cant. Moyſis attulimus, ait: Quod ædificauit, inquit, Deo, & non dixit Domino, ſed Deo, ſecundùm nominis interpretationem, non coacta videtur hæc actio eſſe gratiarum, quaſi Domino, ſed virtus iuſti morigera, & grata, quaſi Deo; quod imperiale eſt, ſequeſtrauit, quod beneficij nominauit. Sic ille in Noë probat ſpontaneam gratitudinem, quæ multo gratior eſt apud Dominum. Sed dum ille gratum ſe præbet Deo potius, quàm Domino, vt probet non vi elicitam gratitudinem ſuam, quæ benignum potius Deum reſpicit, quàm potentem Dominum. Audiamus Paulum monentem vt gratias agamus Deo, & Patri; *Gratias*, inquit, *agentes ſemper pro omnibus Deo & Patri*; vbi Caſſianus Collat. 9. c. 14. ait: Gratiarum actio de beneficiorum Dei, & magnitudinis, ac pietatis eius conſideratione generatur; ſed pro re præſenti rectè Cornel. à Lapide expendit iis verbis voluiſſe Paulum nobis inculcare rationes ob quas tenemur gratiarum actioni incumbere. Iubet, inquit Cornel. vt gratias agamus Deo, & Patri, vt duos titulos innuat, quibus Deo ad gratiarum actionem obſtricti ſumus. Primus eſt, quod ſit Deus noſter, à quo corpus, animam, gratiam, & bona omnia accepimus. Secundus quod ſit Pater, qui paterno affectu nos quaſi filios ſuos omnibus ſuis bonis paſcit, & inebriat. Sic ille oſtendit gratias libenter agendas Deo, & Patri, quod optimum in gratitudine obſeruat Ambroſ. citatus; nam ſicut rectè ponderat Seneca lib. 3. de Benef. cap. 7. cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinit eſſe honeſta, ſi neceſſaria eſt: non enim magis laudabit quiſquam gratum hominem, quàm eum, qui depoſitum reddidit, aut quod debebat, extra iudicem ſoluit. Non eſt glorioſa res gratum eſſe, niſi tutum eſt ingratum fuiſſe, &c. Sicut igitur qui depoſitum, quod acceperat, aut quod debitum petierat, non ſoluit niſi iuſtitiæ vi adactus, non bene audit, ſic & qui gratum ſe exhibet, dum non poteſt non ſe exhibere: quod adhuc magis aperit idem Seneca lib 4. de Benef. cap. 18. cum ait: ingratum voco quiſquis metu gratus eſt; gratitudo ſiquidem voluntaria eſſe debet, non excuſſa, aut adacta; vbi recolendum eſt id, quod ipſemet Seneca aduertit; magnitudinẽ, ſcilicet, beneficij poſſe quidem obruere gratum hominem, qui licet vereatur ſe poſſe gratiam pro tanto munere reddere, tamen tum temporis ſe gratum potius profitetur, cum linguis à gratitudine remanere aſſerit, hoc ille probat eleganter in Furnio erga Auguſtum Cęſarem lib. 2. de Benefic. in hunc modum. Multo magis Cæſarem Auguſtum demeruit, & ad alia impetranda facilem ſibi reddidit Furnius, quã quod cum patri Antonianas partes ſecuto veniam impetraſſet, dixit, hãc vnam Cæſar habeo iniuriam tuam; effeciſti vt viuerem, & morerer ingratus. Quid eſt tam grati animi, quàm nullo modo ſibi ſatisfacere, nec ad ſpem quidem exequendi vnquam beneficij accedere? Quj gratus futurus eſt, ſtatim dum accepit, de reddendo cogitat; quæ ſanè extrema verba difficiliora fortaſſis videbuntur ſi alia conſulamus eiuſdem libr. 4. de Beneficiis cap. vlt. vbi ait: Quidam cum aliquod illis miſſum eſt munuſculum, ſubinde aliud intempeſtiuè remittunt, & nihil ſe debere teſtantur. Reiiciendi genus eſt, protinus aliud inuicem mittere, & munus

nus munere expungere. Si igitur gratus omnino deprehenditur ille, qui statim ac accipit beneficium, de reddendo cogitat, quomodo ille reprehenditur, & ingratitudinis incusatur ille, qui acceptum statim remittendo soluit? Sanè qui munus munere remisso expungit, gratus non est, cum gratiam non fateatur, imò ne gratiam reddat, debitum soluit, & beneficium non agnouit, qui onus beneficij quàm citissimè excutit, & cum prima pensio gratitudinis sit gratè beneficium accepisse, sicut acutè obseruat idem Seneca lib. 2. de Benef. cap. 21. dicens: qui gratè beneficium accepit, primam eius pensionem soluit: qui fieri igitur potest vt gratè accipiat beneficium, qui statim illud à se excutit, & dum illico soluit, à se repellit?

Quoniam verò ingratitudo ex obliuione plerunque oboritur, imò ipsa accepti beneficij obliuio, ingratitudo est; iuxta illud Senecæ lib. 3. de Benef. cap. 1. vbi ait: Qui beneficium accepisse se negat, quod accepit, ingratus est; ingratus est, qui dissimulat, ingratus, qui non reddidit, ingratissimus omnium qui oblitus est: vbi vides non solùm ingratum, sed ingratissimum dici illum, qui accepti obliuiscitur. Vnde ipse Seneca nolebat consumi id, quod alteri tribueret, sed vt perpetuo duraret integrum, sic enim fieri posset, vt gratus permaneret ille, qui acciperet. Sic verò habet lib. 1. de Benef. c. 12. Pauci sunt tam grati, vt quod acceperint etiamsi non ident, cogitent. Ingratis quoq; memoria cum ipso munere incurrit, vbi ante oculos est, & obliuisci sui nō sinit, sed authorem suum ingerit, & inculcat. Eo quidem magis duratura quæramus, quia nunquā admonere debemus: ipsę res euanescentem memoriam excitent: libentius donabo argentum factum, quàm signatū: libentius statuas, quam vestem, & quod vsus breuis deterat. Apud paucos post rē manet gratia. Plures sunt, apud quos nō diutius in animo sunt donata, quàm vi vsa. Ergo si fieri potest, consumi munus meum nolo: extet, hæreat amico meo, & conuiuat. Sic ille. Quem Iustus Lipsius ibi in notis suis sic explicat, cum ait: libentius donabo argentum factum, quàm signatum: in vasis, inquit Lipsius, statuis, ornamentis quidem manet: signatum in pecunia, facilè dissipatur & abit. Cæterum dum Senecam contemplor in beneficiis conferendis adeo sibi prospicientem, vt videatur potius gratiam sibi præstolari, quàm commodum illius, cui beneficium cōfertur, & cui magis proderit plerunque argentum signatum, quàm factum: & dum factum potius largitur, quàm signatum sibi cōsulit plus, quàm alteri opituletur: video ipsum sibi contradicere, dum lib 4. de Benef. cap. 13 ait: Beneficium eius commodum spectat, cui præstatur, non nostrum: alioqui nobis illud damus. Itaque multa, quę summam vtilitatem aliis afferunt pretio gratiam perdunt. Mercator vrbibus prodest, medicus ægris, &c. Sed omnes isti, quia ad alienū commodum prō suo veniunt, non obligant eos, quibus prosunt. Sic ille ostendit minimè beneficum esse, qui se potius respicit, vt gratiam redditam accipiat, quàm eum, cui beneficium confert, vt illi prosit: accedit quod ipse item ait lib. 1. de Benef. c. 1 eodem animo beneficium debetur, quo datur: qui igitur beneficium confert, vt gratiam aucupetur, & gratitudinem eliciat, profecto gratiam ipsam non meretur. At non est cur damnemus Senecam de gratitudine tam benemeritum, & de beneficiis optimè differentē, proinde ipse solicitus de amicorum gratitudine, obliuioni remediū quærebat, ea scilicet

ſcilicet, conferendo, quæ vſu minimè contererentur, ſed perpetuo durarent, quandiu enim collata beneficia ante oculos verſarentur, fieri non poſſe videbatur, vt ingratitudo obreperet, quæ ex obliuione acceptorum plerumque conſuerit ſuboriri.

Hæc eſt ratio cur olim patres veteris teſtamenti diuinis beneficiis nomina, aut ſigna impoſuerint, quo illorum memoria ſemper apud eos vigeret, promptoſque ad reddendas Deo gratias redderet, ſicut alibi latius ſumus proſecuti, modoque ſatis ſit quod Agar cum Dominus illius

Gen. 16. miſertus eſt Geneſ. 16. vocauit nomen putei viuentis, & videntis, vbi Oleaſt. ait: Puteo nomen beneficij impoſuit, quod etiam ſuperius admonuimus: omnia volunt iuſti ſibi beneficia Dei referri: quo, ſcilicet, illorum memoriam recolant; & pro eis gratias agant, imo ſicut ibi Caietan. ait: ipſa nominatio eſt agnitio beneficij, ac gratiarum actio. Videndus in hanc ſententiam Cornel. à Lapide Gen. 35. vbi aduertit Liam nomina impoſuiſſe filiis, quæ teſtarentur ipſam gratam, & deuinctam eſſe diuinis beneficiis. Notent, inquit, matres, & imitentur pietatem, ac gratitudinem Liæ, quæ perennem memoriam beneficij ſibi à Deo dati, puta prolis, in nomine ipſius prolis conſtituit, vt quoties prolem videret, & nominaret, toties recordaretur, & gratias ageret diuinæ erga ſe beneficentiæ. Sic ille oſtendit gratam Liam, quæ ne gratitudini deeſſet, voluit ſibi ſemper præſentia adeſſe diuina beneficia. Sic etiam Moyſes primum filium appellauit Gerſam dicens: *Aduena fui in terra aliena.* Alterum verò vocauit Eliezer dicens: *Deus patris mei adiutor meus.* vbi Lippoman. ait: Hoc exemplo primo admonentur parentes, vt liberos ſuos aſpiciant, non vt impij, tanquam irritamenta auaritiæ, ſed tanquam monumenta diuinæ beneficentiæ, & excitentur ad gratiarum actionem. Sancti itaque beneficiorum Dei memoriam perennem inſtituunt ſibi nominibus filiorum, vt quandocunque liberos aſpicerent, diuinorum beneficiorum recordatione permouerentur ex nomine. Hæc ille.

Et ſanè cum nihil magis curæ ſit iuſtis, quàm gratiam ob accepta referre, etiam hominibus, omnia inquirunt media ne Deo deſint in referenda gratia. Aduertit optimè in hanc ſententiam Chryſoſt. id maximè torſiſſe iuſtum Dauidem in præmatura morte amici ſui Ionathæ, quod ſcilicet citius diſceſſerit è vita, quàm gratiam pro acceptis beneficiis eidem Ionathæ licuerit referre, ſic enim habet lib. 3. de Prouident. loquens de nece Ionathæ, & de planctu Dauidis. Qui patrem illius inſidiatorem ſuum, atque inimicum ita fleuit, & lacrymatus eſt: quid paſſus exiſtimetur, cum illum, qui ſibi in illis periculis ſemper adſtiterat, ac ſæpiſſimè patris inſidiis eripuerat, ſecretorumque ſuorum particeps fuerat, quicum pacta plurima, ante vitam defeciſſe, cognoſceret, quam illi acceptorum beneficiorum vicem reſtituere valeret? Sic Chryſoſtom. oſtendit Dauidem id maximè doluiſſe in morte tam benemeriti amici, quod non potuerit vicem, aut gratiam pro tantis beneficiis referre.

Nec mirum ſi tam grati ſunt iuſti pro acceptis, quando & pro aliorum bonis gratias referre conſueuerunt, ſicut ait Chryſoſt. homil. 2. in Epiſt. ad Rom. in princip. ad illa verba: *Primum quidem gratias ago Deo pro omnibus vobis:* conueniens, inquit Chryſoſt. Beatæ illę animę non ſolùm pro propriis,

propriis, sed etiam pro alienis successibus, ac rectè factis gratias agentes, quod quidem animam ipsam ab inuidentia, ac malignitatis morbo liberat, &c. Similia habet idem Chrysost. lib. 2. de Compunctione cordis tom. 3. Hic est affectus, inquit, serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ cõmuniter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita esse putet, &c. & homil. 2. in 1. ad Corinth. loquens de B. Paulo ait ad illa verba; *Gratias ago Deo meo.* Ex magna affectione rapit, quod commune est, & facit sibi proprium: vnde Prophetæ sæpe dixerunt: *Deus Deus meus, &c.* Plura habet idem Chrysost. homil. 9. in Genes. & homil. 26. & homil. 34. & Nicetas in Orat. Greg. Naziáz. in sancta lumina. Quomodo ergo deficient in reddendis gratiis iusti, qui tam solicitos se pro aliis in gratitudine præbent?

Tob. 5. Cum Angelus Raphaël comitem viæ Tobiæ iuniori se exhibuit, secum pariter canem detulit, qui gratitudinis symbolum habetur, vt qui socium pro itinere habebat Angelum, gratitudinem etiam sibi associaret, neque melius posse haberi putaret, quam si quocũque abiret se gratum ostenderet, & testaretur: vbi videndus est Ambros. lib. 6. Examer. c. 4. cum ait: Canem Raphaël non otiosè sibi, & Tobiæ filio adiũgendum putauit; memori enim affectu gratiæ pellitur dæmonium, stabilitur coniugium. Et paulo post. Mutæ speciei bestiæ sanctus Raphaël Angelus Tobiæ iuuenis, quem ruendum receperat, ad relationem gratiæ erudiebat affectum. Quis enim non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre; cum videas etiam bestias refugere crimen ingratæ? Et illæ impertitæ alimoniæ seruant memoriam, tu non seruas salutis acceptæ? &c. Vbi notandus venit locus ille de stulto Nabal, cuius serui sic conuenire Abigail eius vxorem dicentes: *Considera, & recogita quid facias, quoniam completa est malitia aduersus virum tuum*; loquebantur autem de ingratitudine, qua benemeritis Dauid, & militibus eius noluit gratiam referre, & postulata concedere; & hoc appellant completam, & cumulatam malitiam; quasi nulla maior reperiri queat. Hinc est quod Philippus Rex Macedoniæ lib. 4. de Beneficiis c. 3. inuento ingrato hospite, cum eum vellet vltimo afficere supplicio; illi affigi iussit hanc inscriptionem: hic est ingratus, reputans nullam maiorem posse reperiri pœnam, quam si ingratus haberetur. Hinc etiam est quod Athenienses, referente Alex. ab Alex. libr. 5. genialium cap. 1. ingratum plectebant capitis abscissione; ea verò illorum mens erat in huiusmodi supplicio; quod scilicet caput ingratum non supra humeros elatum deferri merebatur, sed potius humi proiectum, pedibus omnium conculcari. Et cum Dei beneficia sint sine pœnitentia; tantum scelus est ingratitudo, vt ipsummet Deum benignissimum pœnituerit fecisse hominem, postquam ipsum tantis beneficiis ingratum deprehendit, & sane ingratitudinis circumstantia grauius, & detestabilius constituit peccatum, & dignum aduersus quod omnia supplicia accumulentur, qua de re videndus est August. serm. 15. de verbis Domini. *1. Reg. nu. 25.*

Postquam Ieremias in cap. 8. retulit ingratitudinem populi Iudæorum aduersus benefactorem suum Deum, tandem concludit: *In tempore furoris tui abutere eis*: vbi Hieronym. ex Hebr. legit: *In tempore furoris tui fac in eis*: neque explicat quid facere deberet Deus ingratis hominibus, vel quia quantumcumque faceret Deus, ac plecteret, & puniret, adhuc maiora *Ierem. 18. nu. vlt.*

& grauiora merebantur supplicia; vel quia nihil inuenit Propheta, quo promeritam soluerent pœnā, & ideo peculiare supplicium minimè ausus est assignare; quod possumus elucidare ex eo, quod Athenienses cum omnibus criminibus pœnas assignauerint; ingratitudini nullum omnino apposuere supplicium; quippe qui tanto sceleri nullum æquiualens inuenerint.

Facit in hanc sententiam id, quod obseruat Bern. serm. 11. in Cantica; Deū, scilicet, cum posset facili negotio, & alia via mundum redimere, quin Filius Dei carnem assumeret, & pro hominibus ignominiosam mortem pateretur, hunc modū redimendi inuenisse diuinam bonitatē, vt ab hominibus pessimum ingratitudinis vitiū longe, latéque relegaret, cum vidissent, quanta Verbum in carne pro eis liberandis sustinuisset, nō poterat enim non gratus esset Redemptori homo, à quo pretio magno fuerat emptus. Non valuit, inquit Ber. Deus opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum, atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionē vltra reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominē debitorem teneret, commoneretque gratiarū actionis difficultas redemptionis, quem minus esse deuotū fecerat conditionis facilitas. Sic ille ostendit quantum malum sit ingratitudo, pro qua abolenda tanta passus est Filius Dei, vt ex difficultate remedij nobis innotesceret malignitas morbi.

Et certè si hominum animos excruciat ingratitudo, cur diuinam bonitatem in homines longè excellentiorem non exacerbabit? Loquens D. Chrysost. lib. 2. de Prouidētia post princip. de laboribus, quibus Abrahæ animus exercitatus fuerat, & ad virtutum profectus euectus, inter cæteros, quam à nepote Loth perpessus fuerat ingratitudinem, recenset, in hunc modum. Cum is, qui seruatus ab eo fuerat, tātisque per illum potitus commodis, quem sibi cedere per omnia, pastorésque suos increpare decuerat, hic optione posita fertiliorem sibi regionem elegit, incultam illi, ac deteriorem relinquens. Quis, oro, facile ferret, non dico detrimentum, sed iniuriā, cum videret se, qui honorasset, parum gratè, atque honorificè tractari? Id, quod omni detrimento grauius censetur. Sic ille ingratitudinis acerbitatē in homine benemerito exaggerat: quæ animum ad intimum vsque excruciat, & adurit. Prosequitur hoc ipsum idem Chrysost. lib. 3. de Prouid. post princ. in Moyse dum ingratum experitur eum, quem ab inimico Ægyptio liberauerat in hunc modum. Durum, ac molestum est à quouis homine lacessiri maledictis: verùm cum beneficiis quispiam affectus beneficia exprobrauerit: *Nunquid occidere me tu vis, quemadmodum Ægyptium heri occidisti?* Tunc iam efficitur ea contumelia intolerabilis. Hæc Chrysost. qui dum intolerabilem probat ingratitudinem, ostendit, quantum malum sit, & omnem prorsus pœnam excedere. *Exod. 2. num. 14.*

Probat insuper idem Chrysostom. quod intendimus citato loco in Dauide, qui Saulem semper ingratum est expertus, vt in malo ingratitudinis, seu in hoste ingrato acerbiorem experiretur inimicū, quam in certamine cum Gigante sustinuerat, grauiora siquidem sunt vulnera ingratitudinis, quam hostilis gladij. Cum clarissimam illam, inquit Chrysost. admirabilémque victoriam adeptus esset, vehementiorem deiecto Goliath inuenit inimicum Saül, eum scilicet, quem minimè debuerat, cum à se

à se beneficiis omnibus affectus esset. Neque enim palam aduersus eum præliebatur, sed amantium sibi personam assumés, ipsiúsque honoribus, & dignitati prospicere se velle simulans, ita aduersum illum immaniora inimicis omnibus moliebatur. Porrò quam graue sit, quam molestúmue pro bonis mala recipere, audire licet beatum Propheram lamentantem iugiter, & ægrè ferentem, ac dicentem. Si redduntur mihi mala pro bonis, illud erat molestissimum, illud lacrymis, & lamentatione dignissimum. Hæc Chrysost.

Acerbissimum profectò fuit Dauidi à Deo electo in Regem in tantam deiectionem deuenisse, vt ei necessarium fuerit pro seruanda vita, 1.Reg.21. num.13. *immutare os suū coram Achis, & seruis eius, collabiq, inter manus eorum, & impingi in ostia porta, ita vt defluerent saliua eius in barbam*; quis hoc non imitaretur maximè, si nouisset qualis, quantúsque vir esset ille reputatus insanus? At illum in tam aduersa fortuna plus torquebat ingratitudo Saulis, quam deformitas assumpta, & insania reputata, dum secū voluebat ad eum infimum statum deuenisse propter ingratitudinem Saulis, quam tot præclarè gestis sibi promeruerat, sic enim habet citatus Chrysost. Cum ad Achis profectus insanum se simulans concideret, versarétque oculos atque spumæ plurimum ex ore demitteret: longe profectò amplius cruciabatur, quam illi, qui reuera corripiuntur à dæmone, cum secum reputaret, in quam ille se necessitatem deduxisset, quem summis beneficiis foueret. Cum itaque sic torqueat, vrgeat, & vrat hominum animos ingratitudo, ea sanè grauior est erga Deum, proindéque illum accendit, & acuit erga ingratos, sicut multis prosecuti sumus ad Canticum Magnum Moysis.

Quod si pulchrum est, & decorum rebus etiam insensibilibus gratiam vtcumque referre, & ab illis seruatū se exhibere gratum; fœdissimum vtique, & quouis supplicio dignissimū erit omnium Creatori ingratum existere. Qui percutrerit plagas Ægypti, inueniet quod etsi Moysi dixerit Dominus illū percussurum virga aquam fluminis, vt verteretur in sanguinem: tamen statim illi præcepit, & dixit: Exod.17. num.17. *Dic ad Aaron, tolle virgam tuá, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarū, vt vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni terra Ægypti.* Non vacat igitur mysterio quod cum Moyses tulerit Exod. 9. num.23. virgam, extenderítque in cœlum, vt Deus daret tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: & iterum extenderit Moyses virgam Exod.10. num.12. super terrā Ægypti, vt locusta ascenderet super terram Ægypti: rursum Moyses horribiles tenebras triū dierum induxerit super Ægyptum: cum Exod.10. num.22. tamen ad cōuersionem aquæ in sanguinem peruentū est, id Aaroni, non Moysi faciēdum committitur, rationem reddit Abulens. in c.7. Exod. petitam quidem ex Hebræis, qui dicūt: quia Moyses liberatus fuerat de aquis, vt patet ex c.2. Exod. Et ideo non erat rationabile quod percuteret aquas: vbi vides ingratitudinem esse contra rationem, ac per consequens nihil magis rationi conueniés, quam gratitudinem: sed proh dolor! quod nihil certius in homine reperitur, quam ingratitudo, sicut prosequitur Saluian. libr. 1. de Prouident. post med. cum ait: Generale fermè est omni homini, vt Deo semper ingratus sit, insitóque hoc, & quasi natiuo malo se cuncti inuicem vincunt, vt beneficiis Dei detrahant, nec debitores se esse cognoscant, &c. Cum verò Deus in irrationalibus abominetur,

netur, imo & suo modo puniat ingratitudinem, multo acriùs in rationales ingratos desæuiet.

Mirũ profectò videtur, quod cum Moyses referat totius mundi creationẽ, meminit statim cœli, & terræ, cum hæc inter elemẽta crassior sit, & inferior, & cum ignis inter elementa sit nobilius, à Moyse tamen omittitur, & nulla illius fit mentio. Pulchrã huius rei rationem reddit pro nostro argumento Rupert. lib. 1. in Genes. c. 8. Quia ignis, inquit, sterilis est, & infœcundus, & nihil in se, vel ex se gignit, propterea de hoc elemento nõ iniuria siletur. Sic ingratus multa in se collata beneficia deuorat, nihil omnino redonans, aut referens, nec minimam quidem gratiã pro maximis rependens; dignus proinde, qui veluti in symbolo ex numero creaturarum Deum iugiter prædicantium excludatur; at cœlum in hæc inferiora influens perpetuo voluitur terram fœcundans, & dũ minimè quiescit pro terrenarum creaturarũ commodo, & fœcunditate, nihil inde proficit, aut accipit; terræ item ideo Moyses meminit, quia gratos animos adumbrat & refert; vnde Ambros. lib. 1. offic. c. 31. ait: Imitanda nobis est natura terrarum, quæ susceptum semen multipliciori solet numero reddere, quam accepit: & paulo post. Terra autem spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiori cumulo refundit, ac reddit vtrumque debes quodammodo hæreditario iure parentis, &c. Ignis itaque non meminit Moyses à Deo afflatus, quia ingratum significat, quem Deus summoperè abominatus execratur, & nec nominari coram se vult, quasi sibi omnino ignotum.

Vnus ex decẽ leprosis, quos Christus Seruator sanaturus misit ad Sacerdotes, *Vt vidit quia mundatus est, reuersus est cum magna voce magnificans* *Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens: respondens autẽ Iesus dixit: nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?* Vbi Glossa sic habet. Ingratos quasi ignotos, vbi sunt inquirit Dominus; quasi à Deo, qui omnia in se nouit, non cognoscantur, qui beneficia diuinitus sibi collata, non recognoscunt. Optima in eandem sententiam. Bern. serm. contra vitium ingratitudinis de ingratis loquens ait: Saluator in Euangelio nouem illos leprosos vbi sunt inquirit, quoniam longe est à peccatoribus salus, sic & primum hominem (ingratum item) vbi sit interrogat. Fœlix, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo gratiarum, qui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur, & cætera, quæ pro hac re elegantissimè addit. Et quia Deo ignoti sunt ingrati, ideo à nostro conuictu arcere voluit omnem prorsus ingratitudinis notam: etenim Leuit. in cap. 11. dicitur. *Hæc sunt, quæ de auibus comedere non debetis: omnes coruini generis in similitudinem suam*; vbi Hesychius ob ingratitudinem, & defectum amoris repulsam huiusmodi auem existimat; noluit siquidem Deus, cui summè displicet ingratitudo, vt huius symbolum apud nos adesset, aut in victum cederet, ne forte inde ingratitudinem vtcumque hauriremus.

Luc. 17. num. 17.

Leuit. 11. num. 15.

Quoniam vero ingratis maximum supplicium est ingratitudinem confiteri, dum ingratus extitit coruus Noë, qui in arca eum à diluuio incolumem reddiderat, & emissus ab arca pro renunciando statu diluuij, minimè rediit, eum Eliæ seruitio mancipauit, vt ingratus solueret panem, & carnem afferendo, qui non rediit ad Noë, cui gratus debuit referre gratiam, redeundo, & annun-

Genes. 8. num. 7.

annunciando quæ inuenerat. Vbi Author de mirabilibus sacræ Scripturæ apud Augustini. libr.2.ait: Vt culpam in diluuio commissam purgaret in terra, & fieret fidelis minister eius, qui negligens, & fallax antea fuerat Noë. Quod si Deus ingratitudinem, neque etiam in auibus impunitam patitur, quantum existimandum est supplicij reddet ignorantibus benefactorem, is, qui ingratos solum videtur nosse, vt puniat?

Potuit ingrata auis in Noë discere gratitudinem, dum à Deo monitus præuenit quid pro gratiarum actione Deo afferret post diluuium, etiam ante diluuium, dixit enim illi Deus.
Genes.7. num.2. *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, masculum, & fœminam.* Vbi sacri Interpretes inquirunt an iusserit Deus tolli totidem fœminas, & masculos, ex quibus quatuordecim constarent; an tantum septem coalescentibus ex masculis, & fœminis à Deo colligi iussis? & quidem Iustinus Mart. q.43. ad Orthodoxos putat septena, & septena esse intelligenda, quod ex masculis essent septem, & totidem ex fœminis. Caietanus verò existimat tantum iussisse Deum vt ex masculis, & fœminis pariter septem in arcam introduceret. Sed adhuc inquirendum superest, cur præter tria binaria, quæ ad generationem, & multiplicationem videbantur necessaria, vnum insuper animal arcam ingrederetur? Hieronym. in Epist. ad Gernutiam de Monogamia ait; id iam tum temporis protendisse duplicem Ecclesiæ statum coniugalem, scilicet, in binariis, in singulari verò virginalem. Sed ad rem nostram ipsum audiamus lib.1. aduersus Iouinianum, cum ait: Bina ingrediuntur immunda, & septena, quæ munda sunt, vt haberet Noë post diluuium, quod de impari numero statim posset Deo offerre. Similia ibi habet Caietanus: vt intelligeremus ad hoc septimum quoque reseruatum vt offerretur Deo in holocaustum. Voluit itaque Deus vt post diluuiũ haberet Noë victimam, quam sine propagationis dispendio in gratiarum actionem Deo immolaret, & qui ingratitudinem ante egressum arcæ expertus est in coruo, gratum se exhiberet Deo Seruatori.

Neque verò melius potuit nobis innotescere quanti apud Deum fiat gratitudo, quàm si idemmet Deus gratiarum actionis magister existeret Patriarchæ. Quod etiam ponderat Guilielmus Paris. libr. de lege cap.2. vbi ait; offerri solita in veteri lege animalia bouem, ouem, & capram, quia victui humano maximè necessaria erant, & vestitui, vt etiam titulo gratitudinis offerrentur Deo, atque à Deo dum ea præcipit Deus sibi immolari, quæ nobis vtilia sunt, docet vtique nos pro commodis, & bonis acceptis Deo gratias referre: & qui sacrificia docuit, & magni facit, quanto pluris æstimet gratitudinem docet Philo libr. de Victimas offerentibus cum ait: Quanto aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata victima. Dum ergo victimas quærit, præcipit, & accipit; nihil magis intendit quam gratitudinem in eis inuolutam, & insinuatam, quæ victimas Deo acceptabiles reddit.

Hinc iam intelligetur cur Deus in magnis beneficiis mundo, & hominibus collatis semper voluerit adesse aliquem, aliquósve qui pro eis gratias agerent, & diuinam bonitatem recognoscerent, docentes nos referre Deo gratias, gratósque semper existere. Nondum apparuerat, nec ab vtero Matris Virginis

exierat Filius Dei factus homo, & iam habuit gratulantem, & exultantem in vtero matris Ioannem Bapt. qui eo modo, quo potuit se gratum præbuit Saluatori in vulua adhuc latitanti. Natus in præsepio Reges habuit ab Oriente venientes, qui eum adorarent, & nomine totius gentilitatis gratias pro tanto beneficio referrent; oblatus in templo laudatores, imo gratulantes habuit Simeonem, & Annam. Denique dum in Cruce se pro nobis Patri obtulit, Matrem etiam habuit offerentem, vt Æterno parenti Deo referret summam gratiam, pro summa, & copiosa redemptione; & dum hoc ita disposuit Dei prouidentia, prouidos nos esse voluit in reddendis Deo gratiis pro acceptis beneficiis, hoc siquidem testimonium est quod à Deo acceperimus beneficia, si eidem gratias agamus, sicut aduertit Augustin. serm. 28. de verbis Apost. ante finem, vbi ait: Obsequium sanatorum testimonium Conditoris est: vnde sponsa cæteras sodales excitabat ad reddendas gratias pro acceptis beneficiis dicens: *Adiuro vos filiæ Hierusalem vt suscitetis, & excitetis*, &c. quo in loco Theodoret. ait: Cum sponsa frueretur sponso, & experimento delitias eius degustaret, non solum illa inuitat, sed cogit: adiuraui vos, exclamat filiis Hierusalem, &c. vt suscitetis, hoc est ne charitatem erga Deum dormire patiamini, sed eam suscitetis, & accendatis, & ne memoriam beneficiorum illius tanquam oleum perfundatis, ne de vobis item dicatur: dormierunt somnum suum, &c.

Cant. 3. num. 5.

Et cum Deus inuigilet, neque vnquam deficiat à conferendis in nos bonis, nullum meritum in nobis expectans, sed hoc tantum respiciens si indigeamus, æquum profecto est, vt nos pro reddendis gratiis diligentiam adhibeamus. Benignitas est, inquit Basil. in regulis breuioribus respons. 211. qua quis aliis benefacit, quacunque ratione eo indigeant; nec tantum aut rationem, aut meritum considerat, & hæc significatio Deo conuenit: is namque est, qui nullam aliam rationem expectat, vt benefaciat, quàm nostram indigentiam: imo aliquando eam extremam obseruat, & præstolatur, vt nos eam clarius agnoscentes in maiorem gratitudinē prouocemur; quod bene expendit Bern. serm. 1. de Aduentu Domini reddens rationem cur tam sero Filius Dei in carne aduenerit ad redimendos homines. Nec incongruè, inquit Bernard. factum est, sed sapienter disposuit sapientia, vt cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, pronos ad ingratitudinem Adæ filios non ignorans, verè enim aduesperascebat, & inclinata erat iam dies, recesserat paulo minus sol iustitiæ, &c.

Omnibus itaque modis à nobis exigit gratitudinem beneficus Dominus, vel extorquet, nos verò desides, & ingrati torpemus, quod merito deplorat Chrysost. homil. 26. in Matth. post med. cum ait: Est prorsus absurdum nos opere quidem ipso beneficiis eius quotidie perfruentes, gratias ei nec sermone persoluere, & hoc cum nobis rursus prosit ipsa cōfessio. Neque enim Deus alicuius nostri eget, sed nos omnium, quæ illius sunt, indigemus. Siquidem gratiarum actio illi quidem nihil omnino addit, nos autem magis illi familiares facit. Si enim nos hominum beneficia recordantes, vehementius eorum amore succendimur; multo magis beneficiorum in nos Dei memores, studiosiores erimus ad ipsius mandata seruanda: idcirco Apostolus dixit: *Et grati estote*; optima quippe Coloss. 3. num. 16.

quippe beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum actio: propterea & reuerenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni certè Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia (idest gratiarum actio) nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, caputque ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosq; faciunt debitas Deo gratias semper exoluere: & cætera, quæ in hanc sententiam ibi prosequitur.

Longè à nobis esse voluit ingratitudinem Dauid cum monebat ne infructuosa animalia imitaremur:
Psal. 31. num. 9. *Nolite*, inquit, *fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*; vbi Cardinal. Tolet. serm. 11. ait: per mulum, qui generatur, nec generat, ingratum hominem intelligit, qui gratiam accipit, non rependit: & qui monebat ne fieremus tanquam muli, saltem stulti animalis vellet in nobis gratitudinem, de quo Dominus ait
Isai. 1. num. 3. per Isaiam. *Cognouit bos possessorem suũ, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit*: vbi Hieronym. obseruat homines nec ea reddere Domino, quæ bruta reddunt, vbi occurrit id, quod aduertit Ambros. lib. 5. Examer. c. 12. in hunc modum. Surgente, & occidente die suos cantus aues instaurare consueuerunt, vt de cursi vel adoriendi temporis laudes suo referant creatori. Quis sensum hominis gerens non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutissimæ aues solemni deuotione, & dulci carmine ortus dierum, & noctium prosequantur. Cum igitur Deo nihil possimus rependere pro collatis in nos beneficiis nisi gratiarum actionem, sicut prosequitur Gregor. Nyssen. lib. de Orat. post princip. quam excusationem possumus prætexere, si nec verbis debitum soluimus? Ideò merito Clemens Alex. Orat. exhortat. ad gent. ait: Reddamus illi (scilicet Deo) non egenti gratam mercedem, affectus bene compositos, & veluti inhabitatæ domus mercedem, pro nostra, quæ hic est habitatione demus Deo pietatem, ac eius cultum. Pro modica fide dat tibi tantam terram, quam colas, aquam vt bibas, mundum vt inhabites, &c. Sicut igitur, qui alienam incolit domum, pretium habitationis soluit, & qui alienis fruitur bonis tributum reddit, sic & nos, qui nihil nostrum, totum Dei incolimus, & accipimus, debitum gratiarum reddere tenemur.

Sed hoc loco notandum occurrit, quod gratitudinis nobilitas, & excellentia eo maximè probatur, si gratiam Deo referat, non tam ob bona, quæ à Deo accepit, quàm quod à Deo acceperit, & sic magis respicit Deum datorem, quàm Dei data, fieri enim potuit, vt quæ à Deo accipimus, à quopiam alio haberemus, & tum temporis si gratiam referremus, ea profectò beneficium respiceret, non benefactorem: at qui gratum se præbet Largitori, non tantùm gratiam refert, sed & benefactorem colit, & quantum in se est commendat, & magnificat. Aduertit hoc eleganter Chrysost. tomo 6. nunc primo edito homil. de festis diebus ante medium, cum expendit gratitudinem Annæ matris Samuelis in suo cantico, ad illa verba: *Lætata sum in salutari tuo*; vbi ita ait: *1. Reg. 2. num. 1.*
Non quia seruata sum, sed quoniam per te seruata sum propterea lætor, & exulto. Tales sunt sanctorum animæ, Deo magis lætantur Authore munerum, quàm ipsis muneribus: non enim eum propter dona ipsius, sed dona propter illum diligunt. Hoc gratos seruos decet, hoc famulos agnoscentes beneficij magnitu-

 dinem,

dinem, videlicet rebus suis omnibus pr·ponere Dominum. Sic etiam nos a··cti simus. Cum peccauerimus, n·n doleamus, quia punimur, sed quia Dominũ offendimus: etsi quod benefactum nostrum est, nõ gaudeamus propter regnum cœlorum, sed quia rem cœlorum regi gratam fecimus, qui enim sanæ mentis est, offensam Dei magis timet, quàm vllam gehennam, & beneuolentiam eius pluris æstimat, quàm vllum regnum, &c. Is igitur perfectè gratus deprehenditur, qui Deum potius colit, & veneratur dum gratiam refert, quàm beneficium recolat, vt pro illo tantum se Deo gratum exhibeat: nam sicut dixit Lactant. Firmian. libr. de Falsa sapientia c. 9. si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaque optimè acceptus esses, nõ insanus viderere si pluris faceres ipsam voluptatẽ, quàm voluptatis authorem, sic & qui gratum se exhibet tantum ob beneficia, pluris eadem videtur facere, quàm authorem beneficiorum.

Ea proinde est perfecta gratitudo, quæ Deum primario respicit, vnde non ob beneficia, & bona quæ homines appellant, gratias refert, sed ob aduersa etiam Deum commendat, iuxta monitum Pauli, qui ait: *In omnibus gratias agite*; vbi Cornel. põderat verba, in omnibus. In omnibus, inquit, gratiæ agendæ sunt Deo; puta tam in morbo, quàm in sanitate, tam in inopia, quàm in copia, tam in desolatione, quàm in consolatione, tam in tentatione, quàm in pace, tam in humiliatione, quàm in exaltatione, tam in aduersitate, quàm in prosperitate, quia non minus, imò sæpe maius donum, & beneficium est Dei morbus, inopia, desolatio, tentatio, humilitas, aduersitas, quàm sanitas, copia, consolatio, &c. Atque hęc sanctissima via est, qua per ærumnas huius vitæ læti, & quasi ludibundi

Ephes. c. 5. num. 18.

imus in cœlum, si nimirum in quauis re cum Psalte dicamus: *Benedicam Dominum in omni tempore*, & cum Paulo, *Gratias agamus Deo in omnibus.* Videndus in hanc sententiam Chrysost. homil. 2. in Epistol. ad Roman. post princip. vbi ait: Gratias agere conuenit non diuites modo, sed & paupertate oppressos, non sanos, sed & ægrotantes, non eos, quibus prospera omnia, sed eos, quibus aduersa contingunt. Deo enim tunc gratias agere, quum secundo cursu res feruntur, nihil mirum faci , & cætera, quæ in hanc sententiam videnda sunt.

Ephes. in cap. 5. ait Paulus: *Gratias agentes sẽper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri,* vbi Hieron. sic habet. Christianorum propriè virtus est etiam in his quæ aduersa putant, referre gratias Creatori: nam in beneficiis Dei, quæ nobis accidunt, gratulari, hoc & Gentilis facit, & Iudæus. Sed iuxta Apostolum hęc virtus est maxima, vt in ipsis periculis, atque miseriis Deo gratiæ referantur, & semper dicamus. Benedictus Deus, minora nescio sustinere, quàm mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur. Similia habet Chrysost. homil. 40. in Genes. vbi inter alia ait: Grati famuli est non solùm gratum esse Domino quando vbertim pro sententia omnia succedunt, sed & vt in aduersis eandem gratitudinem declaret, &c. Et homil. 30. in eundem lib. ait: Non solùm gratias agamus si consequamur, sed etiam si repulsam passi fuerimus, nunc cum Deus aliquid nobis denegat, non minus est quàm si concessisset, &c. Et in Psalm. 148. ait idem Chrysost. Deus æquè laudandus est & cum punit, & cum à supplicio eximit: vtraque enim sunt curationis, vtraque bonitatis. Oportet ergo eum æquè laudare, & quod posuerit

Ephes. 5. num. 20.

posuerit Adam in paradiso, & quod eum expulerit, & agere gratias non solum pro regno, sed etiam pro gehenna; eam enim & fecit, & minatus est, vt à vitio liberaret: quemadmodum, & medicum non solum nutrientem, sed & fame excruciantem; non solum vngentem, sed & vrentem, & secantem obseruamus, ita & oportet Deum laudare pro omnibus. Aliud item exemplum nobis proponit pro hac doctrina hom. 18. ad populum, desumptum à pauperibus. Hi namque, inquit, totum tempus in mendicando conterentes, non blasphemant, nō indignantur, non ægrè ferunt, sed totam mendicationis narrationem in gratiarum ponunt actionem magnum facientes Deum, & misericordem. Ille quidem fame periens benignum vocat, tu vero viuens in abundantia, nisi cuncta simul accipias, crudelem nuncupas. Quanto melior est ille. Communes nobis præceptores per terrarum orbem misit Deus pauperes, &c. Videndus S. Antiochus tom. 2. Bibliot. homil. 117. vbi inter alia ait: Hoc insigne argumentum internoscitur, qui nihil fucate gratus est, dum inter medias deprehensus calamitates toto tempore gratias agit Domino. Enim verò cum vere gratus Deum respiciat, à quo nouit bona cuncta procedere, etiam dum mala videtur experiri bona vtique reputat, & lætabundus Deo gratulatur.

Qua in re pulchrè aduertit Chrysost. in quantam nobis cedat vtilitatem gratias Deo agere pro ærumnosis & aduersis, sic enim habet in Psal. 89. In bonis gratias agens reddidisti debitum, in malis Dominum constituisti debitorem; qui beneficio affectus agit gratias, reddit debitum; qui male affectus gloria afficit, debitum acquirit. Quis autem inficiabitur multo melius esse Deum promereri, quam debitum tantum tributum soluere?

Perfecta igitur gratitudo Deum respicit potius, quam Dei data, & tam defertur in bonis quam in malis, estque vnguentum pretiosum ex variis aromatibus compositum, quo caput Christi vngitur, non pedes, quo itidem ipse fatetur se honorari, & coronari; sicut prosequitur Bern. serm. 10. in Cant. vbi ait: Fit vnguentum istud de diuinis collatis generi humano beneficiis. Felix, qui ipsa sibi studiosè colligere, & ante mentis suæ oculos digna cum gratiarum actione reducere curat: Profecto cum fuerint in vasculo pectoris pistilo crebra meditationis contusa, atque contrita, deindéque igni sancti desiderij simul decocta omnia, & demum impinguata oleo lætitiæ, erit vnctio longe pretiosior, excellentiórque priore: sufficit ad probandum eius testimonium, qui ait: sacrificium laudis honorificabit me. Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio. Porro cum Scriptura hoc solum testetur de illo alio, quia nequaquam despicitur, liquet amplius esse commendatum quod & honorificat; denique illud pedibus apponitur, hoc capiti. Si enim in Christo ad diuinitatem referendum est, dicente Paulo: Caput Christi Deus, proculdubio caput vngit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit, &c. Merito proinde August. Epistol. 77. ait: Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te tam fideli pectore ditauit.

Sed quoniam Augustin. ait nihil fructuosius à nobis agi posse; gratitudinis fructus, & emolumenta breuiter

uiter perstringamus. Primus gratitudinis fructus sit, quod nouos ad virtutem addit stimulos, sicut prosequitur Chrysost.hom.15.in Genes. dicens: Si continuo beneficiorum Dei, quæ in nostrum genus contulit, recordamur, & ipsi grati erimus, & ad virtutis viam magna erit stimulatio: quippe manifestum, quod beneficia Dei secum recogitans operam dat ne illis indignus videatur. Sic ille. In quam sententiam videndus erit Hieron.Epist.ad Paul.de Assumpt. B.Virgin. Vbi versat locum petitum ex Psalm.49. cum Deus homini grato pollicetur se ostensurum iter ad acquirendam vlteriorem perfectionem: *Sacrificium laudis* (idest gratitudinis) *honorificabit me:* quid in-
Psal. 49. num.23. de? *Et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Hieronym.legit; *& illic iter est, quo ostendam illi salutare Dei*; quasi dicat, illic profecto est iter, quo Deus ad salutem deducit, & pertrahit eum, qui se gratum exhibuit; quanto enim quis promptior est ad agendas gratias, tanto magis à Deo illuminatur, & maioribus donis virtutum ditatur, vt citius ad portum salutis peruenire valeat. Ex eo enim quod se deuinctum censet, & profitetur, diuinis beneficiis enititur magis: non vt sibi Deum obliget, sed vt illi debitum soluat, atque adeo magis accendirur ad Dei obsequium, quanto plus prę gratitudine se intuetur obligatum. Quod acutè dixit Philo lib.1. de vita Moysis; qui deuincti sunt muneribus promptissimè nauãt operam, non conferendo, sed referendo gratiam, idest ea maxime ratione nouos in dies spiritus inducent ad virtutem, quod diuina contemplantes beneficia, secum reputant nunquam gratitudine sua posse ad Dei dona peruenire, vt debitum pro eis soluant gratias reddendo. Hoc certè videre est in Anna matre Samuelis, quæ à Deo consecuta est filium, quem tot fusis precibus, & lacrymis postulauerat. Postquam vero ablactauit puerum, adduxit in templum in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & dixit Heli. *Pro puero isto* 1. Reg. 1.
oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam: idcirco & ego commodaui eum Domino: Philo lib. Quod Deus num.28.
sit immutabilis, legit; do eum donum, quod ipse magis aperit dicens; eum, qui est donum, vt sit sensus, offero eum, quia donum Dei est; non quia meus filius est, hoc enim gratis animis insitum quidem, & peculiare est, vt quantumcumque in via salutis & Dei obsequio insudent, totum reputent debitum, & nullum existiment meritum præter gratiam quam referre tenentur, quapropter iugiter virtutibus operam strenuè nauant.

Deinde gratias Deo referẽdo facimus ne Dei beneficia nobis noceãt; nam sicut interpretatur Augustin. illud Iacobi *superexaltat misericor-* Iacob. 2.
dia iudicium; idest, quo maior est num.13.
Dei beneficentia erga homines, eo iudicium eius in nos seuerius erit si iisdem beneficiis ingrati deprehendamur; idémque Aug.lib.50. Homil. homil.36. ait: Gratias agamus diuinæ misericordiæ, & quantum possumus totis viribus laboremus, vt beneficia Dei nobis iudicium non pariant, sed profectum. Hebr.3 monens Hebr. 3.
Apostolus eos, qui ex circumcisione num.10.
erant, ne ingrati persisterent Incarnationis beneficio, sicut eorum maiores extiterant, ait: Propter quod infensus fui generationi huic: & dixit, semper errãt corde; quod desumpsit ex Dauide: legit aut secundum Psal. 94.
Hebr. sicut etiam Genebr.legit: offen- num.10.
sus fui: at Breu.Rom.iuxta LXX.Sixtian. habet: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic:* Quomodo igitur duæ istæ versiones cohæ-

rent, quod Deus genti Iudæorum fuerit infensus, & fuerit proximus? Videamus prius quomodo proximus, & inde constabit, quomodo infensus, seu offensus. Aug. igitur ad dicta verba Psalmi interpretatur Deum proximum fuisse Israëlitis beneficia conferendo, sicut nouimus contulisse toto eo tempore, quo ipsi per desertum vagati sunt, legem siquidem contulit, manna pluit, aues misit, aquam præbuit: sed quia tot ac tantis beneficiis ingrati extiterunt, & ingratitudine pugnabant contra Dei beneficentiam, inde infensus fuit genti, cui tam beneficus affuit, solet siquidem diuina iustitia desæuire in ingratos, qnibus diuina bonitas largissima extitit. Nam sicut dixit Augustin. lib. de Pœnitent. c. 14. ad med. In hoc quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior; ideo enim Adã peccauit, quia omni bono abundauit, ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum non omnino timuit. Quibus in verbis August. docet hominem gratum dum Dei repletur donis, pariter etiam Dei timore affici, quo quidem ingratus caret: timet siquidem gratus ne Dei dona illi cedant in malum, & pœnam, si non debitas persoluat gratias, vnde fit vt in Scriptura post aliquod Dei beneficium statim subsequatur

Psal. 21. num. 24. timor, sic Dauid ait: *Timeat Dominum omne semen Israël.* Sed cur timorem indicat Dauid? *Quoniam non spreuit deprecationem pauperum, & cum clamarem ad Dominum, exaudiuit me.* Ob beneficia sane nobis collata timendus vtique Deus si illis non responderimus sicuti oportet. Hoc enim nouit Darius, dum timorem Dei suis

Daniel. 6. num. 26. indixit. *A me*, inquit, *constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis*; sed & rationem subdit cur Deus timendus sit. *Ipse liberator, atque saluator, faciens signa, & mirabilia in cælo, & in terra:* timendus vtique quia à malis liberat, & quia bonis afficit: qua etiam ratione accepit omnes timor, cum Christus Dominus suscitauit filium viduæ. Luc. 7. num. 16.

Hæc est ratio cur Spiritus sanctus prius apparuerit in specie columbæ, postea in igne; cum enim Spiritus sanctus sit Dei donum prius in columba Dei benignitatem in conferendis donis suis proponit, deinde vero non respõdentibus Dei beneficiis, neque pro eis gratias referentibus ignis adest puniturus, vel etiam quia Dei donum terrificum secum affert ignem metum incutientem iis, qui diuinis donis potiuntur, nisi gratiam reddant Deo largitori. Videndus hac de re Chrysostom. homil. 1. in Act. Apost. post med. vbi ait de Spiritu sancto. Tum venit in specie columbæ, nunc in specie ignis. Cur ita? Videlicet illic præ se ferebat mansuetudinem, hic vero etiam vindictæ seueritatem. Tempestiue sanè commonefecit iudicij: cum enim iam oportebat peccata concedere, atque abire, plurima opus erat mansuetudine: rursum posteaquam adepti sumus donum, iam instar iudicij, & examinationis tempus. Sic ille. Cui accinit Cyprian. serm. de Cœna Domini ante finem, cum ait: Quo fuerimus maioribus affecti beneficiis, eo magis puniemur, &c.

Gratitudo etiam obicem tollit, ne diuina in nos beneficentia cursum suæ largitionis impediat, quem ingratitudo vel exsiccat, sicut dixit Bernard. vel retinere facit, sicut ait Philo lib. de Mundi opificio ant. med. in hunc modum. Nunc perennes illi fontes gratiarum retenti sunt postquam cœperunt vitia maiores, quam virtus profectus facere, ne in indignos profunderetur

bene

beneficentia. Itaque debuerat humanum genus, si pœna par culpæ luenda esset, omnino deleri propter tantam erga benefactorem, Seruatorémque Deum ingratitudinem, at ille suopte ingenio clemens miseratione vindictam moderatus est, genus quidem manere sinens, victum autem non æquè, vt antea præbens, ne duobus malis accedentibus, otio, saturitatéque proni ad vim, & peccatum fierent, &c. & Bern. serm. 5. in Cant. Diligenter considera quæ tibi apponuntur, vt nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grãdia, non mediocria, non pusilla. Denique iubemur colligere fragmenta ne pereant, idest, nec minima beneficia obliuisci. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Et serm. 2. de 7. Miser. Ingratitudinem prorsus odit anima mea; peremptoria siquidem res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis; nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conuersis, quemadmodum ingratitudo; vias enim obstruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia accessum non inuenit, locum non habet.

Neque vero ingratitudo tantum impedit ne ad nos perueniant diuina beneficia, quinimo, & obtentis spolia, & collata auferre facit. Qua de re videndus est Basil. homil. 5. in Martyrem Iulittam, cum ait: Præsentibus bonis fruentes, cum nullam rependamus largitori gratiarum actionem, vt sensum aliquem recipiamus ex iactura, necesse est vt illis spoliemur. Vt enim oculi, quod iusto propius admotum est, non vident, sed opus habent moderata quadam distantia; itidem animas minus gratas videmus sensu attingi præreptæ gratiæ, dum priuatos se intelligunt prærogatiua bonorum. Hæc Basil. & cum Deus humilibus conferat gratiam, & superbis resistat, eo quod acceptis bonis contra Dominũ bonorum insurgunt, & bellum inferunt cui humiliari tenebantur, inde est quod bona sua Deus aufert ingratis, qui vt plurimum superbi esse solent, sicut aduertit Chrysost. hom. 26. in Matth. ad fin. dicens: Hoc vitium ex arrogãtia potissimum gigni solet, cum se aliquis dignum esse beneficiis existimat. At contritus, & humiliatus non pro bonis tantùm, verùm etiam pro his, quæ aduersã esse videntur, Deo refert gratias: & quidquid tandem patiatur, nihil se indignum putabit perpessum esse.

Neque mirum si ingratitudo concessa bona auferat, cum etiam conferenda impediat. Loquebatur olim Christus Seruator de modo, quo illius doctrina erat auscultanda, dicens: *Videte quomodo auditis. Qui enim habet, dabitur illi: quicumq; autem non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.* Luc. 8. nu. 18. Vbi illico sese offert obiectio; quomodo scilicet potuit auferri ab aliquo id, quod non habebat, sed putat tantummodo habere. Tertull. rem videtur attigisse lib. 4. contr. Marcion. cap. 19. dicens: Quid auferetur? Vtique quod dabitur. Vt sit sensus, illud quidem auferetur, quod dandum erat, prænoscens enim Deus futurum ingratum cum hominem, qui putat sibi deberi aliquid, suísque meritis condignum esse, quod Deus misericorditer largitur, abstinet à concessione talis beneficij, atque adeo ingratitudo præuisa in causa est, quod Deus abstineat à concessione bonorum, quæ alias collaturus erat. Attigit hoc eleganter Bern. serm. contra vitium ingratitudinis, cum refert rationem, quare in via salutis non proficiamus,

subtra-

subtrahẽte Deo gratiam vberiorem, qua perfectiores omnino euadere possemus. Omnino, inquit, nos sola à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodo amissum reputans datur, quod ingratus acceperat, cauet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato, &c. Cum enim Dei dona pretiosa sint, & talia pro quibus gratias Deo referre deberemus, dum nec illa æstimamus, nec pro eis grati existimus, ne apud nos vilescant optima bona, subtrahit illorum donationem. Et cum apud homines contingat plerosque adeò ingratos reperiri, vt satius sit, & tutius eos læsisse, quàm beneficiis affecisse, sicut acutè obseruat Seneca lib. 1. de Beneficiis cap. 24. cum ait: Tutius est quosdam offendere, quàm demeruisse, & Epist. 81. eo perductus est furor, vt perniciosissima res sit beneficia in aliquem magna conferre; nihil charius æstimamus, quàm beneficium, quandiu petimus nihil vilius, cum accepetimus. Deus, qui omnia prænouit, & præsciuit aliquem peiorem futurum, dum vberiora acceperit dona; ab eis conferendis abstinet, ne scelestatior reddatur; fit enim vt ingratus peior dicatur ipso diabolo; sicut ait Laurent. Iustinian. tractat. de humilitate his verbis: Impius (scilicet ingratus) peior est diabolo, quia diabolus non vidit superbiam punitam, nec est dilectus à Deo, neque quæsitus, nec beneficiis affectus, qui verò plurimis ditatur beneficiis, multis quæritur, & pulsatur donis, nec respondet Deo vocanti, nec refert Deo largienti, hic profectò peior videtur diabolo.

En quæ mala vitet gratitudo, vt clarè pateat, quæ bona in illa repeniantur, & cur illam fructuosam dixerit August. Nam sicut ingratitudo diuina beneficia aufert, sic & gratitudo accepta dona tuetur, & conseruat. Primas tabulas, quas in monte Sinaï accepit Moyses, paulò post ipse fregit, & comminuit; posteriores verò diu perdurasse legimus, & conseruatas permansisse in arca, cuius rei rationem reddens Ambros. Præfat. in Psalmos, ait: Legis tabulæ priusquam Cantico firmarentur per indignationem Moysis fractæ, & comminutæ sunt; vbi verò tali signaculo consecratæ sunt, humana locum ira non habuit, quia sanctificatio eam sacræ suauitatis exclusit, idest, priores è manu Dei accipiens Moyses, gratias Deo minimè reddit: at posteriores cùm ex præcepto Dñi excidit, de nocte cõsurgens ascendit in montem Sinaï, & cum Dominus per nubẽ descendisset, stetit Moyses inuocans nomen Domini, dicẽs: *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens*, &c postea scripsit in tabulis decem præcepta: ideò igitur tabulæ permanserunt, & perdurarunt, quia Cantico illo, in quo 13. Dei proprietates continentur consecratæ sunt: sunt siquidem Dei laudes, & gratiarum actiones, munimenta, quæ bona tutantur ab interitu; & infestatione malorum; vnde qui bona, quæ accepit conseruare intendit, tutamen quærat gratitudinis.

Exod. 32. num. 19. *Exod. 34. num. 29.* *Exod. 34. num. 6.*

Neque tantum accepta tuetur beneficia gratitudo, sed vlteriora adhuc promeretur; sicut dixit Christus Dominus, prout eum interpretatur Aug. ad illa verba Matth. 13. qui habet, dabitur ei, & abundabit: vbi August. lib. 1. de Doctr. Christ. ait: Dabit ergo habentibus, idest, cum gratitudine vtentibus, eo quod acceperunt adimplebit; atque cumulabit, quod dedit. Et Chrysost. homil. 15. in Gen. loquens de grato homine, ait: Tanti studij & gratitudinis est, vt & alia consequenter mereatur. Ita liberalis est Deus noster, vt quia videt nos

bene,& cum gratitudine vti his,quæ iam nobis concessit,vltra nos potioribus, maioribusque muneribus impleat.

Postquam euigilans Noë maledixit Chanan, puniens patrem in filio, benedicturus Sem, potius Deum benedicit: *Benedictus Dominus Deus Sem*, &c. vbi Chrysost. homil.30.in præsens argumentum ait: Hoc fortè quis dixerit,non est benedicere Sem: imò valde benedixit illum. Quando enim Deus benedicitur, & aguntur illi gratiæ ab hominibus, tunc vberior ab illo solet istis benedictio dari,propter quos ipse benedicitur.Itaque benedicens Deum, debitorem ipsum facit maioris benedictionis, auctorque fuit Sem maioris retributionis,quia Deus propter Sem benedicitur:sicut enim quando benedicitur propter nos, multum id nobis conciliat fauoris, ita econtra quando propter nos alij illum blasphemant,maior hinc nostra fit condemnatio,qui causam dedimus. Quocirca obsecro demus operam, vt ira viuamus, & tantæ virtutis specimen exhibeamus,quo omnes, qui nos viderint,benedictionis laudes offerant Domino Deo. Nam quia bonus, & misericors est, propter nos vult glorificari; non quod ipsi aliquid ad suam gloriam accedat (nullius enim indigus est) sed vt occasiones ipsi præbeamus, vt maiorem nobis gratiam impertiatur.

Genes.9. num.26.

Inquirit Philo lib.2. legis allegoriarum ante medium, cur dictum sit Genes.6. *Noë inuenisse gratiam coram Domino*, antequã quodcumque eius opus illustre parratum referatur; & asserit id propterea contigisse, quia Noë Dominum laudauit, & gratias retulit de conditis rebus omnibus, quæ videbantur. Inuenire, inquit, gratiam non illud solum significatum habet, quod quidam vsurpant, pro placere, & fauorem inuenire, sed & illud, quia iustus quærens rerum naturam, in hoc inuenit inuentum optimum, quod Gratia Dei sunt omnia, quæ facta sunt: sibi enim Deus creando gratificatus est nihil, siquidem nihil illi inde accessit, ideóque tantum gratiam profundere proprium est ei. Quærentibus igitur principium creaturæ, rectè respondebitur: bonitas & gratia Dei, quam largitus est humano generi; nam munus, beneficium, gratia Dei sunt omnia, quæ Noë dicatur inuenisse gratiam coram Domino Deo, priusquam aliquid boni fecisset,quantum quidem nos scire possumus; respondebimus liquere quod laudator sit creationis, & generationis;qui enim Deum ob beneficia collata laudat, & gratias reddit, non potest non inuenire apud Deum vlteriora dona, cum ipse admodum complaceat in gratis animis.

Genes.6. num.8.

Facit in hanc sententiam Chrysost. homil.2.in 2.ad Corinth. ad illa verba cap. 1. adiuuantibus vobis in oratione: vbi ait artem apud Deum promerendi, & consequendi à Deo vlteriora dona, esse gratiarum actionem; si enim grati plura apud homines promerentur, quanto magis, inquit ille, si Dei beneficia commemoremus, ad maiorem illum beneuolentiam excitabimus: addit verò Sacerdotis optimum munus esse gratias agere Deo ob accepta beneficia. Hoc quidem est, inquit, præcipuè Sacerdotum munus omnium optimum; accedentes enim prius pro terrarum orbe, próque publicis bonis gratias agimus; etenim vt tuum non sit, tamen debes gratias agere, quod tale est tuũ membrum; quanquam & alioqui,quod alienum est, tuum facis per gratiarum actionem, efficerisque coronæ particeps,

&

& ob eam rem capies & ipse donum, &c. Hoc vt faceret Dauid noluit concupitam, & allatam aquam bibere. *Sed libauit eam Domino*, vbi Hieronym. in tradit.Hebr.ait:Sacrificauit eam Domino, gratias agens, quia tam fortes viros in Israël dederat; & dum pro aliis gratias agit Deo, pro se minimè credendum est defuisse.

Videndus Philo libr.2. legis allegoriarum, cum ponderat cur Iacob dexteram manum posuerit super Ephraim, sinistram verò super Ma-
Gen. 48. num. 19. nassem, *Quod cum ægrè tulisset Ioseph*, respondit pater eius ita fieri oportere, quia, nempe, minor Ephraim memoria appellatur, maior verò Manasses reminiscentia, idest translatio ex obliuione: qui autem obliuionem effugit, reminiscitur. Rectè igitur Iacob dexteram benignitatis, & benedictionis suæ porrexit Ephraimo, idest fertili memoriæ, dignus est enim maiorum beneficiorum,qui priorum non est oblitus. Sicut autem dextera benedictionis diuinæ amplexatur gratum hominem, qua de re pulchra sunt, quæ habet Bern. serm. 51. in Cant. ad illa
Cant. 8. num. 3. verba Cant. 3. *Dextera illius amplexabitur me*; sic & sinistra aduersitatis percutit eum, qui accepti beneficij obliuiscitur, sicut videre est in no-
Isai. 38. stro Ezechia, qui vsque ad mortem ægrotauit, eo quod non curauerit
4. Reg. 20. num. 1. Deo gratias agere ob liberationem diuinitus factam ab Assyriis, quos ipse supra modum timuerat;nam,teste Rabbano Hebræi dicunt Ezechiam ægrotasse, quoniam propter auditam victoriam, & Assyrij regis interitum, non cecinerat laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sisara, & Anna genito Samuele; quod confirmare possumus ex Authore lib. de mirabilibus sacræ Scripturæ apud August. cap. 18. vbi ait: Ne de tanta victoria esset elarus, & forsitan etiam gratiarum actione exiguus in grauissimi laboris morbum incidit Sic ille. Merito proinde Bern. serm. 13. in Cant. ingratitudini fores occludens, ait: Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis,Dei virtuti, & Dei sapientiæ deputa,&c.

Sed non omittendum hoc in loco, quod cum ingratitudo accepta beneficia obliuiscatur, econtra gratitudo accipienda etiam præuenit, intuetur, & gratulatur, vt promptitudinem in referenda gratia testetur; quod bene obseruat Cassian. collat. 9. c. 14. de gratiarum actione, cum ait: Quarto loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens, vel cum præterita recolit beneficia, vel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum,quæ,& quanta præparauerit Deus iis,qui diligunt eum, prospicit, per ineffabiles excessus Deo refert. Qua etiam intentione nõnumquam preces vberiores emitti solent, dum illa, quæ reposita sunt in futuro,sanctorum præmia purissimis oculis intuendo,ineffabiles Deo gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur effundere. Sic ille ostendit quomodo gratitudo præueniat etiam futura beneficia, non solùm ne deficiat postquam acceperit, solet siquidem aliquando gratulatio pigra dici, sed vt diuinam Bonitatem alliciat, & attrahat ad conferenda bona futura, cum viderit iam in spe gratias pro illis Deo reddi.

Est itaque proprium gratitudinis,vlteriora a Deo promereri bona, sicut & ingratitudinis ipsam diuinam largitatem, & vbertatem sterilem quodammodo reddere, & terrã ipsam cultam infructuosam facere. Genes. 4.
Genes. 4. dixit Deus Caino: *Cum* num. 12.

operatus fueris terram, *non dabit tibi fructus suos*: vbi Ambros. huiusce sterilitatis causam attribuit ingratitudini, sic enim habet lib. 2. de Cain, & Abel cap. 6. Quia ante omnia debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret Auctoris, &c.

Cum igitur tam vtilis nobis sit gratitudo, ideò Deus perpetuam gratiarum actionem à nobis sibi redditam esse voluit in illis verbis: *Ignis in altari meo semper ardebit.* Sic enim ea de gratiarum actione interpretatus est Philo lib. de Victimas offerentibus, vbi docet sacrificium gratiarum perenne esse debere, ac continuum, sicut ignis in altari tanquam symbolum quoddam istius sacrificij laudis, confessionis, & gratiarum actionis, quæ corde, & ore consummatur, neque vnquam cessare, sed perpetuo in altari cordis ardere debet. *Leuit. 6. num. 12.*

Qui verò doctrinam in hoc igne adumbratam renuerit; nouerit alterum ignem incursurum peculiari ratione ingratis debitum, sicut testatur Salmer. tom. 6. tractat. 38. de decem leprosis ad illa verba; *Fides tua te saluum fecit.* Quod Christus inquit, sua virtute præstitit, ipse Dominus pro modestia sua fidei alterius tribuit. Atque ita erudimur vt grati simus Deo de beneficiis acceptis, & meminerimus vineæ ablatæ à malis cultoribus, & locatæ aliis, qui reddant ei fructus. Neque infernus pro aliis puniendis magis est, quàm pro ingratis. Neque Christus tam acerba, & dura sustinuit, nisi vt ex multitudine beneficiorum omne ingrati animi vitium extingueret.

Gratum igitur dum se vouet noster Ezechias, recolendus est, & imitandus; recolendus vtique quia rex gratus, quod non vulgare est, nec vsitatum, sicut bene aduertit Lipoman. ad illa verba: *Surrexit rex nouus, qui ignorabat Ioseph*: Facile, inquit ille, beneficiorum obliuiscuntur Magnates: non sic autem Ezechias, dum omnibus diebus vitæ suæ gratum se futurum pollicetur; & profectò gratus non est, qui semper gratus non existit, sicut etiam Seneca dixit lib. 4. de Benef. cap. 19. in fine. Quid est autem, inquit ille, honestius, quàm gratum esse? Huiusmodi virtutis materia tam latè patet, quàm vita, & qui gratitudinem intercipit eam mentitus est. *Exod. 1. num. 8.*

Deinde etiam recolendus, & imitandus, dum promittit se gratias redditurum in templo, atque in conspectu omnium, quod singularis gratitudinis testimonium est, sicut bene prosequitur idem Seneca libr. 2. de Beneficiis cap. 22. dicens: Gratè ad nos peruenisse beneficium iudicemus, effusis affectibus, quod nó ipso tantum audiente, sed vbique testemur. Sunt quidam, qui nolunt, nisi secreto accipere: testem beneficij, & conscium vitant: quos scias licet malè cogitare. Quidam furtiuè agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est ista verecundia, sed inficiandi genus: ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias: verentur palam ferre, vt sua potius virtute, quàm alieno adiutorio consecuti dicantur, &c. Non sic gratus hic rex, qui in templo Domini coram omnibus, omnibus item vitæ diebus pollicetur se diuinas laudes decantaturum, vt vitam pariter cum Dei laudatione finiret.

Finiamus, & nos præsentes Commentarios cum huiusmodi gratiarum actione, vt felicem exitum habeamus, qui initium fecimus cum gratulatione Ezechiæ. Ponderat Chrysost. homil. 83. in c. 26. Matth. Christum Dominum antequam corpus suum sub speciebus panis, & sub

ſub vini ſpeciebus ſanguinem porrigeret, gratias Deo Patri egiſſe, atque etiam poſt cœnam hymnum dixiſſe, vt ſcilicet, à gratiarum actione nos doceret incipiendum, atque in ea etiam finiendum. Gratias egit, inquit Chryſoſtom. antequam diſcipulis dederat, vt nos etiam ab actione gratiarum incipiamus: gratias egit, poſt dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus. Nos igitur qui fidem Chriſti Seruatoris firmiter, & immobiliter profitemur, illius veſtigiis inhærentes, quia à gratitudine Ezechiæ in ſuo Cantico incœpimus Deo dante, cum eodem gratitudinem in fine ſumus proſecuti, gratias agentes Beatiſſimæ Trinitati, quod nos ad finem gratulatorij Cantici perduxit, cui honor, & gloria ſine fine erit in ſæcula ſæculorum.
Amen.





INDEX AVCTORITATVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ SPARSIM IN HOC volumine explicantur.

Litera F. folium, C. columnam indicat.

Ex Genesi.

Cap. I.

1 *IN principio creauit Deus cœlū, & terrā. f.139. c.1.*
2 *Spiritus Domini ferebatur super aquas. f.41. c.2.*
5 *Factum est vespere, & mane dies vnus. f.279. c.2.*
10 *Vidit Deus quod esset bonū. f.310. c.1.*
11 *Germinet terra herbam virētem, &c. f.40. c.3.*
22 *Crescite & multiplicamini. f.121. c.4.*
26 *Faciamus hominem ad imaginē, & similitudinē nostrā, &c. f.217. c.2.*
28 *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. ibidem.*

Cap. II.

2 *Et requieuit Deus die septimo, &c. f.30. c.1.*
3 *Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum. f.279. & 288. c.3.*
17 *Vt operaretur, & custodiret illum. f.30. c.1.*
17 *In quocūq; die comederis ex eo, morte morieris. f.11. c.4. & 91.2. & 242.1.*

Cap. III.

3 *Ne forte moriamur. f.94. c.3.*
4 *Nequaquam moriemini. ibidem. & 11. c.4.*
7 *Aperti sunt oculi amborū: cūq; cognouissent se esse nudos, &c. f.72. c.2.*
9 *Adam vbi es? f.243. c.3.*
10 *Vocem tuam audiui, & abscondi me. f.35. c.3.*
12 *Mulier quam dedisti mihi, &c. f.167. & c.2. & 179. c.1.*
13 *Serpēs decepit me. ibid. & f.167. c.2.*
16 *In doloribus paries filios. f.85. c.2.*
17 *Maledicta terra in opere tuo. f.50. c.3.*
18 *Cum colueris eam, non germinabit tibi. f.193. c.4.*
19 *In sudore vultus tui vesceris pane tuo f.279. c.1.*
Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. f.97. c.3.
Puluis es, & in puluerem reuerteris. f.19. c.2. & 20.1. & 181.1.
20 *Vocauit Adam nomen vxoris suæ Heua. f.87. c.2.*
23 *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis. f.219. c.2.*
24 *Collocauit ante paradisum voluptatis. ibidem.*

Cap.

CAP. IV.

1 *Possedi hominẽ per Deum.f.84.c.3.*
2 *Fuit Abel pastor ouium.f.148.c.4.*
3 *Factum est autem vt post multos dies,&c.f.114 c.3.*
5 *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.f.62.c.4.*
7 *Nonne si rectè obtuleris, &c. f.77. c.3.& 124.1.& 260.4.*
8 *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel,&c.f.17.c.1.*
10 *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.ibidem.*
11 *Aperiens os suum suscepit sanguinem fratris tui,&c.f.40.c.3.*
12 *Cum operatus fueris terram,non dabit tibi fructus suos.f.338.c.1.*
Vagus, & profugus eris super terram.f.235.c.2.
13 *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.f.246.c.1.*
14 *Omnis qui inuenerit me, occidet me. f.192.c.2.& 245.3.*
15 *Nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain,&c.f.192.c.2.*
16 *Habitauit profugus in terra, &c. f.235.c.2.*
17 *Cognouit autem Cain vxorem suam, &c.f.85.c.3.*
21 *Ipse fuit pater canentium cythara,& organo.f.315.c.1.*
26 *Iste cæpit inuocare nomen Domini. f.200.c.1.*

CAP. V.

3 *Vixit autem Adam centum & triginta annis.f.320.c.3.*
24 *Ambulauit Enoch cum Deo, & non apparuit,&c. f.13.c.1.& 100.1. & 101.2.*
29 *Iste consolabitur nos ab operibus,&c. f.279.c.3.*

CAP. VI.

3 *Non permanebit spiritus meus in homine,&c.f 104.c.2.*
8 *Noë inuenit gratiam coram Domino.f.337.c 3.*
12 *Omnis quippe caro corruperat viam suam.f.244.c.4.*

CAP. VII.

2 *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, &c. f.333.c.1.*

CAP. VIII.

7 *Aperiens fenestram arcæ Noë dimisit coruum,&c.f.116.c.1.*
20 *Ædificauit Noë altare Domino. f.329.c.3.*

CAP. XIX.

25 *Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.f.88.c.3.*
26 *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. f.251.c.1. & 337.c.2.*

CAP. XI.

5 *Descendit Dominus vt videret ciuitatem,&c.f.123.c.3.*
6 *Cæperunt hoc facere, nec desistent, &c.ibidem.c.4.*

CAP. XII.

1 *Egredere de terra tua,&c.f.110.c.4. & 111.1.& 168.1.*
5 *Tulit Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui.&c.f.58.c.3.*

CAP. XIV.

21 *Da mihi animas, cætera tolle tibi. f.240.c.3.*

CAP. XV.

2 *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam,&c.f.84.c.1.*
15 *Generatione autem quarta,&c.f.81. c.4.*

CAP. XVI.

4 *Illa concepisse se videns despexit dominam suam.f.5.c.2.*

CAP. XVII.

1 *Ambula coram me, & esto perfectus. f.100.c.1.*
2 *Ponamq; fœdus meum inter me, & & te,&c.f.32.c.3.*
18 *Vtinam Ismaël viuat coram te. f 326.c.2.*
29 *Sara vxor tua pariet tibi filium, &c. ibidem.*

CAP. XVIII.

7 *Cucurrit, & accepit vitulum vnum, &c.f.114. 4.*

19 *Scio quod precepturus sit filiis suis, & domui suæ post se,&c.f.314.c.3.*

20 *Clamor Sodomorum,& Gomorrhaorum multiplicatus est. f.156.c.3.*

21 *Descendam , & videbo vtrum clamorem qui venit ad me,&c.f.36. c.4.*

27 *Ego sum terra , & cinis. f. 247.c.3. & 4.*

CAP. XXI.

7 *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium,&c.f.59. c.4.*

CAP. XXII.

4 *Die autem tertia eleuatis oculis vidit locum procul.f.114.c.2.*

12 *Nunc cognoui quod timeas Dominum.f.36.c.4.*

14 *Dominus videbit.f.262.c.1.*

17 *Benedicam tibi , & multiplicabo semen tuum.f.85.c.4.*

CAP. XXIV.

60 *Soror nostra es , crescas in millia,&c. ibidem.*

CAP. XXV.

20 *Qui cum esset quadraginta annorum duxit vxorem Rebeccam.f.84.c.1.*

21 *Deprecatus est Israël Dominum pro vxore sua.ibidem.*

26 *Sexagenarius erat,quando nati sunt ei paruuli.ibidem.*

CAP. XXVI.

16 *Recede à nobis,&c. fol.225.c.2.& 236.2.*

27 *Quid venistis ad me,hominem,quem expulistis à vobis?f.225.c.2.*

28 *Vidimus tecum esse Dominum. ibidem.*

Sit iuramentum inter nos,& ineamus fœdus,&c.f.236.c.2.

CAP. XXVII.

2 *Vides quod senuerim,& ignorem tempus vitæ meæ.f.92.c.1.*

27 *Ecce odor filij mei,sicut odor agri pleni.f.31.c.1.& 53.3.*

37 *Dominum tuum illum constitui.f.32. c.4.*

43 *Nunc ergo fili mi audi vocem meam, consurgens fuge,&c.f.242.c.3.*

CAP. XXVIII.

14 *Benedicentur in te,& in semine tuo, cunctæ tribus terræ.f.39 c.2.*

20 *Si fuerit Deus mecum,& custodierit me in via,&c.f.59.c.3.*

CAP. XXIX.

5 *Nunquid nostis Laban filium Nachor?f.222.c.3.*

CAP. XXX.

1 *Da mihi liberos,alioquin moriar.f.84. c.2.*

2 *Num pro Deo ego sum?ibidem.*

23 *Abstulit Deus opprobrium meum. fol.85.c.4.*

CAP. XXXII.

10 *Minor sum cunctis miserationibus tuis.f.248.c.1.*

26 *Dimitte me , iam enim ascendit aurora.Respondit,non dimittam te, &c.ibidem.& f.309.c.2.*

27 *Quod nomen est tibi?f.248.c.1.*

28 *Si contra Deũ fortis fuisti.f.129.c.4.*

CAP. XXXIII.

5 *Paruuli sunt quos donauit mihi Deus. f.84.c.3.*

CAP. XXXIV.

8 *Sichem filij mei adhæsit anima filiæ vestræ.f.240.c.1.*

CAP. XXXV.

2 *Abiicite Deos alienos , qui in medio vestri sunt,&c.f.167.c.1.*

CAP. XXXVII.

14 *Vade,& vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos.f.222.c.3.*

15 *Inuenit eum vir errantem in agro. f.262.c.4.*

35 *Descendam ad filium meum lugens in infernum.f.86.c.1.*

CAP. XL.

14 *Tantum memento mei cum bene tibi fuerit. f. 146.c.1. & 201. 2. & 246.2.*

23 *Et tamen succedẽtibus prosperis præpositus pincernarum,&c.f.201.c.2.*

CAP. XLI.

16 *Absque me,Deus respondebit prospera Pharaoni.f.222.c.3.*

40 *Ad oris tui imperium cunctus populus obediet.f.60.c.4.*

CAP. XLII.

14 *Exploratores estis vos,vt videatis inferiora terræ,venistis,&c.f.148.c.1.*

37 *Duos filios meos interfice si non reduxero illum,&c.f.241.c.3.*

CAP. XLIII.

8 *Mitte puerum mecum,&c.f.241.c.3.*

9 *Ego suscipio puerum,&c.f.126.c.4.*
Ero peccati reus in te omni tempore. f.241.c.3.

CAP. XLIV.

5 *Syphus,quē furati estis,&c.f.234.c.2.*

CAP. XLV.

1 *Non se poterat vltra cohibere Ioseph, &c.f.147.c.4.*

5 *Nolite pauere,neque durum vobis videatur,&c.f.159.c.2.*

8 *Qui fecit me quasi patrem Pharaonis.f.315.c.1.*

26 *Ioseph filius tuus viuit.f.242.c.1.*

27 *Reuixit spiritus eius.f.69.c.2.*

CAP. XLVII.

9 *Praui, & mali sunt dies mei.f. 194. c.2.& 215.2.*

19 *Cur ergo moriemur te vidēte? f.200. c.4.*

CAP. XLVIII.

7 *Mihi quando veniebam de Mesopotamia mortua est Rachel in terra Chanaan,&c.f.33.c.2.*

19 *Scio fili mi,scio,&c.f.338.c.1.*

CAP. XLIX.

3 *Principium doloris mei.f.316.c.1.*

8 *Iuda te laudabūt fratres tui.f.313.c.2.*

14 *Issachar accubans inter terminos.fol. 316.c.4.*

18 *Salutare tuum expectabo Domine. f.33.c.4.*

24 *Inde pastor egressus est lapis Israël. f.81.c.4.*

26 *Desiderium collium æternorum.f.24. c.1.& 52.1.*

27 *Beniamin lupus rapax.f.55.c.3.*

32 *Finitisque mandatis,quibus filios instruebat, collegit pedes suos.f.98. c.4.*

CAP. L.

20 *Vos cogitastis de me malum,sed Deus vertit illud in bonū,&c.f.251.c.1.*

24 *Cumque adiurasset eos,atque dixisset: Deus visitabit vos : asportate ossa mea.f.12.c.2.*

Ex Exodo.

CAP. I.

5 *Omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob.&c f.240.c.3.*

8 *Surrexit interea Rex nouus,qui ignorabat Ioseph.f.338.c.*

16 *Si masculus fuerit,interficite eum, si fœmina reseruate.f.112.c.4.*

CAP. II.

14 *Num occidere me tu vis?&c.f.331. c.4.*

22 *Aduena fui in terra aliena.f.333. c.3.*
Deus patris mei adiutor meus. ibid.

CAP. III.

2 *Cum videret,quod rubus arderet,& nō combureretur,dixit:vadam,&c.f.73. c.2.*

5 *Ne appropies huc, solue calceamenta &c. ibidem.*

14 *Ego sum qui sum.f.144.c.4.&216.1.*

CAP. IV.

2 *Quid est quod tenes in manu tua? f.200.c.4.*

13 *Mitte quem missurus es.f.33.c.4.*

CAP. VII.

19 *Dic ad Aaron: tolle virgam tuam, &c.f.332.c.2.*

CAP. VIII.

24 *Venit musca grauissima.f.143.c.3.*

CAP. X.

2 *Et narres in auribus filij tui,& nepotum tuorum quoties contriuerim Ægyptios,&c.f.314.c.4.*

CAP. XII.

3 *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias,&c. f.20.c.1.*

4 *Assumet vicinum suum, qui iunctus est domui sua,&c.f.240.c.3.*

10 Nec

10 *Nec remanebit quidquam ex eo vsque mane.f.73.c.1.*

11 *Renes vestros accingetis,& calceamẽta habebitis in pedibus,&c.f.63.c.3.*

13 *Erit autem sanguis vobis in signũ in ædibus.f.147.c.1.*

33 *Omnes moriemur.f.12.c.3.*

CAP. XIII.

2 *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.f.37.c.1.*

8 *Narrabisque filio tuo in die illo dicens : hoc est,quod faciet mihi Dominus,&c.f.315.c.1.*

19 *Efferte ossa mea hinc vobiscum.f.99. c.3.*

CAP. XIV.

14 *Dominus pugnabit pro vobis,& vos tacebitis.f.70.c.1.*

15 *Quid clamas ad me?f.200.c.4.*

25 *Fugiamus Israëlem:Dominus enim pugnat pro eis contra nos.f.70.c.1.*

CAP. XV.

20 *Tulit Maria tympanum in manu sua , egressæque sunt omnes mulieres, &c.f.310.c.2.*

CAP. XVI.

3 *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti,&c. f.70. cap.2.*

15 *Manhu? Quod significat:quid est hoc? fol.59.c.2.*

17 *Collegerunt,alius plus , alius minus, &c.f.80.c.3.*

19 *Nullus relinquat ex eo vsque mane. f.73.c.1.*

CAP. XVII.

13 *Fugauit Iosue Amalec , & populum eius in ore gladij.f.70.c.1.*

CAP. XX.

5 *Visitans iniquitatem patrum in filios, &c.f.81.c.4.*

CAP. XXI.

14 *Si quis conatus fuerit proximum suũ dolo perdere , & ad altare confugerit, abstractum afficie supplicio.f.123.c.4.*

CAP. XXV.

30 *Pones super mensas panes propositionis,&c.f.64.c.4.*

CAP. XXVI.

1 *Decem cortinas de bysso retorta,& de hyacinto ac purpura,&c.f.115.c.3.*

CAP. XXX.

19 *Missa aqua lauabunt in ea Aarõ,& filij eius manus suas,ac pedes.f.22.c.3.*

CAP. XXXII.

7 *Vade , & descende : peccauit populus tuus.f.243.c.3.*

10 *Dimitte me vt irascatur furor meus contra eos,&c.f.248 c.2.*

CAP. XXXIII.

11 *Loquebatur autẽ Dominus ad Moysen facie ad faciem,&c.f.123.c.1.*

13 *Si ergo inueni gratiã in cõspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.f.33.c.4.*

20 *Non videbit me homo,& viuet. fol. 73.c.3*

CAP. XXXIV.

6 *Dominator Domine Deus miserator, & clemens.f.337.c.2.*

CAP. XXXVIII.

8 *Fecit,& labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum.f.22.c.3.*

Ex Leuitico.

CAP. II.

13 *Quidquid obtuleris sacrificij,f.ale co[illegible]dies,&c.f.213.c.4.*

14 *Si obtuleris munus primarum frugũ tuarum Domino de spicis adhuc virentibus,torrebis igni.&c.f.111.c.2.*

CAP. VI.

12 *Ignis in altari semper ardebit,quem nutriet sacerdos,&c.f.62.c.2.& 338. c.3.*

CAP. IX.

23 *Apparuit gloria Domini omni multitudini , & ecce egressus ignis,&c. fol.62.c.2.*

CAP. XI.

13 *Hæc sunt,quæ de auibus comedere non debetis,&c.f.332.c.4.*

CAP. XIX.

23 *Quando ingressi fueritis terram , & plantaueritis in ea ligna pomifera, &c.f.112.c.2.*

CAP. XXII.

5 *Qui tangit reptile, & quodlibet immundum,&c.f.257.c.1.*

CAP. XXIII.

42 *Habitabitis in vmbraculis septem diebus, vt discant posteri vestri, &c.fol.322.c.3.*

CAP. XXIV.

11 *Nomen matris eius erat Selomith. fol.320.c.4.*

CAP. XXV.

4 *Septimo autem anno sabbathum erit terræ requietionis Domini,&c. f.199.c.1.*

29 *Qui vendiderit domum intra vrbis muros.f.165.c.2.*

CAP. XXVI.

6 *Dabo pacem in finibus vestris.f.222. c.4.*

24 *Percutiam vos septies propter peccata vestra.f.136.c.2.*

30 *Abominabitur vos anima mea. fol. 240.c.3.*

CAP. XXVII.

32 *Omnium decimarum bouis,& ouis, capræ,quæ sub pastoris virga trāseunt,&c.f.285.c.1.*

Ex Numeris.

CAP. X.

9 *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis,&c.f.5.c.4.*

CAP. XI.

4 *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?f.70.c.2.*

14 *Non possum sustinere omnem hunc populum,&c.f.191.c.2.*

16 *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël,&c.f.196.c.3.*

17 *Et auferam de spiritu tuo, tradámque eis.ibidem.*

25 *Requieuit in eis spiritus, prophetauerunt,&c.f.286.c.1.*

33 *Adhuc carnes erant in dentibus eorum,&c.f.70.c.2.*

CAP. XVI.

3 *Cur eleuamini super populum Domini?f.260.c.4.*

CAP. XVII.

5 *Quem ex his elegero,germinabit virga eius.f.326.c.4.*

CAP. XXI.

5 *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.f.66.c.2.*

CAP. XXIII.

10 *Moriatur anima mea morte iustorum.f.244.c.2.*

CAP. XXIX.

70 *Decima quoque dies mēsis huius septimi erit vobis sancta. f.210.c.3.*

CAP. XXXIII.

3 *Sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.f.12.c.3.*

8 *Ambulantes tribus diebus per desertum Ethan,&c.f.207.c.3.*

Ex Deuteronomio.

CAP. IV.

6 *En populus sapiens,& intelligens,gens magna,&c.f.59.c.1.*

9 *Ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui,&c.f.322.c.3.*

CAP. VI.

6 *Eruntque verba hæc,quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo,&c. f. 286. c.2.*

CAP. VII.

7 *Vobis iunctus est Dominus.f.240.c.1.*

CAP. IX.

7 *Memento,& ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum,&c.f.9.c.3.*

CAP. X.

15 *Tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus.f.240.c.1.*

CAP. XI.

18 *Ponite hæc verba mea in cordibus vestris,&c.f.322.c.3.*

Inter oculos vestros collocate.f.318.c.3.

CAP. XXVIII.

12 *Aperiet Dominus Thesaurum suum optimum cælum,&c.f.84.c.4.*

24 *Det*

24 *Det Dominus imbrem terræ tuæ, puluerem, &c. f. 19. c. 4.*
49 *Adducet Dominus super te, gentem de longinquo, &c. ibidem. c. 2.*

CAP. XIX.

18 *Ne sit inter vos radix germinans fel, &c. f. 231. c. 4. & 233. 4.*

CAP. XXX.

9 *Reuertetur Dominus, vt gaudeat super te, &c. f. 201. c. 4.*

CAP. XXXII.

4 *Dei perfecta sunt opera. f. 268. c. 1.*
5 *Peccauerunt ei. f. 243. c. 4.*
36 *Iudicabit Dominus populum suum, &c. f. 85. c. 1.*
41 *Si acuero vt fulgur gladium meum. f. 187. c. 4.*

CAP. XXXIII.

18 *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis, &c. fol. 316. c. 3.*

CAP. XXXIV.

5 *Mortuusque est Moyses iubente Domino. f. 15. c. 1.*

Ex Iosue.

CAP. IV.

10 *Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant intus in Iordane, &c. fol. 113. c. 3.*

CAP. VI.

17 *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino. f. 157. c. 1*

CAP. VII.

19 *Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, &c. f. 178. c. 1.*

CAP. VIII.

26 *Iosue verò non contraxit manum, quam extenderat. f. 257. c. 2.*

CAP. X.

12 *Sol contra Gabaon ne mouearis, &c. f. 40. c. 2. & 309. 3.*
16 *Fugerant enim quinque Reges, & se absconderãt in speluca, &c. f. 18. c. 3*

CAP. XVIII.

1 *Congregati sunt omnes filij Israël in Silo, &c. f. 229. c. 3.*

Ex Iudicibus.

CAP. V.

7 *Cessauerunt fortes in Israel, & quieuerunt, donec surgeret mater in Israel. f. 317. c. 2.*
8 *Qui noua bella elegit. f. 48. c. 4.*
14 *De Zabulon descenderunt, qui exercitum ducerent, &c. fol. 308. c. 3.*

CAP. VI.

14 *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel, &c. f. 247. c. 1.*

CAP. VII.

20 *Gladius Domini, & Gedeonis. ibid. c. 2.*

CAP. VIII.

7 *Cum ergo tradiderit Dominus Zebee, & Salmana in manu meas, &c. fol. 222. c. 3.*
9 *Cum reuersus fuero victor in pace ibid.*

CAP. XIII.

7 *Ecce concipies, & paries filium, caue ne vinum bibas, &c. f. 319. c. 3.*
24 *Creuit puer, & benedixit ei Dominus, &c. ibid. c. 4.*

CAP. XVI.

7 *Si septem neruiceis funibus, nec dum siccis, &c. f. 35. c. 2.*
15 *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? &c. f. 41. c. 3.*

Ex Ruth.

CAP. I.

20 *Nolite me vocare Noëmi, sed vocate me Mara, quia amaritudine, &c. f. 219. c. 4.*

CAP. IV.

7 *Hic erat mos antiquus in Israel, vt si quando alter alteri suo iuri cedebat, &c. f. 73. c. 2.*

Ex I. Regum.

CAP. I.

13 *Labia eius mouebantur, &c. f. 150. 1.*

22 *Non vadam donec ablactetur infans, &c.f.113.c.4.*
27 *Pro puero isto oraui,&c.f.335.c.4.*
CAP. II.
1 *Lætata sum in salutari tuo.f.334.c.2.*
5 *Repleti prius pro panibus se locauerunt,&c.f.69,c.3.*
Sterilis peperit plurimos.f.136.c.2.
6 *Dominus mortificat, & viuificat. fol. 188.c.4.*
35 *Ædificabo ei domum fidelem, &c. f.100.c.1.*
CAP. III.
18 *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.f.159.c.1.*
CAP. V.
9 *Illis circunducentibus arcã, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ,&c.f.12.c.1.*
10 *Adduxerunt ad nos arcã Dei Israel, vt interficiat nos, & populum nostrum. ibidem.*
CAP. VI.
3 *Reddite ei pro peccato.f.178.c.2.*
5 *Facietis similitudinem annorum vestrorum,&c.ibid.*
12 *Ibant autem in directum vaccæ per viam,&c.f.12.c.1.*
CAP. X.
1 *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saul, &c.f.60.c.4.*
7 *Fac quæcunque inuenerit manus tua, quia Dominus tecũ est.f.290.c.2.*
CAP. XV.
30 *Honora me coram populo. f.246.c.1.*
CAP. XVII.
2 *Porro Saul, & filij Israel venerunt in vallem Terebinthi.fol.168.c.3. & 264.3.*
28 *Quare venisti,& quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? &c. fol.251.c.2.*
29 *Quid feci? Nunquid non verbum est? ibidem.*
33 *Non vales resistere Philisthæo isti, &c. ibid c.3.*
34 *Pascebat seruus tuus gregem patris sui,&c. ibidem.& 178.3.*
45 *Tu venis ad me cum gladio, &c.fol. 252.c.1.*
CAP. XX.
8 *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, &c.f.132.c.4.*
18 *Cras calendæ sunt,& requireris,&c. f.4.c.3.*
34 *Contristatus est super Dauid, &c. f.200.c.3.*
CAP. XXI.
4 *Non habeo laicos panes.f.117.c.2.*
7 *Potentissimus pastorum.f.282.c.3.*
9 *Non est huic alter similis, da mihi eum.f.70.c.4.*
13 *Et immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum,&c. f.332.c.1.*
CAP. XXV.
17 *Considera & recogita quid facias, quoniã cõpleta est malitia,&c.f.331.c.2.*
37 *Et emortuum est cor eius intrinsecus. f.69.c.2.*
CAP. XXXI.
4 *Euagina gladium tuum, & percute me f.50.c.2.*

Ex 2. Regum.

CAP. I.
18 *Vt docerent filios Iudæ arcũ.f.172.c.1.*
CAP. II.
26 *Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet.f.103.c.1.*
CAP. V.
6 *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos,& claudos.f.274.c.2.*
CAP. VI.
6 *Extendit Oza manum ad arcã Dei, & tenuit eam.&c.f.63 c.4.*
22 *Ludam, & vilior fiam plusquam factus sum.f.58 c.1.*
CAP. VII.
18 *Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea?&c.f.84.c.4.*
CAP. XI.
7 *Quæsiuit Dauid quam recte ageret Ioab,&c.f.222.c.3.*
25 *Varius enim euentus est belli.f.5.c.4.*

CAP. XII.
13 *Peccaui Domino: Dominus transtulit peccatum tuum, &c.f.246. c.2. & 269.2.*
CAP. XIII.
31 *Scidit vestimenta sua, & cecidit super terram.f.242.c.2.*
37 *Luxit Dauid filiũ suum multis diebus.f.86.c.2. & 198.2.*
CAP. XIV.
14 *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.f.94.c.3.*
24 *Reuertatur in domũ suam, & faciem meam non videat.f 270.c.2.*
25 *Sicut Absalon vir non erat pulcher in omni Israel, &c.f.93.c.2.*
CAP. XVIII.
9 *Accidit autem, vt occurreret Absalon seruis Dauid sedẽs mulo, &c.f.93.c.3.*
18 *Absalon erexerat sibi cum adhuc viueret titulum, dixerat enim; non habeo filium, &c.f.117.c.3.*
29 *Est ne pax puero Absalõ? f.222.c.3.*
33 *Fili mi Absalon, Absalon fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, fol. 88.c.4.*
CAP. XIX.
13 *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris, &c.fol. 221.c.3.*
35 *Octogenarius sum hodie: nunquid vigent sensus mei, &c.f.187.c.3.*
CAP. XXI.
1 *Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, &c.f.50.c.1.*
CAP. XXII.
50 *Confitebor tibi Domine in gentibus, & nomini tuo cantabo.f.313.c.2.*
CAP. XXIII.
8 *Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter omnes.f.315. c.3.*
15 *O si quis mihi daret potũ aquæ de cisterna, &c.fol.34.c.1. & 3. & 115.4.*
16 *Sed libauit eam Domino.f.337. c.4.*
20 *Ipse percussit duos leones Moab. fol. 55.c.3.*
CAP. XXIV.
16 *Misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti, &c. fol.131.c.4.*

Ex 3. Regum.

CAP. I.
21 *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.f.164.c.4.*
CAP. II.
16 *Nunc ergo petitionem vnam precor à te, &c.f.200.c.3.*
19 *Surrexit Rex Salomon in occursũ eius adorauitque eam, &c.f.54.c.3.*
20 *Petitionem vnam paruulam ego deprecor à te.f.200.c.3.*
32 *Reddet Dominus sanguinem eius, quia interfecit duos viros iustos, &c.f.275.c.1.*
CAP. III.
5 *Postula quod vis vt dem tibi, &c.fol. 327.3.*
11 *Quia hoc magis placuit cordi tuo, &c. ibidem.*
26 *Commota sunt quippe viscera eius super filio suo,f. 325.c.4.*
CAP. IIII.
20 *Iuda, & Israel innumerabiles sicut arena maris, &c.f.227.4.*
CAP. VII.
16 *Erant ex ære fusiles.fol.30.c.3.*
CAP. VIII.
23 *Qui custodis pactum, & misericordiam seruis tuis, &c.f.100.c.1.*
CAP. X.
18 *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem.f.133.c.1.*
CAP. XV.
3 *Ambulauit in omnibus peccatis patris sui, &c.f.57.c.4.*
CAP. XVIII.
1 *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, si erit ros, & pluuia nisi per me, &c.fol.205.c.2.*
2 *Recede hinc, vade &c. ibidem.*
12 *Viuit Dominus, non est mihi subcinericius panis, &c. ibidem.*
14 *Donec det Dominus pluuiam super terram.ibidem.c.3.*

CAP. XVIII.
34 *Implete quatuor hydrias aqua.f.149.c.1.*
CAP. XIX.
4 *Petiuit anima sua vt moreretur.f.89.c.3.*
Sufficit mihi Domine, tolle animam meam à me.f.132.c 4.
7 *Surge, comede: grandis enim tibi restat via, &c.f.123.c.1.*
CAP. XX.
10 *Hæc faciant mihi dij, & hæc addãt, si sufficerit pulуis Samariæ, &c.f.19.c.4.*
CAP. XXI.
19 *Occidisti insuper, & possedisti: hæc dicit Dominus, &c.f.151.c.2.*
27 *Cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, &c.f.12.c.2.*
29 *Nonne vidisti humiliatũ Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, &c.f.151.c.5.*

Ex 4. Regum.

CAP. II.
23 *Dicentes: ascende calue, ascende calue.f.19.c.1.*
CAP. VI.
5 *Accidit vt cùm vnus ex filijs prophetarum materiam succidisset, caderet ferrũ securis in aquã, &c.f.50.c.4.*
20 *Domine aperi oculos istorum, vt videant, &c.f.288.c.2.*
CAP. XVIII.
2 *Viginti quinque annorũ erat Ezechias cum regnare cœpisset, &c.f.3.c.1.*
3 *Fecit Ezechias quod erat bonũ coram Domino, &c.f.58.c.1.*
CAP. XIX.
32 *Hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum, non ingredietur vrbem hanc, &c. fol.204.c.3.*
CAP. XX.
1 *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, &c. ibidem.*
3 *Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, &c. fol.234.c.3. & 249.3.*
4 *Antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij Regis, &c.f.204.c.3.*
5 *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.f.141.c.3.*
Ecce sanaui te, die tertio ascendes templum Domini.f.25.c.1.
CAP. XXI.
12 *Ecce ego inducam mala super Hierusalem & Iudam, &c.f.160.c.2.*
13 *Extendam super Hierusalem funiculum Samariæ, &c.f.134.c.4.*

Ex 1. Paralipomenon.

CAP. VI.
10 *Ipse est qui coram Deo sacerdotio functus est.f.76.c.3.*

Ex 2. Paralipomenon.

CAP. II.
13 *Misi ergo tibi virum prudentem, & scientissimum Hiram, &c.f.315.c.4.*
CAP. XXVI.
18 *Non est tui officij: egredere de sanctuario.fol.16.c.3.*

Ex 3. Esdræ.

CAP. IX.
7 *Vos inique fecisti collocantes vobis in matrimonium vxores alienigenas, &c.f.178.c.1.*

Ex Tobia.

CAP. I.
9 *Cum factus esset vir, accepit vxorem Annam de tribu sua, &c.f.314.c.4.*
CAP. XII.
19 *Videbar vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, &c.f.28.c.1.*

Ex Esther.

CAP. VIII.
16 *Iudæis autem noua lux oriri visa est.f.197.c.1.*

CAP. XI.

8 *Fuit dies illa tenebrarum, &c. ibidem.*

11 *Lux, & sol ortus est, &c. ibidem.*

Ex Iob.

CAP. I.

20 *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* f.152. c.2.

21 *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* f.6.c.4.& 208.3.& 4.& 298.4. *Sicut Domino placuit ita factum est.* f.152.c.3.

22 *Nihil contra Deum loquutus est.* f.6. c.4.

CAP. II.

9 *Benedic Deo, & morere.* f.208.c.3.

10 *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta est, &c. ibidem, & 209.1.*

CAP. IV.

5 *Nunc venit super te plaga, & defecisti, &c.* f.130.c.1.

13 *Quando solet sopor occupare homines.* f.288.c.1.

20 *De mane vsque ad vesperam succidentur.* f.104.c.2.

CAP. V.

7 *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum.* f.16.c.2.

18 *Ipse vulnerat, & medetur.* f.136.c.1.

19 *In sex tribulationibus liberabit te, &c. ibidem.*

20 *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij. ibidem.* c.2.

22 *Bestias terræ non formidabis. ibidem.* c.3.

23 *Sed cum lapidibus regionum erit habitatio tua. ibidem.* & 219.c.1.

CAP. VII.

1 *Militia est vita hominis super terram.* f.5.c.3.& 92.1.

5 *Induta est caro mea putredine, &c.* f. 109.c.2.

6 *Dies mei velocius transierunt, quam à texente tela succiditur.* f.3.c.1.

15 *Elegit hoc suspendium anima mea.* fol. 143.c.3.

18 *Visitas eum diluculo, & subito probas illum.* f.6.c.1.

20 *Peccaui: quid faciam tibi.* f.185.c.1.

21 *Si mane me quæsieris, non subsistam.* f.83.c.4.

CAP. IX.

8 *Qui graditur super fluctus maris.* fol. 284.c.2.

9 *Qui facit Arcturum, & Oriona. ibidem.*

25 *Dies mei velociores fuerunt cursore.* f.3.c.3.

26 *Pertransierunt quasi naues poma portantes.* 53.c.1.& 92.c.1.

30 *Si lotus fuero quasi aqua niuis, &c.* 183.c.2.

CAP. X.

8 *Manus tua Domine fecerunt me, &c.* 51.c.2.

11 *Pelle & carnibus vestisti me.* 82.c.3.

12 *Vitam & misericordiam tribuisti mihi, &c.* 206.c.1.

17 *Instauras testes tuos contra me.* 158. c.3.

20 *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum.* 148.c.2.

CAP. XII.

18 *Balteum Regum dissoluit, &c.* 215.c.3.

CAP. XIII.

15 *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.* 195.c.1.

26 *Scribis enim contra me amritudines.* 158.c.2.

CAP. XIV.

1 *Homo natus de muliere.* 193.c.2.

2 *Fugit velut vmbra, &c.* 118.c.4.

CAP. XV.

24 *Vndique terrebunt eum formidines, &c.* 236.c.3.

31 *Non credet frustra errore deceptus.* 83.c.2.

CAP. XVII.

11 *Dies mei transierunt, &c.* 19.c.4.

14 *Putredini dixi: pater meus es, &c.* 96. c. 3.

CAP. XVIII.

5 *Nonne lux impij extinguetur?* 197. c.1.

CAP. XIX.

6 *Saltem nunc intelligite, quia Dominus, &c.* 157.c.3.

7 *Ecce clamabo vim patiens, &c.* 274. c.4.

29 *In carne mea videbo Deum saluatorem meum.* 6.c.4.

CAP. XXI.

13 *Ducunt in bonis dies suos, &c.* 3.c.3.

CAP. XXII.

16 *Sublati sunt ante tempus suum.* 104. c.1.

CAP. XXVIII.

25 *Qui fecit ventis pondus.* 257.c.3.

CAP. XXIX.

7 *Quando procedebam ad portam ciuitatis, &c.* 315.c.3.

14 *Iustitia indutus sum, & vestiuit me, &c.* 18.c.1.

CAP. XXX.

22 *Eleuasti me, & quasi super ventum me ponens elisisti me valide.* 220.c.1.

CAP. XXXI.

26 *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè.* 6. c.4. & 216. c.1.

27 *Et lætatum est in abscondito cor meũ.* ibidem.c.2.

31 *Quis det de carnibus eius, vt saturemur.* 59.c.4.

33 *Si abscondi quasi homo peccatum meũ.* 84.c.4. & 178.4.

35 *Quis mihi tribuat auditorem, vt desiderium meum audiat omnipotens, &c.* 288.c.4.

CAP. XXXIII.

27 *Respiciet homines, & dicet: peccaui, &c.* 25.c.1. & 154.2. & 269.1.

CAP. XXXVII.

2 *Audite auditionem in terrore vocis eius.* 125.c.4.

CAP. XXXVIII.

4 *Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ, &c.* 309.c.2.

29 *De cuius vtero egressa est glacies, &c.* 94.c.2.

30 *In similitudinem lapidis aquæ durantur.* ibidem.

CAP. XXXIX.

1 *Nunquid parturientes ceruas obseruasti?* 316.c.2.

3 *Incuruantur ad fœtum, & pariunt, &c.* Ibidem.

16 *Duratur ad filios quasi non sint.* 87. c.2.

CAP. XLII.

5 *Nunc autem oculus meus videt te.* 240. c.4.

6 *Idcirco ipse me reprehendo, &c.* ibidem.

16 *Mortuus est senex, & plenus dierum.* 3.c.4.

Ex Psalmis.

PSALM. I.

1 *In via peccatorum non stetit.* 99.c.4. & 285.c.3. & 295.2.

In cathedra pestilentiæ non sedit. 107.c.1.

2 *In lege Domini voluntas eius* 124.c.2.

4 *Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, &c.* 191.c.1.

PSALM. II.

2 *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt.* 19.c.1.

9 *Reges eos in virga ferrea, &c.* 159.c.4.

11 *Seruite Domino in timore, &c.* 191. c.2.

12 *Apprehendite disciplinam.* 60.c.4.

PSALM. III.

6 *Quia Dominus suscepit me, non timebo millia, &c.* 198.c.3.

PSALM. IV.

5 *Irascimini, & nolite peccare.* 163.c.4. & 169.4.

Quæ dicitis in cordibus vestris. 151.c.3.

In cubilibus vestris compungimini. 21.c.3. & 184.4.

6 *Quis ostendit nobis bona?* 213.c.2.

7 *Dedisti lætitiam in corde meo.* Ibidem.

PSALM. V.

1 *Intellige clamorem meum.* 125.c.4.

PSALM. VI.

5 *Conuertere Domine, & eripe animam meam, &c.* 96.c.1.

6 *Non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem,&c.4.c.1.& 96.2.*
7 *Laboraui in gemitu meo.184.c.4.*
Lauabo per singulas noctes lectum meū: lachrymis meis,&c.149.c.1.& 150.2. & 151.3.& 182.4.& 184.1.
6 *Gloriam meam in puluerem deducat. 261.c.1.*
15 *Ecce parturiit iniustitiam,& peperit iniquitatem,&c.243.c.1.*

PSALM. VIII.

2 *Eleuata est magnificentia tua super cælos.307.c.4.*

PSALM. IX.

4 *Exacerbauit Dominum peccator.234. c.4.*
5 *Non est Deus in conspectu eius. 186. c.2.*
11 *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuum,&c.144.c.3.*
21 *Sciant gentes quoniam homines sunt. 9.c.2.*

PSALM. X.

6 *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.122.c.4.*
7 *Pluet super peccatores laqueos,&c.135. c.3 & 161.c.1.& 156.3.*
8 *Quoniam iustus Dominus,& iustitiam dilexit.135.c.4.& 156.3.*

PSALM. XII.

1 *Vsquequo Domine obliuisceris me in finem?143.c.4.*
4 *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte.281.c.4.*

PSALM. XIII.

6 *Quoniam Deus in generatione iusta est,&c.f.320.c.2.*

PSALM. XV.

4 *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus.103.c.2.*
11 *Notas mihi fecisti vias vitæ. 165.c.1.*
Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,&c.218.c.4.

PSALM. XVI.

4 *Vt non loquatur os meum opera hominum,&c.270.c.4.*
15 *Satiabor cum apparuerit gloria tua. 27.c.4.& 35.1.*

PSALM. XVII.

4 *Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis,&c.312.c.4.*
10 *Inclinauit cælos,& descendit.39.c.3.*
28 *Oculos superborum humiliabis. 126. c.2.*
30 *In Deo meo transgrediar murum.15? c.4.*
40 *Præcinxisti me virtute ad bellum. 284.c.3.*

PSALM. XIX.

4 *Holocaustum tuum pingue fiat.281.c.4.*

PSALM. XX.

4 *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.233.c.4.*
5 *Vitam petiit à te.89.c.2.*

PSALM. XXI.

6 *Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, &c.200.c.3.*
24 *Qui timetis Dominum, laudate eum. 304.c.3.*
25 *Timeat eum omne semen Israël. 33? c.1.*
27 *Edent pauperes,& saturabuntur,&c. 69.c.1.*

PSALM. XXII.

4 *Non timebo mala quoniam tu mecum es.140.c.1.*
Virga tua & baculus tuus,&c. 207.c.2.& 285.c.2.
5 *Parasti in conspectu meo mensam,&c. 70.c.4.*
Impinguasti in oleo caput meum. 213.c.2.
Poculum meum inebrians, quam præclarum est.67.c.3.

PSALM. XXIV.

11 *Propitiaberis peccato meo, multum est enim.184.c.4.*

PSALM. XXV.

4 *Non sedi cum concilio vanitatis. 250, c.4.*

PSALM. XXVI.

1 *Dominus protector vitæ meæ,à quo trepidabo.198.c.3.*
6 *In petra exaltauit me.9.c.4.*
13 *Credo videre bona Domini,&c. 23. c.1.& 102.3.*

14 *Expecta Dominum, viriliter age, &c.* 145.c.4.

PSALM. XXVIII.

11 *Dominus virtutem populo suo dabit.* 230.c.3.

PSALM. XXIX.

5 *Confitemini memoriæ sanctitatis eius.* 313.c.1.

6 *Quoniam ira in indignatione eius, &c.* 202.c.1.

10 *Nunquid confitebitur tibi pulnis, &c.* 276.c.3.

13 *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.* 6.c.1. & 222.1.

PSALM. XXX.

6 *In manus tuas commendo spiritum meum.* 4.c.3.

7 *Odisti obseruantes vanitates superuacuè.* 279.c.4.

8 *Quoniam respexisti humilitatem meam, &c.* f.106.c 4.

PSALM. XXXI.

. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, &c.* f.181.c.2.

3 *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, &c.* f.287.c.2.

6 *Veruntamen in diluuio aquarum multarum.* &c. f.21.c.1.

7 *Tu es refugium meum à tribulatione, &c.* f.199.c.2.

8 *Firmabo super te oculos meos. Ibidem.* c.3.

9 *Nolite fieri sicut equus & mulus.* fol 334.c.1.

PSALM. XXXII.

1 *Rectos decet collaudatio.* f.298.c.4.

16 *Non saluatur Rex per multam virtutem, &c.* f 17.c.2.

22 *Fiat misericordia tua Domine super nos, &c.* f.145.c.3.

PSALM. XXXIII.

2 *Benedicam Dominum in omni tempore.* f.298.c.4. & 299.1. & 302.2.

5 *Ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.* f.129.c.3.

9 *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.* f.31.c.1. & 65.4. & 106.2. & 233..3

11 *Diuites eguerunt, & esurierunt* f.214.c.3.

Inquirentes Dominum non deficient omni bono. f.194.c.1.

12 *Venite filij, audite me, &c.* f.314.c.4.

13 *Quis est homo qui vult vitam: diligit, &c.* f.28.c.4. & 29.2. & 194.2.

15 *Inquire pacem, & persequere eam.* f.230.c.1.

20 *Multæ tribulationes iustorum.* f.129.c.4.

22 *Mors peccatorum pessima.* fol. 103.c.3.

PSALM. XXXIV.

11 *Quæ ignorabam, interrogabant me.* f.158.c.2.

28 *Lingua mea meditabitur iustitiam tuam.* f.125.c.4. & 297.2.

PSALM. XXXV.

8 *Filij autem hominum in tegmine alarũ tuarum sperabunt.* f.67.c.3.

9 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* f.28 c.2. & 136.1. & 213.2.

13 *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* f.253.c.4.

PSALM. XXXVI.

7 *Subditus esto Domino, & ora eum.* f.197.c.2.

15 *Gladius eorum intret in corda ipsorum* f.243.c.2.

19 *Non confundentur in tempore malo.* f.191.c.3.

In diebus famis saturabũtur. f.291.c.3.

20 *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* f.218.c.1.

24 *Cum ceciderit, non collidetur, &c.* fol. 133.c.4.

30 *Os iusti meditabitur sapientiam.* f.125.c.4.

35 *Vidi impium superexaltatum, &c.* f.7.c.2. & 189.c.1.

36 *Transiui, & ecce non erat.* ibidem.

40 *Adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, &c.* f.144.c.3.

PSALM. XXXVII.

5 *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &c.* f.179.c.2. & 240.4.

6 Putrue

6 *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ,&c.f.*244.*c.*4.
7 *Tota die contristatus ingrediebar. fol.* 290.*c.*3.
11 *Dereliquit me virtus mea, &c. f.*126. *c.* 1.
19 *Quoniam iniquitatem meam annunciabo,&c.f.*181.*c.*4.& 264.*c.*4.

PSALM. XXXVIII.

3 *Obmutui, & humiliatus sum, &c. fol.* 127.*c.*4.& 238.4.
5 *Notum fac mihi Domine finem meum, &c.f.*93.*c.*3.
6 *Ecce mensurabiles posuisti dies meos. f.*90.*c.*2.& 102.2.
*Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.f.*91.*c.*4.
13 *Aduena ego sum apud te, & peregrinus.f.*124.*c.*4.

PSALM. XXXIX.

3 *Et statuit super petram pedes meos. f.* 9.*c.*4.& 219.1.& 253.4.
18 *Ego autem mendicus sum, & pauper. f.*323.*c.*4.

PSALM. XLI.

4 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte,&c.f.*34.*c.*3.& 4.
5 *Quoniam transibo in locum tabernaculi,&c.f.*162.*c.*1.
9 *In die mandauit Dominus misericordiam suam,&c.f.*207.*c.*4.

PSALM. XLIII.

22 *Æstimati sumus sicut oues occisionis. f.*15.*c.*3.

PSALM. XLIV.

8 *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.f.*163.*c.*4.
9 *Myrrha,& gutta, & casia à vestimentis,&c.f.*33.*c.*1.
11 *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, &c.f.*43 *c.*1.
52 *Concupiscet Rex decorem tuum. f.* 81. *c.*1.

PSALM. XLV.

1 *In finem, pro filijs Corè, pro arcanis. f.*322.*c.*4.
2 *Deus noster refugium, & virtus, &c. f.*198.*c.*3.
5 *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei f.*10.*c.*3.
11 *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus f.*30 *c.*1.

PSALM. XLVI.

2 *Omnes gentes plaudite manibus, &c. f.*301.*c.*3.

PSALM. XLVII.

8 *Ibi dolores vt parturientis.f.*85.*c.*1.

PSALM. XLVIII.

2 *Auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.f.*25.*c.*1.
11 *Simul insipiens, & stultus peribunt. f.* 293.*c.*3.
*Relinquent alienis diuitias suas f.*283. *c.*1.
13 *Homo cum in honore esset, non intellexit,&c.f.*160.*c.*3.
18 *Cum interierit, non sumet omnia. fol.* 283.*c.*1.
19 *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. f.*195.*c.*1.

PSALM. XLIX.

9 *Non accipiam de domo tua vitulos, &c. f.*304 *c.*2 & 3.
13 *Nunquid manducabo carnes taurorum,&c.f.*171.*c.*4.
14 *Immola Deo sacrificium laudis. ibid.* & 304.*c.*3.
16 *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas,&c.f.*260.*c.* 2.& 300.4.& 301.4.
21 *Existimasti inique, quod ero tui similis? Arguam te, &c f.*146.*c.*4.& 164.1.& 260 2.& 301.4.
23 *Sacrificium laudis honorificabit me.f.* 178.*c.*1.& 303.3.& 4.
*Illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.f.*335.*c.*3.

PSALM. L.

1 *Miserere mei Deus secundùm magnā, &c.f.*202.*c.*4.& 302.3.
4 *A peccato meo munda me.f.*163 *c.*3.
5 *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, &c.f.*164.*c.*1.& 262.1.
6 *Tibi soli peccaui,&c f.*186.*c.*1.
11 *Auerte faciem tuam a peccatis meis. f.*163.*c.*4.& 266.2.

15 *Doceb iniquos vias tuas, &c.* f.154. c.4.
18 *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem,&c.* f.303.c.4.
19 *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* f.149.c.2.

Psalm. LI.

4 *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* f.15. c.3.
7 *Propterea Deus destruat te in finem, &c.* f.23.c.2.
10 *Sicut oliua fructifera in domo Dei.* f. 282.c.1.

Psalm. LIV.

7 *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c.* f.35.c.4.
16 *Veniet mors super illos,&c.* f.4.c.1.
24 *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* f.3.c.4.& 103.4. 104.3. & 4.

Psalm. LV.

5 *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro.* f.198.c.3.
9 *Vitam meam annuntiaui tibi.* f.90.c.2. & 163.1.
12 *In me sunt Deus vota tua.* f.304.c.3.

Psalm. LVII.

11 *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit, &c.* f. 129.c.2.

Psalm. LVIII.

6 *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.* f.208 c.1.
18 *Adiutor meus tibi psallam, &c.* fol. 205.c.1.

Psalm. LIX.

3 *Deus repulisti nos, & destruxisti nos, &c* f.8.c.2.
11 *Quis deducet me in ciuitatem munitam?* f.56.c.2.
13 *Da nobis Domine auxilium de tribulatione.* f.145.c 4.& 189.4.

Psalm. LX.

4 *Turris fortitudinis à facie inimici.* fol. 284.c.2.

Psalm. LXI.

7 *Adiutor meus non emigrabo.* f.165. c.2.

9 *Sperate in eo omnis congregatio populi.* f.200.c.2.
Effundite coram illo corda vestra. fol. 147.c.3.

Psalm. LXII.

2 *Sitiuit in te anima mea,&c.* f.145.c.3.
4 *Melior est misericordia tua super vitas.* f.204.c.1.
Labia mea laudabunt te. f.301.c.4.
5 *Sic benedicam te in vita mea, &c.* ibidem.
6 *Sicut adipe, & pinguedine. repleatur anima mea &c.* f 281.c.4.& 304.1.

Psalm. LXIV.

2 *Te decet hymnus Deus in Sion.* f.297. c. 4.
10 *Visitasti terram, & inebriasti eam, &c* f.78. 4.
12 *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* f.52.c.1.

Psalm. LXV.

11 *Posuisti tribulationes in dorso nostro, &c.* f.203.c.4.
12 *Transiuimus per ignem,& aquã.* ibid.

Psalm. LXVI.

2 *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis.* f.308.c.2.

Psalm. LXVII.

14 *Si dormiatis inter medios cleros, &c.* f 316.c.4.
21 *Deus noster Deus saluos faciendi,&c.* f.15.c.1.

Psalm. LXVIII.

3 *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* f.48.c.3.
14 *In multitudine misericordiæ tuæ.* fol. 202.c.4.
31 *Laudabo nomen Dei cum cantico, &c.* f 305.c.1.
32 *Et placebit Deo super vitulum nouellum,&c.* ibid.c.2.

Psalm. LXX.

8 *Repleatur os meum laude, &c.* fol.298. c.4.& 307.1.
9 *Cum defecerit virtus mea ne derelinquas me.* f.195.c.4.
14 *Adiiciam super omnem laudem tuam.* f.298.c.2.

PSALM. LXXI.

6 *Descendet sicut pluuia in vellus. f.* 36. *c.*3. & 202.4.

13 *Animas pauperum saluas faciet. fol.* 240.*c.*3.

16 *Erit firmamentum in terra in summis montium.f.*61.*c.*1.

PSALM. LXXII.

1 *Quam bonus Israel Deus.f.*209.*c.*2.

3 *Pacem peccatorum videns. f.*237.*c* 1.

4 *Quia non est respectus morti eorum,&c. f.*12.*c.*1.

6 *Ideo tenuit eos superbia. ibidem.*

14 *Et fui flagellatus tota die,&c. f.*208. *c.* 2.

18 *Deiecisti eos dum alleuarentur. f.*217. *c.*3.& 218.1.

27 *Omnes qui elongant se à te, peribunt. f.*69.*c.*2.& 1 8.4.

PSALM. LXXIII.

4 *In medio sollemnitatis tuæ. fol.* 294. *c.*4.

14 *Tu confregisti capita draconis,&c. fol.* 169.*c.*4.

PSALM. LXXIV.

3 *Cum accepero tempus,ego iustitias iudicabo.f.*294.*c.*4.

7 *Quia neque ab Oriente neque ab Occidente.f.*144.*c.*2.

9 *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto.f.*202.*c.*2.& 205.3.

*Fæx eius non est exinanita.f.*206.*c.*1.

PSALM. LXXV.

3 *Factus est in pace locus eius.f.*230.*c.*2.

13 *Ipse aufert spiritum principum. f.*15. *c.*1.& 257. 3.

PSALM. LXXVI.

3 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui.f.*96 *c.*3.& 142.2.& 290 4.

4 *Memor fui Dei,& delectatus sum,&c. f.*125.*c.*2.& 210.4.

5 *Turbatus sum, & non sum loquutus. f.*148.*c.*1.

10 *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, &c.f.*202.*c.*2.

PSALM. LXXVII.

7 *Vt ponant in Deo spem suam, &c. fol.* 225.*c.*1.

25 *Panem Angelorum manducauit homo.f.*42.*c.*1.

45 *Misit in eos cænomyiam.f.*141.*c.*3.

60 *Et repulit tabernaculum Silo, &c. f.* 57.*c.*1.

67 *Et repulit tabernaculum Ioseph, &c. ibidem,& f.*224.*c.*2.

PSALM. LXXXI.

7 *Vos autem sicut homines moriemini fol.* 84.*c.*4.

PSALM. LXXXII.

14 *Deus meus pone illos vt rotam.f.*218. *c.*1.

PSALM LXXXIII.

3 *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.f.*300. *c.*2.

5 *Beati qui habitant in domo tua Domine, &c f.*30.*c.*2.

6 *Beatus vir cuius est auxilium abs te, & f.*165.*c.*4 & 255.4.

8 *Ibunt de virtute in virtutem. f.* 120. *c.*1.

11 *Melior est dies vna in atrijs tuis super millia.f.*29.*c.*1.

*Elegi abiectus esse in domo Dei mei, &c.f.*54.*c.*2.

PSALM. LXXXIV.

6 *Nunquid in æternum irasceris nobis? f.*201.*c.*4.

11 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi,&c.f.*157.*c.*4.

12 *Veritas de terra orta est.f.*181.*c.*1.

PSALM. LXXXV.

4 *Lætifica animam serui tui.f.*212.*c.*4.

PSALM. LXXXVII.

10 *Oculi mei languerunt præ inopia. fol.* 126.*c.*1.

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia, &c.f.*277.*c* 1.

12 *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam?f.*243. *c.*4.

14 *Et mane oratio mea præueniet te. fol.* 141.*c.*4.

15 *Vt quid Domine repellis orationem meam? Ibidem.*

PSALM. LXXXVIII.

16 *Beatus populus, qui scit iubilationem.* 212.*c.*4.

Domine

Domine in lumine vultus tui ambulabunt, &c. ibid.c.3.& 310.4.
18 *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, &c.212.c.3.*
31 *Si autem dereliquerint filij tui legem meam, &c.129.c.1.*
32 *Si iustitias meas prophanauerint, visitabo, &c. ibidem.*

Psalm. LXXXIX.

4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos, &c.98.c,2.*
10 *Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni, &c.215.c.2.*
Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.15.c.2.
11 *Quis nouit potestatẽ iræ tuæ?155.c.2.*
12 *Dexteram tuam sic notam fac, &c. 21.c.4.& 94.3.*
13 *Cõuertere Domine vsquequo.143.c.4.*

Psalm. XC.

9 *Tu es Domine spes mea.144 c.3.*
12 *In manibus portabunt te, &c.136.c.3.*
14 *Quoniam in me sperauit, liberabo eum. 240.c.1.*
16 *Longitudine dierum replebo eum, &c. 29.c.1.*

Psalm. XCI.

9 *Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, &c.299.c.2.*
15 *Bene patientes erunt, vt annuncient. 130.c.2.*

Psalm. XCII.

1 *Dominus regnauit: decorem indutus est, &c.43.c.1.*

Psalm. XCIII.

18 *Si dicebam: motus est spes meus: misericordia tua multa Domine, &c. 283.c 4.*
20 *Qui fingis laborem in præcepto.138. c.3.& 207.4.*

Psalm. XCIV.

20 *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.335.c.4.*
11 *Quibus iuraui in ira mea, &c.188. c.1.*

Psalm. XCVI.

8 *Exultauerunt, & lætata sunt, &c. 155.c 3.*

Psalm. XCVII.

6 *In tubis ductilibus, &c.208.c.4.*

Psalm. XCVIII.

8 *Domine Deus noster tu exaudiebas eos, &c.161.c.1.& 208.c.3.*

Psalm. XCIX.

2 *Seruite Domino in lætitia.208.c.3.*
Introite in conspectu eius in exultatione.35.c.3.

Psalm. C.

2 *Perambulabam in innocentia cordis mei, &c.f.120.c.3.*

Psalm. CI.

4 *Defecerunt sicut fumus dies mei. fol. 292.c.1.*
5 *Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum.f.67.c.2.*
11 *A facie iræ, & indignationis tuæ, &c. f.220.c.1.*
25 *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum. fol. 105. c. 4. & 112.2. & 296.1.*

Psalm. CII.

1 *Benedic anima mea Domino.f.27.c.3. & 307.4.*
5 *Qui replet in bonis desiderium tuum. f.27.c.3.*
8 *Miserator, & misericors Dominus, &c. f.110.c.2.*
9 *Non in perpetuum irascetur, &c.f.202. c.1.*
11 *Secundùm altitudinem cæli à terra corroborauit misericordiam suam, &c.f.197.c.2.*
13 *Quomodo miseretur pater filiorum, &c.ibidem.c.3.*
21 *Benedicite Domino omnes virtutes eius, &c.f.301.c.3.*

Psalm. CIII.

2 *Amictus lumine sicut vestimento, fol. 41.c.2.*
3 *Qui ambulas super pennas ventorum. f.292.c.1.*
35 *Deficiant peccatores à terra, &c. 287. c.4.*

Psalm. CIV.

18 *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, &c.f.130.c.3.*

20 *Eloquium Domini inflammauit eum.* 111.c.3.

21 *Constituit eum Dominum domus suæ,* &c.315.c.2.

37 *Non erat in tribubus eorum infirmus.* 12.c.2.

PSALM. CV.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus.* 298.c.1.

2 *Quis loquetur potentias Domini,*&c. *ibidem.*

3 *Beati qui custodiunt iudicium,* &c. 232.c.1.

23 *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses,*&c.248.c.2.

38 *Et infecta est terra in sanguinibus,* &c.243.c.4.

PSALM. CVI.

2 *Dicant qui redempti sunt à Domino,* &c.264.c.4.

4 *Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis,*&c.95.c.1.

33 *Posuit flumina in desertum,& exitus aquarum in sitim.*243.c.3.

PSALM. CVIII.

7 *Oratio eius fiat in peccatum.*116.c.4.

PSALM. CIX.

1 *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis.*54.c.3.

3 *In splendoribus sanctorum,*&c. 173. c.2.

PSALM. CX.

2 *Magna opera Domini, exquisita,*&c. 66.c.3.

PSALM. CXI.

2 *Potens in terra erit semen eius.* 81. c.1.

Generatio rectorum benedicetur. 320.c.2.

PSALM. CXII.

1 *Laudate nomen Domini.*305.c.3.

3 *A solis ortu vsque ad occasum.* 304. c.1.& 309.3.

4 *Excelsus super omnes gentes Dominus.* 298.c.2.

PSALM. CXIII.

17 *Non mortui laudabunt te Domine.* 24.c.3.& 313.3.

18 *Nos qui viuimus benedicimus Domino.*307.c.1.

PSALM. CXIV.

3 *Circundederunt me dolores mortis,*&c. 85.c.2.

7 *Conuertere animam meam in requiem tuam, quia Dominus,*&c. 108.c.4. & 297.2.

8 *Quia eripuit animam meam de morte.* 14.c.1.

9 *Placebo Domino in regione viuorum.* 241.c.2.

PSALM. CXV.

11 *Ego dixi in excessu meo,*&c. 214.c.3.

15 *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*16.c.4.

PSALM. CXVII.

6 *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.*198.c.3.

24 *Hæc dies quam fecit Dominus,*&c. 52.c.4.

PSALM. CXVIII.

14 *In via testimoniorum tuorum delectatus sum,*&c.109.c.3.

17 *Retribue seruo tuo,*&c. 104.c.4.& 297.1.

20 *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.*123.c.2.

25 *Adhæsit pauimento anima mea.* f.219. c.3.

32 *Viam mandatorum tuorum cucurri.* f. 114.c.4.

44 *Et custodiam legem tuam semper,*&c. f.21.c.1.

54 *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ,*&c.f.310.c.3.

71 *Bonum mihi, quia humiliasti me.*160. c.2.

81 *Defecit in salutare tuum anima mea,* &c.38.c.2.

85 *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes.*211.c.2.

103 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.*67.c.3.

108 *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.*113.c.4.

122 *Suscipe seruum tuum in bonum.*126. c.4.

131 *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* 302 c.2.
136 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.* 151.c.3.
164 *Septies in die laudem dixi tibi.* 136. c.2 & 307.2.
171 *Eructabunt labia mea hymnum, &c.* 306.c.3.

PSALM. CXIX.

5 *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* 101.c.3.

PSALM. CXXI.

2 *Stantes erant pedes nostri, &c.* 137. c.3.

PSALM. CXXII.

1 *Ad te leuaui oculos meos, &c.* 126. c.2.
2 *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, &c. ibidem.* c.3.

PSALM. CXXV.

1 *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion.* 188.c.2.
6 *Euntes ibant, & flebant, &c.* 139.c.3.

PSALM. CXXVI.

2 *Vanum est vobis ante lucem surgere.* 212.c.3.
5 *Non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.* 16 c.3.

PSALM. CXXVII.

2 *Labores manuum tuarum quia manducabis, &c.* 107.c.4. & 139.2.

PSALM. CXXVIII.

3 *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* 268.c.4.

PSALM. CXXIX.

1 *De profundis clamaui ad te Domine, &c.* 255.c.4.
4 *Quia apud te propitiatio est, &c.* 272. c.3.

PSALM. CXXX.

1 *Domine non est exaltatum cor meum, &c.* 126.c.2.

PSALM. CXXXI.

9 *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* 283.c.1.
17 *Paraui lucernam Christo meo.* 87.c.1.

PSALM. CXXXII.

1 *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare, &c.* 222.c.2 & 223.1.

PSALM. CXXXIII.

2 *In noctibus extollite manus vestras in sancta.* 208.c.3.

PSALM. CXXXIV.

1 *Laudate nomen Domini, laudate serui Dominum.* 308.c 1.

PSALM. CXXXV.

1 *Confitemini Domino quoniam bonus, &c.* 309.c.1.

PSALM. CXXXVII.

6 *Excelsus Dominus, & humilia respicit, &c.* 248.c.3.

PSALM. CXXXVIII.

12 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te.* 173.c.1.
24 *Et vide si via iniquitatis in me est, &c.* 295.c.2.

PSALM. CXL.

2 *Dirigatur oratio mea sicut incensum, &c.* 62.c.1. & 64.1.
7 *Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.* 4.c.2.

PSALM. CXLI.

3 *Effundo in conspectu eius orationem meam, &c.* 140.c.4.
6 *Tu es spes mea, portio mea, in terra viuentium.* 23 c.1.
8 *Educ de custodia animam meam.* 15. c.4.

PSALM. CXLII.

1 *Exaudi me in tua iustitia.* 204.c.1. & 249.2.
2 *Non intres in iudicium cum seruo tuo. Ibidem.*
6 *Sicut terra sine aqua tibi.* 150.c.2.

PSALM. CXLIII.

4 *Dies eius sicut vmbra prætereunt.* 290. c.3.

PSALM. CXLIV.

10 *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* 309.c.4.
14 *Alleuat Dominus omnes qui corruunt, &c.* 269.c.2.
16 *Aperis tu manum tuam, &c.* 84.c.3.

PSALM. CXLV.

2 *Laudabo Dominum in vita mea, &c.* 307.c.1.

PSALM. CXLVI.

1 *Laudate Dominum quoniam bonus est Psalmus.*298.*c.*3.

9 *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* 205.*c.*2.

10 *In fortitudine equi voluntatem habebit.*12.*c.*2.

PSALM CXLVII.

15 *Velociter currit sermo eius.*114.*c.*4.

PSALM. CXLVIII.

1 *Laudate Dominum de cælis,&c.*301. *c.*1.& 302.1.

4 *Et aquæ omnes,quæ super cælos sunt,laudent nomen Domini.*148.*c.*3.

7 *Laudate Dominum de terra.* 301.*c.*1.

PSALM. CXLIX

9 *Vt faciant in eis indicium conscriptum.* 158.*c.*1.

PSALM. CL.

6 *Omnis spiritus laudet Dominum.*304. *c.*4.& 306.1.

Ex Prouerbiis.

CAP. I.

7 *Timor Domini principium sapientiæ.* 55.*c.*1.

8 *Audi fili mi disciplinam patris tui,&c.* 317.*c.*2.

10 *Fili mi,si te lactauerint peccatores,&c. Ibidem.*

25 *Despexistis omne consilium meum,&c.* 116.*c.*3.

31 *Comedent igitur fructus viæ suæ.* 157. *c.*4.

CAP. II.

1 *Fili mi si susceperis sermones meos,&c.* 323.*c.*4.

2 *Inclina cor meum ad cognoscendam prudentiam.*256.*c.*2.& 257.2.

CAP. III.

18 *Lignum vitæ est his,qui apprehenderint eam.*290.*c.*1.

28 *Ne dixeris ,vade & reuertere , cras dabo,&c.*97.*c.*1.

CAP. IV.

4 *Suscipiat verba mea cor tuum.* 324.*c.*2.

19 *Via impiorum tenebrosa.*172.*c.*1.

CAP. V.

5 *Fauus* [illegible]*,&c.*232.*c.*2.

22 *Funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur.*146.*c.*3.

CAP. VI.

6 *Vade ad formicam ò piger,&c.*293.*c.*2.

9 *Quousque tandem piger iacebis,&c.* 291.*c.*4.

CAP. VII.

2 *Fili mi serua mandata mea , liga ea in digitis tuis.*286.*c.*2.& 290.2.

CAP. VIII.

17 *Qui mane vigilant ad me,inuenient me.*116.*c.*4.

27 *Quando præparabat cælos , &c.* 27. *c.*1.

Ex Parabolis.

CAP. X.

11 *Vena vitæ,os iusti,& os impiorum operit iniquitatem.* 180.*c.*2.& 181.4.

21 *Labia iusti erudiunt plurimos.* 226. *c.*4.& 227.3.

26 *Dentibus vexatio est,& fumus oculis, sic iniquitas mittentibus ea.*106.*c.*3.

28 *Expectatio iustorum lætitia.* 144.*c.*1. & 4.

CAP. XI.

18 *Impius facit opus instabile.*281.*c.*1.

27 *Benè consurgit diluculo,qui quærit bona,&c.*277.*c.*4.

CAP. XII.

5 *Cogitationes Iustorum iudicia.* 266. *c.*4.

20 *Qui autem pacis ineunt consilia,sequitur eos gaudium.*231.*c.*3.

CAP. XIII.

4 *Vult,& non vult piger.*288.*c.*2.

24 *Qui parcit virgæ , odit filium suum: qui autem diligit,&c.*325.*c.*2.

CAP. XIV.

10 *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ,&c.*232.*c.*2.

13 *Extrema gaudij luctus occupat.*6.*c.*1.

23 *In omni opere bono erit abundantia.* 281.*c.*2.

32 *Malitia sua expelletur impius.* 94.*c.*1.

CAP. XV.

15 *Secura mens quasi iuge conuiuium.* 254.c.1.

CAP. XVI.

2 *Spirituum ponderator est Dominus.* 257.c.3.

3 *Reuela Domino opera tua,&c.* 254.c.2.

7 *Cum placuerint Domino viæ hominis, &c.*225.c.3.

14 *Indignatio regis, nuntij mortis.*174.c.1.

15 *In serenitate vultus regis, vita.* 69.c.2.

30 *Qui attonitis oculis cogitat praua.* 199.c.3.

CAP. XX.

17 *Suauis est homini panis mendacij.*65.c.4.

CAP. XXI.

31 *Equus paratur ad diẽ belli,&c.*17.c.2.

CAP. XXII.

6 *Adolescens iuxta viam suam,etiam cum senuerit,&c.*106.c.4.& 317.3.

CAP. XXIII.

1 *Quando sederis vt comedas cum principe,&c.*1.& 65.4.& 67.1.

34 *Sicut dormiens in medio mari,&c.* 237.c.2.

CAP. XXIV.

16 *Septies in die cadit iustus,& resurgit* 136.c.2.

CAP. XXV.

3 *Calũ sursum,& terra deorsum.*42.c.1.

CAP. XXVII.

2 *Laudet te alienus,& non os tuum.*270.c.1.

CAP. XXX.

8 *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi.*6.c.2.

11 *Generatio,quæ patri suo maledixit.*81.c.3.

20 *Quæ comedit,& tergens os suum dicit, &c.*267.c.3.

30 *Leo fortissimus bestiarum,&c.* 55.c.3.

CAP. XXXI.

2 *Quid dilecte mi, quid dilecte votorum meorum?*84.c.3.

21 *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.*206.c.4.

Ex Ecclesiaste.

CAP. I.

2 *Vanitas vanitatum,& omnia vanitas.* 215.c.1.

3 *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo,&c.*280.c.3.

4 *Generatio præterit, & generatio vadit, &c.*13.c.4.

CAP. II.

8 *Feci mihi cantores,& cantatrices.* 187.c.3.

14 *Sapientis oculi in capite eius.*229.c.2.

CAP. III.

4 *Tempus flendi,& tempus ridendi.*284.c.2.

8 *Tempus belli,& tempus pacis.* 5.c.3.& 284.2.

CAP. V.

11 *Dulcis est somnus operanti.*278.c.3.

CAP. VI.

9 *Desiderare quod nescias.*162.c.1.

CAP. VII.

3 *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.*6.c.2.

CAP. IX.

1 *Nescit homo vtrùm amore, an odio dignus sit.*119.c.2.

10 *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare,&c.* 276.c.4. & 250.2.

12 *Nescit homo finem suum.sed sicut pisces capiuntur,&c.*93 c.1.

CAP. X.

7 *Vidi seruos in equis,&c.*191.c.3.

CAP. XI.

3 *Si ceciderit lignum ad Austrum,siue ad Aquilonem.*276.c.4.

CAP. XII.

1 *Memento Creatoris tui.*15.c.1.

5 *Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via,&c.*93.c.1.

*Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ,&c.*191.c.4.

Ex

Ex Canticis Canticorum.

CAP. I.

2 *Oleum effuſum nomen tuum.*41.c.3. & 206.1.

3 *Curremus in odorem vnguentorum tuorum.* 53. c.3.

*Introduxit me rex in cellaria ſua.*69. c.1.

Exultabimus,& lætabimur in te, &c. 38.c.2.

5 *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, &c.*261.c.2.

6 *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, &c.*30.c.4. 124.3.

12 *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi,&c.*35.c.1.

16 *Lectulus noſter floridus,&c.*284.c.4.

CAP. II.

1 *Ego flos campi.* 284.c.4.

2 *Sicut lilium inter ſpinas,&c.* 275. c. 2.

5 *Fulcite me floribus,&c.* 28.2.c.2.

8 *Ecce iſte venit.*42.c.2.

9 *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, &c.* 186.c.2.& 196.2.

10 *Surge, propera amica mea,&c.* 207. c. 3.

11 *Iam hyems tranſijt, imber abijt, &c.* 41.c. 1.

12 *Flores apparuerunt in terra noſtra.*90. c. 4.

*Tempus putationis aduenit,vox turturis audita eſt in terra noſtra.*226.c.4.

13 *Ficus protulit groſſos ſuos.*111.c.4.

*Surge amica mea, & veni columba mea,&c.*9.c.4. & 50 c 3.

14 *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua,&c.*301.c.4.

15 *Capite nobis vulpes paruulas, &c.*113. c.2.

CAP. III.

2 *Dixi:ſurgam,& circuibo ciuitatem.*23. c. 3.

4 *Paululum cum per tranſiſſem eos, inueni,&c.*27.c.2.

*Tenui eum, nec dimittam.*31.c.4.

5 *Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ,&c.*333.c.3.

CAP. IV.

2 *Dentes tui ſicut greges tonſarum, &c.* 15.c.3.

3 *Sicut fragmen mali punici,ita gena tua, &c.*254.c.4.

4 *Sicut turris Dauid collum tuum, &c.* 49. c.2.

6 *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*254.c.3.

7 *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum, &c.* 229. c.2.

11 *Mel & lac ſub lingua eius.* 207. c.4.

*Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.*18.c.1.

CAP. V.

1 *Comedi fauum cum melle meo,&c.*68. c. 2.

Bibite, & inebriamini chariſſimi. ibidem, &c 28.2.

2 *Ego dormio, & cor meum vigilat.* 302. c.2.

Aperi mihi ſoror mea, &c. 46. c.3.& 140.3.& 148.3.

14 *Manus illius tornatiles, aureæ, &c.* 306.c.3.

*Venter eius eburneus,diſtinctus ſapphiris.*318.c.2.

16 *Totus deſiderabilis.*32.c.2.

CAP. VI.

10 *Deſcendi in hortum meum, &c.* 111. c.2.

CAP. VII.

1 *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?*308 c.4.

*Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis.*79.c.2.

4 *Naſus tuus ſicut turris Libani, &c.*8. c.2 & 18.1.

13 *Mandragoræ dederunt odorem.* 38. c. 4.

*In portis noſtris omnia poma: noua, &c.*39.c.1.

CAP. VIII.

1 *Quis mihi det te fratrem meum, &c.* 35.c.4.

3 *Dextera illius amplexabitur me.* 338. c.1.

6 Pone me vt signaculum super cor tuum, &c.79.c.1.
Fortis est vt mors dilectio.93.c.3.
8 Soror nostra parua, & vbera non habet. 49.c.1.
Quid faciemus sorori nostræ, &c. ibidem.
9 Si murus est, ædificemus super eum propugnacula. ibid.c.2.

Ex Sapientia.

Cap. I.
1 Sentite de Domino in bonitate, &c. 213.c.3.
6 Benignus quidem spiritus Sapientiæ, &c.103.c.3.
Cap. II.
16 Præfert nouissima iustorum. 108. c. 1.
23 Deus creauit hominem inexterminabilem.86.c.4.
Cap. III.
2 Visi sunt oculis insipientium mori, &c. 222.c.3.
Cap. IV.
9 Ætas senectutis, vita immaculata.100. c.3.
10 Placens Deo factus est dilectus, &c. 101.c.2.& 102.4.
11 Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.101.c.3.
13 Consummatus in breui expleuit tempora multa. 100.c.1.
14 Placita erat Deo anima illius, &c. 101.c.1.
Populi autem videntes, & non intelligentes, &c. ibidem.
16 Condemnat iuuentus celerius consummata, &c.100.c.4.
Cap. V.
24 Ad eremum perducet omnem terram, iniquitas illorum, &c.243.c.3.
Cap. VII.
1 Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus.12.c.3.
7 Optaui, & datus est mihi sensus, &c. ibidem.
Cap. IX.
15 Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, &c.213.c.3.
Cap. XII.
18 Tu autem Dominator virtutis cũ tranquillitate iudicas, &c.154.c.3.
Cap. XIV.
27 Idolorum cultura omnis mali initium & finis.108.c.2.
Cap. XVI.
27 Ab igne non poterat exterminari, &c. 263.c.2.

Ex Ecclesiastico.

Cap. II.
11 Nullus sperauit in Domino, & confusus est.200.c.3.
15 Væ dissolutis corde, qui non credunt, &c. ibidem.
Cap. IV.
23 Fili conserua tempus, & deuita à malo.296.c.1.
Cap. V.
5 De propitiato peccato noli esse sine metu, &c.265.c.4.
8 Non tardes conuerti ad Dominum, &c. 96.c.4.
Cap. VI.
19 Quasi is, qui arat, & qui seminat, accede ad sapientiam, &c. 281.c.1.
Cap. VII.
24 Filij tibi sunt? Erudi illos, &c. 317. c. 3.
40 Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. 95.c.1.
Cap. VIII.
6 Nec despicias hominem auertentem se à peccato, &c.164.c.4.
Cap. X.
8 Regnum à gente in gentem transfertur. 215.c.3.
9 Quid superbit terra, & cinis 9.c.3.
Cap. XI.
29 Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.162.c.2.
30 Neminem laudaueris in vita sua. 10. c.4.

In

In filijs suis agnoscitur vir. 87.c.1.

CAP. XIII.

1 *Qui picem attigit, inquinabitur ab ea.* 101.c.3.

CAP. XIV.

14 *Non defrauderis à die bono,&c.* 295. c.1.

17 *Ante obitum tuum operare iustitiam, &c.* 277.c.4.& 292.1.

CAP. XV.

9 *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* 260.c.2.& 300.4.& 302.1.

CAP. XVII.

26 *A mortuo quasi nihil petit confessio.* 272.c.3.

CAP. XVIII.

26 *A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus.* 83.c.4.

CAP. XXII.

6 *Flagella, & doctrina in omni tempore Sapientia.* 153.c.3.

CAP. XXIV.

1 *Sapientia laudabit animam suam.* 240. c.3.

26 *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* 27.c.2.

29 *Qui edunt me, adhuc esurient.* 118.c. 3.& 119.2.

CAP. XXVII.

5 *Sicut in percussura cribri remanebit puluis,&c.* 128.c.1.

CAP. XXX.

4 *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus,&c.* 87.c.1.

24 *Miserere animæ tuæ placens Deo.* 97. c.1.

CAP. XXXV.

8 *Oblatio iusti impinguat altare, &c.* 308.c.3.

21 *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* 64 c.1.

CAP. XXXVIII.

23 *Memor esto iudicij mei,sic erit & tuum,&c.* 22.c.

CAP. XXXIX.

41 *Et nunc in omni corde, & ore collaudate,&c.* 307.c.2.

CAP. XLI.

1 *O Mors quam amara est memoria tua, &c.* 14.c.4.& 89.4.

CAP. XLVI.

13 *Iudices singuli suo nomine,quorum non est corruptum cor,&c.* 88.c.1.

CAP. XLVII.

13 *Dominus purgauit peccata ipsius.* 164. c.3.

CAP. XLIX.

5 *Præter Dauid, & Ezechiam, &Ioziam,&c.* 108.c.2.

17 *Ioseph princeps fratrum,firmamentum gentis,&c.* 82.c.1.

CAP. LI.

15 *Laudabo nomen tuum assiduè.* 307. c.2.

35 *Videte oculis vestris, quia modicum laboraui,&c.* 281.c.1.

Ex Isaia.

CAP. I.

3 *Cognouit bos possessorem suum,&c.* 334. c.1.

16 *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* 266.c.2.

24 *Heu, consolabor super hostibus meis, &c.* 131.c.2.

CAP. III.

1 *Dominus exercituum auferet à Hierusalem,&c.* 187.c.3.

6 *Apprehendet vir fratrem suum domesticum,&c.* 191.c.2.

CAP. IV.

1 *Apprehendent septem mulieres.* 136. c.2.

CAP. VI.

1 *Vidi dominum sedentem super solium excelsum.* 54.c.3.

2 *Seraphim stabant.* 31.c.3.

5 *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus, &c.* 300.c.3.

8 *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* 113. c.4.

CAP. VII.

15 *Butyrum, & mel comedet, &c.* 119. c.4.

CAP.

CAP. VIII.
3 Dominum exercituum, ipsum sanctificate, &c. 144.c.1.
CAP. IX.
3 Laetabuntur coram te, &c.210.c.3.
4 Sicut in die Madian.48.c.4.
6 Paruulus natus est nobis, &c. 44.c.2. & 51.c.3.
Factus est principatus super numerum eius.268.c.3.
CAP. XII.
6 Exulta, & lauda habitatio Sion, &c. 47.c.3.
CAP. XIV.
13 Ascendam super altitudinem nubium, &c.259.c.2.& 286.4.
CAP. XV.
7 Secundùm magnitudinem operis,& visitatio eorum,&c.156.c.2.
CAP. XVI.
1 Emitte agnum Domine dominatorem terrae.36.c.2.
CAP. XVII.
13 Sicut turbo coram tempestate.190.c.4.
CAP. XXI.
1 Onus deserti maris,&c. ibidem.
9 Cecidit Babylon,&c. 159.c.2.
10 Tritura mea,& filij area mea.ibid.
CAP. XXIII.
23 Figam illum paxillum,&c.82.c.4.
25 In die illa dixit Dominus exercituum, auferetur paxillus,&c. ibid.c.2.
CAP. XXIV.
21 Visitabo super militiam caeli,&c.283. c.3.
CAP. XXV.
4 Spiritus robustorum.&c.257.c.3.
8 Auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie.47.c.4.
9 Ecce Deus noster,expectauimus eum,& saluabit nos.42.c.2.
CAP. XXVI.
3 Vetus error abijt.29.c.2.
18 In vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis.143.c.1.
CAP. XXVII.
7 Nunquid iuxta plagam percutientis se,percussit eum? 131.c.2.
CAP. XXVIII.
16 Ponam in Sion lapidem probatum,&c. 76.c.4.
Qui crediderit non festinet, &c. 143. c. 2.
21 Vt faciat opus suum, alienum opus eius,&c.45.c.3.
CAP. XXIX.
1 Vae Ariel,Ariel ciuitas,quam expugnauit Dauid.55.c.4.
Additus est annus ad annum: solemnitates,&c.55.c.4.
2 Et circundabo Ariel, & erit tristis, &c. ibid.
3 Circundabo quasi sphaeram in circuitu tuo,&c. ibid.
8 Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, &c.65.c.2.
CAP. XXX.
15 In silentio, & spe erit fortitudo tua. 197.c.1.
18 Expectat Dominus vt misereatur vestri.ibidem.c.4.& 143.c.2.
19 Populus Sion habitabit in Hierusalem.197.c.4.
Plorans nequaquam plorabis, &c.Ibidem.
26 Erit lux lunae sicut lux solis, & lux solis,&c.29.c.1.
CAP. XXXII.
9 Mulieres à spectaculo venientes, &c. 189.c.2.
18 Sedebit populus meus in pulchritudine pacis,&c.23.c.2.
18 Cor tuum meditabitur timorem.126. c. 1.
CAP. XXXIV.
6 Gladius Domini repletus est sanguine. 56.c.1.
CAP. XXXV.
8 Haec via sancta vocabitur.170.c.2.
CAP. XXXVII.
29 Cum fureres aduersum me, superbia tua ascēdit in aures meas,&c.11.c.3.
36 Egressus est Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum,&c.ibidem.

CAP.

CAP. XXXVIII.

3 *Obsecro Domine, memento quaso, quomodo ambulauerim coram te, &c.* 23. c.2. & 57.4. & 108.1. & 278.1.

5 *Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.* 141.c.3.

12 *Præcisa est velut à texente vita mea.* 3.c.1.

13 *Quasi leo, sic contriuit omnia ossa mea.* 83.c.3.

22 *Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?* 25.c.1.

CAP. XL.

2 *Suscepit de manu Domini duplicia, &c.* 206.c.2.

3 *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* 163.c.2.

6 *Omnis caro fœnum.* 6.c.1.

26 *Leuate in excelsum oculos vestros, &c.* 126.c.2.

CAP. XLIII.

25 *Ego sum, qui deleo iniquitates propter me, &c.* 266.c.1. & 2.

26 *Narra si quid habes, vt iustificeris.* 180.c.3.

CAP. XLV.

8 *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum.* 36.c.3. & 40.4

14 *Labor Ægypti, & negotiatio Æthyopiæ, & Sabbaim, viri sublimes, &c.* 38.c.4.

CAP. XLVI.

3 *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël.* 318.c.4.

8 *Redite præuaricatores ad cor.* 122.c.3.

CAP. XLVIII.

9 *Laus enim Dei frænum est; ne intereamus.* 312.c.3.

CAP. XLIX.

8 *Tempore opportuno exaudiui te.* 197. c.3.

CAP. L.

6 *Corpus meum dedi percutientibus.* 268. c.4.

CAP. LI.

1 *Attendite ad petram vnde excisi estis, &c.* 82.c.1.

12 *Ego ipse consolabor vos, &c.* 198.c.1.

17 *Eleuare Hierusalem, quæ bibisti de manu Domini calicem iræ, &c.* 128.c.2. & 209 3.

CAP. LII.

2 *Solue vincula colli tui, &c.* 140.c.1.

6 *Propter hoc sciet populus meus nomen meum.*

10 *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* 24.c.1.

CAP. LIII.

2 *Ascendet sicut virgultum coram eo. &c.* 37.c.4.

6 *Omnes nos quasi oues errauimus.* 269. c.3.

8 *Generationem eius, quis enarrabit?* 44. c.1.

CAP. LIV.

7 *Ad punctum, in modico dereliqui te, &c.* 202.c.1.

CAP. LV.

2 *Quare appenditis argentum non in panibus, &c.* 212.c.3.

CAP. LVIII.

6 *Dissolue colligationes impietatis.* 107.c.2

CAP. LIX.

10 *Rugiemus, quasi vrsi omnes, & quasi columba, &c.* 125.c.4.

CAP. LXI.

6 *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, &c.* 171.c.2.

7 *Pro confusione vestra duplici.* 206.c.4.

CAP. LXIV.

1 *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes, &c.* 52.c.2.

3 *Cum feceris mirabilia, non sustinebimus, &c. Ibidem.*

CAP. LXV.

24 *Adhuc enim, te loquente, &c.* 140.c.1.

CAP LXVI.

10 *Lætamini cũ Hierusalẽ, &c.* 139.c.3.

23 *Erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho.* 279.c.3.

Ex Hieremia.

CAP. II.

8 *Sacerdotes non dixerunt: vbi est Dominus?* 145.c.1.

30 *Frustra percussi filios vestros,&c.*138. c 3.& 153.4.

Cap. V.

3 *Percussisti eos, & non doluerunt,&c.* *Ibidem,&* 138.2.& 4.

6 *Lupus ad vesperam vastabit eos.* 175. c.2.

Cap. VI.

24 *Tribulatio apprehendit nos,&c.* 85. c.2.

Cap. VII.

4 *Nolite confidere in verbis mendacij,dicentes:templum Domini,*56.c.4.

12 *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum.ibidem.*

34 *Quiescere faciam de vrbibus Iuda. &c.*187.c.3.

Cap. VIII.

4 *Dices ad eos: Hæc dicit Dominus: Nunquid qui cadit,&c.*170.c.2.

7 *Miluus in cælo cognouit tempus suum. &c.*292.c.2.

Cap. IX.

1 *Quis dabit capiti meo aquam,&c.* 55. c.4.& 141.2.

20 *Docete filias vestras lamentum,&c.* 172.c.1.

23 *Non glorietur sapiens in sapientia sua.* 293.c.4.

Cap. X.

21 *Pastores tui stultè egerunt, & Dominum non quæsierunt.*145.c.1.

Cap. XI.

13 *Quid est quod dilectus meus in domo mea,&c.*157.c.2.

Cap. XII.

3 *Congrega eos quasi gregem, ad victimam, &c.*56.c.1.

11 *Desolata est omnis terra, quia nullus est,qui recogitet,&c.*80.c.1.

Cap. XIII.

16 *Nolite eleuari,quia Dominus loquutus est: date Domino Deo vestro gloriam,&c.*177.c 4.

20 *Leuate oculos vestros, & videte,&c.* 156.c 1.

21 *Quid dices cum visitauerit te,&c.Ibidem.*

Cap. XIV.

8 *Expectatio Israël saluator eius,&c.*82. c.2.

Cap. XV.

9 *Occidit ei sol,cum adhuc esset dies.*197. c.1.

17 *Non sedi in concilio ludentium,&c.* 250.c.4.

19 *Qui educit honorabilem ex indigno quasi os meum erit.*273.c.3.

Cap. XVII.

5 *Maledictus homo qui confidit in homine,&c.*146.c.2.

14 *Sana me Domine,& sanabor.*144.c.3. & 318.3.

16 *Diem hominis non desideraui.* 3. c.4. & 29.1.

17 *Non sis mihi formidini,&c.*209.c.3.

Cap. XVIII.

4 *Si iste figulus hoc vas lapsum iterum renouat,&c.*160.c.1.

23 *In tempore furoris tui abutere eis.* 331.c.2.

Cap. XXIII.

9 *Factus sum quasi vir ebrius,&c.*28.c.2.

23 *Deus appropians ego sum,& non Deus à longè.*140.c.1.

Cap. XXIV.

6 *Ponam oculos meos super eos,&c.* 199. c.3.

Cap. XXV.

38 *Dereliquit quasi leo vmbraculum suũ.* 56.c.1.

Cap. XXXI.

21 *Statue tibi speculam,pone tibi amaritudines,&c.*163.c.2.

22 *Creauit Dominus nouum super terram: fœmina circundabit virum.* 43.c.4.

25 *Inebriaui animam meam lassam.* 68. c.4.

Cap. LI.

43 *Angustia apprehẽdit eum,&c.* 85.c.2.

Ex Threnis.

Cap. I.

2 *Plorans plorauit in nocte,&c.*28.c.2.

7 Recor

7 *Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ,&c.*219.c.4.
8 *Peccatum peccauit Hierusalem,&c.* 235.c.2.
9 *Nec recordata est finis sui.*12.c.2.

CAP. II.

8 *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion,&c.*134.c.3.
13 *Quis consolabitur te virgo filia Sion? Quia magna facta est,&c.* 182.c.3.
18 *Deduc quasi torrentem lachrymas,&c.* 147.c.2.

CAP. III.

36 *Vt peruerteret in iudicio hominem, Dominus ignorauit.*158.c.2.
39 *Quid murmurauit homo viuens,&c. Ibidem.*
40 *Scrutemur vias nostras,&c.*162.c.4.

Ex Baruch.

CAP. II.

17 *Aperi oculos tuos, & vide, quia non mortui,&c.*277.c.1.

Ex Ezechiele.

CAP. I.

9 *Non reuertebantur cum incederent.*31.c.2.
12 *Vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat,&c.*120.c.1.
22 *Et similitudo super capita animalium firmamenti.*137.c.3.

CAP. II.

9 *Vidi, & ecce manus missa ad me,&c.* 108.c.3.
12 *Assumpsit me spiritus,&c.* 121.c.2.& 258.c.1.

CAP. III.

12 *Surgens egredere in campum,& ibi loquar tecum,&c.*10.c.2.

CAP. IV.

1 *Ecce ego Hierusalem pinxi muros tuos.* 160.c.4.
3 *Et tu sume tibi sartaginem ferream, &c.*155.c.4.

CAP. V.

8 *Faciam in medio tui iudicia.*158.c.1.
13 *Complebo furorem meum,&c.* 131.c.4.

CAP. VI.

6 *Dissipabuntur,& interibunt aræ vestræ.* 19.c.4.

CAP. VII.

3 *Mittam furorem meum in te,&c.*157.c.4.
16 *Quasi columbæ conuallium.*125.c.4.

CAP. XIV.

12 *Tamen relinquetur in ea saluatio,&c.* 202.c.2.

CAP. XVI.

1 *Fili hominis,notas fac Hierusalem abominationes suas.*264.c.4.
7 *Vbera tua intumuerunt.*49.c.1.
12 *Corona decoris in capite tuo,&c.* 81.c.2.
13 *Decora facta es vehementer. Ibidem.*
33 *Omnibus meretricibus dantur mercedes,&c.*193.c.1.

CAP. XVIII.

2 *Patres nostri comederunt vuam acerbam,* 106.c.2.& 233.c.3.
4 *Anima,quæ peccauerit, ipsa morietur.* 241.c.2.& 242.c.1.
21 *Si peccator pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis,&c.*106.c.1.& 150.3.
27 *Cum auerterit se impius ab impietate sua,&c.*163.c.1.

CAP. XX.

37 *Et subiiciam vos sceptro meo,&c.*283.c.1.
46 *Stilla ad Africum.*202.c.3.

CAP. XXVI.

7 *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor,&c.*19.c.4.

CAP. XXX.

13 *Et disperdam simulachra, & cessare faciam idola,&c.*211.c.3.

CAP. XXXIII.

12 *Quacunque hora peccator ingemuerit, &c.*169.c.1.& 295.4.

CAP. XXXIV.

31 *Vos autem greges mei; greges pascuæ meæ,&c.*269.c.1.

CAP. XXXVII.

11 *Ego aperiam tumulos vestros,&c.* 84. c.3.

19 *Ecce ego assumam lignum Ioseph,&c.* 224.c.2.

CAP. XL.

* *Cuius erat species quasi species aeris,&c.* 135.c.2.

Ex Daniele.

CAP. II.

21 *Ipse mutat tempora, & aetates,&c.* 215.c.3.

23 *Tibi Deus patrum nostrorum confiteor,&c.*254.c.1.

25 *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem,&c.Ibidem.c.2.*

28 *Sed est Deus in caelo, reuelans mysteria,&c.Ibidem.*

47 *Vere Deus vester Deus deorum est,&c.*246.c.4.

CAP. III.

15 *Prosternite vos, & adorate statuam,&c.*246.c.4.

22 *Porro viros illos, qui miserant,&c.* 130.c.4.

27 *Iustus es in omnibus, quae fecisti,&c.* 155.c.2.

28 *Benedicite Anania, Asaria, Misaël. Domino.*249.c.3.

CAP. IV.

20 *Succidite arborem, & dissipate illam.* 295.c.4.

22 *Dominatur excelsus super regnum hominum.*215.c.3.

24 *Quamobrem rex consilium meum placeat tibi,&c* 295.c.4.

28 *Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum transibit à te,&c.* 215.c.3. 248.4.

CAP. V.

27 *Appensus es in statera.*156.c.3.

CAP. VI.

21 *Rex in aeternum viue: Deus meus misit,&c.*133.c.3.

24 *Cum in lacum missi fuissent, qui Danielem accusauerant,&c.*133.c.3.

26 *A me constitutum est decretum,&c.* 336.c.1.

27 *Ipse liberator, atque saluator,&c.*336. c.1.

CAP. IX.

9 *Tibi Domino iustitia, nobis autem confusio.*154.c.1.

11 *Stillauit super nos maledictio.* 202 c.3.

17 *Ostende faciem tuam super Sanctuarium tuum,&c.*81.c.2.

23 *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo Domini,&c.*326.c.3.

26 *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus,&c.*55.c.2.

CAP. XIII.

3 *Parentes enim illius, cum essent iusti, erudierunt filiam suam,&c.* 314.c.4.

22 *Angustiae mihi sunt vndique, si enim hoc egero,&c.*241.c.1.

23 *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras,&c.* 186. c.2. & 241.4.

Ex Osea.

CAP. II.

5 *Vadam post amatores meos.*49.c.2.

6 *Propter hoc ego sepiam viam tuam spinis,&c.*49.c.2.

CAP. III.

4 *Dies multos expectabis me,&c.* 143. c.2.

CAP. IV.

10 *Comedent,& non saturabuntur.* 212. c.2.

CAP. V.

4 *Non dabunt cogitationes suas,&c.*174. c.3.

11 *Calumniam passus est Ephraim,&c.* 211.c.2.

CAP. VI.

2 *Percutiet,& sanabit vos.*188.c.4.

7 *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.*84.c.4.

CAP. VII.

5 *Dies regis nostri: caeperunt principes furere à vino.*3.c.3.

CAP. IX.

1 *Noli lætari Israel sicut populi.*56.c.2.
14 *Da eis Domine. Quid dabis eis? &c.* 85.c.4.

CAP. II.

7 *Pendebit populus meus ad reditum meum.*143.c.3.
8 *Quomodo dabo te Ephraim, & protegam te Israel?*204.c.2.
11 *Auolabunt quasi aues ex Ægypto.*92.c.4.

CAP. XII.

4 *Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, &c.*150.c.2.
8 *Veruntamen diues effectus sum, inueni mihi idolum.*280.c.2.

CAP. XIII.

2 *Vitulos adorant.*61.c.1.

CAP. XIV.

1 *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem, &c.*207.c.1.
2 *Conuertere Israël ad Dominum, &c.* 301.c.2.
3 *Afferte vobiscum non armenta boum, & ferte vobiscum verba.*305.c.1.
5 *Sanabo contritiones eorũ, &c.*207.c.1.
8 *Viuent tritico.*67.c.2.

Ex Ioele.

CAP. I.

17 *Computruerũt iumenta in stercore suo.* 269.c.2.

CAP. II.

12 *Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c.*147.c.1.
13 *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*149.c.2.
14 *Quis scit si conuertatur, &c.*147.c.1.
15 *Sanctificate ieiunium, &c.*229.c.1.
28 *Effundam de spiritu meo, &c.*202.c.4.
31 *Sol cõuertetur in tenebras, &c.*46.c.1.

Ex Amos.

CAP. I.

5 *Conteram domum Damasci, & tenentem sceptrum, &c.*8.c.3.

CAP. III.

2 *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, &c.*206.c.1.
5 *Nunquid auis cadet in terram absque aucupe?*92.c.4.
12 *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, &c.*175.c.4.

CAP. V.

6 *Ne forte comburatur vt ignis, &c.* 224.c.2.
7 *Qui conuertitis in absinthium iudicium.*232.c.1.

CAP. VI.

14 *Qui lætamini in nihilo.*7.c.3.

CAP. VIII.

2 *Quid tu vides Amos? &c.*92.c.3.
9 *Occidet Sol in meridie, &c.*197.c.1.
10 *Inducam super omne dorsum vestrum saccum, &c.*172.c.1.

Ex Iona.

CAP. I.

14 *Ne des super nos sanguinem innocentem, &c.*241.c.4.

CAP. II.

2 *Orauit Ionas ad Dominum Deũ suum de ventre piscis, &c.*208.c.1.

CAP. III.

5 *Prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, &c.*171.c.4.
10 *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt, &c.*172.c.2.

Ex Michæa.

CAP. II.

10 *Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem, &c.* 207.c.1.
12 *Congregatione congregabo Iacob totum te, &c. ibidem.*

CAP. IV.

10 *Dole & satage.*106.c.1. & 160.

CAP. VII.

1 *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit, &c.*110.c.3.
*Præcoquas ficus desiderauit anima mea.*112.c.1.

17 *Lingent pulverem sicut serpens, &c.* 19.c.4.

Ex Habacuc.

Cap. I.

8 *Velociores lupis vespertinis.* 175.c.2.
10 *Ipse de regibus triumphabit, &c.* 19.c.1.
11 *Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit, &c.* ibid.c.3.

Cap. III.

2 *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* 207.c.3.
4 *Abscondita est fortitudo eius.* 44.c.4.
5 *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus, &c.* 12. c.1. & 17. 2.
6 *Aspexit, & dissoluit gentes, &c.* 229. c.4.
8 *Qui ascendes super equos tuos, &c.* 17. c.2.
17 *Ficus non afferet fructum, &c.* 138.c.1.

Ex Sophonia.

Cap. III.

3 *Iudices eius lupi vespere, &c.* 175. c.2.
7 *Attamen timebis me, suscipiens disciplinam.* 91.c.4.

Ex Aggæo.

Cap. II.

8 *Veniet desideratus cunctis gentibus, &c.* 32.c.2.
24 *Ponam te quasi signaculum, quia elegi te.* 79.c.1.

Ex Zacharia.

Cap. II.

1 *Vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum.* 135.c.2.
8 *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* 131.c.2. & 129.2.

Cap. VI.

8 *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, &c.* 131.c.3.

Cap. IX.

12 *Duplicia reddam tibi.* 205.c.4.
17 *Quid enim bonum ecclesiæ, quid pulchrum eius, &c.*

Ex Malachia.

Cap. I.

6 *Ad vos ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, &c.* 35.c.4.
10 *Non est mihi voluntas in vobis, &c.* 62.c.1.

Cap. III.

4 *Placebit Domino sacrificium Iudæ, & Hierusalem, &c* ibid.c.3.
18 *Convertimini, & videbitis quid sit inter iustum, & impium, &c.* 281.c.2.

Ex 1. Machabæorum.

Cap. VI.

11 *In quantam tribulationem deveni.* 220.c.4.

Ex 2.

Cap. I.

19 *Et occulte absconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & siccus, &c.* c.3.

Cap. VI.

16 *Nunquam Deus misericordiam suam amovet, &c.* 136.c.1.
23 *At ille cogitare cœpit ætatis, ac senectutis suæ eminentiam, &c.* 318.c.4.

Cap. VII.

27 *Fili mi, miserere mei, quæ te in utero novẽ mensibus portavi, &c.* 319.c.2.

Cap. IX.

10 *Qui paulo ante sydera cæli contingere arbitrabatur, &c.* 220.c.4.
12 *Iustũ est subditũ esse Deo, &c.* 12.c.2.

Ex Matthæo.

Cap. II.

2 *Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum?* 211.c.4.
3 *Turbatus est Herodes, &c.* ibidem.

18 Vox in Rhama audiea est, &c.16.c.4.

CAP. III.

17 Hic est filius meus dilectus, &c.271.c.1.

CAP. IV.

19 Venite post me, &c.110.c.1.& 289.3.

20 Continuo relictis retibus secuti sunt eum.110.c.1.

CAP. V.

5 Beati qui lugent.151.c.3.

6 Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. 118.c.1.& 119.2.

9 Beati pacifici, &c.223.c 4.

12 Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra, &c.108 c.1.

14 Vos estis lux mundi.115.c.2.

16 Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c. 264.c.1.& 302.1.

19 Qui autem fecerit, & docuerit, &c. 300.c.4.

39 Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, &c.273.c.1.

40 Ei qui vult tecum in iudicio contendedere.231.c.1.

44 Diligite inimicos vestros: benefacite, &c.270.c.4.& 275.3.

CAP. VI.

1 Attendite ne iustitiam vestram, &c. 263.4.& 264.1.

3 Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.254.c.4.

9 Pater noster.65.c 1.

Sanctificetur nomen tuum.305.c.3.

10 Adueniat regnum tuum.99.c.1.

11 Panem nostrum quotidianum. 65.c.1. & 249.2.

12 Dimitte nobis debita nostra. 241. c.1. & 271.3.

14 Libera nos à malo.243.c.2.

17 Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, &c.264.c.1.

19 Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c.325.c.1.

33 Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius.327.c.3.

CAP. VII.

6 Nolite dare sanctum canibus. 165.c.4.

7 Pulsate, & aperietur vobis.20.c.4.

8 Omnis, qui petit, accipit.122.c.4.

Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, &c.132.c.2.

26 Omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, &c.ibidem.

CAP. VIII.

8 Domine non sum dignus, &c.9.c.2.

9 Nam, & ego homo sum sub potestate constitutus, &c.ibidem.

22 Sequere me, & dimitte mortuos, &c. 299.c.2.

CAP. IX.

5 Surge, & ambula 271.c.3.

20 Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius.63.c.4.

24 Non est enim mortua puella, sed dormit.188.c.1.

CAP. X.

12 Intrantes autem domos, dicite: pax vobis. 230.c.1.

16 Estote prudentes sicut serpentes.63.c.1.

22 Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.142 c.3.

34 Non veni pacem mittere, sed gladium.205.c.4.

CAP. XXI.

12 Regnum cælorum vim patitur. 287. c. 1.

25 Confiteor tibi Pater Domine, &c.256. c.4.& 312.2.

Reuelasti ea paruulis.256.c.2.

29 Tollite iugum meum super vos, &c. 134.c.1.

CAP. XIII.

17 Amen dico vobis quod multi prophetæ, &c.117.c.2.

CAP. XIV.

30 Et cùm cæpisset mergi clamauit, dicens, &c.143.c.4.

CAP. XVI.

16 Tu es Christus filius Dei viui.281.c.2.

18 Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.82.c.1.

24 Si quis vult venire post me, &c. 284. c.3.& 285.c.3.

CAP. XVII.

2 Resplenduit sicut sol.30.c.4.

5 Hic est filius meus dilectus, &c.43.c.2.

14 *Domine miserere filij mei, quia lunaticus est,&c.*201.c.3.

CAP. XVIII.

2 *Aduocans paruulū, dixit, &c.* 122.c.1.
5 *Qui susceperit vnum paruulum, &c. ibidem.*
10 *Angeli eorum semper vident faciem patris.*27.c.4.
26 *Patientiam habe in me,&c.*328.c.1.

CAP. XIX.

11 *Non omnes capiunt verbum istud.* 257.c.2.
14 *Sinite paruulos venire ad me.*121.c.4.
17 *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*14.c.3.& 89.2.
27 *Reliquimus omnia, &c.* 31.c.2.& 39.1.

CAP. XX.

22 *Nescitis quid petatis.* 211.c.1.& 286.4.

CAP. XXI.

8 *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua,&c.*221.c.3.
13 *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*240.c.1.
19 *Et arefacta est continuò ficulnea.* 110.c.3.
44 *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.*76.c.4.

CAP. XXIII.

5 *Omnia opera sua faciunt, vt videantur, &c.*262.c.3.
6 *Amant primos recubitus in conuiuijs, &c.*112.c.3.
27 *Similes estis sepulchris dealbatis.*243.c.4.

CAP. XXIV.

2 *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur lapis,&c.* 57.c.1.
28 *Vbi enim cadauer, ibi & aquilæ.* 68.c.1.
35 *Cælum,& terra transibunt.*7.c.3.
38 *Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes,&c.*21.c.2.

CAP. XXV.

6 *Ecce sponsus venit, &c.* 98.c.4.& 225.1.
12 *Nescio vos.*20.c.4.
32 *Separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat, &c.*285.c.2.

CAP. XXVI.

11 *Semper pauperes habebitis vobiscum.* 270.c.3.
15 *Quid vultis mihi dare?*42.c.4.
26 *Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.*68.c.3.& 4.
52 *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*243.c.1.

CAP. XXVII.

4 *Peccaui tradens sanguinem iustum.* 116.c.4.
46 *Vt quid dereliquisti me?*141.c.1.
52 *Multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, &c.*289.c.3.

CAP. XXVIII.

20 *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus,&c.*62.c.3.

Ex Marco.

CAP. I.

7 *Cuius non sum dignus procūbens soluere corrigiam calceamentorum eius.*9.c.1.
24 *Quid nobis,& tibi est?*282.c.2.
31 *Apprehensa manu eius,&c.*296.c.4.

CAP. V.

34 *Fides tua te saluam fecit.*255.c.2.

CAP. VII.

37 *Bene omnia fecit, & surdos fecit audire,&c.*

CAP. IX.

48 *Omnis igne salietur,&c.*174.c.3.

CAP. X.

15 *Offerebant illi paruulos.*122.c.1.

CAP. XI.

13 *Venit, si quid forte inueniret in ea,&c.* 110.c.3.

CAP. XIV.

6 *Sinite eam.&c* 270.c.3.

CAP. XVI.

2 *Vna Sabbathorum.*28.c.4.

Ex Luca.

CAP. I.

6 *Erant ambo iusti ante Deum, &c.*121.c.2.& 320.1.

11 *Appa*

11 *Apparuit illi Angelus stans à dextris altaris incensi,&c.*54.c.3.
20 *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, &c.*327.c.2.
30 *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.*119.c.1.
33 *Regni eius non erit finis.* 10. c.1.& 48.4.
46 *Magnificat anima mea Dominum.* 307.c.3
67 *Zacharias repletus est spiritu Sancto, & prophetauit dicens,&c.*327.c.2.

CAP. II.

6 *Impleti sunt dies,vt pareret.*149.c.4.
15 *Transeamus vsque Bethlehem.*35.c.2. & 115.1.
29 *Nunc dimittis seruum tuum Domine.*15.c.4.
40 *Puer autem crescebat, & confortabatur,&c.*122.c.2.
52 *Iesus proficiebat sapientia,&c.Ibidem.*

CAP. VI.

26 *Væ cum benedixerint vobis homines.* 239.c.4.
28 *Benedicite maledicentibus.*275.c.3.
30 *Omni petenti te tribue.*221.c.2.
38 *Mensuram bonam,& confertam,&c.* 27.c.1.& 206.2.

CAP. VII.

12 *Defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ.*99.c.3.
22 *Ite,renunciate Ioanni quæ audistis,& vidistis.*43.c.1.
39 *Hic si esset propheta,sciret quæ,& qualis est mulier,&c.*176.c.2.
44 *Vides hanc mulierem.*160.c.4.

CAP. VIII.

6 *Cecidit supra petram, & natum aruit, &c.*150.c.2.
18 *Videte quomodo audiatis:qui enim habet,&c.*336.c.4.
45 *Quis est,qui me tetigit?*201.c.1.
Turbæ te comprimunt,&c.Ibidem.

CAP. IX.

3 *Nihil tuleritis in via,&c.*273.c.1.
31 *Erant Moyses, & Elias visi in maiestate.*271.c.1.
33 *Bonum est nos hîc esse.*31.c.2.
57 *Magister sequar te quocunque ieris.* 11 .c.2.& 135.1.
58 *Vulpes foueas habent,&c.* 110.c.2.& 135.1.
59 *Magister sine me primum ire,& sepelire patrem meum.Ibidem.*
60 *Sine,vt mortui sepeliant mortuos suos, &c.Ibidem,*& 244.2.

CAP. X.

5 *In quancumque domum intrau eritis, &c.*223.c.1.
24 *Multi reges, & prophetæ voluerunt videre,&c.*23.c.4.& 117.2.
42 *Maria optimam partem elegit.* 176. c.2.

CAP. XI.

5 *Amice accommoda mihi tres panes.* 122.c.3.& 4.
9 *Ego dico vobis,petite, & dabitur,&c.* 142.c.1.& 286.3.

CAP. XII.

13 *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.*223.c.1.
19 *Anima mea comede, bibe,&c.* 28. cap.1.
20 *Stultè hac nocte animam tuam repetent à te.*90.c.4.
35 *Sint lumbi vestri præcincti.*284.c.3.& 291.2.
37 *Amen dico vobis, quod præcinget se, &c.*43.c.1.
*Transiens ministrabit illis.*31.c.1.
49 *Ignem veni mittere in terram.* 111. c.3.& 205.4.

CAP. XIII.

33 *Non capit prophetam perire extra Hierusalem.*4.c.2.

CAP. XIV.

19 *Iuga boum emi quinque,&c.*192.c.4.

CAP. XV.

10 *Gaudium erit in cælo super vno peccatore,&c.*108.c.4.
17 *In se autem reuersus.*10.c.4.
19 *Non sum dignus vocari filius tuus, &c.*327.c.4.

CAP. XVI.

23 *Cum esset in tormentis eleuauit oculos suos.&c.* 126.c.2.& 220.1.

CAP. XVII.

10 *Et vos cum ea feceritis, dicite, &c.*120.c.3.
14 *Ite, ostendite vos sacerdotibus.*262.c.2.
15 *Vt vidit, quia mundatus est, reuersus est cum magna voce, &c.*332.c.2.
27 *Vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, &c.*220.c.3.

CAP. XVIII.

11 *Non sum sicut cæteri homines.*259.c.4. & 260.3.& 275.3.
13 *A longè stans, nec oculos, &c.* 248.c.4.
14 *Qui se exaltat, humiliabitur.*257.c.3.

CAP. XIX.

4 *Zachæe festinans descende.*114.c.4.
5 *Festinans descendit, &c. Ibidem.*
8 *Quia hodie salus, &c. Ibidem.* & 282.c.4.
39 *Magister increpa discipulos tuos.*221.c.3.
40 *Dico vobis, quia si hi tacuerint, &c. Ibidem.*
42 *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, &c.*3.c.3.

CAP. XXI.

34 *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra, &c.*91.c.4.

CAP. XXII.

15 *Desiderio desideraui, &c.*123.c.2.
17 *Accipite, & diuidite inter vos.* 135.c.3.
29 *Ego dispono vobis, sicut disposuit, &c.* 234.c.1.

CAP. XXIII.

42 *Domine memento mei.*328.c.1.
43 *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ibidem.*

CAP. XXIV.

29 *Mane nobiscum Domine.*66.c.3.
30 *Factum est autem cum ipse recumberet, &c.*72.c.1.
Frangens dedit eis: eorum autem aperti sunt oculi, &c. Ibidem.
33 *Surgentes ipsa hora reuersi sunt in Hierusalem. Ibidem.*
36 *Pax vobis.*222.c.3.

Ex Ioanne.

CAP. I.

9 *Quæ illuminat omnem hominem, &c.* 25.c.2.
13 *Dedit eis potestatem, &c.*50.c.4.
14 *Verbum caro factum est.*42.c.2. & 44.1.& 45.3.& 51.1.& 82.2.
*Vidimus gloriam eius, &c.*191.c.1.
27 *Cuius ego non sum dignus vt soluam, &c.*9.c.1.
28 *Hæc in Bethania facta sũt, &c.*f.4.c.2.
29 *Ecce agnus Dei.*34.c.3.
48 *Priusquam te Philippus vocaret, &c.* 186.c.3.

CAP. II.

4 *Quid mihi, & tibi est mulier?*200.c.4.
16 *Auferte ista hinc, &c.*271.c.2.

CAP. III.

16 *Sic Deus dilexit mundũ, &c.*240.c.3.

CAP. IV.

10 *Si scires donum Dei, & quis est, &c.* 34.c.2.
13 *Qui bibit, non sitiet in æternum. Ibidem.*c.4.& 256.1.
34 *Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, &c.*171.c.3.
35 *Leuate oculos vestros, & videte regiones, &c.*126.c.2.
38 *Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis, &c.*53.c.1.

CAP. V.

4 *Qui prior descendisset in piscinam, &c.* 256.c.1.
6 *Vis sanus fieri?*48.c.2.
14 *Vade, & amplius iam noli peccare.* 169.c.1.
17 *Pater meus vsque modo operatur, &c.* 289.c.2.
25 *Venit hora, & nunc est, quando mortui, &c.*242.c.4.
34 *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, &c.*260.c.1.
35 *Erat lucerna ardẽs, & lucens.*259.c.2.
39 *Scrutamini scripturas.*1.
44 *Quomodo potestis vos credere, &c.* 52.c.2.

CAP.

CAP. VI.
27 *Operamini non cibũ qui perit.* 78.c.3.
31 *Patres vestri manducauerunt manna.* 89.c.2.
51 *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi, &c.* 65.c.2. & 76.4. & 106.3. & 327.4.
52 *Panis, quem ego dabo, &c.* 59.c.2.
53 *Litigabant adinuicem dicentes, &c. Ibidem.*
55 *Caro mea verè est cibus.* 65.c.2.
56 *Qui manducat meam carnem, &c.* 66.c.2.
59 *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* 69.c.1.
CAP. VII.
37 *Qui sitit, veniat ad me, & bibat, &c.* 119.c.3.256.1.
CAP. VIII.
11 *Vade, & iam amplius noli peccare.* 266.c.2.
49 *Ego dæmonium non habeo.* 271.c.3.
56 *Abraham pater vester exultauit, &c.* 23.c.4.32.4.
CAP. IX.
3 *Vt manifestentur opera Dei in illo.* 320.c.2.
4 *Operamini dum dies est, &c.* 290.c.3. *Venit nox, quando nemo potest operari.* 287.c.2. & 291.3.
24 *Da gloriam Deo, nos scimus, &c.* 177.c.4.
39 *In iudicium ego in hunc mundum veni, &c.* 265.c.1.
CAP. X.
28 *Nemo rapiet eas de manu mea.* 169.c.3.
CAP. XI.
11 *Lazarus amicus noster dormit, &c.* 188.c.1.
23 *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet* 17.c.4.
26 *Omnis, qui viuit, & credit in me.* 241.c.2.
43 *Lazare veni foras.* 179.c.1.
CAP. XII.
25 *Qui amat animam suam, perdet eam.* 146.c.4.
42 *Ex principibus multi crediderunt in eum.* 212.c.2.
CAP. XIII.
1 *Ante diem festum Paschæ.* 61.c 4.
13 *Vos vocatis me magister.* 42.c.3.
30 *Cum accepisset ille buccellam, exiuit continuò.* 71.c.4.
35 *In hoc cognoscent omnes, quia verè discipuli mei estis, &c.* 79.c.2. & 269.4.
CAP. XIV.
6 *Ego sum veritas.* 213.c.2.
8 *Ostende nobis Patrem.* 25.c.3.
21 *Manifestabo ei me ipsum. Ibidem.*
27 *Pacem relinquo vobis, &c.* 223.c.4.
CAP. XV.
5 *Sine me nihil potestis facere.* 254.c.4.
9 *Mane in dilectione mea.* 66.c.3.
CAP. XVI.
21 *Mulier cum parit, tristitiam habet.* 85.c.2. & 3.
Cum autem peperit puerũ, &c. Ibid.
CAP. XVII.
3 *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* 25.c.3.
11 *Pater sancte serua eos in nomine meo.* 231.c.3.
13 *Hæc loquor, vt habeant gaudium, &c. Ibidem.*
24 *Pater, volo, vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum.* 48.c.3.
CAP. XVIII.
23 *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo.* 271.c.3.
CAP. XIX.
10 *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, &c.* 16.c.1.
15 *Tolle, tolle, crucifige eum.* 221.c.4.
Non habemus regem, nisi Cæsarẽ. Ibid.
CAP. XX.
11 *Maria stabat ad monumentum foris, plorans, &c.* 256.c.2.
12 *In albis sedentes, vnus ad caput, & vnus ad pedes.* 54.c.3.
15 *Mulier quid ploras? &c.* 168.c.2.
CAP. XXI.
20 *Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, &c.* 185.c.4.

Ex Actis Apostolorum.

Cap. II.

13 *Quia musto pleni sunt isti*.275.c.3.

15 *Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt.Ibidem.*

24 *Quem Deus suscitauit à mortuis,&c.* 4.c.1.

Cap. IV.

28 *Quæ manus tua, & consilium tuum, &c.*169.c.3.

Cap. V.

6 *Efferentes sepelierunt*.99.c.4.

9 *Efferent te.Ibidem.*

Cap. VII.

2 *Viri fratres, & patres audite*.273.c.4. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahe,&c.*110.c.4.

4 *Tunc exiit de terra Chaldæorum,&c.* 111.c.1.

Cap. VIII.

23 *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis,&c.*232.c.1.

27 *Ecce vir Æthyops, eunuchus,&c.* 299.c.3.

36 *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?*113.c.3.

Cap. IX.

4 *Thabita surge*.271.c.3.

Cap. X.

13 *Macta,& manduca*.169.c.4.

Cap. XII.

9 *Nesciebat quia verum esset,quod fiebat, &c.*188.c.2.

11 *Nunc scio verè, quia misit Dominus, &c.Ibidem.*

Cap. XIII.

11 *Ecce manus Domini super te,&c.*129.c.1.

Cap. XVI.

9 *Transiens in Macedoniam,adiuua nos.* 135.c.1.

Cap. XXVI.

32 *Dimitti poterat homo hic*.16.c.1.

Cap. XXVII.

44 *Et sic factum est, vt omnes animæ euaderent ad terram*.140.c.3.

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. I.

8 *Primum quidem gratias ago Deo,&c.* 330.c.4.

10 *Semper in orationibus meis obsecrans, &c.*142.c.2.

14 *Sapientibus, & insipientibus debitor sum*.5.c.4.

18 *Reuelatur enim ira Dei de cælo,&c.* 206.c.3.

21 *Cum cognouissent eum,non sicut Deum glorificauerunt,&c.*108.c.3.

Cap. II.

5 *Secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor,&c.*179.c.2.

24 *Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes*.301.c.2.

Cap. V.

5 *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,&c.*202.c.4.

8 *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis*.271.c.1.

Cap. VI.

3 *An ignoratis fratres, quia quicunque baptizati sumus,&c.*21.c.2.

7 *Nam qui mortuus est, iustificatus est à peccato*.245.c.1.

19 *Sicut exhibuistis membra vestra,&c.* 166.c.1.& 289.4.

20 *Cum enim serui essetis peccati,&c.* 166.c.3.

Cap. VIII.

17 *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*.223.c.2.

18 *Non sunt condigna passiones huius temporis,&c.*206.c.2.

Cap. IX.

13 *Iacob dilexit, Esau autem odio habuit.* 203.c.1.

20 *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?&c.*152.c.4.& 153.1.

Cap. XII.

1 *Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra*.173.c.4.& 306.3.

12 *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*.139.c.3.& 144.4.

13 *Hospitalitatem sectantes*.230.c.3.

17 *Prouidentes bona non tantum coram Deo,&c.*320.c.1.
20 *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c.*274.c.1.

CAP. XIII.

14 *Induimini Dominum Iesum Christum.*36.c.2.

CAP. XIV.

19 *Quæ pacis sunt sectemur.*230.c.3.
23 *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.*282.c.3.

CAP. XVI.

20 *Conterat Deus Satanam sub pedibus vestris.*211.c.3.

Ex Epist.1.ad Corinthios.

CAP. III.

3 *Cum sit inter vos zelus, & contentio, &c.*228.c.3.& 269.1.

CAP. IV.

3 *Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer.*238.c.4.
7 *Quid habes, quod non accepisti? &c.* 252.c.2.
12 *Maledicimur, & benedicimus, &c.* 275.c.4.
16 *Imitatores mei estote, &c.*272 c.2.

CAP. V.

7 *Expurgate vetus fermentũ,&c.*119.c.3.

CAP. VI.

17 *Qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum eo.*24.c.4.
20 *Glorificate Deum in corpore vestro.* 305.c.3.

CAP. VII.

29 *Hoc itaque dico fratres: tempus breue est,&c.*287.c.4.
31 *Præterit figura huius mundi.*7.c.2.& 211.2.

CAP. IX.

24 *Sic currite, vt comprehendatis.* 26.c. 3.& 28.2.& 118.4.

CAP. X.

3 *Eandem escam manducauerunt, & c.* 78.c.1.& 80.2.
33 *Sicut & ego omnibus per omnia placeo.*263.c.4.

CAP. XI.

18 *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo.*228.c.3.
23 *In qua nocte tradebatur.*73 c.1.
24 *Hoc facite in meam commemorationem.ibid.*c.3.& 74.2.38.4.
29 *Qui enim manducat, & bibit indignè &c.*63.c.4.& 75.3.
31 *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur, &c.* 157. c.4.& 266.3.

CAP. XIII.

4 *Charitas patiens est.*153.c.3.
8 *Charitas nunquam excidit.* 223.c.1.
11 *Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus,&c.*317.c.4.

CAP. XIV.

1 *Sectamini charitatem.*230.c.3.
20 *Nolite pueri effici sensibus, &c.* 122. c. 1.

CAP. XV.

9 *Ego enim sum minimus Apostolorum, &c.*258.c.2.
10 *Gratia autem Dei sum id, quod sum.* 252.c.2.
31 *Quotidie morior.*96.c.2.
32 *Secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi.*136.c.3.
55 *Vbi est mors victoria tua?*4.c.1.
56 *Stimulus peccati mors.*236.c.4.

Ex Epist.2.ad Corinthios.

CAP. I.

5 *Sicut abundant passiones Christi in nobis,&c.*132.c.3.
12 *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* 320.c.1.
18 *Fidelis Deus est qui non patietur vos tentari,&c.*134.c.1.

CAP. XIV.

17 *Quod in præsenti est momentaneum, &c.*206.c.2.

CAP. V.

1 *Scimus,quoniam si terrestris domus nostra.&c.*16.c.4.
4 *Qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati* 82.c.2.

21 *Eum, qui non nouerat peccatum,&c.* 158.c.2.

CAP. VI.

1 *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum,&c.*289.c.1.

2 *Ecce nunc tempus acceptabile, &c.* 95. c.2.& 296.2.

7 *Per arma iustitiæ,à dextris, & à sinistris,&c.*6.c.2.

9 *Quasi morientes,& ecce viuimus, &c.* 131.c.4.

CAP. VII.

11 *Ecce enim secundum Deum contristaui vos,&c.*164.c.3.

CAP. VIII.

9 *Quoniam propter nos egenus factus est.* 48.c.3.

CAP. X.

13 *Faciet cum tentatione prouentum,&c.* 207.c.3.

CAP. XI.

1 *Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ.* 259.c.3.

2 *Scio hominem in Christo.*259.c.3.

5 *Pro huiusmodi gloriabor.* ibid.

7 *Ne magnitudo reuelationum extollat me,&c.*11.c.3.& 209.1.

8 *Propter quod ter Dominum rogaui,&c.* ibid.

9 *Sufficit tibi Paule gratia mea.* 197.c.1.

10 *Quando infirmior, tunc fortior sum.* 119.c.1.& 132.2.

11 *Factus sum insipiens.*259.c.3.

14 *Nec enim debent filij parentibus thesaurizare,&c.*317.c.1.

CAP. XIII.

3 *An vultis experimentum eius accipere, &c.*213.c.2.

Ex Epist. ad Galatas.

CAP. I.

10 *Si adhuc hominibus placerẽ,&c.*263. c.4.

11 *Notum vobis facio Euangelium.*254. c.3.

15 *Cum placuit ei, qui me segregauit,&c.* 109.c.4.

CAP. III.

3 *Spiritu cæperit, carne consummat.*119. c.3.

23 *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* 36.c.2.

CAP. IV.

19 *Filioli mei, quos iterum parturio, &c.* 58.c.4.& 316.2.

CAP. V.

22 *Fructus autem spiritus est dilectio,&c.* 214.c.1.

CAP. VI.

2 *Alter alterius onera portate, &c.*269. c.3.

8 *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* 287.c.2.

14 *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* 9. c.4.

17 *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto* 79.c.3.

Ex Epist. ad Ephesios.

CAP. I.

6 *In qua glorificauit nos in dilecto filio suo.*306.c.3.

10 *Proposuit instaurare omnia in Christo. &c.*51.c.4.

CAP. II.

1 *Et vos cum essetis mortui delictis, &c.* 242.c.4.

4 *Deus diues est in misericordia.* 202. c.4.

5 *Conuiuificauit nos in Christo, & consedere fecit, &c.*51.c.1.

7 *In seculis superuenientibus, &c* ibid.

10 *Ipsius enim sumus factura.*309. c.2.

14 *Ipse est pax nostra.*49.c.1.

16 *Per crucem interficiens inimicitias in semetipso.*223.c.3.

17 *Euangelizauit pacem ijs, qui erant, &c.*ibid.c.4.

CAP. III.

8 *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia,&c.*249.c.3.

20 *Ei, qui potens est omnia facere superabundanter,&c.*327.c.2.

CAP. IV.
9 Qui descendit ipse est, & qui ascendit. 51.c.4.
13 Donec occurramus omnes in virum perfectum,&c.29.c.4.& 122.3.
CAP. V.
6 Fuistis aliquando tenebræ,&c.125.c.2.
14 Surge, qui dormis, &c. 245. c.1.& 296.2.
15 Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis.294.c.2.
16 Redimentes tempus,quoniam dies mali sunt.19.c.3.& 104.3.& 194.2.
18 In quo est luxuria. 60.c.3.
20 Gratias agentes semper pro omnibus Deo.329.c.3.& 333.4.
31 Propter hoc relinquet patrem, & matrem,&c.53.c.4.
32 Sacramentum hoc magnum est.ibid.
CAP. VI.
4 Et vos patres educate filios vestros in disciplina,&c. 314.c.3.& 322. 1.& 325.1.
24 Gratia omnibus, qui diligunt Dominum nostrum,&c.244.c.3.

Ex Epist.ad Philippenses.

CAP. I.
23 Exire de seculo,& recipi ad Dominum. 17 c.3.
26 Dissolui enim,& esse cum Christo,multo melius est.16.c.1.
CAP. II.
3 Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.250.c.1.
6 Qui cum in forma Dei esset, &c. 42.c. 3.& 48.3.& 52.3.
8 Factus obediens vsq; ad mortẽ.118.c.4.
15 Inter quos lucetis,sicut luminaria.115. c.2.
CAP. III.
6 Secundum iustitiam, quæ in lege est. 249.c.2.
11 Si quomodo occurram in resurrectione iustorum.258.c.4.
12 Sequor autem, si quomodo comprehendam.26.c.4.
13 Quæ retro sunt,obliuiscens.31. c.2. & 32. 3. & 98.3.& 120.1.& 2. & 218.1.
20 Conuersatio nostra in cælis est. 10.c.1.
CAP. IV.
1 Gaudium meum, & corona mea. 177. c.3.
4 Gaudete in Domino semper. 150.c.1.
7 Pax Dei,quæ exuperat omnem sensum. 48.c.4.& 222.4.& 230.2.
9 Deus pacis,& dilectionis erit vobiscum. 48.c.4.
13 Omnia possum in eo, qui me confortat. 253.c.3.

Ex Epist.ad Colossenses.

CAP. I.
12 Gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit, &c.174 c.4.
20 Pacificans per sanguinem crucis eius, &c.223.c.2.
24 Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi,&c.253.c.1.
27 Quibus voluit Deus notas facere diuitias, &c.ibid.c.2.
CAP. II.
6 Sicut accepistis Iesum Christum Dominum, in ipso ambulate, &c. 282. c. 4.
14 Delens quod aduersum nos erat chirographum,&c.251. c.1.
CAP. III.
3 Mortui estis: & vita vestra, &c. 21. c.2.
4 Cum apparuerit Christus, vita vestra. 47.c.2.
14 Pax Christi exultet in cordibus vestris. 238.c.1.
16 Grati estote.333.c.4.

Ex Epist. 1. ad Thessalon.

CAP. II.
8 Desiderantes vos cupidè, volebamus tradere vobis,&c.59.c.3.
CAP. V.
17 Sine intermissione orate.302.c.2.

18 *In omnibus gratias agite,334.c.3.*
21 *Omnia probate, quod bonum est tenete.* 27.c.2.

Ex Epist.1.ad Timoth.

Cap. I.

9 *Iusto non est lex posita, sed iniusto.* 320.c.1.
12 *Gratias ago ei, qui me confortauit,&c.* 265.c.3.
Fidelem me existimauit, ponens in ministerio, &c. 168.c.3.
15 *Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere, &c.* 249.c.3.

Cap. VI.

11 *Tu autem ô homo Dei, hæc fuge, &c.* 230.c.3.
15 *Solus ipse est Rex regum, &c.* 216.c.1.
16 *Lucem habitat inaccessibilem.* 73.c.3.

Ex Epistola 2.

5 *Recordationem accipiens eius fidei, &c.* 320.c.2.
15 *Saluabitur autem per filiorum procreationem.* 321.c.1.

Cap. II.

3 *Labora sicut bonus miles Christi Iesu, &c.* 283.c.3.
4 *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* 50.c.2.
5 *Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* 283.c.3.& 287.3.

Cap. III.

8 *Homines corrupti mente.* 244.c.4.

Cap. IV.

7 *Bonum certamen certaui.* 284.c.4.
8 *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ,&c.* 177.c.2.

Ex Epist. ad Titum.

Cap. III.

4 *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri,&c.* 44.c.4.

Ex Epist. ad Hebræos.

Cap. I.

5 *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando,&c.* 54.c.3.

Cap. II.

11 *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes,&c.* 36.c.1.

Cap. IV.

9 *Relinquitur sabbatismus populo Dei.* 268.c.4.
11 *Festinemus ingredi in illam requiem.* 282.c.2.

Cap. VI.

6 *Rursum crucifigentes filium Dei, &c.* 75.c.3.

Cap. X.

19 *Habentes itaque fratres fiduciam,&c.* 80.c.1.
29 *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia,&c.* 75.c.4.
38 *Iustus meus ex fide viuit, &c.* 199.c.4.

Cap. XI.

5 *Henoch placuit Deo.* 100.c.1.
6 *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* 282.c.2.

Cap. XII.

3 *Recogitate eum, qui talem sustinuit,&c.* 174.c.2.
14 *Pacem sequimini.* 229.c.4.
15 *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat.* 232.c.1.

Ex Epist. Iacobi.

Cap. I.

3 *Tribulatio patientiam operatur.* 145.c.4.
12 *Beatus vir, qui suffert tentationem, &c.* 284.c.3.
14 *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua,&c.* 109.c.1.
15 *Peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem.* 242.c.4.

CAP. II.

13 *Superexaltat misericordia iudicium.* 335.c.4.

19 *Dæmones credunt, & contremiscunt.* 276.c.3.

20 *Fides sine operibus mortua est.* 282. c.6.

CAP. III.

2 *In multis enim offendimus omnes.* 241.c.1.

Ex Epist. I. Petri.

CAP. I.

11 *Scrutantes in quod, vel quale tempus, &c.* 139.c.2.

12 *In quem desiderant Angeli prospicere.* 27.c.3.

CAP. II.

3 *Si tamen gustatis, quoniam suauis est Dominus.* 65.c.4.

9 *Regale sacerdotium, gens sancta.* 171. c.2.

23 *Cum malediceretur, non remaledixit, &c.* 273.c.1. & 275.2.

CAP. III.

9 *Non reddentes malum pro malo, &c.* 275.c.4.

CAP. IV.

7 *Estote prudentes, & vigilate in orationibus.* 64.c.2.

10 *Multiformis gratia Dei.* 71.c.3.

Ex Epistola II.

CAP. I.

2 *Gratia vobis, & pax adimpleatur.* 230.c.4.

10 *Satagite, vt per bona opera vestra, &c.* 286.c.1.

13 *Iustum autem arbitror, quandiu sum in hoc tabernaculo, &c.* 82. c.2.

17 *Voce delapsa à magnifica gloria.* 29. c.1.

CAP. II.

21 *Melius illi erat non cognoscere viam iustitiæ, &c.* 10.c.4.

CAP. III.

10 *Sicut fur in nocte, ita veniet mors.* 97.c.3.

15 *Sicut charissimus frater noster Paulus, &c.* 258.c.2.

Ex Epist. I. Ioannis.

CAP. I.

1 *Quod vidimus oculis nostris, &c.* 34.c.3.

3 *Annunciamus vobis, vt & vos, &c.* 231.c.3.

CAP. III.

2 *Videbimus eum sicuti est.* 25.c.3.

CAP. V.

1 *Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, &c.* 282.c.1.

19 *Quia mundus totus in maligno positus est.* 101.c.2.

Ex Epistola Iudæ.

5 *Commonere vos volo scientes, &c.* 36.c.2.

19 *Hi sunt, qui segregant semetipsos, &c.* 227.c.3.

Ex Apocalypsi Ioannis.

CAP. I.

16 *Et facies eius sicut sol lucet in virtute sua.* 30.c.3.

CAP. II.

7 *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, &c.* 77.c.1.

11 *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* 15.c.2.

CAP. III.

12 *Qui vicerit, faciam illum columnam, &c.* 30.c.2.

CAP. IV.

3 *Iris erat in circuitu sedis.* 205. c.1.

CAP. V.

5 *Radix Dauid.* 139.c.1.

8 *De phialis aureis plenis odoramentorum, &c.* 64.c.1.

12 *Dignus est agnus, qui occisus est, &c.* 308.c.1.
13 *Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, &c.* 276.c.2.

CAP. VI.

13 *Et stellæ de cœlo ceciderunt super terram, &c.* 112.c.1.

CAP. XIV.

13 *Opera enim illorum sequuntur illos.* 281.c.4.

CAP. XIX.

8 *Vxor eius præparauit se, & datum est illi, &c.* 18.c.1. & 281.c.4.

CAP. XXI.

23 *Lucerna eius est agnus.* 29.c.1.

CAP. XXII.

11 *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* 118.c.3.

LAVS DEO.



INDEX



INDEX RERVM NOTABILIORVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

A



Bscondere peccatum, proprium est impiorũ. 178. c.7. & 179.1. & seq.

Adamus ideo pulcherrimus conditus, quia Christus in eo figurabatur. 49.c.3.

Adolescentes virtutis studiosi laudantur. 101.c.2.

Adolescentes impij in integra ætate, in senectute difficilè ad virtutem redeunt. 106.c.4.& seq.

Aduersis probatur, & examinatũr homo. 217.c.2.

Aduersitates eorum, qui aliquando fuere felices, acerbiores sunt. 219. c.2.& seq.

Adulatores quomodo fallãt. 239.c.3.

Aduentus Christi misericordia nuncupatur. 276.c.2.

Afflictiones nobis maximè prosunt ad salutem. 5.c.2. & 3.

Afflictiones aliquando dat Deus hominibus, vt eos ad meliorem frugem reducat. 128.c.2.& 3.

Afflictiones, & ærumnæ beneficia Dei sunt. 129.c.1.

per Afflictiones peruenitur ad dulcedines. 139.c.3.

Afflictiones immittit Deus, vt nos ad se deducat. 145.c.2.

Afflictiones à Deo immissæ nobis prosunt. 159.c.2.& 160.& seq.

Afflictiones nos reddũt similes Filio Dei. 161.c.1.

Afflictionibus plena est vita iustorũ, & dilectorum Dei. 129.c.3.& seq.

Afflictiones infligit Deus suis seruis, quasi seipsum affligat. 131.c.2.

Afflictiones è manu Dei cur debeant æquo animo ferri. 133.c.1.& seq.

Amoris erga nos insigne fuit Incarnatio, & Natiuitas Domini. 49. c.4.

Ambulare coram Deo, quid significet in Scriptura. 99.c.4. & 100.1.

Amor Dei in homine non satiatur vnquam. 123.c.2.

Amicorum manibus potius volunt homines mori, quàm inimicorum. 133.c.1.

Amor labores faciles reddit. 137.c.4.

Ambitio intolerabiles Dominos nobis imponit. 212.c.2.

Ambitio ebrietati similis. 214.c.3.

Amor filiorum sit maximus, sed sub Deo. 324.c.4.

Amor filiorum quomodo parentes vrat. 325.c.4.

Anima nostra totum hominem circũfert, & defert quò vult. 137.c.3.

Anima in Scriptura accipitur pro persona. 240.c.3.

Yyyy 2 Animæ

Animæ mors quæ sit. 241.c.2. & 3. & seq.
Animæ mors peior quàm corporis. 241.c.3.& seq.& 245.3.
Animæ mors quomodo contingat. 245.c.3.
Appetituum mortificatio viuificat animam.212.
Appetitus impij in ipso initio suffocandi sunt.123.c.3.& 4.& seq.

B

Beati resurgent in quantitate perfecta.29.c.3.& 4.
Beati in qua ætate resurgent. 29.c.4.
Benignitas Dei supplicia condire solet misericordia. 85. c.2. & 3. & 88.1.
Beatitudo patriæ non potest verbis enarrari.26.c.3.
Benignitas in iudice debet seueritate condiri.105.c.2.
Beatitudo patriæ veram requiem habet.279.c.1.& seq.
Beneficentia diuina plura tribuit, quàm promittit.314.c.1.& 326.2. & seq.
Beneficia Dei collata ingratis maximè illis officiunt.335.c.4.
Bona cœlestia nullum terminum habent.27.c.1.
Bona temporalia vide literam T. Temporalia.
Bona in solo Deo reperiũtur.213.c.2.

C

Castigans Deus beneficium cõfert.161.c.1.& 2. Vide supplicia Dei.
Caro nostra inimicus nõster.164.c.1.
Charitas omnia reddit aurea.173.c.2.
Charitas inexpugnabilem reddit iustum.225.c.4.
Charitatis laudes.272.c.4.
Cella Religiosorum,cœlo affinis dicitur,& est.17.c.4.
Cœli aspectus solet intuentes recreare.136.c.4.
Cœlestes orbes dulcem harmoniam reddere aliqui putarunt.137.c.1.
Cœlestia bona debemus pensare, vt cætera contemnamus. 137.c.3.
Cœlestia bona faciunt nos,non sentire mala terrena.137.c.4.
Christi aduentus maximè desideratus.32.c.2.
Christiani vita bonum desiderium est.121.c.1.
Chori Ecclesiastici,dum diuinas laudes cantant, soluunt debitum secularium.311.c.3.& 4.
Columba aliquando symbolum ingratitudinis.125.c.3.
Comprehensores, quo sensu dicantur beati.26.c.4.
Comprehendit se Deus sine termino,& fine.27.c.1.
Conscientia bona in homine etiam moritur confidens est.23.c.3.
Conscientia impiorum nunquam quieta.94.c.1.
Conscientia impium admodum torquet,& inquietat.232.c.2.
Conscientia bona quàm dulcis, & quàm quieta.234.c.1.
Conscientiæ bonæ tranquillitas, & pax.237.c.2.& seq.
Conscientia bona conuiuium. 234. c.1 & 2.
Conscientia bona felicitas. 234.c.4.
Conscientia nostra iudex internus. 236.c.4.
Conscientiam malam putauit Philo, esse infernum.236.c.3.
Conscientiæ bonę securitas.237.c.4.
Conscientiæ bonæ pax.238.c.1.& 2. & seq.
Confidendum Deo non alteri.17.& c.2.
Confidentia præsumptuosa, & sine meritis damnatur.20.c.3.& 4.
Confessio sacramentalis figuratur in mari æneo ad allutionem. 63.c 1.
Confessio peccatorum annuntiat totam vitam.163.c.1.
Confessio peccatorum viam parat Deo.163.c.2.
Confessio nostrorum peccatorum

cedit

cedit in magnum Dei honorem. 177.c.2.
Confeſſio peccatorum cedit in noſtrum emolumentum. 179. c.3. & 4.& 80.c.1.& 2.ſeq.
Confidentes in Deo plus viuunt. 187.c.1.
Coniunctio ad Deum cauſa nobis eſt totius boni.c.3.
Conſtantia in virginibus ad tuendam caſtitatem.49.c.2.& ſeq.
Conſtantia viri iuſti in aduerſis. 195.c.3.
Conuerſio noſtra ad Deum nullatenus differenda.97.c.1.
Conuerſio peccatoris, eſt auerſio à peccatis.165.c.1.
Concordia vide pax.litera P.
Concordia inexpugnabilis. 226.c.2.
Conſuetudo ad vitia difficilem reddit conuerſionem ad virtutem. 106.c.2.3.& 4.
Conſuetudo dicitur ſecunda natura ab Ariſtotele.107.c.1.
Conſuetudinis vis maxima. 107.c.1. & 2.
Conſuetudo catena grauis, quæ ſoluenda eſt, non rumpenda. 107. c.1.& 2.
Creſcere in virtutibus, & meritis hoc optimum eſt.121.c.2. & ſeq.
Crudeles nobis ipſis ſumus. 146. c.3.
Crudeles non vult Deus eſſe ſeruos ſuos.205.c.2.
Cupiditas diuitiarum non ſatiatur. 212.c.3.
Cultus Dei ſpectat maxime ad principes viros.54.c.1.& ſeq.
Cultus Dei baſis, & fulcimentum Reipublicæ.55.c.1.
Cultu, & fide, qui abutuntur,omnino deficiunt.56.c.1.
Cultus Dei, & Religio,maxima perfectio eſt.57.c.4.& 58.1.
Cum omnia ſibi velint adeſſe optima homines, ſolam bonam conſcientiam nolunt habere.14.c.3.

D

DAt Deus plura quam promittit.326.c.3.& ſeq.
Deſiderium bonum eſt vita Chriſtiani.121.c.1.
Deſideria æternæ vitæ.121.c.1.
Deſideria impia deteſtanda ſunt.123. c.3.& 4.& ſeq.
Deſideria ſunt pedes, quibus graditur anima.176.c.1.
Deſperare aliquando,optimum,quatenus malum ſpei vitat. 143. c.4. & ſeq.
Deus ſolus poteſt mederi, & ſuccurrere afflictis.125.c.3.
Deus præſto nobis vbique adeſt.139. c.4.
Dies alicuius dicitur in Scriptura dies proſperitatis.3.c.3.
Dies quomodo non dimidiare dicantur homines.3.c.4.& ſeq.
Dies ſuos dimidiant impij.ibidem.
Dierum pleni in Scriptura dicuntur ſancti.3.c.4.
Diffidat de Deo, qui tantum poteſt peccare, quantum ille dimittere. 268.c.2.
Dignitates ſæculi caducæ prorſus, & inanes.215.c.1. & 2. & ſeq. 217. c.2.& ſeq.
Dignitatibus non efferri magni animi eſt,& econtrà.247.c.1.& 2.
Diligentia adhibenda in iis, quæ ad ſalutem conducunt.97.c.2.& 109. & 110. & 114.c.2.3. & 4. & ſeq. 115.c.4.
Diues improbus pauper eſt.28.c.3.
Diuites ſunt diſpenſatores diuitiarum, quæ propriæ ſunt Dei. 216. c.3.& 4.
Diuitis anxietas.28.c.3.
Diuitibus dulcior vita præſens. 88. c.4.& ſeq.
Diuitiæ inſtabiles,eiſque non fidendum.7.c.1.& ſeq.& 8.c.1.
Diuitiæ mortis metu debent condiri.13.c.3.
Diuitiæ hoc bonum habent, poſſe

ſcilicet eis benefacere.214.c.2.
Diuitiæ à terrenis hominibus habentur pro viribus, & fortitudine. 280.c.2.
Diuitiæ veræ virtutes ſunt. 283.c.1. & 2.
Diuitias à tergo ſequitur mendicitas.216.c.4.
Diuitiarum cupiditas non ſatiatur. 212.c.3.
Doctrina, & diſciplina magnus theſaurus eſt diſcentibus.323.c.4.
Dolor eſt audax,& querulouſus. 127. c.2.& 3.
Dulcedines huius vitæ plures habent amaritudines. 210.c.3. & 4. & ſeq.
Duplex pro magno ſumitur in Scriptura.206.c.4.
Durum cor ſuppliciis non flectitur in melius.138.c.2.& 3.

E

Educatio liberorum ad parentes ſpectat. 314. c.2. & ſeq. per multas paginas.
Eſurire & deſiderare virtutem, perfectum quidem eſt. 118. c.1. & 2. & ſeq.
Eccleſiam profanis vſibus non licet profanare.157.c.2.
Eccleſiis non debent principes dominari,ſed ſeruire.54.
in Eccleſiis ſumma cum modeſtia debemus verſari.54.c.3.& 4.
Eccleſiaſtici debent pacem maxime prædicare.225.c 4.
Eccleſiaſtici viri non debent implicari temporalibus.50.c.2.
Euchariſtia multis modis commendatur.59.c.1.& ſeq.
Euchariſtia quales motes nobis ingerat.60.c.2.3.& 4.
Euchariſtia pro omnibus antiquis ſacrificiis ſucceſſit.61.c 4.
Euchariſtia ignis appellatur.62.c.2.
Euchariſtia prærequirit confeſſionem,& ablutionem.63.c.2.
Euchariſtia quam præparationem in ſumentibus requirat. 63.c.2. & 3. & ſeq.
Euchariſtia dicitur oratio, & qua ratione ſic dicatur.64.c.2.
in Euchariſtia maximam probauit Chriſtus humilitatem.64.
Euchariſtia verus cibus, cæteri depicti.65.c.2.
Euchariſtia inebriat,& extaſim diuini amoris facit.67.c.2.& 3.
Euchariſtia reficit, & ſaturat ſumentes 68.& ſeq.& 70.c.3.
Euchariſtia abhorret ſuperbos. 69. c.3.
Euchariſtia fortitudinem impertit ſumentibus.70.c.1.
Euchariſtia victoria eſt vitiorum noſtrorum.70.c.2.
Euchariſtia medicina eſt variis morbis.71.c.3.
Euchariſtia illuminat intellectum. 71.c.4.
Euchariſtia cur dicatur myſterium fidei.72.c.4.& 75.c.1.& 2.
Euchariſtia figuratur in nube ducante Iſraëlitas.73.c.4.
Euchariſtia hæreditarium munus Chriſti.74.c.1.
Euchariſtiæ accidentia velant carnem Chriſti, ne illam horreamus. 74.c.4.
Euchariſtia diiudicanda eſt ab aliis cibis.75.c.3.& 4.
Euchariſtiæ maximus honor adhibendus.75.c.4.& 76.c.1.
Euchariſtia cum auiditate ſumenda. 76.c.1.
Euchariſtia, quam puritatem in nobis exigat.76.c.1.2.& 3.
Euchariſtiam ſumentes conſequitur petra Chriſtus, bona iugiter conferens.78.c.1.
in Euchariſtia omnipotentiam ſuam Deus oſtendit.78.c 2.
Euchariſtiæ cibus à Deo ſignatus. 78.c.4.& 79.c.1.
Euchariſtia nobis viam ad cœlum aperit.89.c.1.& 2.

in Eucharistia tantum accipit vnus, quantum omnes.80.3.4.& seq.
Eucharistia pulchritudo Ecclesiæ.81. c.2.

F

Famis tempore ad Deum accurrendum, qui solus potest depellere.84 c.3.
Fatigantur peccatores in vanum. 280.c.1.
Felicitas plerumque in superbiam erigitur.5.c.1.
Fœminea verba in Scriptura indicant fœmineum animum.198.c.2.
Fictio,& duplicitas animi reprehenditur.122.c.1.
Fides,& cultus Dei regna conseruat, & econtrà.à fol.55.& seq.
Fides robur addit sperantibus. 138. c.1.
Fides lynceos habet oculos.73.c.1.
Fide, & cultu Dei, qui abutuntur, omninò deficiunt,& ruunt.56.c.1.
Fides, & opera sunt duæ alæ, quibus homo in cœlum volat. 282. c.1. & seq.
Fides sine operibus nihil valet. 282. c.1.& seq.
Fidentibus, & sperantibus in Deo, non minuitur animus, si fructus terræ deficiant.38.c.1.
Filius dicitur lucerna patris, quia ipsum repræsentat.87.c.1.
Filius viuere facit patrem, dum ipsum repræsentat.87.c.1.& seq.
Filiorum educationi debent parentes maxime incumbere. 314. c.1. & 2.& seq.
Filiorum impetratio à Deo præcipuè est.84.c.2.
Filiorum peccata parentibus imputantur.317.c.4.
Filiorum supplicia potius pati volunt parentes.88.c.4.& 89.c.1.
Filiorum defectus silentium dicitur in Scriptura.3.c.2.
Filiorum supplicium parentes maxime dolent.88.c.2.
Filij dolores sunt parentibus. 316. c.1.& 2.
Filij idem sunt cum parentibus. 87. c.2.& 3.
Filij impiorum inepti ad dignitates. 117.c.3.& 4.
Filij, parentum mores vt plurimum imitantur 319.& seq.
Filij nascendo ita matres lætificant, vt maximum dolorem non sentiant.85 c.2.
Filij olim pro benedictione habebantur.85.c.4.
Filios maxime diligit, qui bene instruit.324.c.4.
Filios magis optant Reges 85.c.1.
Filiis optimas diuitias comparat,qui bene instruit.324.c.3.& 4.& 325. c.1.& seq.
pro Filiis consequendis,patres maxime orabant olim.84.c.1.
Finis, non initia virtutis quæruntur. 116.c.2.
Fortuna, vt vulgo dicitur, instabilis, non permanens.7.c.4.
Fortunam quomodo depinxerint antiqui.ibidem.
Fratres sibi inuicem inuidentes. 84. c.2.

G

Gaudium, & lætitia virtuti conuenit.109.c.2.& 3.
Gaudium in solo Deo reperitur. 213.c.1.
Gaudia sæculi Deo displicent. 213. c.3.& 4.
Gaudia sanctorum, etiam in ærumnis reperiuntur.213.c.4.& seq.
Gaudia sæculi mixta sunt amaritudinibus, & aduersitatibus. 210. c.3.& 4.& seq.per multas col.
Gaudia vitæ sunt volatica.26.c 3.
Gehenna in Scriptura quid esset, & quid significauerit.39.c.4.
Generare spiritualiter,est docere.58. c.4.
Gloria cœlestis flumen est, sed non pertransit.10.c.3.

Gloriæ cœlestis vita, verè vita est. 14. c. 3. Vide etiam quæ habes. 23. c. 1.
Gloriæ cœlestis beatitudo inenarrabilis est. 26. c. 4.
Gloriæ beatitudo ab intellectu excludit omnem falsitatem. 29. c. 2.
Gloriæ requies. 30. c. 1. & 2.
Gloria filia laboris est. 29. c. 4.
Gloria beatitudinis multis nominibus describitur 28. c. 2.
Gloria terrena fallax 29. c. 1.
Gloria cœlestis veram requiem habet. 279. c. 1. & seq.
in Gloria cœlesti maxima securitas, & pax. 29. c. 3.
in Gloria semper noua iucunditas. 31. c. 1.
in Gloria cœlesti satietas est sine fastidio. 27. c. 3. & 4.
Gloriādum est tantum in Deo. 9. c. 4.
Gratitudo multos modos inuenit recognoscēdi diuina beneficia. 2. c. 2.
Gratitudo pro diuinis beneficiis acceptis. 329. c. 1. & seq.
Gratitudo potius respicit Deum, quam Dei data. 335. c. 2.
Gratitudinis nobilitas. 333. c. 2.
Gratus non tantum in prosperis, sed in aduersis cernitur. 152. c. 4. & 160. c. 2.
Gratiæ semper agendæ Deo à nobis. 304. c. 4 & seq.
quia iugiter à Deo accipimus beneficia, iugiter Gratiæ agendæ. 299. c. 1. & 2. & 303. c. 2. & 3. & 306. 3 & 4.
Gratias agere debemus Deo semper. 329. c. 1. & seq.
Gratias agere debemus Deo, & cum punit, & cum benefacit. 334. c. 4. & seq.
Gratias agere pro aduersis, maximam nobis parit vtilitatem. 335. c. 1.
Gratias Deo referre, optimum munus animæ nostræ. 58. c. 2. & 3.

H

HOmo arbori similis; debet bonis fructibus, & operibus incumbere. 99. c. 1. & 2.
Hominem admodū honorauit Deus homo. 50. & seq.
Hominem creauit Deus immortalem, mortem induxit peccatum. 86. c. 3. & 4.
Honos blandum nomen, sed mala seruitus. 216. c. 3.
Honos apud homines plus valet, quam ipsa vita. 50. c. 2. & 3.
Honos apud homines pluris fit, quam aurum, & quam veritas, &c. 50. c. 2.
Honoris finus, vitreus, dum nos amplexatur, frangitur. 217. c. 4.
Honorem conseruare maxime volunt homines 121 c. 3.
Honores tempestates sunt. 217. c. 4.
Humilitas in dignitatibus fortitudinem animi restaurat. 247. c. 1. & 2.
Humilitas magnitudinem animi testatur. 247.
Humilitas non minuit generositatem alicuius. 42. c. 3.
Humilitas Christi solum Iudam potuit offendere. 43. c. 4.
Humilitas sanctorum de se humiliter sentit. 249. c. 3. & 4. & seq.
Humilitas duplex præmium à Deo consequitur. 255. c 3.
Humilitas facit humilem Dei Filium 255. c. 2.
Humilitas maiores facit virtutes. 255. c. 3.
Humilitas ditatur diuinis beneficiis à Deo. 257. c. 2.
Humilitatis fortitudo. 248. c. 1.

I

IDololatria maxima omniū peccatorum, & eorum fons. 108. c. 2.
Idololatria omnia crimina repræsentat. 108. c. 2.
Impij sibi nocent, dum aliis malum inferunt. 17. c. 1.
Impij timidi. 236. c. 2. & seq.
Impius viuit contra se. 17. c. 4.
Impiorum filij inepti ad dignitates. 117. c. 3. & 4.

Impiorum animæ, mortuæ in corporibus, velut sepulchris. 138.c.4.
Importunus apud Deum plurimum fructum reportat. 142.c.1.
Incarnatio Verbi fuit insigne amoris erga nos. 49.c.4.
Incarnatio Verbi cætera omnia beneficia excedit. 52.c.4.
Incarnatio Verbi, & felices nos, & infelices reddidit. 52.c.3.
Incarnatio Verbi omnes creaturas mundi honorauit. 51.c.4.& 52.1.
Incarnatio Verbi magnum nobis honorem conciliauit. 50.& seq.
Incarnatio Verbi nos erigit in magnam spem, & fiduciam. 51.c.1.
Incarnatio Verbi Diuini maximè desiderata fuit. 32.c.2.& seq.
Incarnationem Filij Dei, etiam Angeli exoptarunt. 39.c.1.& 2.
Incarnationem Filij Dei, nullus intellectus procreatus percipere potuit. 44.c.1.
per Incarnationem Verbi ipsa etiam insensibilia solatium perceperunt. 139.c.1.& 2.
Incuria, & negligentia in rebus ad salutem conducentibus. 117.c.1. & seq.
Indolem, & ingenium cuiusq; Deus ponderat, vt probet, & percutiat. 135.c.1.
Infernus sumitur interdũ pro mortẽ, & sepulchro. 4.c.1.& seq.
Inferni pœnas meditari proficuum est. 17.c.4.
Infinitiuus apud Hebræos pro imperatiuo sumitur. 328.c.1.
Infirmitas corporis aliquando contra firmitatem, & perfectionem virtutis. 119.c.1.
Ingratitudo maximum vitium. 331.c.3.
Ingratitudo maximè torquet beneficos 331.c 3.& 4.& seq.
Ingratitudo non solùm impedit diuina beneficia, sed etiam illa aufert. 336.c.4.
Ingratitudinis symbolum aliquando columba. 125.c.3.
Iniuriarum obliuio. 122.c.1.
Iniurias dimittere magnanimi est. 272.c.1.& seq. per multas pag.
Initia malorum retundenda sunt. 123.c.4.
Inuidia alienum damnum, non proprium intuetur lucrum. 175.c.3.
Inuidia inter fratres certissima. 84. c.2.
Ira in Deo breuis. 202.c.1.
Irascitur Deus nobis, sed pro bono nostro. 159.c.3.& c.1.& 2.
Iudicia cur appellẽtur supplicia Dei. 155.c.3.& 157.3.
Iudæi Dei cultum, & fidem deferentes animo corruerũt. 56.c.1.& seq.
Iudicia hominum contemnenda. 239.c.1.
Iudicare idem est ac punire. 157.c.4.
Iudicis constantia non debet facilè flecti. 105.c.7.
Iudicat Deus, ac punit paccatissimo animo. 154.c.3.
Iusti non sibi attribuunt virtutes, sed Deo. 151.c.1.& 2.
Iustitia Dei semper punit citra condignum. 155.c.1 & 2.
Iustitiam diuinam non possunt homines incusare. 154.c.3.& 4. & 155.1.
Iustos nihil lædit aut offendit. 136. c.3.
Iustorum mala non mala, sed quasi mala dicuntur. 131.c.4.
Iustus suo iudicio contentus est. 239. c.1.

L

Labor, quem in acquirenda aliqua re impendimus, magis æstimabilem eam reddit. 142.c.3.
Labor iuuat maximè ad lætitiam. 142.c.4.
Labores faciunt, ne euanẽscamus. 5. c.2.
Labores nobis à Deo dati sunt in beneficium. 11.c 1.

Labores aliquando infligit Deus hominibus, vt eos ad sanitatem reducat. 128.c 2.3.& 129 1. & seq.
Labores beneficia Dei sunt. 129. c.1.
Labores infligit Deus hominibus, quasi seipsum affligat. 131.c.2.
Labores nostri nobis grauiores videntur, quàm aliorum. 143.c 4.
Labores cum prosperitatibus vitæ coniuncti sunt. 210.c.3.& seq.
Labores sanctorum mitigat Deus. 133.c.1.& 2.& seq. 136.c.1.
Labores sanctorum solet Deus ponderare, ne opprimantur. 134.c.1. & 2.& 135.
per Labores peruenitur ad fructus, & præmia. 139.c.3.
Labores eorum, qui aliquando fuere felices, acerbiores sunt. 219.c.2. & seq.
Laboribus probatur, & examinatur homo. 217.c.2.
pro Laboribus debemus gratias Deo reddere. 208.c.1.& 2.
in Laboribus benedicendus Deus. 208.c.3.& 4.& 209.c.1.& 2.
in Laboribus non desperandum. 143.c.1.
Laborant peccatores in vanum. 280. c.1.
Labores nostros debemus abstergere laboribus Christi. 48.c.1.
Laborare aliquando etiam in terris voluptuosum est. 30.c.1.& 2.
Lac matrum filiis videtur mores illarum instillare 60.c.1.
Lacrymæ Christi vagientis in præsepio. 45.c.4.
Lacrymæ infantis Christi nostræ sunt, & pretiosæ. 47.c.1.
Lacrymæ nostræ quomodo pretiosæ efficiantur. 46.c.4.
Lacrymæ nostræ ignem inferni extingunt. 146.c.1.& 150.4.
Lacrymæ pœnitentis sanguis sunt effusus à iustitia, quæ circa Deum fit. 146.c.3.4.
Lacrymæ cur quietum reddant cor. 237.c.2.& 3.
Lacrymæ sunt liquefacta desideria. 147.c.4.
Lacrymæ nobis proponunt, & manifestant animam. 147.c.4.
Lacrymæ cur dolorem minuant, & quietem causent. 148.c.2.
Lacrymæ secundùm baptisma. 149. c.3.
Lacrymæ irrigandi, & abluendi vim habent. 149 & 150.
Lacrymæ sterilitatem reddunt fœcundam. 150.c.1.
Lacrymæ dolent sententiam contra nos latam. 151.c.1.& 2.
Lacrymæ pro peccatis dulces, pro temporalibus salsæ, & amaræ. 181.c.1.
Lacrymæ in ordine spiritus præcipuas partes habent. 148.c.4.
Lacrymæ Christi vrunt nos. 47.c.3.
Lacrymis ligatur Deus, & fletibus, flectitur. 141.c.2.& 172.1.& 2.
de Lacrymis vide. 141.c.2.& seq.
Lacrymas nostras supra caput suum collocat Deus. 148.c.3.
Laus Dei præcipuum munus animæ nostræ. 58.c.3.
Laudatores falsi. 239.c.3.
Laudes in cœlo, & à Deo tamen veræ sunt. 255.c.2.
Laus ab impio, neque Deum decet, neque admittenda est. 276.c.4. & 301.1.& 2.
Laus Dei aliquando per silentium fit. 297.c.3.& 4.
Laus Dei munit nos contra inimicos. 303.c.1.& 2.& 308.4.
Laus Dei sacrificium acceptabilius Deo, quolibet alio. 303.c.3. & 4. & seq. per multas pag.
Laus Dei à nobis quas conditiones habere debeat. 305.c.4.
Laus Dei plurima mala mundo impedit. 314.c.1.& 2.
Laus Dei proprium officiũ Christianorũ. 310.c.1.& 2.& 311.1.& 2.

Laudant

Laudāt animæ in purgatorio Deum. 276.c.3.
Laudem omnem noſtram excedit Deus.298.c.2.& 3.
Laudes Dei in ore corda lætificant. 303.c.1.& ſeq.
Laudant Deum omnia opera eius. 309.c.3.& 4.
Laudamus Deum bene operando. 298.c.1.& 3.
Laudandus Deus in proſperis, & in aduerſis.298.c.4.
Laudandus iugiter Deus, quia ſemper adeſt materia laudis. 299.c.1. & 2.& 303.2.& 3 & 306.3.& 4.
Laudare debemus Deum per omnia membra.306.c.1.
Laudandus Deus, & cum punit, & cum benefacit.354.c.4.
Laudatoribus ſuis ſoluit Deus laudes in cœlo.308.c.2.
dum Laudamus Deum,aliquid à nobis videtur accipere. 308. col.2. & 3.
qui Deum Laudat, perfectus victor exiſtet.308.c.3.& 4.
in Laudibus Dei totam vitam debemus inſumere.296.c.3.& ſeq.
Lætitia immoderata maximè nocet animabus noſtris.5.c.1.
Lætitia virtuti maximè conuenit. 109.c.2.3.
Lex vetus, quo ſenſu dicatur à Philo lex ſpiritualis.80.c.2.& 3.
Liberalitas diuina plura tribuit, quàm promittit.314.c.1.& 326.2. & ſeq.
Locus vnus pro vicino ſumitur interdum in Scriptura.4.c.2.

M

Magiſtri cur parentes in Scriptura appellentur. 315.c.1.
Magiſtri plurimum laborant in docendo.316.c.1 & 2.& ſeq.
Magiſtri, & doctores plurimum in ſtudendo debent laborare. 317. c.1.
Mala, quæ remedio carent, hoc bonum habent, illud minimè ſperare.143.c.4.
Mala nobis à Deo inflicta,ſemper in bonum cedunt. 153.c.1.159.c.2. & ſeq.
Mali ſibi nocent, dum aliis malum inferunt.17.c.1.
Mali nunquam quietè viuunt. 94. c.1.
B.Virginis Mariæ integritas in partu. 36.c.3.& ſeq.
Mala pœnæ è manibus Dei cur debeant æquanimiter tolerari. 135. c.1.& ſeq.
Mandragoræ cur aſſimiletur Chriſtus.37.c.4.& ſeq.
Matres, quæ filios ſuos non nutriunt dimidiatæ matres ſunt.59.c.4.
Martyrum vulnera ipſis quidem glorioſa.79.c.3.
Māſuetudo maximè à Chriſto commendatur.272.c.3.& 4.
Manſuetudo triumphum de inimicis reportat.273.c.2.
Medici terreni futiles, verus ſolus Deus.143.c.3.
Metus ſolet timidis vocem adimere. 127.c.3.& 4.
Mœſtitia qualiter mentes torqueat. 128.c.1.
Miſericordia Dei mala noſtra poſt terga dimittit. 267.c.2.& ſeq.
Minæ Dei in bonum noſtrum cedūt. 203.c.4.& ſeq.
Miſeriæ eorum, qui aliquando fuerunt felices,acerbiores ſunt. 219. c.2.
Miſericordiæ abundantia in Deo. 202.c.2.& 3.& 4.
Miſericordia Dei non debet nos male ſecuros reddere.96.c.2.
Miſericordia Dei vincit ſupplicia conſolationibus.206.c.4.
Miſericordia Dei de ſuppliciis videtur pœnitere.ibid.c.3.
Miſericordia Dei præuenit ipſa ſupplicia ibidem.

Misericordia Dei non finit seruos suos esse seueros. 205.c.2.

Misericordia Dei multis commendatur. ibid.c.1.& seq.

Misericordia Dei ad omnes peruenit. 204.c.1.

Misericordia Dei supplicia condire solet benignitate. 85.c.2. & 3. & 88.c.1.

Misericordia Dei semper iram,& iustitiam retrahit. 203.c.2.3.& 4. & seq.

Misericordia Dei in suppliciis nobis illatis cernitur. 159.c.3. & 4. & 203.1.

Misericors Deus nostris peccatis induratur. 155.c.4.

Misericordia Dei semper punit citra condignum. 154.c.1. & 2. & seq. & 202.3.

Morbi corporis solent aliquando proficere ad salutem. 128.c.2.

Morborum medela in Deo requirenda est. 143.c.1.& seq.

Morbus corporalis pharmacum est pro salute spirituali. 4.c.4.

Mors frænum est, quo à vitiis retardamur. 11.c.3.& 4.& seq.

Mortis memoriam à nobis auferre vult diabolus. 12.c.1. vide 94.c.2. & seq.

Mortis metus non continet in officio. 13.c.1.& 2.& seq.& 94.c.3.& 4 & 96.3.

de Mortis memoria plura vide à fol. 11.12.& 13.

Mortis memoria quomodo in nobis appareat descripta. 14. c.1.& 21.2.

Mortis obliuio nobis nocet ad salutem. 14 c.2.vide etiam 18.c.1.

Mortem plorant homines non mortis causam. 14.c.4.

Mors cur timenda non sit. 15.c.1.

Mortem nostram consolatur mors Christi. ibid.c.2.

Mors temporalis misericordia Dei est. ibid.

Mors nostra nobis maximè prodest. 15.c.3

Mors iustorum non propriè dicitur mors. 16.c.1.

Mors impiorum, & iustorum differunt maximè. 16.c.3.

Mors iustorum non est appellanda mors. 16.c.3.& 4.& 17.c.1.& 2.

Mori mente, antequam moriamur corpore, optimum est. 20. c.4. & 21.2

Mors dominatur nolenti. 21.c.1.

Mortificatio appetituum viuificat, & beatam reddit animam. 21.c.2.

Mortis speculum dicitur vita bona. 21.c.3.

Montes in Scriptura significāt Apostolos, sacerdotes, & sapientes. 61. c.2.

Mors nobis obuenit in pœnam peccati. 86.c.4.& 87.1.

Mors imparatos nos aggreditur. 2. c.3.& seq.

Mors immatura aliquando vtilis, ne in alia longiori noceat. 101.c.1.

Mors nullum reuereretur potentem, nulli parcit ærati. 93.c.3.

Mors incautos non inuenit prudentes. 93.c.4.

Mortem longè distantem proponit diabolus impiis. 95.c.1.

cum Morte fœdus inire videntur impij. 95.c.2.

Mortis tempus semper adest. 95.c.2. 98.c.2.

Mors sic intercipit hominem, vt conuersioni non relinquat locum. 96. c.1.

Mori quotidie optimum est. 96.c.4.

Mortis præparatio maximè iuuat morientem. 97.c.4. 99.1.& seq.

Mors semper nobis propè adest. 98. c.2. 99.2.

Mors immatura nulli contingit. 98. c.1.

Mors immatura quantum ad ętatem, periculosa ad salutem. 98.c.1. & seq.& 101.3.

Mortis memoria à morte perpetua liberat.20.c.1.& 2.& seq.
Mors immatura aliquando venit, vt occurrat Deus peccatis, & quia ita peccata merentur. 102. c.2. & 103.c.4.& seq.
in Mortem non subito, sed minutatim incidimus.96.c.3.
Mors cur lucrum dicatur.98.c.5.
ad Mortem se conformare signum sapientis.102.c.4.
Mors infœlix iis,quos imparatos inuenit.103.c.1.& seq.
Mors iustorum minimè deploranda. 107.c.4.
Mors peccatorum pessima.103.c.3.
Mors animæ quomodo contingat. 244 c.3.
Mors animæ peior, quam corporis. 245.c.3.
Mortis memoria vtilis.97.c.4. & 21. c.4.& seq.
Mortis incertitudo præparationem monet.97.c.2.
Mortis memoria nullum finit superesse gaudium.162.c.3.
Mors cur dicatur somnum in Scriptura,& apud profanos.278.c.2.
Mori mundo, quomodo contingat. 288.c.1.
Morti dies extremus peruenit, accedit omnis.102.c.4.
Mulier in Scriptura indicat muliebrem animum.198 c.2.

N

NAscitur adhuc Christus iis, qui illius celebrant Natiuitatem. 53.c.2.& 3.
Natiuitas Domini radix omnium festorum Christi.39.c.3.
Natiuitas fuit descensus Christi, qui nobis ascensum præbuit 40 c.1.
Natiuitas Christi plures continet nouitates.43.c.4 & 44 c 1.
Natiuitas Christi ex Virgine similis illi, qua natus est ex Patre.45.c.1.
Natiuitas Christi insigne amoris Dei erga nos fuit.49.c.4.
Natiuitas, & Aduentus Christi in Scriptura misericordia nuncupatur.276.c.2.
Natiuitas Christi, & fœlices nos, & infœlices reddidit.52.c 3.
Natiuitas Christi cætera omnia beneficia excedit ibidem.c.4.
Natiuitatis dies est, quam fecit Dominus.51.c.4.
Natiuitatis nox, dies potius fuit. 46. c.2.
Natiuitatem Dei etiam ipsa cœli lumina desiderarunt 40.c.2.
per Natiuitatem Christi terra cœlo coniuncta est.39.c.3.
de Natiuitate Christi multa habes. à fol.32.c.2.& seq.
Natura sine disciplina cæca est. 314. c.2.
Negligentia in iis, quæ ad salutem conducunt,maxime nocet.97.c.2. & 116.& 117.c.1.& seq.
Nutrices debent quæri optimæ pro pueris educandis.60.c.1.

O

OCcasiones virtutum nullatenus amittendæ.113.c.3.
Occasio temporis nullatenus amittenda.296.c.2.& 3.
Oculi in cœlum defixi idem cœlum tundunt,& pulsant.125.c.3.
Oculi pacem, & vnitatem denotant. 229.c.2.
Oculi fores animi.125.c.2.
Oculi affectum animi indicant. 125. c.1.& 2.
Oculi in cœlum eleuati, indicant affectum hominis in Deum intentum.126.c.1.
Officia honoris maxime detinent, & captiuant homines.50.c.1.
Opera, & labores, quibus peccator fatigatur,vana.280.c.1.
Opera bona comitantur iustum. 281.c.4 & seq.
Opera, & fides sunt duæ alæ, quibus homo in cœlum euolat.282.c.1.
Opera bona diuitiæ veræ.283.c.2.

Opera bona arma ſunt.ibidem.
Opera bona in vita, placidam reddunt mortem.288.c.2.
Opera bona ſunt pretium, quo vita æterna comparatur.287.c.1.
Operibus bonis debet homo incumbere.99 c.1.
Operando benè laudamus Deum. 298.c.2.& 3.
Orationis perſeuerantia, plurimum fructum apud Deum reportat. 142.c.1.
Orationes noſtras non ſtatim exaudit Deus, vt poſtea æſtimemus, quæ ipſe tribuit.142.c.3.
Orationes noſtras cum Deus non exaudit, in maius noſtrum bonum cedit. 141. c.3. & ſeq. 142. c.1.& 2.
Orantes nos velociter exaudit Deus. 140.c.1.
Orantibus magna debet eſſe conſolatio, quod Deus vbique adeſt. 139.c.4.

P

PArentes rectè inſtituentes filios, præmiũ promerentur. 321.c.1.
Paci diabolus ſemper inſidiatur.228. c.4.
Patientia oſtendit animi fortitudinem, & magnitudinem. 130.c.1. & 2.
Patientia aptos reddit homines ad magnalia Dei.130.c.4.
Patientia commendatur. 274. c.1. & 2.
Patientia de laboribus, & preſſuris triumphat. 130. c.3. & 4. & ſeq.
Patientia victoriam reportat. 273. c.3.& 4.& 274.1.& 2.
Patiẽtia minora reddit mala.132.c.3.
Pacem nobis attulit Chriſtus. 48. c.4.& ſeq.
in Plagis à Deo inflictis, recurramus ad id quod meremur. 153. c.3. & 4.& 162.c.4.
Paſſione Chriſti debemus omnes affictiones noſtras abſtergere.48. c.1.
Pacem maximè debent prouocare Eccleſiaſtici 225.c.4.
Parentes ſpirituales, quomodo filios Deo generent.58.c.4.
Parentes quomodo liberorum obitum doleant.86.c.2.
Parentes exemplum præbeant filiis. 31.c.3.
Parentes debent maxima vigilantia, filiorum educationi incumbere. 314.c.1.& 2.& ſeq.
Parentes filiorum defectum maximè dolent.83.c.4.& ſeq.
Parentum mores imitantur filij.319. & ſeq.
Parentes cur in tantum prolem deſiderent.86.c.3.
Parentum nomen ad magiſtros tranſiit, quia parentes debent edocere filios.315.c.1.
Perentes puniuntur in filiis.88.c.2.
Parentibus imputantur peccata filiorum.317.c.4.& ſeq.
Parentes potius pati volunt, quam filios patientes videre. 88. c.4. & 89.c.1.
Paupertas iuſtorum, diuitiæ ſunt illorum.15.c.4.
Paupertas Chriſti diuitiæ noſtræ ſunt 48.c.3.
Pax beatitudinis cœleſtis.29 c.3.
Pax noſtra bellum eſt diabolo. 49. c.3.
Pax inquirenda,& perſequenda.230. c.1.& ſeq.
Pax omnia bona in ſe includit,& pro omnibus ſupponit.222.c.2.& ſeq.
Pax bona etiam cœleſtia importat. 222.c.4.& ſeq.
Pax inexpugnabilis.2225.c.2.
Pax vita eſt.227.c.3.
Patriæ beatitudo.240 c.4.
Pax admodum placet Deo.229.c.3.
Pax bonæ conſcientiæ. 238.c.1. & 2.
Pax cibus eſt.227.c.3.
Pax neceſſaria.228.c.3.

Pax nostra bellum, & exitium diaboli.49.c.3.& 228.c.4.
Peccatum, quia mortis causa est, debent vitare homines, non mortem.14.c.4.
Peccator viuit contra se.17.c.4.
Peccati tempestas, & inquietudo. 235.c.1.
Peccati tristitia.235.c.4.& 236.c.1.
Peccatores timidi.236.c.2.& 3.
Peccatum partium crescit neglectum.169.c.1.
Peccata etiam remissa, præ oculis debemus habere. 168. c.3. & 4. & seq.
Peccator in tenebris ambulat. 175. c.1.
Peccatores, qui non inquietantur peccatis, est quia iam illis veluti naturalia sint.236.c.4.
Peccatũ mors animæ.241.c.3.& seq.
Peccatum etiam leue debet nobis videri grauissimum. 184.c.4. & seq.
Peccatum gladius animi.243.c.1.
Peccatum sepulchrum peccatoris. ibidem.
Peccatum temporalia etiam bona destruit.243.c.3.
Peccati etiã remissi memoria, iustum maxime torquet.240.c 3.& 4.
Peccata semper ferenda præ oculis. 264.c.3.& 4.
Pectus tundere quid significet. 169. c.2.& 3.
Perfectio virtutis est se imperfectũm existimare.259.c.1.
Peccati cognitio, medela contra peccatum.265.c.2.& 3.
Peccati pondus maximum. 269.c.1. & 2.
Peccator ineptus Dei laudibus. 301. c.1.& 2.
Peccati amaritudo.231.c.4.& seq.
Pœnitentia bellum cœlo infert.171. c.4.& 172.c.1.& 2.
Pœnitentiæ vires,& virtutes.172.c.3.
Pœnitentia maxima prudentia est. 173.c.1.
Pœnitentia cedit in magnum Dei honorem.177.c.2.
Pœnitentia corona Dei est,& nostra. ibid.c.3.
Pœnitentia amaritudinem animæ habet.182.& seq.
Pœnitentia semper sollicita, peccatum etiam semper præ oculis fert. 266.c.1.& 2.
de Pœnitentia multa habes.à fol.182. & seq.
Pœnités iratus sibi.169.c.2.& 3.& 4.
Pœnitentia inanis est, quam sequens culpa inquinat.169.c.2.
Pœnitentia est iustitia apud Deum. 146.c.3.& 4.
Pœnitentia securitatem tribuit pœnitenti.147.c.1.
Pœnitentia recogitat omnia peccata vitæ.162.c.2.& 3.& seq.
Pœnitentia sacrificium iustitiæ.163. c.1.& 171.c.1.2.& 175.c.1.
per Pœnitentiam peccator, seipsum mactat Deo.163.c.2.
Pœnitentia à Deo vult peccata impunita, quia ipsa punit.163.c.4.
Pœnitentia hominem culpatum, ante iratum exponit.ibidem,& seq.
Pœnitens sibi testis, & iudex est. 164.c.2.
Pœnitens de se peccante victoriam non reportat.164.c.2.
Pœnitentia est perfectus regressus ad Deum, & auersio à peccato. 165. c.1.& 2.
Pœnitentia seruiet Deo per illa, quibus seruierat mundo. 166. c.1. & 2.& seq.
Pœnitentia via ad Deum.170.c.2.
Pœnitentia non debet differri ad vltimum vitæ tempus.20.c.3.
Pœnitentium afflictiones, pulchros ipsos reddunt.79.c.3.
Pœnitentia restituit peccatores ad pristinum statum veluti innocentia.108.c.3.
Pœnas infligit Deus, vt bona conferat.135.c.2.

Pœnæ

Pœnæ mala· iuſtitia ad vitam cœleſtem.16.c.3.

Pericula qui euadebant, tabulas, ſignáque affigebant in templis. 2. c.2.

Perſeuerantia in virtute laudatur. 116.c.2.

Perſeuerantia quam vtilis nobis ſit. 142.c.2.& 143.c.2.

Perſeuerantia imago æternitatis.142. c.3.

Periclitantibus iuſtis adeſt Deus. 196.c.4.

Perſecutiones non deformem reddunt animam,ſed pulchram. 161. c.1.

Plebei homines facilè dignitatibus in ſuperbiam efferuntur. 247. c.1.

Pluuia à Deo poſtulanda, & impetranda.84.c.2.

Pluuiam aliquando Deus iuſtè denegat.154.c.1.& 161.4.

Potentes cito obliuiſcuntur benefactorum.246.c.3.& 4.

Præferri, & perfici laborioſum,pluſquam mors.191.c.2.& ſeq.

Prælatorum peccata grauiora aliis. 118.c.1.

Prælatus velut ſubditorum facies eos præire debet.117.c.2.

Prælati lenitas debet ſeueritate condiri.105.c.2.

Prælatorum defectus non poſſunt eſſe occulti.117.c.3.& 4.

Prælatus puniens, rationem punitionis reddat.157.c.3.

Præſentia Dei vbique nos à peccatis debet retardare.186.c.2.

Prædicatores non curant de intellectu Scripturæ, ſed de demulcendis auribus auditorum.2.c.2.

Prælatis, & Paſtoribus peculiari ratione naſcitur Chriſtus 48.c.2.

Præſumptio, & inanis confidentia damnatur.20.c.3.& 4.

Principes viros maximè decet ſanctitas.117.c.2.& ſeq.

Principes, & Prælati norma ſunt, ad quam ſui componuntur.54.c.2.

*Principum,& regum mores,ſiue boni, ſiue mali ſint, ſubditi imitantur.ibidem.

ad Principes viros, & Prælatos ſpectat maximè Dei cultus. 54. c.1. & ſeq.

Proficere in via virtutis debemus. 118.c.1.& 2.& ſeq. vide hac de re.120.c.4.

Propoſitum virtutis, quod ad effectum non reducitur.109.c.3.& 4. & 110.c.1.& 2.

Proſperitas inebriat,& inducit obliuionem.246.c.3.

Proſperitas maiora mala facit, quam aduerſitas.7.c.1.vide 152.c.3.& 4.

Proſperitates terrenæ irrident homines.7.c.4.

Proſperitas peiores reddit impios. 4. c.4.

Proſperitas freno indiget,ne præceps feratur.4.c.4.& 5.c.1.& 190.c.3.

in Proſperis quomodo ſe quiſquam debeat habere. 6.c.1.& 2.& 191. c.3.& 4.

Proſperitatis mala.246 c.4.

Punit Deus inuitus.156.c.3.& 203. c.2.

Punit Deus citra condignum. 154. c.1.& ſeq.& 158.c.4.

Punit Deus,vt parcat.159.c.4.& 160. c.1.

Pueri benè inſtruendi.317.c.3.

à Pueritia rectè inſtruendi liberi. 322.c.3.& 4.& ſeq.

Q

QVærere in Scriptura idem eſt, ac deſiderare.4.c.2.& 3.

Quærendus eſt Deus ſumma ſedulitate, ac diligentia. 115. c 4. & ſeq.

Querimoniæ noſtræ contra Deum irrationabiles ſunt.152.c.2.& 3.

R

REgis virtutes ſunt, in Deum Religio,in homines benignitas.154.c.3.

Religio

Religio fundamentum, & basis Regnorum. 55.c.1.
Religio, & cultus Dei maxima perfectio. 57.c.4. & seq.
Religio militia est, quia seruire Deo militare est. 283.c.2. & 3.
Religiosi semper laudando Deo vacant. 300.c.2.
Religiosi viri non debent implicari temporalibus. 50.c.2.
Religio fundamentum virtutũ moralium eisque excellentior. 55.c.1.
Religiosorum salutatio, Deo gratias. 302.c.4.
Religiosis debitores sunt sæculares, quia istorum debitum illi soluũt apud Deum. 311.c.4.
Requies vera in sola beatitudine reperitur. 279.c.1. & 2.
Remedium nostrarum afflictionum, à Deo repetendum. 144 c.1. & 2.
Remedia conuenientia Deus adhibet nostris malis. 11.c.2. & 3.
Respondere pro aliquo est, causam illius defendere. 126.c.1.
Romana ciuitas, quot vastationes perpessa est. 215.c.4.

S

Sacerdotes debent pacem maximè procurare. 226 col.4. & 227.1.
Sacra peragenda sunt, maxima veneratione. 57.c 3.
Sancti non sibi, sed Deo tribuunt virtutes. 251.c.1.2. & 3.
Sanguis Christi, velut veri agni, nos redemit. 36.c.3.
Scripturæ sacræ, vel syllaba, vel apiculus, grande mysterium continetur. 1.c.1.
Scriptura mensa est, vnde panis frangitur pueris. ibid.
Scripturæ expositor, diligens esse debet. ibid.
Scriptura paradiso quomodo similis. 1.c.2.
Scripturæ deprauatores qui ad suam mentem eam detorquent. ibidem.
Scriptura sancta, puteus altus. ibid.
Scriptura comprobari debet ex Scriptura. ibid.
Scripturæ tractatores illius medullam non considerant. 2.c.1.
Scripturæ diuinæ faciunt homines diuinos. ibid.
Scripturæ profunditas quanta sit. ibidem.
Scripturæ tractator, non verba composita, sed veritatem quærere debet. ibidem.
Scripturæ tractator morales sensus prosequi etiam debet. ibid.
Secreta omnia aperit vis amoris. 41. c.3. & 4.
Securitas in hac vita nulla reperitur. 5.c.3. & 4.
Seculares sunt debitores Ecclesiasticis, quia illorum debitum soluunt apud Deum. 311.c.4.
Senes semper putant, plus adhuc posse viuere. 211.c.4.
Senes difficilè virtuti incumbunt, si in tota integra ætate vitiis fuere dati. 106.c.4.
Senes debent curare, vt bene moriantur. 18.c.3.
Sepulchra mortuorum debent esse nobis specula, in quibus intueamur. 22.c.4.
Seruire Deo militare est, & serui Dei milites. 283.c.2. & 3.
Seueros non permittit Deus esse seruos suos, quanto magis crudeles. 206.c.2.
Seruorum mos est, prosperis superbire. 5.c.2.
Silentium quando Dei laus reputatur. 298.c.3. & 4.
Simplicitas animi. 122.1.
Spes in tantum torquet animum, vt aliquando desperare sit optimum. 143 c.4. & seq.
Spes nostra collocanda in Deo. 196.
Deus non deest sperãtibus in ipsum. 197.

Spes in Deo, omnia ab eo consequitur.200.c.2.
Spes in Deo, firma turris.145.c.1.
Spes in Deo, æquiualet possessioni. ibidem.
Spes in Deo non torquet sperantes, quia certa.145.c.1.
Spes nostra in Deo figenda, quia non deest sperantibus in eum.144.c.3. & seq.
Spes insana, quæ meritis destituitur. 20.c.3.& 4.
Spei cœlestis robur mala terrena infringit. 138.c.1.
Spe omnia fiunt, & conseruantur. 145.c.2.
Sperantes in Deo nihil timere debent.198.c.3.
Sperandum in Deo non in alio. 17. c.2.
Spiritus sancti ignis maturos reddit virtutum fructus. 111. col.2. & 3.
Sterilitas terræ aliquando à Deo merito infligitur.153.c 4.
Sterilitas in fœminis olim doloris causa.84.c.1.
Sterilitas, maledictio, & magnum malum, & opprobrium habetur. 85.c.4.
Supplicia à Deo inflicta minora sunt, quàm mereamur. 154.c.1. & 4.
Supplicia nobis à Deo summa attentione infliguntur, ne nos conterat. 154.c.4.
Supplicia Dei, cur appellentur iudicia.155.c.2.& 157.3.
Supplicia infligit Deus inuitus. 156. c.3.
Supplicia impiorum, in hac vita incipiunt, duratura in æternum. 138.c.3.
Suppliciis non flecti, signum est futuræ damnationis, & econtra. 138.c.2.
Supplicia Dei, misericordia condiuntur.85.c.2.& 3.& 88.c.1.
Supplicia à Deo inflicta æquanimiter toleranda.152.c.2.& seq.
Supplicia à Deo ponderantur cum culpis.133.c.3.& 4.
Supplicia infligit Deus, vt ad præmia disponat. 135.c.2.
Supplicia cur dicantur testes Dei. 158.c.3.& 4.
Supplicia à Deo inflicta, in nostrum bonum succedunt. 159.col.2. & 161.c.1.
Supplicia Dei aliquãdo beneficium. 202.c.4.& 208.3.
Supplicia Dei secum ferunt consolationes.207.2.& seq.
Supplicia Dei cur in Scriptura dicantur visitationes.206.c.1.
Supplicia Dei intuentibus debent prodesse ad salutem.104.c.4.
in Supplicis à Deo inflictis, recurramus ad ea, quæ meremur.153.c.4. & 158.2.3.& 4.
in Suppliciis quę à Deo patimur, vim illi facimus, vt puniat.159.c.1.
Suppliciis Deus suam benignitatem immiscet.202.c.2.
in Suppliciis Dei misericordia diuina refulget. 203.c.1.
Superstitio Deum violat, non colit. 105.c.1.
Superbi peiores diabolo.9.c.3.
Superbia cur equo comparetur. 11. c.2.
Superbire in dignitatibus, contingit infimis animis. 247.c.1.
Superbos Deus despicit, & pro nihilo ducit.248.c.3.
Superbi pusilli animi sunt. 249.c.1.

T

Tempus vacuum dicitur, quo nõ operamur.100 c.1.& 2.
Tempus debemus pluris facere, nec perdere, sed redimere. 294.c.3.4.
Tempus vitæ in Dei laudibus debemus insumere. 299.c.2.& seq.
Tempus breue sufficit ad promerendam æternam vitam. 100.c.1.

Tempo

Temporalia assequi, adhuc miserum est. 27.c.3.
Temporalia velocissimè transeunt. 114.c.3.
Temporalia inflant, non implent, neque satiant. 27.c.3.
Temporalia omnia ipsa vicissitudine, & mutabilitate placent. 26. c.2.
Temporalia si experiamur, statim ad spiritualia amore rapiemur. 27. c.2.
Temporalia omnia mutabilia, proinde iis non fidendum. 7.c.1.& 21.& 26.3.
Templum Salomonis mirabile fuit, & magnitudine, & pulchritudine. 57.c.4.
Templum Dei in nobis habemus, in quo orare possumus. 140.c.2.
Terra promissionis cur dicatur terra viuentium. 24.c.4.
in Templo Dei maxima cum reuerentia debemus versari. 14.col.3. & 4.
Temporalia omnia mutabilia, & caduca. 216.c.1.& 2.
Timor non quilibet, sed qualis in constantem virum cadat. 198.c.4.
Timentes Deum ipse maximè protegit. 197.c.4.
Timor Dei fundamentum virtutum moralium. 55.c.1.
Terminus necessarius apponendus est rebus omnibus huius vitæ. 26. c.2. vide 27.1.& 2.
Timor Dei Religionem significat. ibidem.
Timore Dei consecramur ad virtutem. 17.c.3.
Tolerantia in morbis, & afflictionibus ostendit animi fortitudinem. 130.c.1.& 2.
Tribulationes iustorum, vide labores sanctorum. litera L.
Tribulationes sanctorum solet Deus ponderare antequam infligat. 134. c.1.& 2.
Tribulationes immittit Deus, vt ad præmia disponat. 135.c.2.
Tribulationes nos ad Deum deducunt. 145.c.2.& 3.& seq.
Vide litera A. Afflictiones.
Tribulationes nostras debemus abstergere tribulationibus Christi. 48.c.1.
Tristitia quomodo mentẽ torqueat, & angat. 28.c.1.
Tribulatio nobis à Deo data beneficium est. 11.c.1.
Tribulationes faciunt, ne euanescamus. 5.c.2.

V

Vana gloria intolerabilis ebrietas. 212.c.2.
Vana gloria nihil prorsus est. 214. c.4.
Vana gloria vt plurimum in virtutibus reperitur. 261.c.1.
Vanum, seu vanitas quid sit. 280.c.1.
Vita nostra nullam securitatem admittit. 5.c.3.& 4.
Virtus in aduersis securior habetur. 7.c.1.
Vitæ præsentis breuitas, nos cautos reddit. 12.c.4.
Vitæ longioris expectatio, nos fallit ad salutem. 14.c.2.
Vitæ longioris in nobis fallacia. 14. c.2.
Vita præsens non est vita. 14.c.3.
Vita gloriæ, vera vita est. 14.c.3.& 29.1.& 2.
Vita præsens inter superflua numeranda est. 15.c.4.
Vita præsens carcer est. ibid.
Vita nostra morbus mortalis est. 16. c.2.& 192.3.
Vita nostra tempestas est. 161.c.2.
Vita æterna portus est. 16.c.2.
Viuit impius contra se. 17.c.4.
Vita bona dicitur mortis speculum, & cur. 21.c.3.
Vita nostra quotidie moritur. 22. c.2.
Vita nostra telæ similis. 8.c.4.

Vitam longiorem optant homines, quia ęternam habere non possunt. 89 c.2.
Vitam potius bonam, quàm longiorem debent homines optare. ibid.
Vitæ amor qualis insitus sit hominibus. 89.c.3.
Vita dulcior est deliciosis, & diuitibus. 89.c.4.
Vitæ nostræ incertitudo, & perpetuus fluxus 90.c.2.& seq.per plures col.
Viuere diu, est diu torqueri. 90.c.3. & 192.3.
Vita nostra semper inter pericula versatur.91.c.3.& seq.
in Vita nihil certius morte. 91.c.4.
Vita nostra fugax,& incerta. 94.c.2. & 189.1.& seq.
Vita nostra vanitas. 91.c.4.
Vita nostra debet esse meditatio mortis.92.c.1.
Vita nostra semper vicina est morti. 93.c.2.& 95.2.& seq.
Vita nostra nos de futura monet. 93.c 2.
Vita nihil certum habet, quod numeret.93.c.4.
Vitæ præsentis fallacia. 94. col 4.& 189.1.& seq.
Vita nostra via est,proinde non standum in ea. 99.col.4. & 189. 1.& seq.
Vitæ quodlibet tempus sufficit ad promerendam æternam vitam. 100.c.1.
Vita longa est operibus plena. 100. c.3.
Vitæ bonum non in spatio eius, sed in vsu.100.c.4.
Vitia aliquando mentiuntur virtutes.105.c.3.
Virtus sua initia habet, & incrementa, ac velut ætates. 109. c.1. & 2.
Virtus nostræ naturæ accommodata,sicut peccatum illi contrarium. 109.c.2.
Virtus est gaudere de pulchris, secundùm Plut. ibid.
Virtuti conueuit gaudium, pax, & lætitia. ibidem.
ad Virtutes longos trahunt homines mores,non verò ad vitia.109. c.3.
Virtutis initia frigidare probantur. 112.c.3.& 4.& 113.1.
Virtutis initia diabolus sopire nititur.113.c.1.& 2.
Virtutis initia custodienda maximè sunt.113.c.2.
Virtutem esurire, & desiderare semper perfectum quidem est. 118. c.1.& 2.& seq.
tota Vita Christiani bonum desiderium est.121.c.1.
in Vitiis idem est incœpisse,& perfecisse, non sic in virtutibus. 123. c.3.
Virtutes sibi non attribuunt sancti, sed Deo.251.c.1.& 2.
Virtutes abiiciendæ post terga ne superbiamus. 261.c 4.& seq per multas pag.
Vindicta in Scriptura appellatur requies.131.c.4.
Vim facimus Deo peccando, vt nos puniat.159.c.1.
Vita animæ Deus est.242.c.1.& seq.
Virtus ostentationem minimè curat. 263.c.1.
Vindicare se Christiani nesciunt. 273.& seq.
Vindictæ genus est posse, & nolle vindicare.274.c.4.
Vita præsens terminus merendi est. 275.c.4.
Vita præsens ad merendum datur. 277.c.4.& seq.
Virtutes pennæ sunt, quibus homo volat in cœlum.282.c.1.
Virtutes veræ diuitiæ sunt. 283.c.1.
Virtutes arma sunt 283.c.2.
Vita præsens transitus quidam est. 291.c.1.& 2.
in Vita nihil certum. 190.c.2.

Vita

Vita præſens tribulatio. 189. c.3. & 4.194.1.& 2.
Vita præſens ſcena, & figura. 189. c.2.& ſeq.
Vita hominis variá modo in lætis.
Vita hominis laborioſa admodum. 187.c.3.& 4.
Vita optanda eſt ad ſeruiendum Deo.109.c.1.
Viuere idem eſt atque ſeruire Deo, ſi vita ſecundùm rectam conſiderationem conſideretur.109.c.1.
Vita adeo infœlix, vt bona ſit mors, eo quod illa finiat.107.c.4.
Vita præſens domus aliena. 191.c.4. & ſeq.
Vita,& in malis, & in proſperis breuis.194.c.2.& 3.
Vita longior, longiores protrahit. miſerias.192.c.3.
Vnio, & pax inexpugnabilis. 225 c.2.
Voluntas eſt manus animæ. 169.c.2. & 3.
Voluntate noſtra ſoluimus Deo debita.170.c.3 & 4.
Voluptatis dulcedinem abhorret Deus.185.c.3 & 4.
Voluptates huius vitæ mixtæ ſunt amaritudinibus,& aduerſitatibus. 210.c.3.& 4.& ſeq.
Voluptas inſatiabilis eſt.212.c.3.
Voluptates ſæculi ſummè Deo diſplicent.213.c.3.& 4.

LAVS DEO.





INDEX EARVM RERVM, QVÆ AD CONCIONES SPECTANT, ET IN HOC volumine continentur.

Dom. 1. Aduentus Domini.

ERVNT *signa*, &c. Debemus præuenire iudicium, & præuidere infernũ ne illius pœnas incurramus. 17. c.4. & seq. & 18. 2. & 3. Præmeditanda tuba, quæ nos ad iudicium vocabit. 20.c.1. & 2.Miser,qui violentus adducitur ad iudicium, cum adhuc terrenis detinetur.21.c.1. *Cœlum,& terra transibunt*,&c Omnia ignis consumet,veritas tamen in Deo reperitur. 7.c.8. & 10.2. Homines,apud quos tanti fit honor, maximam ignominiam in iudicio patientur. 50. c.2. Adueniet Deus ad iudicium, quia id minimè existimabimus. 92. c.1. & seq.Mors infœlix iis,qui ad vltimum tempus remittunt præparationem ad iudicium. 103.c.1. & seq. Prius in hoc Euangelio,quæ ventura sunt minatur, vt futura mala effugiamus. 157.c.1. Iudicium Dei æquissimum erit, & gloriosum sanctis omnibus. 158.c.1.& 2. Non possunt conqueri damnati de iniusta sententia Dei cum ipse iustissimè iudicauerit. 156. & seq.per multas paginas,& 158 3.& 4.& seq. In iudicio finali,non beneficia tantum, sed etiam mala pœnæ nobis obiiciet Deus, quia illis non sumus redditi meliores.161.c.3. Imò ante latam sententiam iudicem præueniamus.170.c.1. Timendum maximè iudicium Dei,quia nemo in illo potest iustificari, etiamsi iustus sit apud homines.249.c.2.

Dom. 2. Aduentus.

CVm *audisset Ioannes in vinculis,&c.* Non frangitur aduersis. qui non excessit in lætis 7.c.1. *Ite, renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis*.43. c.1. Ioannis in vinculis patientia probatur, & de malis triumphat.130.c.1.2.3 & 4.& seq.Mirabitur quis videns Ioannem in vinculis, attamen hoc sciendum est, omnia Deus in nostrum profectum ordinare, etiamsi absona videantur. 153.c.1.& 2.& 152.2.& 3.& seq. Et cum sine demeritis Ioannes patiatur, videat quisquam nostrûm quanta mala mereatur.153.c.3. Non minum.

rum si tam constans in vinculis apparet Ioannes , quia Deus periclitantibus iustis adesse solet. 196. c.4. & seq. *Ecce qui mollibus vestiantur:* militiam profitemur, & mollibus, non armis induimur.284.c.1.

Dom. 3.

TV *quis es,*&c. De humilitate Baptistæ recusantis supremam dignitatem.9.c.1. & 259.2. Dum mittunt ad Ioannem , & non recipiunt Christum, admonemur vana, & contemnenda esse hominum iudicia. 239. c.1. Dum non effertur oblatis honoribus Baptista , magnitudinem animi sui testatur.247.c.1.& 2.

Dom. 4.

P*Arate viam Domini.* Præparare nos debemus ad mortem,& præuenire illam in pœnitentia.20.c 2.& 3. Confessio peccatorum parat viam Domino.163.c.2. Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ factus est scopus pœnitentiæ. 171. c.1. Dum prædicat pœnitentiam Ioannes bellum indicit cœlo, & milites conuocat , & ideo Christus Dominus ait, *à diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur.*171.c.4.& 172.1.& 2.

Pro Natiuit. Domini.

PRo Natiuitate Christi integram concionem habes à fol. 32. c.2. & seq. In terra pax hominibus, omnia bona nobis sub nomine pacis attulit.222.c.3.& 225.4.& 226.1.

In die Sancti Stephani.

E*Cce ego mitto ad vos Prophetas,&c.* Timor Dei , & Religio , ac cultus fundamentum est regnorum , & ideo merito Christus deplorat ruinam Iudæorum , penes quos illa deperant. à fol.55. & seq. Vult hoc in loco Christus Dominus ostendere Deum , non sine causa homines punire, & ipsos immerito de Deo conqueri.153 c.3. & 4. & 155.3.& 4.& seq. per multas pag. Ostendit Deus quomodo puniat inuitus. 156. c.3. & 4.*Hierusalem, Hierusalem,*&c. Prius minatur Deus, vt supplicium venturum effugiant.157.c.1. Vide quomodo lapidantes deuicerit Stephanus. 273.c.3.& 4.

In die S. Ioannis.

D*Ixit Iesus Petro: Sequere. Conuersus Petrus vidit illum discipulum,*&c.185.c.4.& seq.

Pro Innocentibus.

SIgnum magnæ dilectionis eripi in tenera ætate è vita, ne in vlteriori malitia saluti noceat.101.c.1.& seq. *Mortui sunt qui quærebant animam Pueri* : In nobis adhuc viuit Herodes, qui Deum in nobis vult occidere.144.c.1.

Dom. infra oct. Natiuit.

E*Rant Ioseph,& Maria mirantes super his, quæ dicebantur. Puer autem crescebat,& confortabatur.*&c. 122 c.2.

In die Circumcisionis.

P*Ostquam consummati sunt dies octo.* Hodierna die incipit agnus sanguinem effundere , quo nobis aperiendum est cœlum.36.c.2. & 3. O quãti fit, & valet iam homo, pro quo in pretium soluit Deus sanguinem,& in quàm sublimem statum euehitur homo , pro quo in tam infimum descendit Deus. 51.c.1. Dum octauo statim die Christus pro nostra salute

iure sanguinem fudit, admonet nos diligentiã adhibendã pro nostra salute 97.c.2.& 105.4. Vbi contra eos, qui procrastinantur. Multa habes contra eos, qui diu laborant in virtute, non sic vero in vitiis. 109. c.3.& 4.& 110.c.1.& 2. Occasiones ad salutem, & tempus aptum nullatenus amittendum. 113.c.3. & 4. & seq. Dum Christus incipit vitam à laboribus, docet nobis datam esse vitam, vt mereamur in illa beatitudinem.277.c.4.& seq. Si Deus pro nobis tam cito sanguinem suum fundit, nos pro nostra salute debemus laborare.288. & ante, & postea multa hac de re habentur.

In Epiphania Domini.

CVm natus esset Iesus in Bethlehem, &c. Ab Oriente vocauit Deus reges istos, quia ad principes viros, & reges spectat maximè Dei cultus, & adoratio. 54.c.1. *Venimus adorare eum*, huiusmodi cultu, & adoratione regna sua confirmarunt, nullum siquidem maius stabilimentum regnorum, quam Dei adoratio, & cultus.à fol.55.& seq. Diligentia in quærendo Deum, & virtutem, commentur nobis in his regibus. 97. c.2. & 105 4. Vbi contra eos qui desides sunt in via salutis, multa habes contra eos, qui procrastinantur, & diu hærent in rebus, quæ ad salutem spectant, cum certissimè laborent pro peccatis committendis. 109.c.3.& 4. & 110 1. & 2. Vocationes Dei, & occasiones ad salutem nullatenus amittendæ. 113. c.2 3. & 4. & seq. *Ecce magi ab Oriente*, &c. Videntur hi Magi reges, & dum tanta cura ac diligentia Deum quærunt, testantur sane se reges esse quos maxime decet virtus, & sanctitas. 117.c.2. & 3. & seq. *Turbatus est Herodes*, &c. 211. c.4.

Dom. infra oct. Epiphan.

CVm factus esset Iesus annorum duodecim, remansit in Hierusalem. Dolentes quærebamus te, quid mirum si doleat, & lachrymetur Dei separationem, cum ab illo tota fœlicitas nobis proueniat. 50.c.3.

Dom. 2. post Epiphan.

VInum non habent &c. Deum pro necessitatibus, & afflictionibus nostris debemus conuenire. 144.c.1. & seq. Felices spem suam in Deo collocant; qui non deest confidentibus in illo. 144. c.3. & 4. & seq. & 196 3. & 4. seq. vide 199.c.2. *Quid mihi, & tibi est mulier?* Non reprehensionem, sed probationem continent hæc verba.200.c.4.

Dom. 3. post Epiphan.

SI vis potes me mundare; volo, mundare. Vide quam præsto adest Deus inuocationibus nostris, vt nos exaudiat. 139.c.4.& 140.1.& 2. *Domine si vis* &c. Deum debemus conuenire in afflictionibus, & ærumnis nostris. 144.c.1.& seq. De centurione vide 9. c.2. Deus non deest sperantibus in ipso 96.c.3. & 4. & seq. Vide 199.c.2. & seq. per multas col. Humilitas Centurionis in dignitate laudabilis testatur si quidem animi magnitudinem. 247. c.1. & 2. *Domine non sum dignus*; dum se humiliat Centurio, Dominum vincit. 248.c.1.& 2.

Dom. 4.

ECce motus factus est in mari. Cur Deus permiserit sæuire tempestatem, & non antea occurrerit, vide

vide 142.c.4. Et antea multa hac de re habes. *Domine salua nos, perimus.* Deum in afflictionibus, & periculis nostris debemus conuenire. 144.c.1. & seq. *Salua nos, perimus.* sperantibus in Deum solet ipse adesse. 196.c.3.& 4.& seq. vide 199.c.2.& seq.

Dom. 5.

Simile factum est Regnum cœlorum homini, qui seminauit semen bonum, &c. *Inimicus homo superseminauit zizania.* Vide diabolicam indolem, quę mala infert solum vt noceat, non vt sibi vtilitatẽ compararet. 175.c.1. vide 175.c.3. *Sinite vtraque crescere:* aliquando optimum est non statim punire. 203.c.1.

Dom. Septuagesimæ.

Simile est homini patrifamiliâs, qui exijt primo mane. Ex hoc Euangelio habemus, quod breue vitæ tempus sufficit ad promerendum præmium cœleste. 100.c.2. Nam merces apud Deum non respondet tempori, sed operi, & animo. ibid. & sequ. Bonum vitæ non in spatio eius, sed in vsu, & merito, 100.c.4. Si primo mane consurgit Dominus ad vocandos homines, quanto magis illi debent diligentes esse pro propria salute. 97.c.2.& 105.c.4. vbi contra desides, qui in rebus conducentibus ad salutem protrastinantur. A primo mane adolescentiæ debemus studere virtutibus: nam difficilis admodum fit senibus virtus, qui impij in tota vita extitere. 106.c.4 Laudantur adolescentes virtutibus dediti. 101. c 2. & 116.4. *Quid hîc statis tota die otiosi?* Desides contra salutem damnantur, & qui non exequuntur initia concepta virtutum. 113.c.3 & 4. & seq. Nullus de Deo iustè conqueri potest, sicut hoc in loco fecere mercenarij. 152.c.2.3. & 4. *Qui exijt primo mane*, quid velit significare per primum mane. 172.col.4. *Quid hic statis tota die otiosi?* Hæc vita ideò nobis à Deo concessa est, vt eam in operando iustitiam, & acquirendis meritis insumamus. 277. col.4. & sequ. Laborandum in vinea Dei, cæteræ enim occupationes vanæ, & infructuosæ. 280. col.1. & sequ. per multas colum. Et solum laborem, & defatigationem ferunt. 281.col.1. & 2. Miserabile otium eorum, qui in hac vita torpent, nec laborant pro æterna. 290.c.4. Et ante, & postea multa hac de re habentur. 291.c. 4. & sequ. & 294.1. Quandiu viuimus mercenarij, & operarij Dei sumus. 299. c.3. & 4. Frustra viuunt otiosi, & qui non operantur iustitiam. 300.c.1.& 2.

Dom. Sexagesimæ.

Exijt qui seminat seminare, &c. *Quia non habebat humorem.* Lacrymarum humor fertilem reddit animam. 150. c.2. Spinæ quomodo diuitias significent. 211.c.4.& 212.1. & antea, & postea de hoc argumento habentur multa.

Dom. Quinquagesimæ.

Ecce ascendimus Hierosolymam: docet hic locus quomodo debeamus præmeditari mortem, & ea quæ nobis in posterum supersunt, multa vide f.20. Et ante, & postea de cæco clamante notari potest, quam præsto Deus audit orationes nostras. 140.& seq. Quod si repulsam patimur in postulationibus nostris, in maius nostrum bonum cedit. 142. c.1.& 2. & sequ. *Fili David miserere mei.* Deum in afflictionibus nostris debemus pro remedio conuenire. 144.c.1.& seq.

Feria 4. Cinerum.

NE ſuperbiamus, cognitione propria refrænemur. 5.col.2. Vide etiam hac de re, 8.c.4 & ſequ. Cinis iſtius diei, omnem in nobis elationem deprimit. 9. col.3. O quam refrænat à vitiis cognitio noſtræ terrenæ vilitatis, & reſolutionis in puluerem. 11.col.3. & 4. Puluis inicitur pugnantibus apibus, ſic & nobis peccantibus. Ibidem. Mortis memoria quàm vilis, & neceſſaria. 11. & ſequ. Puluis hic noſtris capitibus impoſitus inimicos animæ noſtræ expugnat, vide 19.col.1.& ſeq. vide etiam 18. col 4. vſque ad 20. Terra iſta, & puluis nos commonefacit quid ſumus. 22.c.1. Inanis gloria in virtutibus fugienda. 184.col.3. & 4. Non leuant externæ laudes triſtitiam peccati, proinde inmerito quęrit peccator externam gloriam. 185. col. 2. Quia puluis ſumus, perpetua mutatione agitamur. 190. col.4. & ſeq. *Memento homo, quia puluis es*, admonemur noſtræ naturæ, &c. 192. col.1. & 2. Se puluerem, & terram agnoſcere, & reputare magnitudinem animi teſtatur. 243. col.3. & 4. Ad luctandum hoc tempore cum animæ hoſtibus, plurimum valet ſe quempiam humiliare, & deiicere, cognoſcendo ſe terram. 248.c.1.& 2. *Nolite fieri ſicut hypocritæ*, &c. Sancti ſiquidem humiliter de ſe ſentiunt, & de aliis bene cogitant, & loquuntur. 249.c.3.& 4.& ſeq. *Cum facis eleemoſynam*, &c. Noli præſumere de te, ſed omnem laudem Deo tribue. 251.c.1. 2.& 3. Sed pro hac re vide 252.c.3. *Receperunt mercedem ſuam*: ne reputes mercedem, vt mercedem accipias. 252.c.4. & ſeq. *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* 254.c.4. *Nolite fieri*, &c. Prohibet Chriſtus facere virtutes, ob aucupandam laudem hominum. 260.col.1. Humiliat Deus ſeruos ſuos in virtutibus, ne ſuperbiant. 261.col.2. Virtutes abiiciendæ poſt terga, & peccata noſtra prę oculis habenda ne ſuperbiamus. 261.c.4. & ſeq. O quantum nocet vana gloria virtutibus. 262.col.3. & ſeq. vbi pro hoc Euangelio multa. Virtus oſtentationem minimè curat. 263. col.1 & 2. Et de hoc Euangelio multa ibi, & ſeq.

Feria 6.

D*Iligite inimicos veſtros.* Cum Deus poſt terga proiecerit peccata noſtra, imò ſupra ſe ſoluenda aſſumpſerit, vt habes à fol.267. c.2. & ſequ. Meretur, imò monet vt nos alienos defectus, & offenſas nobis illatas poſt terga reiiciamus. Sicut habes à fol.269.col.3. Et inimicos, ac offenſores diligamus. Magnum remedium ad diligendos inimicos, ſi eorum offenſas ignoremus, ſicut fecit Chriſtus Dominus. 270.c.1.& 2. Durum pręceptum de diligendis inimicis, & illud facilè reddit pręmium, nempe, *vt ſitis filij patris veſtri.* 270. col.4.& ſeq. Vbi multa hac de re habes per multas pagin. Orate pro calumniantibus vos. 273. col.3. Benedicendi ſunt ij, qui nos maledicunt. 275.c.2.3.& 4.

Sabbatho poſt Cineres.

FAmes illum reduxit. Afflictiones ſiquidem maximè proſunt ad ſalutem. 5.c.1. & 3. In ſe reuerſus. 10. col.4. Quid mirum ſi eſuriat prodigus delicioſus, cum temporalia inflent, non ſatient. 27.col.3. In menſa Patris vera ſatietas eſt ſine faſtidio. 27. col.3.4. & 28.1. Et verus apud Deum cibus. 65. col.2. Qui verè ſatiat. 68. col.4. Surgens venit ad patrem. In rebus ad ſalutem conducentibus nulla admittenda negligentia.

gentia. 97. col.2. Non diutius hæsit quod maximè laudatur. 108. col.4. & 109.1. Nec misit occasionem eundi. 113.col.3.& 4. & 114.c.4.& 115.1. *Perierat, & inuentus est.* 142.c.3. *Surgam,&c.* In afflictionibus nostris debemus Deum conuenire. 144.c.1.& seq. Vide hac de re 176.c.4.& seq. Paratur conuiuium reconciliato filio, quia iam poterat frui conuiuio rectę conscientiæ. 234.c.1. & 2. *Non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* 327.c.4.

Dom. 1. *Quadragesimæ.*

Ostendit ei in momento omnia regna mundi. Bene in momento omnia regna demonstrantur, in momento enim cuncta prætereunt. 7. col.3. Et de instabilitate temporalium multa. 7.col.1. & seq. *Hæc omnia tibi dabo.* Sola bona, quæ à Domino accipiuntur vera sunt, & in illis pro Deo gloriandum. 9.col.4. Vt mundana regna ostenderet, in altum duxit diabolus Dominum Iesum, anceps siquidem est esse terrenum. 9.col.1. *Dic vt lapides isti panes fiant,* talem ille offert cibum; Christus verò nobis præbet verum cibum, & ideò ait: *Caro mea verè est cibus.* 65. col.2. In mensa Dei vera satietas sine fastidio. 27.col.3.& 4.& 28.1. Mundus suis præbet panem mendacij, & qualem Deo offerebat diabolus. 65. col.4. Non sic panis quem Christus offert. 66. col.1. Qui verè satiat. 68. col.4. *Dic vt lapides isti panes fiant:* ipse qui voluit lapides in panes conuertere, calculum candidum,& preciosum lapidem in panis specie nobis tribuit. 76.col.4. *Ostendit ei omnia regna mundi.* 211.col.3.& 4. *Ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum:* cum tamen nulla in mundo sit gloria. 212.c.3. & 4. Per inanem tamen mundi gloriam nos decipit diabolus. 214. c.4. & 215.1. *Regna mundi,* curarum,& vigiliarum examen. 215. c.1. & sequ. Vbi regnorum instabilitas proponitur. c.3. Regna mundi potius contemnenda. 216. c.1. & 2. *Mitte te deorsum,* fortassis ideo ruinam suasit, quia qui in alto est, proximus ruinæ habetur. 217.c.2.3.& 4. & seq.

Feria 4. *post* 1. *Dom.*

Volumus à te signum videre: quid adhuc quæruntur signa cum per incarnationem, & natiuitatem Christi tot signa facta fuerint quot habes à fol. 43.c.4.&c.

Feria 6. *post* 1. *Dom.*

De piscina monet Christus sanatum paralyticum, quia restituta sanitas eum cautiorem debuit reddere. 9.col.4. Nouus medicus, qui gratis sanat, & proprium lucrum ducit sanitatem nostram. 43. col.2. *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* cum proprium sit iustorum semper vlterius in virtute progredi, sicut habes fol. 118. & 119. Maximè dolendum est si retrocedat à iustitia, ille, qui à peccato sanatus est. 119.col.3.& 4.& seq. Morbi corporis proficiunt aliquando multum ad sanitatem animæ. 128.col.2. Hic homo tot annorum morbo probatus erat de longanimitate, & patientia, quam ostendit ærumnarum tolerantia. 130.col.1.& 2. *Non habeo hominem:* infelix homo, qui in alio, quàm in Deo collocauit spem suam. 144.c.3. & 4. & seq. Maxima culpa est afflictis si Deum non quærant. 145.col.1. *Ecce iam sanus factus es, noli amplius peccare;* ad hoc maximum remediũ est, præterita peccata prę oculis habere. 168.c.1. & 2. & seq. vide

etiam his de verbis.169.c.1. *Qui prior deſcendiſſet poſt motionem aquæ ſanabatur.* 256.c.1. Vade, & iam amplius noli peccare.266.2.

Dom.2. Quadrageſimæ.

Hic eſt Filius meus dilectus, &c. 271.c.1. Bonum eſt nos hic eſſe, in ſola beatitudine requies inuenitur, non in hac vita. 279.col.1. & ſeq. *Bonum eſt nos hic eſſe*; proſperitates ad obliuionem ſociorum,& amicorum conducunt. 246.col.3. *Bonum eſt nos hic eſſe*, hoc autem dicebat neſcius quid diceret; ô quam vana ſunt iudicia humana. 239.c.1. *Bonum eſt nos hic eſſe.* Vanum eſt putare in hac vita poſſe quem ſecurum viuere.5.c.3.& 4. Hac etiam de re.7. c.2. & ſequ. per multas col. Sed hac in re bene ſenſit dum putat ſola Dei bona, & beatificam gloriam perdurare.10. c.3. *Bonum eſt nos hic eſſe:* in hac vita omnia gaudia violatica ſunt.26.c.2.& 3. Cœleſtia bona gloriæ deſcribuntur.à fol.26.& ſeq. *Reſplenduit facies eius ſicut ſol*, quæ tandem claritas futura ſit in beatis,vide 30.col.3. Miraculum fuit quod non diutius durauerit claritas in vultu Chriſti Domini. 30.col.4. *Bonum eſt nos hic eſſe.*31.c.2.Hodierna die ſoluit Chriſtus promiſſum Moyſi, oſtendens illi omne bonum.34.c.1.*Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* 43.c.2. *Aſſumpſit Ieſus Petrum.*&c. Hæc aſſumptio fit per abſtractionem à terrenis bonis. 121. c.2. *Bonum eſt nos hic eſſe*, in eo ſenſu bene ſenſit, quia exiſtimauit in ſolo Deo vera gaudia reperiri. 219.c.1. Nam in cæteris rebus plures ſunt amaritudines,quàm gaudia, multa de hac re à f.214.

***

Feria 6 poſt 2.Dom.

Qui ceciderit ſuper lapidem iſtũ,confringetur. 76.c.3. Hiſtoria iſtius Euangelij probat, homines non poſſe conqueri de Deo puniente, cum ipſe iuſtè puniat, 153.c.3.& 4.Optima pro hac re habentur. 155.c.3. & 4. Oſtendit etiam quomodo Deus inuitus puniat, & noſtris prouocatus ſceleribus. 156.col.3. & 4. Prius minatur Deus in hoc Euangelio vt ſupplicium venturum euitent, & effugiant.157.c.1.

Dom 3. Quadrageſimæ.

Erat Ieſus eijciens dæmonium. Non mirum ſi ita Chriſtus inſiſtit liberationi hominis à diabolo poſſeſſi,quia Deo nihil ſuauius, quàm homo è poteſtate dæmonis ereptus. 175.col.4. & ſequ. *Illud erat mutum*, nempe vt confeſſionem peccatorum impediret,qua damus Deo gloriam, & honorem. 177.col.2. Et cedit in magnum noſtrum emolumentum. 179.col.3.& 4.& 80.1. & 2. & ſequ. per multas pag. *In Beelzebuth principe dæmoniorum*, &c. O quam contemnenda ſunt iudicia hominum. 239.c.1.

Feria 4. poſt 3.Dom.

Quare diſcipuli tranſgrediuntur, &c. *Quare & vos*, &c. Prælati, & Principis, ac iudicis lenitas debet aliquando ſeueritate condiri. 105. col.2.

Feria 6.poſt 3.Dom.

Daret tibi aquam viuam. Chriſtus aqua viua, & à Dauide deſiderata. 34.col.2. & 4. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem*, &c. 171. col.3.Nihil iucundius ſapori Chriſti Domini,

Domini, quam anima erepta è faucibus diaboli. 175. c. 4. & seq. *Qui biberit aquam, quā ego dabo, non sitiet*, &c. 256. col. 1. *Sedebat sic*, &c. Quid mirum si fatigatus sedet, qui tantum pondus peccatorum nostrorum super se assumpsit soluendum? 268. c. 3. & 4. *Venit mulier haurire aquam*: mulier hæc inhonesta laborat in hac vita, vt in æternum laboret. 280. c. 2. 3. & 4.

Dom. 4. Quadrag.

VNde ememus panes, vt manducent? Ille qui coram se semper habere voluit panes in mensa, apertè ostendit, qua cura, & dilectione Deus nostris subueniat necessitatibus. 65. c. 1. Sola Dei conuiuia satiant, & in cœlis, & in terra. 27 c. 3. & 4. & seq. 68. c. 4. & 69. 1. Fœlices turbæ dum in Deo spem omnem suam collocant. 144. c. 3. & 4. & seq. Turba ista plurima à Christo Domino alitur, & reficitur, quia ipse non deest sperantibus; & quærentibus ipsum. 196. & seq. per multas col. Permisit fame premi vt oculos ad ipsum leuarent. 199. c. 1. & seq. *Cum subleuasset ergo oculos*, &c. Attentis quidem oculis intuetur, & respicit Deus sperantes in ipso. 199. c. 2. 3. & 4. *Cum gratias egisset, distribuit*: cur hoc in loco egerit gratias, non sic vero alia edens miracula. 263. c. 3. qua de re vide ibi c. 1. & 2. & seq.

Feria 4. post 4. Dom.

RAbbi, quis peccauit, &c. Cum filij idem sint cum parentibus, vt patet. 87. c. 2. & 3. Inde est quod parentes puniuntur in filiis. 88. c. 2. & 3. Et ipsi parentes potius volunt pati, quam filios videre patientes. 88 c. 4. & 89. 1. *Quis peccauit hic, aut parentes eius?* Non sunt faciendæ huiusmodi interrogationes de diuinis dispensationibus. 152. c. 3 & 4. Vt manifestētur opera Dei in illo. 320. c. 2.

Feria 6. post 4. Dom.

ECce quem amas, infirmatur, &c. Deum debemus conuenire in afflictionibus positi. 144. c. 1. & seq. Ipse enim verus medicus. ibidem. c. 3. Hinc maxima culpa est, si Deum non requirat homo in afflictionibus suis. 145. c. 1. Afflictiones immittit Deus, vt ad illum pro remedio accurramus. 145. col. 2. & 3. *Ecce quem amas*, &c. Nulla re magis promeretur Deus, quam si in ipso speremus. 199. c. 2. *Lazarus amicus noster dormit*. 188. col. 1. *Iam fœtet*: in his verbis significatur corruptio animæ de qua. 244. c. 3. & 4. & seq. per multas col. *Ecce quem amas, infirmatur*; cum labores maximam nobis vtilitatem afferant, non mirum si diligentibus se, eos inferat Deus. 5. c. 1. & seq. & 160. 1. & 2. Suos amicos Deus erudit per aduersa, & prospera. 6. col. 1. 2. & 3. Quia prosperitas aliquando nocet, eam solet Deus condire, ideóque amicum morbo afficit, à fol. 6. & seq. Et mori finit, vt ostendat maximam vtilitatem mortis, à fol. 11. 12. & 13. Et ne velimus stare, vbi etiam amici Dei transeunt. 3. c. 4. Mors amicorum Dei, sicut & mors filij Dei, nostram mortem consolatur. 15. c. 2. Docuit in morte Lazari, quod qui credunt, etiamsi mortui sint, viuunt. 17. col. 4. & seq. Lazarus figura peccatoris ostendit quod morbos, & mortem induxerit peccatum. 86. c. 4. Nullus in præsenti vita securus, quia semper periculosa. 90. col. 2. & seq. & 189. & seq. Nemo sanum se in hac vita debet reputare, cum perpetuo morbo laboremus. 91. c. 2. Nihil in vita nostra certius morte, quia inter perpetuos

casus ambulamus.91.col.3.& 4. Etsi mors in adolescentia periculosa sit ad salutem 98.col.1.& seq.& 101.3. Aliquando vtilis est, ne interior malitia noceat. 101. col.1. & seq. Imò signum amoris est à Deo è vita eripi in adolescentia. 101. col.4. Vita iusti secundum merita semper longissima, etiamsi secundum tempus breuis admodum sit.100. c.1. & seq. & 102.c.3.& 4. *Ecce quem amas infirmatur*, solent aliquando morbi corporis proficere ad salutem animæ. 128. col.2. Dilectis suis solet Deus ærumnas, & labores tribuere. 129. c.3.& 196.& seq. *Lazarus amicus noster dormit*; mala iustorum,non simpliciter mala, sed quasi mala, & adumbrata,ac depicta dicuntur.131. c.4.& seq.Mirandum est quod Christus adhuc postquam resciuit infirmitatem Lazari, detinetur, cum tamen ipse citissime exaudiat orationes nostras.140.c.1.& 2.Deinde quia peculiari ratione adest morbo laborantibus.140. c.3.& 4. *Lachrymatus est Iesus*.141. c.2. Quod si Deus deprecantes nos statim non exaudit, in maius bonum nostrum cedit.142. c.1.& 2. *Lazare veni foras*.179. c.1. & 2.

Dom.5. Quadragesimæ.

ABraham pater vester exultauit,vt videret diem meum.23.c.4. Circa eadem verba vide 32.c.4. *Ego dæmonium non habeo*.271.c.3.& 4.

Feria 4. post 5.Dom.

FActa sunt encænia, &c. Festum erat renouationis templi: sane templa, & cultus Dei fulcimentum, & basis sunt regnorum, vnde hæc tandiu durant, quandiu illa seruantur, & ideo Iudæorum Reipublica omnino corruit, quia defecit religio, fides, & cultus Dei apud illos. vide à fol.55.& seq.vbi multa hac de re habentur, vide 56.c.3.& 4. Quo pacto festa Ecclesiastica recolenda sint. vide 57. col.2. Quanta maiori cum ratione templa nostra venerari debeamus, quam veteres Iudæi templum illud antiquum.61.c.3. & seq. Festum encæniarum indicat reuocationem animæ plurimi faciendam per pœnitentiam,siquidem ad maiorem gratiam redit anima, quam habuerit in innocentia. 108. col.3. & 4. *Quousque animam nostram tollis ?* Ignorabant isti, quantum nobis conducat, si Deus nos suspensos detineat 143.co.3.Sed de hac re multa habes à fol.142.

Feria 6. post 5.Dom.

COllegerunt consilium, expedit, vt vnus moriatur homo. O quanti fit apud homines temporalis honor! 50.col.2. *Hic est heres,occidamus eum*; vbi timor Dei, & religio apud Iudæos cessauit, statim eorum Respublica corruit.55.c.1.& 2.

Dom.in Ramis.

PRocessio lætitiæ desinet in passionem mortis,vt discamus mundanas fœlicitates quem tandem exitum habeant, & quod nullatenus debeamus confidere mundi prosperitatibus.5.col.3.& 4.vide etiam hac de re. 6. col.1. Docet nos facto suo Christus Dominus, quomodo, & in prosperis, & in aduersis nos debeamus habere.195. col.2. Quam cito finitur gloria huius processionis, & desinit in ignominiam passionis,quia talem exitum habent sæculi prosperitates. 217 c.2.3. & 4 & seq Vide etiam litera P. Prosperitates. Acerbiorem voluit Deus addere passionem suam, præcedente processione,

ceſſione, aduerſa enim acerbiùs torqnent eum, qui proſper antea fuit. 219.c.2.& ſeq. & 221.c.3.4. & 222. c.1.& 2.

De Latrone Beato.

LAtro in morte Chriſti vitam inuenit. 47. c.1. Per oculos, per quos aliis mors primo ingreditur, ingreſſa eſt vita latroni, ex eo enim, quod Chriſtum morientem vidit, de æterna lucrari ſæpe vita.47.c.2. Latro linceis fidei oculis,agnouit Chriſtum Dominum.73.c.1. In conuerſione iſtius latronis videmus, quod ſufficit quodlibet vitæ tempus, ad promerendam æternam vitam. 100. col.1. Merces apud Deum non tempori ſed operi, & animo reſpondet. 100.c.2.& ſeq.Mors infœlix iis,quos imparatos non inuenit,ideóque vnus tantum latro ſubito ſaluatus proponitur in Scriptura.103. col.2. & ſeq. Docuit hic latro quomodo reuocandæ, & dimidiandæ dies, quomodo redimendum tempus. 104. col.3. Diuina gratia ad maturitatem, quam citiſſime reducit animã,quam illuſtrat. 110. col. 3. & 4. & 111. 2. Omni tempore adeſt Deus inuocantibus eum.140.col.1. & 2. & ſeq. Et in vltimo vitæ momento, exaudit pœnitentes, ſicut teſtatur latro, à Deo exauditus.141.col.1. Beatus qui ſpem ſuam in Deo collocauit.144.& ſeq. Et vide quam fœlicem exitum habuerit memento in latrone, atque in Ioſeph.146.col.2. & 3. Inter Dauid è faucibus leonis eruit ouem. 178.col.3.vide 175 col.4.& ſeq. Vbi oſtenditur animam è faucibus leonis ereptam eſſe cibum dulciſſimum Deo. Deus non deeſt ſperantibus in ipſum.26.col.3.4. & ſeq. Non rectè alteri quàm Deo dicitur memento mei. 201. c.2. Dum videmus nequam latronem, malè de Chriſto iudicare, admonemur contemnere iudicia.

Mandatum.

C*Vm dilexiſſet ſuos.* Antiquis apud Deum amor hominum, non quieſcebat, donec hominem conditum vidit.41.col.1. *Vos vocatis me magiſter,& Domine,& benedicitis*,&c. Humilitas huius ablutionis nihil detrahit de maieſtate filij Dei.42.c.3. & 4. Huius ablutionis, & decoris, in illa veluti recordatur Chriſtus in patria.42.col.4.& 43.1. Summum erga nos amorem teſtatus eſt Deus, dum carnem noſtram aſſumpſit, & inter nos natus eſt.49. col.4. Et pretium noſtrum fœdus eſt, vt haberet quid pro nobis Patri offerret Filius Dei. ibidem, vide etiam. 50. col.4. O quantum valet homo! pro quo Deus ſeipſum dedit in pretium, & in quàm ſublimem euehitur ſtatum homo, pro quo Filius Dei vitam vilem induit, dum velut ſeruus genuflexus abluit pedes.51. col.1. In eo maximè enituit amor Dei erga nos, quod plura fecit,quam mundus optabat, & quam promiſerat.52.c.1. & 2.In hodiernæ Euchariſtiæ inſtitutione pugnarunt potentia Dei,cum dilectione Dei.59. col.2. *Sciens,quia omnia dedit ei Pater in manus.* Se propriis manibus dedit.59.c.3. Et diuini amoris diuitias erga nos effudit.60.col.4. *Ante diem feſtum:* agnus hic veſpertinus ſe obtulit.61.col.4. & ſeq. Loco materialis ignis, quo ſacrificia olim cremabantur, affuit ignis diuini amoris. 62.c.2. Inſtituit hodie Euchariſtiam, vt ibi plura adhuc pateretur, quæ in cruce non pertulit. 64. col.3. Arſit Chriſtus igni diuini amoris, ſed non eſt conſumptus hoc igne, ſicut neque morte finitus eſt amor.73. col 2. In ſolatium receſſus ſui inuenit diuinus

uinus amor, modum eundi ad Patrem, si remanendi apud homines. 74.c.1.& 2. Dilexit Christus homines inimicos, vt verteret in amicos. 74. c.2. Aperuit cor suum hominibus hodierna die præ amore.ibidem. Tali ardebat desiderio patiendi, vt antequam pateretur, passionis suæ imaginem in Eucharistia exhibuerit, & oculis præcesserit in Hierusalem.114.c.2.

Dom. Resurrectionis.

DIes Resurrectionis alterũ diem minimè nouit, quia vnicus dies est.28 c.4.

In 1.octaua Paschæ.

MAne nobiscum Domine: qui Deum secum habet, nihil amplius debet desiderare.66. c.3. Sicut separatio à Deo est causa totius mali.50.c.3. *Cognouerunt eum in fractione panis.* Panis Dei intellectum illustrat, & oculos mentis aperit.71.c.4. & 72.1.& 2. In forma peregrini apparuit discipulis, vt desiderium magis excitaret.75.c.3. *Nos autem sperabamus:* qui è spe ceciderant, quæ robur fidentibus addit, quid mirum, si debiles in fide reperiuntur? 138. c.1. Fœlices, qui in Deo spem suam collocant, quia non deest sperantibus in ipso.144.c.3.4.& seq.

Dom. in Albis.

VNa Sabbathorum cum fores essent clausa,&c. Dixit eis, Pax vobis: Multa de pace habes, a fol.222. col.2. per multas paginas, vide etiam quæ annotauimus pro Euangelio in die Pentecost.

***

Dom. 3. post Pascha.

MVlier cum parit, tristitiam habet,&c.vide 85.col 3.vbi multa hac de re habentur. Aliquando se Deus nobis subtrahit, in maius bonum nostrum.141.& seq. *Modicum, & videbitis me*, &c. Gaudia seculi mixta sunt aduersitatibus, & amaritudinibus.210.c.3.4.& seq.

Dom.5. post Pasch.

SI quid petieritis Patrem in nomine meo. Quam præsto adest Deus nostris inuocationibus. 139. c.3. & 4.& seq. Vide tamen quare aliquando differt nos exaudire. 141. col. 4. Quod si statim non exaudit, in maius nostrum bonum cedit. 142. c.1. & 2.

Feria 2.in Rogationib.

INtegram pro hoc Euangelio habes concionem à fol.40. & seq. *Pulsate,& aperietur*.286.c.3.

In die Ascensionis.

REcumbentibus discipulis apparuit illis,&c. Si cœli aspectus intuentes recreat hodierna die dum ascendit Christus mœstitia afficit videntes.136 c.4. Si verum esset, quod cœlestes orbes, miram reddunt harmoniam, vt habes.137.c.1. sane hodierna die maiorem redderent, dum cœlorum Dominum recipiunt: eleuemus oculos in cœlum, vt terrena despiciamus.137.c.3.& 4.

In die Sancto Pentecost.

SI quis diligit me, sermonem meũ,&c. Pacem relinquo vobis,&c. Nouam pacem attulit Christus mundo. 48. col.4. & seq. Quomodo seruanda,

&

& tuenda sit pax Dei in nobis. 49. col. 2. & 3. Pax nostra bellum est diabolo. Ibidem. Prouidendus nobis Spiritus Sancti ignis, pro maturandis virtutibus. 111. c. 1. & 2. *Pacem relinquo vobis*, multa de pace habes, à fol. 222. c. 2. per multas paginas. Cur hodierna die apparuerit Spiritus Sanctus in forma ignis, qui apparuerat in forma columbæ. 336. cap. 2.

In die Sanctissimæ Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas, &c. Docete omnes gentes. Pro patribus antiquis dedit Deus alios parentes, qui mundum spiritualiter gignerent Deo. 58. c. 4. *Ecce ego vobiscum sum:* magnum beneficium nobiscum perpetuo adesse 59. c. 2. *Ecce ego vobiscum sum, &c.* 62. c. 3. & 4. Hodie ex gentibus vocatur Ecclesia ad statum sponsæ Christi. 267. col. 3. *Docentes eos seruare omnia, &c.* Non sufficit fides, sed requiruntur etiam opera. 282. c. 1. & seq. per multas col.

In die Corporis Christi.

Caro mea, &c. Quomodo Christus in Eucharistia potest videri, tangi & manducari. 59. c. 1. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi*, hoc maximè verum habet in Ecclesia Catholica propter Eucharistiam. 59. c. 2. In huius sacri institutione, pugnarunt potentia, & dilectio Dei. Ibidem. Integram hac de re habes concionem à fol. 59. & seq. Quales mores nobis ingerat cibus iste. 60. c. 2. *Ego sum panis viuus.* 65. c. 2. *Caro mea verè est cibus*, cæteri autem cibi non veri. Ibidem. & seq. *In me manet.* 66. c. 3. Corpus suum accidentibus velauit, ne carnis suæ horror nos à tali cibo fugaret. 74. c. 3. & 4. *Verè est cibus:* quia veritas ita affirmat, debemus credere, vt malum soluamus, credendi serpenti falsum asserenti. 75. c. 2. Hic cibus diiudicandus est ab aliis cibis. 75. c. 3. & 4. & 76. 1. & 77. 1. & 2. Quam puritatem in nobis sumentibus exigat Eucharistia. 76. c. 1. & 2. & 3. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.* 76. c. 4. & seq. *In me manet, & ego in eo.* 78. c. 1. Quænam Christo Domino debeamus reddere in hoc sacramento. 78. c. 2. *Non habebitis vitam in vobis*, ex eo quod homines maximè vitã optant, promittit Christus vitam. 89. c. 3. Ex assuetudine ad impios mundi cibos non gustant peccatores panem cælestem. 106. c. 2. & 3.

Dom. infra octauam Corporis Christi.

Homo quidam fecit canã magnam. Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. hic agricola terrenos homines adumbrans benedicit, quod vult probare iuga boum: quæcunque enim in terra sunt, inflant quidem, non satiant, at longè aliter res euenit in bonis spiritualibus, & cælestibus, de qua re vide à fol. 26. per multas col. *Homo quidam fecit cænam magnam.* de cæna, & mensa cælestis beatitudinis multa habes. 28. c. 1. & anteà, ac postea per multas col. *Homo quidam fecit cenam magnam*, multa de hac cæna habes à fol. 59. per plura folia. *Iuga boum emi quinque.* 192. c. 4. & 193. 1. & 2.

Dom. 3. post Pentecost.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores, &c. De oue perdita. *Erant appropinquantes ad*

Iesum,&c. Immensum beneficium, vt humiliatus Deus à nobis peccatoribus potest conuenire. 44. c. 3. & 4. Ouem perditam super se assumit, qui perditionem nostram, super se defert, vt remedium nobis lucretur. 48. col. 4. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente,&c.* quomodo pœnitentia cœlestibus placeat,& Deo pro peccatis satisfaciat. 108. c. 3. & 4. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore, &c.* 142. c. 3. Pœnitentia ita euehit pœnitentes, vt præcipui sint in cælo. 148. c. 4. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente,&c.* vide in quantum pœnitentia prosit à fol. 162. & seq. per multas pag. Vnus peccator è faucibus diaboli ereptus, suauissimus cibus Deo est, & proinde gaudium de illo in cœlo. 175. c. 4. & seq. *Erant appropinquantes peccatores,&c.* hos peccatores suscipit Christus Dominus, quia eis parcendo maximam comparat gloriam, & coronam. 177. c. 4. & seq. *Quia hic peccatores recipit,&c.* o quam contemnenda sunt humana iudicia. 239. c. 1. Proprium superborum est, de aliis male sentire, de se verò benè, & aliter faciunt sancti 249. c. 2. & 3. & seq. *Ouem suscipit humeris* qui peccata nostra post terga reiicit. 267. c. 2. & seq. Et soluenda in corpore suo suscepit. 268. c. 3. & seq. & 269. 2.

Dom. 4 post Pentecost.

IPse stabat secus stagnum, Præceptor per totam noctem laborantes,&c. In verbo tuo laxabo rete; felices, qui in Deo totam spem suam collocant, qui nullatenus desunt sperantibus in ipsum. 14[illegible] col. 3 4. & seq. Sper[illegible]ibus in [illegible] Deu[illegible]. 196. c. 3. *In verbo [illegible] tuo laxabo rete.* Sancti to[illegible] [illegible] suam in Deo collocant, & [illegible] qui su[illegible] viribus minime præsumunt, sed tota[illegible] la[illegible] in Deum refundunt. 251. c. 1. & se[illegible] Et in nomine ac auxilio Dei omnia fidenter aggrediuntur. 252. col. 1. & 2.

Dom. 5. post Pentecost.

NIsi abundauerit iustitia vestra,&c. Vade prius reconciliari fratri tuo, &c. Deus amantissimus pacis [illegible] maximè eam inculcat. 223. [illegible]. 1. & 2.

Dom. 7. post Pentecost.

ATtendite à falsis prophetis,&c. vitia aliquando me[illegible]ntur virtutes, proinde maximè attendendum, & vigilandum. 105. c. 3.

Dom. 9 post Pentecost.

VIdens ciuitatem fleuit super illam, &c. Quam incerta fœlicitas huius vitæ, & quam subitò in tristitiam vertitur. 5. c. 3. & 4. *Si cognouisses & tu.* In hoc maximè cernitur nostra miseria, quia non cognoscimus quæ ventura sunt nobis. 18. c. 2. & antea, & postea vide multa quæ ad rem faciunt, *Fleuit super illam:* In oculis Christi culpas nostras, & mala cernere possumus. 47. c. 1. Vbi cessauit Religio & cultus Dei apud Iudæos, corruit Regnum, & Respublica eorum. 55. c. 2. *Non relinquent in te lapidem super lapidem.* 57. col. 1. *Scriptum est, quia domus mea domus orationis est.* Qua reuerentia in domo Dei versari debeamus, vide. 54 c. 3. & 4.

Dom. 10. post Pentecost.

PEccata nostra Deo semper proponenda, vt dimittat. 266. c. 3. & 4. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore,*

catorem. Nullum æquitum peccati signum, & debonitas in eo manet. 267. col. 3. & 4. & 26. c.3. Virtutes abijciendæ post terga, & peccata præ oculis habenda, ne superbiamus. 263.c.4.& seq. Perfectio virtutis est se imperfectum existimare. 259. c. 1. Insania proprias prædicare laudes. 259.c.3.& 4. Sancti viri aliorum virtutes super se exaltant. 258. c. 1. & seq. Imperfectus admodum, qui de propriis meritis gloriatur. 258.c.4. *Duo homines ascendebant in templum.* Dum non audet oculos in cœlum leuare, lucratus est ipsum cœlum, imo verò iam licet oculos ad cœlum nempè Christum leuare, qui in terris adest. 47. col. 2. Vide quanta cum reuerentia, & humilitate in Ecclesia aderat publicanus, docens nos quomodo in templis versari debeamus. 54 col.3.& 4. Contra templi profanatores, & qui alios ibi perturbant. vide 57. col. 2. Miseri qui ascendunt in templum pro damnatione sua, & vbi alij veniam promerentur, ipsi gehennam sibi conciliant. Ibidem. Vide excellentias quibus nostra templa vetus superat. 61. col. 3. & seq. *Non audebat oculos in cœlum leuare.* oculi affectum animi indicant elati, & depressi, &c. 125. c. 1. *Publicanus à longè stabat,* quia Deus semper, & vbique nobis orantibus præsto adest. 139. c.4.& 140. 1. & seq. Pharisæus murmurabat in templo, in quo non licet mala perpetrare. 157.col.2. *Percutiebat Publicanus pectus suum,* veluti sibi iratus pœnitens. 163. c.4.& 166.4.& 168. 1. *Percutiebat pectus suum.* 169. c.2.3.& 4. Vide de publicano. 176. col. 3. & 4. *Non sum sicut cæteri hominum.* c. 1. *Publicanus non audebat ad cœlum oculos leuare.* 248. c.4. & seq. *Ieiunio bis in Sabbatho*, insania Pharisæi, qui virtutes Deo propalat, ... imperfectiones proprias debent ... re, & pro illis ... & seq. Sed propalare ... bona sua intueri, & ... mala, non sic virtus, & humilitas. 25. col.2. & 3. Noli præsumere de virtutibus. 252. col. 3. & 4. Referendo, & propalando virtutes armamus inimicum contra nos. 252. col. 4. Si magna vis reddere merita tua, humiliter in illis cogita. 252.col.4. & seq.

Dom. 11. post Pentecost.

Exiens de finibus Tyri, &c. Exire de finibus vitiorum conuenit, & amplecti virtutem, non verò illam semper aggredi, non tamen progredi. 103.c.4. Statim atque rogatur pro huiusmodi infirmo, eum sanat, quia scilicet præsto adest inuocatio ... ibus nostris. 139.col 4 & 140.1.& 2. *Adducunt ei surdum, &c.* Et merito quia ipse verus medicus, quem pro malis nostris debemus conuenire. 144.c.1.& 2.& seq. *Benè omnia fecit, &c.* 310.c.3.& 4.

Dom. 12. post Pentecost.

Beati oculi, qui vident, &c. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, &c.* 23.col.4. *Beati oculi qui vident, &c.* Maximum bonum fuit nobis Deus factus homo, &c. Qua de re multa habes à fol. 32. per multa folia. Qui viderunt Christum hominem longe superant eos, qui alia beneficia diuina viderunt. 53. col.1. *Multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, &c.* Ad principes viros spectat Dei cultus, & adoratio. 54.c.1.& seq. *Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre, &c.* Ex hoc loco deducitur sanctitas, principum, & regum. 117. col.2.

Dom.13.post Pentecost.

CVm ingrederetur quoddam Castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Docent hi leprosi quod debemus Deum nostrum in afflictionibus nostris conuenire. 144. c.1.& seq. Sperantibus in se, & laborantibus adest Deus. 196. col. 3. & 4. *Ite: ostendite vos sacerdotibus,&c.* 264. c.2. & 3. *Non est inuentus, qui veniret, & daret gloriam Deo.* Gratias semper debemus reddere Deo pro beneficiis acceptis. 329. c. 1.& seq. per multas col. Ingratitudinis vitium summè displicet Deo. 331.col. 3.& seq. *Vt vidit quia mundatus est, reuersus est magnificans Deum.* 332. c.3.& 4.

Dom.14.post Pentecost.

QVærite primum Regnum Dei,&c. Omnia alia Regna caduca sunt, & fragilia, miniméque eis fidendum. 9. & 10. atque etiam ea de re vide 7. & 8. Qui Dei cultui non deseruit, non potest diu stare, vide 56.& seq. per multas col. *Quærite primum Regnum Dei.* 327.c.3.

Dom.15.post Pentecost.

IBat Iesus in ciuitatem, quæ vocatur Naim,&c. Quia Deus præcipuus est dator filiorum, ideo filius Dei filium matri orbatæ restituit. 84. col. 1. & 2. Misericordia motus Christus super matrem filium suscitauit, dolent siquidem parentes in obitu filiorum. 86. col. 1. & seq. Filij idem sunt cum parentibus 87. col. 2. & 3. Et potius volunt pati, quam filios videre patientes. 88. col. 4. & 89. 1. Adolescens mortuus docet nullam esse vitæ securitatem. 90. col. 2. & seq. In vita nostra nihil certius morte, quia iugiter inter pericula versamur. 91. col 3. & 4. Mors immatura adolescentis aliquando periculosa ad salutem. 98. col. 1. & seq. & 101. 3. Immatura mors aliquando vtilis, ne deinde malitia noceat in vlteriori ætate. 101. col. 1. & seq. Imò aliquando signum est amoris, si Deus in adolescentia aliquem è vita vocet. 101. col. 4. Aliquando Deus in adolescentia absumit aliquem, quia ita merentur illius peccata. 102. col.2.& 103.4.& seq.& 1[illegible]7 2 Vita iusti semper longissima. 100. col. 1. & 2. & 102. 3. Fletibus flectitur Deus, vt compatiatur, & misereatur. 141. col. 2 Mortuus inuenit medicum vitæ. 144 col. [illegible]. Sicut inter hæc super defunctum filium lachrymabatur, sic & nos super peccantem animam. 149. col.2. Dolent homines & lugent mortem corporis, non verò sic mortem animæ, quæ peior est. 241. col. 3. & 4.& 245. 2. & 3 Accepit omnes timor. 33[illegible].c.2.

Dom.16.post Pentecost.

IPsi obseruabant eum: in hydropico mundanus describitur: nam mundi bona inflant, non implent, neque satiant. 27. c. 3. Et cœlestia bona satiant, & implent. Ibidem, & seq. Vide quomodo exaudiet Deus orantes, si vel tacentes exaudit. 140. col.1. & 2. Qui se humiliat, exaltabitur. 255. c. 4. & 257.3.

Dom.17.post Pentecost.

DIliges Dominum Deum tuum, &c. Quomodo à nobis sit Deus diligendus. 79.c.1.& 2.

Dom. 18. post Pentecost.

DE paralytico. Nullus homo in vita sanus, sed omnes perpetuo morbo laboramus. 91. c. 2. & seq. Et de incertitudine vitæ rationem istius morbi vide 90.c.2.& seq. Ex hoc miraculo habemus, quàm cito Deus adsit orantibus. 140. c.1. & 2. Debemus in laboribus, & afflictionibus nostris Deum conuenire.144.c.1.& seq.Ipse enim verus medicus. ibidem.c.3.

Dom. 19. post Pentecost.

NOn habens vestem nuptialem: qua præparatione, & ornatu animæ accedendum sit ad conuiuium Dei 68 c. 3. melius 63. c. 2. 3. & seq. Vide ibi hominem non vestitum.Homini regi comparatur Deus in hoc conuiuio, vt abundantiam denotet illius. 69. c. 1. vide etiam 68.4.

Dom. 20. post Pentecost.

INterrogabat horam ab eis, in qua melius habuerit.170. c. 2. Morbos, & afflictiones Deus immittit, vt ad illu accurramus 145. c.2. & 3. 101. 1. *Erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaũ.* In hoc euangelio, & in miraculo eius docuit Christus, quod qui credunt in illum, etiamsi mortui fuerint, viuẽt. 17. c.4.& 18.1. Credendum est minime doluisse hunc regem de ægroto filio, cuius mortem timebat, solent siquidem reges, magis affici ad prolis conseruationem, & assecutionem. 84.col.4.& 85. 1.Imò,& hoc innatum est omnibus hominibus. 85.c.1.& seq. Et quomodo doleant in filiorum obitu 86. col.1.& seq.Filij idem sunt cum parentibus. 87.c.2. & 3. Aliquando parentes in filiis puniuntur. 88.col.2. Et potius volunt pati, quàm filios videre patientes 88.col.4.& 89.1 .Nullatenus fidendum saluti,& vitæ,ætatiue.90. c. 2. & seq. Nemo sanum se in hac vita debet reputare.91.col.2.In vita nihil certius morte, quia iugiter inter pericula versamur.91.col.3.& 4. Non est cur homines de morbis conquerantur, quos Deus aliquando pro salutę animę infligit.128.c.2. *Rogabat vt descenderet,&c.* Deus semper,& vbique adest, & orantes cito exaudit. 139.c.4 & 140 1.& 2. *Descende priusquam moriatur filius meus.* Laboranti & periclitanti ferme videtur quodlibet auxilium. 143. c.4. Debemus in afflictionibus nostris Deum nostrum pro remedio conuenire. 144.c. .& seq.Ipse enim verus medicus,ibidem.c.3.

Dom. 21. post Pentecost.

SImile est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere, &c. Iste nequam seruus debuit meminisse dimissi à Domino debiti, ne iterum peccaret. 9. col. 4. Et dãno istius debitoris debemus duritiem nostram erga proximum reformare: supplicia enim aliorum nobis ad salutem debent proficere. 104.col.4.Hinc etiam patet iudicis benignitatem, quando opus fuerit debere seueritate condiri 105.col.2. Vult Dñs vt homines agnoscant ipsum itè punire delinquẽtes seruos. 15 c.3. & 4. vide 157. c.1. 2. & 3. & 158.2. & seq. Supplicia sunt testes iustitiæ diuinæ.158. c. 3.& 4. Misericordia Dei nõ permittit seruos suelle seueros in proximos, quanto magis crudeles. 205. col. 2. Cùm Dñs post terga dimittat peccata nr̃a, imò supra se soluenda assumpserit, sicut habes à fol. 267. c.2. Metur quidem, imò euange-

[illegible] factum docet, vt nos a[illegible] offensas, & debita nostra dimittamus, sicut habes. 269. c. 3. & seq. Clementia, & benignitas, qua nobis Deus dimittit debita, nos maxime redarguit, si non dimittamus. 271. c. 3. & seq. Ægrè fert si malè tractemus conseruos, ergà quos maxime vult nos vti charitate, & mansuetudine. 273. c. 1. & 2. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* 328. c. 1. qua de re multa habes a fol 326. c. 2. Ingratitudinis vitiũ summe Deo displicet. 331. c. 3. & seq.

Dom. 22. post Pentecost.

R*Eddite quæ sicut Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,* 297. col. 1.

Dom. 23. post Pentecost.

O Quam dolent homines mortem corporis, non sic vero mortem animæ, quæ maior est. 241. col. 3. & seq. & 245 3. & 4. Afflictiones immittit Deus, vt ad [illegible] accurramus. 145. col. 2. & 3. & 191. Dum se [illegible], princeps [illegible] Dominum vincit, & [illegible]gat. 24[illegible] c. [illegible] & 2. & ant[illegible] multa habe[illegible] & p[illegible]. *Pr[illegible] vnus adorabat [illegible] de[illegible] [illegible] est non est m[illegible] sed dormit* 16 c. 3. & 181. 1. [illegible] *[illegible] fluxu patiebatur [illegible] o, & tetigit,* [illegible]. col. 4. M[illegible] affliguntur principes v[illegible] [illegible] [illegible]seruationem, & affe[illegible]. 84. c. 4. & 85 [illegible] Imo & [illegible] est omnibus h[illegible] 85. c. & [illegible] q. Maxim[illegible] [illegible] parent[illegible] [illegible] [illegible] 8, c. 1. Fil[illegible] [illegible] cum p[illegible] ,& [illegible] parẽtead illo[illegible] [illegible]. 87. c. [illegible] Parentes maxime [illegible] filiis 88. c. 2. [illegible] pot[illegible] [illegible] p[illegible], quam filios [illegible] parentes. 83. c. 4. & 891. Nullatenus [illegible]dum vi[illegible] ætati [illegible], cum vid[illegible] [illegible]lescentulam defunctam. 9[illegible]. c[illegible] & seq. In vita nostra nihil c[illegible] morte, quia iugiter laboramus [illegible]tus morbo. 91. c. 2. 3. & 4. Pat[illegible] dolebat de immatura morte, qu[illegible] mors in adolescentia periculos[illegible] [illegible] salutem 98 col. 1. & 101. 3 Aliq[illegible] tamen immatura mors vtilis e[illegible] in vlteriori ætat[illegible] [illegible] noc[illegible]t. 101. col. 2. & seq. Deinde eti[illegible] bre[illegible] tempore potuit adolescens mult[illegible] sibi meritum comparare. 1[illegible]. c. [illegible] & seq. Imò signum amoris e[illegible] [illegible] Deus aliquem in adolescenti[illegible] [illegible] educat. 101. col. 4. V[illegible]ta iusti [illegible] per longissima, etiam [illegible] breuis p[illegible]o te[illegible]pore sit 100. c. 1. & s[illegible]q. & 102. 5. In afflictionibus nostris d[illegible] D[illegible] [illegible] remedio cõ[illegible]. 14[illegible] [illegible] & seq Ipse en[illegible] [illegible].c 3.

Dom. 24. post Pentecost.

C*Oelum, & terra tr[illegible]* [illegible] Omnia in mundo mutabi[illegible]a sunt, & transitoria. 7[illegible] [illegible] [illegible]

In die S. Andreæ.

E Legit Deus discipulos è v[illegible] piscationis officio, n[illegible] [illegible]bitur [illegible] memor[illegible] pristin[illegible] [illegible] 5. c. 2 & 4. & 8. 4. & s[illegible]q *Re[illegible] retibus &c.* Conuersio nostra [illegible] tenus differenda. 97. c. [illegible]. & 2 [illegible] tra eos, qui in rebus [illegible] [illegible]centibus procrastinantur, v[illegible] 1[illegible]. c. 4. Non d[illegible] del[illegible]berarunt, [illegible] sequendus esset Dominus. [illegible] la[illegible]nda deliberatio, & d[illegible] [illegible] solent en[illegible]m homines diu [illegible] deliberare de [illegible]plex[illegible]nda v[illegible] c[illegible] p[illegible] committend[illegible] [illegible] cati [illegible]hil deliberent. 109. [illegible] & 4. Post diuinam vocationem nu[illegible] immorandum. 1[illegible]9. c. 4. *Re[illegible]*

bus [illegible] *Dominum.* 1 [illegible] .Reliquerunt omnia, mente partim, & corpore. 111. c. 1. Conuersionis, & sequelæ Christi initia diabolus maxime impugnat. 113. col. 1. & 2. Et ideo non immorandum in virtutum initiis. 113. c. 2. & 3. plura hac de re vide 114. c. 3. & 4. Vocauit hos fratres, quia laborantes inuenit, còducit enim maxime ad vitam promerendam æternam, si in hac laboremus. 288. & antea, & postea multa hac de re habentur, vide. 289. c. 3.

In festo Conceptionis.

L*iber generationis, &c.* Videt quàm prosperitates, & felicitates terrenæ, cito transeant in eo quod Ioseph è sanguine, & prosapia regali, ad vilitatem fabrilem deuenit. f. 6. 7. 8. qua de re vide 22, c. 2. & 189. 2. & seq.

In Purificatione Virginis Mariæ,

N*Unc dimittis seruum tuum*, vita præsens carcer est, & de morte temporali, quod vtilis admodum sit iustis. 15. col. 3. 4. & seq. Vbi dicta verba tractantur; vide etiam 16. c. 2. vbi explicantur dicta verba. *Nunc dimittis, &c.* Mors iustis læta, & placida. 16. c. 3. *Homo iustus, & timoratus.* Timor Dei Religionem indicat, & significat. 55. c. 1.

In die S. Matthiæ.

D*Iscite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* semper humilis Christus, sed præcipue in Eucharistia, sicut etiam testatur Diuus Franciscus, in cuius festiuitate hoc dicitur Euangelium. 64. col. 3. *Tollite iugum meum super vos.* 134. c. 1. *Reue-* [illegible] . 25 [illegible] & 4. *Confiteor tibi Pater* [illegible] 13. c. 1. & 2.

In Annuntiatione Virginis.

R*Egni eius non erit finis, &c.* Omnia mutabilia sunt, & caduca. 10. col. 1. vide circa eadem verba. 48. 4. Eua credendo diabolo nobis nocuit: at Virgo Maria Angelo credendo nobis profuit. 45. c. 2. Hodie nouus medicus infirmitatē nostram supra se assumit, vt nos sanos reddat. 48. col. 2. vide etiam. c. 3. & 4. *Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Deum.* 119. c. 1. qua de re multa habes à fol. 118. col. 1. & seq. Per incarnationē Verbi ipsa etiā insensibilia solatium perceperunt. 139. c. 1. & 2.

In festo SS. Philippi, & Iacobi.

D*Omine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* 25. c. 3. *Ego sum via, veritas, & vita.* 65. c. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* 137. c. 2. Debemus mente versare cęlestia bona, ac sedes. 137. c. 3. *Non turbetur cor vestrum, creditis, &c.* Sperantibus in ipsum non deest Deus. 136. c. 3. & 4. seq. & 144. 3. & 4. & seq. *Non turbetur cor vestrum*; nam si mei discipuli estis, & sub mea gratia degitis, nihil debetis timere, quia recta conscientia nihil veretur. 234. col. 1. & seqq. & 237. 4. & 238. 1. & seq.

In Inuentione Sanctæ Crucis.

S*Icut Moyses exaltauit serpentem in deserto*; per oculos nobis ingressa est & adhuc ingreditur mors, per aspectum, & conuersionem ad Christum in cruce nobis prouenit

... vita... ...& 2. Exaltatus .ft in cruce, vt in illa oculos, spemque nostram collocemus.144.c.3.& seq. Oculi enim affectum animi indicant.125.c.1. & 2. Oculi in cœlum eleuati,cœlum tundunt.125.c.3.

In die S. Ioannis Baptistæ.

Baptista recens natus solitudinem petit, vt oculos ad videndum Christum reseruaret,& nihil aliud videret.50.col.1. *Congratulabantur ei*; quia olim nihil tam desideratum, quàm proles; nihil tam detestabile, quàm sterilitas.85. c.3. & seq. Ioannes testabatur de Christo, & vita ipsius de Ioanne. 286. c.2. Prophetauit Zacharias hodierna die.327.col.2.

In die SS. Apostolorum Petri,& Pauli.

Beatus es Simon Bar-Iona:reuocat in memoriam priora principia, & ignobilitatem, nihil enim magis refrænat superbiam, quam propria cognitio. 5. c.2. & 8. *Tu es Petrus,& super hanc petram edicabo Ecclesiam meam*.82.c.1. *Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, &c.* O quam contemnenda sunt, nihiloque æstimanda iudicia hominum.239.c.1. *Tu es Christus filius Dei viui.* 282.c.2.

In die Visitationis Virginis.

Exurgens Maria abijt in montana: hęc ascensio denotat perfectionem ascendendi ad vlteriora merita.121.c.2. & profectũ in virtute vide 18.col.1.& 2.& seq.120. 4. *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me*: O quam humiliter de se sentiũt ..., ... de ab... bene ... ... loquantur.249.c.3.& 4.& ... q. *Magnificat anima mea Dominum.* Iugiter laudandus Deus.307. col. 3. de qua re multa, & antea, & postea habes. *Exultauit infans in vtero,&c.* 333.c.3.

In die Magdalenæ.

Lachrymis cœpit rigare. Multa de vi, & efficientia lachrymarum habes à fol.146.c. 2. & seq. Lachrymę peccatricis testantur ipsam vulneratam amore, quia illæ sanguis animæ sunt.147.col. 2. & 3. Lacrymæ ad ignem charitatis liquefactæ. Ibidem. *Vides hanc mulierem? dilexit multum.* 148. c.3. vide 149. c. 4. & 150. 1. *Rogabat Iesum quidam Phariseus; accessit retro.* ecce altissimus Deus humilis factus, vt ad illum peccatrix mulier potuerit accedere, qui altissimus erat. 44. c.4. Lachrymæ Magdalenæ amore Christi pretiosissimę redditæ sunt.46.c.4.Postposuit se Magdalena Christo, vt Deus Pater respiceret in Filium, & Mariæ indulgeret, neque illam plecteret, quæ velut scutum ante se habebat Christum;qui enim pepercit homini, quia nasciturus erat Filius Dei homo, profecto parcet peccatrici,quæ ante se habet indultorem.50.col.3.*Vt cognouit,&c.*Nullam interposuit moram, sed statim properauit ad conuersionem, quod nobis admodum vtile.97.col.1. *Remittuntur ei peccata multa, &c.* Breui quidem tempore expleuit tempora multa, & docuit nos posse breui quidem tempore,ad multam profectioné euadere.100.col.1.Præmium à Deo non respondet tempori, sed operi.100.col.2. Optimum sane per pœnitentiam dimidiare, imò reuocare dies vitæ.104.col.3. Cõtra eos, qui in rebus ad salutem conducẽtibus procrastinantur.vide 105.col.4.

Lau

Laudanda vtique conuersio Magdalenæ, quia difficilis ex assuetudine vitiosa. 106.col.2.3. & 4. *In ciuitate peccatrix*: dicunt hæc verba consuetudinem ad vitia, quæ maximam vim in nobis habet, & ideò summè laudanda Magdalena dum illata superauit se conuertens ad Deum. 107. col.1.& 2. Pœnitentia in maiorem reducit sanctitatem, animam multoties, quam si nunquam peccasset. 108. col.3. & 4. *Vt cognouit quod Iesus*,&c. Non diutius passa est immorari, neque deliberare de conuersione, & salute; hoc maximè dolendum, quod homines diu deliberent de virtute amplexanda, at de vitiis, & peccatis committendis minimè deliberent. 109.col.3.& 4. & 110.1. Diuinam gratiam quàm citissimè ad maturitatem reducit animam, quam illustrat. 110. col.3. & 4. & 111. 2. vide etiam 112. col.1.2 3.& 4. Virtutum, & conuersionis initia diabolus maximè impugnat. 113. col.1. & 2. Et ideò non immorandum in virtutum initiis. 113. col.3. Contra eos, qui incipiunt viam virtutis, sed iterum ad vitia reuertuntur. 116. col.1.& 2. & sequ. *Ex quo intrauit non cessauit*: in vitiis idem est incœpisse, & perfecisse, non sic verò in virtutibus. 123. col.3. Fletibus flectitur Deus, ne peccatores puniat, sed absoluat. 141. col.2. *Simon vides hanc mulierem?* pulchrior sanè erat post pœnitentiam. 169. col.3. & 4. *Stans retro*: à facie Domini se abscondebat, sed ante faciem suam plorando ponebat peccata sua. 165. col.4. & 164. 1. Pœnitentia triumphat,& victoriam reportat. 164.c.2. Nam pœnitentia bellum infert Deo. 171.col.4. & 172.1.& 2. Pœnitentia laudem meretur sicut hæc mulier consecuta est. 164. col.2. & 3. Qua via mulier hæc peruenerit ad tantam perfectionem. 166. col. 1. Amorem testatur hæc mulier, dum seruit Deo feruentiori obsequio quam mundo seruierat. ibidem, & col.2. Hæc mulier adhuc post remissionem peccatorum conuersa dicitur. 168.c.2.& 3. Opportuna venit conuiuio, quia actus pœnitentis, dapes dulcissimæ sunt Deo. 171.col.3. Nihil aptius gustui, & conuiuio Christi, quàm peccatrix è faucibus diaboli erepta. 175.c.4. & seq. *Hic si esset propheta*,&c. 176.c.2. Optimum vnguentum attulit Magdalena, pœnitentiam scilicet. 177.c.1. Non habebat quietem Maria, quandiu sub peccato fuit, de qua re multa habes à fol. 32. Attamen postea sedebat quieta ad pedes Domini, dum sub bona conscientia erat, de qua re vide 234.col.1.& seq. *Hic si esset propheta.* O quam sunt contemnenda iudicia hominum! 239.col.1. *Hic si esset propheta.* Superbia solet de nobis mala loqui. 250.col.2. *Vides hanc mulierem?* Possumus explicare ex eo, quod Deus ait: Nónne vidisti Achab humiliatum. 151.col.4. *Vedes hanc mulierem?* Per pœnitentiam quidem iam non est illa, sed cōuersa in aliam. 267.col 4.& 268.1.& 2. *Stans retro.* Ibi stetit vt peccata post terga Christi deponeret, qui ea in corpore suo soluenda suscepit. 268. col.3. & 4. *Vt cognouit*, &c. Non amittenda occasio,& tempus. 296.col.2. Tempus maximè obseruandum pro salute animæ. 294.col.3.& 4. *Rogabat Iesum Pharisæus, vt manducaret cum illo.* 327. col.4.

In Missis B. Mariæ in Natiuitate.

Pastores loquebantur ad inuicem, transeamus vsque Bethlehem. 115. col.1.& 2. Diligentia in rebus ad salutem conducentibus maximè vtilis.

97.c.2. multa hac de re habes 109.c. 3.& 4.& 110.1.3.& 4.& 111.2.& 112.1.2.3.& 4.& 113.1.2.& 3.& seq.

In die S.Laurentij.

NIsi granum frumenti mortuum fuerit, &c. Non peruenitur ad vllum fructum, nisi post attritionem laborum. 139. col.2. & 3. vide afflictiones litera A. & labores litera L. *Qui amat animam suam, perdet eam.* 146.c.4.& 147.1. Dum præcipit odio habere animam, mel, & lac sub lingua eius. 207.col.4. *Nisi granum frumenti*: nisi quis atteratur, & laboret, fructum gloriæ minimè feret, & accipiet. 284.c.3.& 4.

In Assumptione Virginis.

INtrauit Iesus in quoddam Castellum. *Quæ etiam sedens secus pedes Domini.* Non mirum si sic detinetur ad pedes Domini, quia spirituales delitiæ, quanto magis gustantur, tanto plus appetuntur. 31.c.1. *Martha autem satagebat.* Quid sit propriè satagebat. 106. col.1. Alibi Maria etiam satagebat, dum dolebat. 106. col.1. *Et respondens dixit illi Dominus*; respondere pro aliquo in Scriptura, est causam illius tueri, & defendere. 127.c.1. *Maria optimam partem elegit.* 176.c.2. *Quæ sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, &c. Illa quæ olim, *ex quo intrauit, non cessauit*, & vt cognouit accurrit, modo quieta sedet, tunc enim patiebatur tormentum malæ conscientiæ, de qua multa habes à fol.232.& seq. modo potitur quiete bonæ conscientiæ, de qua vide 234.col.1. & seq. *Martha, Martha sollicita es.* O quàm vana sunt iudicia humana! 239. col.1. *Martha sollicita es, & turbaris erga plurima*, vanæ sunt terrenæ occupationes. 280. col.1.

In die S.Bartholomæi.

ERat pernoctans in oratione Dei. 316. col.3.

In Decollat.S.Ioan.Bapt.

MIsit Herodes. ac tenuit Ioannem, &c. Mors iustis, non in malum, sed in bonum potius proficit. 15.col.3. & 4. *Non licet tibi.* Merito adulterij arguebat regem, cum potius virtutes deceant reges magis quàm cæteros viros. 117.col.2.& 3. & sequ. Cum regis virtutes sint, in Deum religio, in homines benignitas, nullam prorsus habebat hic Rex. 154.col.3.

In die S. Matthæi.

VIdit hominem sedentem in telonio, quare cum Publicanis, &c. Humilitas Christi non minuit maiestatem illius, solumque Iudam, & similes potuit offendere. 42.col.3. & 4. Exprobrant id, pro quo maximas grates debuerint agere, quod scilicet Filius Dei ad nos descenderit factus humilis. 44.col.3.& 4. Optimum sanè per conuersionem ad Deum reuocare dies malè ante actæ vitæ. 104.col.3. *Surgens statim secutus est eum.* Laudanda diligentia in his, quæ conducunt ad salutem. 97.col.2. Contra eos qui in rebus ad salutem conducentibus procrastinantur, vide 105.col.4. Maxima laudanda conuersio eorum, qui assueti sunt vitiis. 106. col.2.3.& 4. Commendatur huius hominis conuersio, quod minimè diutius de sequendo Domino deliberauerit, cum soleant homines diu deliberare pro amplexanda virtute, non sic vero pro committendis peccatis, optima habes. 109.col.3.& 4. Post diuinam vocatio

vocationem minimè immorandum. 109. col.4. & 110.1. *Secutus est eum,* mente, & corpore. 111.c.1. Contra eos qui detinentur circa initia sequelæ, & virtutis. 111.col.3.& 4. & 112.1.& 2. Conuersionis, & virtutis initia, diabolus maximè impugnat. 113.col.1.& 2. Et ideo non immorandum in virtutum initiis. 113. col.3. Contra eos, qui incipiunt sequi, & ad vitia statim reuertuntur. 116.col.1.2.& seq. Felix Matth. dum omnia terrena reliquit, & in Christo fixit spem suam, qui non deest sperantibus in ipso. 144.col.3.4.& seq. Vidit hominem sedentem in telonio. 269.c.1.

In die S. Michaëlis.

ANgeli eorum semper vident faciem Patris, &c. 27.col.4. *Angeli eorum,* &c. Hominem fecit Deus ad similitudinem suam, & Angelum ad ministerium hominis. 51. col.2. *Nisi efficiamini sicut paruuli*, ideò Christus singulariter diligit pueros, eo quod ad vlteriora crescant. 122. col.2. de quo argumento multa habes à fol. 118.col.1.& 2. & seq. Maior in regno cœlorum humilior est, quia humilitas magnitudinem animi testatur ad suscipienda bona cœlestia. 247. col.1.& 2. *Nisi efficiamini sicut paruuli.* Vana gloria in virtutibus, vt plurimum reperitur, & ideo Deus seruos suos humiliat, ne superbiant. 261.col.2.

In festo Omnium Sanctorum.

B*Eati mites, quoniam filij Dei vocabuntur*, Dei mansuetudinem imitando. 272. col.3.& 4. & 273. 1. & 2. *Beati, qui persecutionem patiuntur.* 284. col.4. & sequ. per multas col. *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, absterget siquidem Deus tenerrimo affectu lacrymas eorum. 47.col.4. Et quomodo adhuc in terris eas abstergat. vide 47.col.4.& 48. 1. *Beati pauperes*, si illorum paupertas fuerit similis paupertati Christi Domini. 48. col. 3. & 4. *Beati qui esuriunt, & sitiunt*, &c. 69.col.3. & 4. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis:* præmia, quæ nos expectant in futura vita, lætam, & iucundam reddunt mortem præsentis vitæ. 108. col.1. *Beati qui lugent*, quoniam peccata sua lacrymis abluunt. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* 118.col.1.& 2.& seq. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Ibidem. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* 119. c.2. & sequ. vsque ad 23. col. 1. & 2. & sequ. *Beati pauperes:* nulli beatiores quàm qui paupertate gaudent, & ærumnis. 132. col.1. & 2. *Beati pauperes,* &c. Sancti sunt feliciter infelices. 139.c.3. *Gaudete, & exultate,* &c. Per ærumnas, & labores, peruenitur ad magnam felicitatem. 139. col.2.& 3. *Beati qui lugent.* Fletibus flectitur Deus, vt compatiatur flenti. 141. col. 2. vbi multa de lacrymis col.2. & sequ. Plura de lugentibus habes à fol. 146. col.2. & sequ. *Beati qui lugent.* 151.col.3. *Beati pauperes spiritu.* 199. col.2. Dum beatas dicit vitæ miserias latet mel, & lac, sub lingua eius. 207.col.4.& 208. 1. *Beati pacifici.* 223. col. 4. & sequ. & 225. 3. *Gaudete, & exultate,* &c. Præcipit gaudere in persecutionibus. 294. col.3.& 4. & sequ. *Gaudete, & exultate.* O quantum gaudium afferunt sanctis labores, & persecutiones huius vitæ. 290.c.1. & sequ.

In festo Sanctorum Simonis, & Iudæ.

HÆc mando vobis, vt diligatis inuicem; quomodo fieri debeat hæc viciſſitudo amoris habes. à fol. 269. col. 4. & ſequ. vide 271. & ſequent.

In communi vnius Martyris.

SI quis vult venire poſt me. Gloria filia laboris eſt, & decertantibus tanquam corona conceditur. 29. col. 4. Debent iuſti ſemper ad vlteriora virtutum proſequi, nec in ea contenti eſſe aut ſtare. 118 col. 3. *Sequatur me:* deſiderando æterna bona ſequitur homo Chriſtum. 121. col. 1. & 2. In virtutibus ſatis eſt velle, ſed neceſſarium eſt proſequi, non ſufficit velle venire poſt Chriſtum, ſed requiritur vt ſequatur. 122. col. 3. *Sequatur me.* Qui cœli Dominum, cœleſtiaque bona ante oculos proponit, nihil difficile inuenit, & omnia terrena contemnit. 137. col. 3. *Tollat crucem ſuã.* Qui ſequitur Chriſtum, & cœleſtia bona operã: mala terrena omnino deſpicit. 137. col. 4. & 138. 1. *Tollat crucem ſuam.* 143. c. 3. Qui vult animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. 146. col. 4. & 147. 1. *Qui perdiderit animam ſuam, &c.* Pœnitentia ſecuritatem tribuit animæ pœnitenti. 147. c. 1. *Tollat crucem, &c.* Mel, & lac ſub hac Chriſti doctrina. 207. col. 4. *Tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* 265. col. 1. & 2. *Qui vult venire poſt me.* 284. col. 3. & 285. 3. *Tollat crucem ſuam*, ideſt moriatur mundo, quod quomodo fiat, habes. 288. col. 1.

In eodem communi.

SIne me nihil poteſtis facere: nihil ſine Dei adiutorio poſſumus facere. 253. col. 2. 3. & ſeq. Et ideo ſancti totam virtutum laudem in Deum referunt. 251. c. 1. & 2.

In communi plurimorum Martyrum.

CVm audieritis prælia, & ſeditiones. Non debent terreri ſancti, ſi aduerſis premãtur; ſic enim ſolet Deus ſuos electos, per aduerſa deducere, & probare. f. 6. c. 3. & 4. & f. 7. c. 1. & 2. Vnde potius laudandum eſt in aduerſis. ibidem.

In eodem communi.

GAudete, & exultate. Præcipit gaudere in perſecutionibus. 274. c. 3. 4. & ſeq.

In communi Confeſſ. Pontif.

INtra in gaudium Domini tui. Bona temporalia, quia finita, & terminata in nos intrant, ad ſpiritualia quia ſine termino, & fine ſunt, nos ad illa intramus. 26. & 27. Diuites ſunt diſpenſatores Dei, quibus ille tradidit bona ſua. 216. col. 3. & 4. In eo ſeruo, qui abſcondit talentum adumbrantur pigri, qui non attendunt præſentem vitam, ideò nobis à Deo concedi, vt meritoria operemur. 277. c. 4 & ſeq. Impij, qui pro æterna vita lucranda non laborant, ſimiles ſunt hyemi. 281. col. 1. Sterilis inuenitur apud Deum. 281. c. 3. Exiget Deus à nobis rationem talentorum commiſſorum. 294. c. 1.

In communi Doctorum.

VOs estis sal terræ, vos estis lux mundi. 115. col. 2. *Vos estis lux mundi.* Ad prælatos maximè spectat sanctitas. 117. col. 2. & seq. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Prælatorum defectus non possunt esse occulti. 117. col. 3. & 4. Si opera nostra occultanda sunt, sicut multis habes à fol. 262. & seq. Quomodo ait hoc in loco Christus. *Luceat lux vestra coram hominibus.* 264. col. 1. *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* 298. col 2. & 302. 1. *Qui fecerit, & docuerit,* &c. 300. c. 4.

In communi Confess. non Pontif.

SInt lumbi vestri præcincti, &c. Cætera in nobis incerta, sola mors certissima proinde expectanda. 9. c. 3. Quia longioris vitæ expectatione homines falluntur, ideo non expectant venturum Deum. 14. c. 2. *Et vos estote parati,* &c. 20. col. 1. & 2. & 21. 1. & seq. O miseri imparati ad mortem! 21. col. 2. In tantum debemus esse parati ad mortem, quod Christianus dicitur expeditum mortis. 99. col. 2. & 3. *Transiens ministrabit illis.* 31. col. 1. *Præcinget se, & faciet illos discumbere.* 43. col. 1. *Et vos estote parati,* quia vitæ incertitudo hoc docet, monet, & clamat. 90. col. 1. & 2. Mortis tempus semper adest, & ideo semper vigilandum. 90. col. 4. & seq. *Si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret.* Mors veluti fur incautos seducit. 92. col. 1. 2. 3. & seq. Mors incautos non inuenit prudentes. 93. col. 4. Diabolus nobis vitam longè abesse fingit, & pingit. 94. col. 2. & 95. 1. Mortis memoria nos præparat ad aduentum Domini. 94. c. 4. Mortis tempus semper adest. 91. c. 2. & 3. & 98. 2. Debemus nos præparare ad aduentum Domini. 96. col. 3. Qui se non præparant, sibi sunt inimici. 97. c. 1. Mortis incertitudo præparationem magis indicit, & monet. 97. c. 2. & 3. Adueniet Deus sicut fur. 97. col. 3. Mortis præparatio maximè iuuat morientem. 97. col. 4. *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs.* 98. c. 4. & seq. Nonnunquam nos imparatos inuenit Dominus. 99. col. 2. Non multo opus est tempore pro præparatione ad suscipiendum Dominum. 100. col. 1. & seq. O quam deploranda mors eorum, quos inuenit imparatos. 103. col. 1. & seq. Infœlix, qui ad vltimum tempus præparationem remittit. 103. col. 3. Contra eos, qui in rebus ad salutem necessariis procrastinantur, vide 105. col. 4. *Lucernæ ardentes in manibus vestris,* virtutes esse debent, non frigidæ, sed calore spiritus inflammatæ. 111. col. 2. & 3. *Expectantibus Dominum suum;* fœlices illi, qui in Deo totam spem suam figunt. 144. c. 3. & 4. & seq. *Lucernæ ardentes* opera meritoria designant, quibus iugiter in hac vita debemus incumbere. 280. antea, & postea per multas pagin. vide. *Sint lumbi vestri præcincti,* &c. 291. c. 2.

In eodem communi.

NOlite timere pusillus grex. Proprium sanctorum est esse humiles, & de se humiliter sentire. 249. c. 3. 4. & seq. per multas pag.

In communi Abbatum.

ECce nos reliquimus omnia, &c. Relinquendo omnia militiam Dei professi sunt. 283. col. 2. 3. & 4. Relinquere temporalia magnum testatur animum. 247. col. 3. *Ecce nos reliquimus omnia:* qui Deo volunt deser-

unte, debent se absoluere ab implicatione temporalium. 50. col. 2. Quid mirum si temporalia caduca respuamus? Vide 6. 7. 8. Relinquimus non nostra, dum temporalia relinquimus. 9. col. 2. Secuti sumus te, dixit, quia spiritualia bona ante nos debemus habere, at temporalia post nos. 31. col. 2. *Ecce nos reliquimus omnia*, particula *Ecce* diligentiam denotat in conuertendo ad Deum. 97. col. 1. *Ecce nos reliquimus omnia*, non ostenditur diu deliberasse de sequendo Domino, cum tamen homines soleant diu de amplexanda virtute nutare, & dubitare, non sic verò pro committendis peccatis. 109. c. 3. & 4. & 110. 1. *Reliquimus omnia*: reliquerunt quidem mente, & corpore. 111. col. 1. *Ecce nos reliquimus omnia*, laudandi in hoc discipuli, qui non diu hæserunt in initio sequelæ Christi, & virtutis, quod admodum nocet saluti. 111. col. 3. & 4. & 112. 1. & 2. Initia ad sequelam Christi, & virtutem nullatenus omittenda. 113. col. 2. 3. & 4. Contra eos, qui incipiunt, nec prosequuntur Dei sequelam. 116. col. 1. & 2. & seq. *Ecce nos reliquimus omnia*: temporalia post se relinquere perfectum quidem. 120. col. 2. & seq. *Reliquimus omnia*. Primus gradus perfectionis recedere à malo. 124. col. 3. *Secuti sumus te*: qui Deum, cœlestiáque bona ob oculos habet, facilè dimittit terrena. 137. col. 3. & 4. *Amen dico vobis*. Fidentibus, & sperantibus in Deo, nihil satisfacit nisi bonum cœleste. 138 c. 1. *Quid ergo erit nobis?* Fœlices qui in Deo spem suam habent, & omnia terrena propter eum reliquerunt. 144. col. 3. & 4. & seq. *Ecce nos reliquimus omnia*, sed prius se quisquam debet relinquere. 166. c. 1. & 2.

In communi Virginum.

Simile est Regnum cœlorum decem virginibus. Cætera in nobis incerta, at mors certissima, proinde expectanda 9. col. 3. Decipiuntur homines imprudentes vitæ longioris expectatione, & ideo non expectant sponsum venturum. 14. c. 2. *Vigilate, quia nescitis diem*, &c. 20. c. 1. 2. & seq. *Nescio vos*. 20. col. 3. & 4. vide etiam pro hoc argumento. 21. c. 1. & 2. Prudentia sanctarum Virginum consistit in præstolanda, & præuenienda morte. 21. col. 4. *Nescio vos*: grauior ista sententia est, quam sit gehenna. 32. c. 1. Debemus inuigilare, vt aperiamus sponso, cum fores animæ nostræ pulsei, ne cum pulsauerimus, ipse respondeat, *Nescio vos*. 46. col. 3. Christus sponsus animarum nostrarum, proinde maximè diligendus, quærendus, & expectandus. 53. col. 4. *Vigilate, quia nescitis*, imò ipsa incertitudo vitæ hoc monet, & clamat. 90. col. 1. & 2. Stultæ Virgines dicuntur, quod sibi non prouiderint. 90. col. 4. Omni tempore vigilandum, quia mortis tempus semper adest. 90. c. 4. & seq. & 98. 2. Mors incautos non inuenit sapientes. 93. c. 4. Misera imprudentia velle in morte lampades præparare. 95. c. 3. & 96. 1. Prudentibus nulla vitæ securitas. 95. c. 4. Debemus in vita lampades præparare. 96. c. 3. & 4. Imprudentes, & desides in se præparando ad mortem, sibi inimici sunt. 96. c. 4. & 97. 1. Mortis incertitudo magis indicit, & monet præparationem 97. c. 2. & 3. *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei*. 98. col. 4. & seq. Pro præparandis lampadibus, non multo opus est tempore, sed quodlibet sufficit. 100. col. 1. & seq. O quam deploranda eorum mors, quos inuenit imparatos. 103. col. 2. & seq. Imprudens, & infœlix, qui ad vltimam horam præparationem remittit.

mittit.103.c.3.& 106.1.Contra eos, qui in rebus ad salutem conducentibus procrastinantur. vide 105.col 4. Serò tandem expergisci infœlicissimum est.106.c.1.& 2. Lampades accensæ inflammata opera indicant, & accensa igni Spiritus sancti.111.c.2. & 3.Fœlices,qui Deum expectant,& in illo spem suam collocant.144 c.3. 4.& seq. *Tunc surrexerunt omnes virgines.*Frustra fatuæ surgunt,quia fatuis gloriantur lampadibus. 212. col. 3. *Amen dico vobis, nescio vos.*225. col.1. Præparandæ sunt in hac vita lampades bonorum operum.292. & antea, & postea multa hac de re habentur latissimè ; debéntque homines ab imprudentibus aliquibus discere, vt prudentes inueniantur. Qui in vltima hora de salute curant : stulti, & imprudentes deprehenduntur, quibus dicitur,nescio vos.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Ingressus Iesus perambulabat Ierico,&c. Ille festinans descendit. Diligentia in rebus conducentibus ad salutem laudanda.97.c 2.Contra eos vero qui procrastinantur.105. col.4. Maximè laudanda eorum conuersio, qui assueti sunt vitiis 106.c 2 3 & 4. Vnde diutius deliberauit an obsequendum esset Christo Domino vocanti, cum tamen soleant homines diu deliberare de virtute, nihil vero circa vitia committenda. 109. col.3. & 4. Post diuinam vocationem minimè immorandum.108 col.4 vide etiam.109.1. Occasiones ad salutem nullatenus omittendæ. 113. col.2.3. & 4. *Festinans descende,*&c.114.col.4. & 115.1. *Hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse sit filius Abrahæ.* 281.c.4.

FINIS.

